P. CORNELII TACITI

OPERA QUAE SUPERSUNT

AD FIDEM CODICUM MEDICEORUM

AB

JO. GEORGIO BAITERO

DENUO EXCUSSORUM

CETERORUMQUE OPTIMORUM LIBRORUM

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

JO. GASPAR ORELLIUS.

VOLUMEN II.

Germania. Dialogus de claris oratoribus. Agricola. Historiae.

Editionem alteram curaverunt

H. Schweizer-Sidler, G. Andresen, C. Meiser.

BERLOLINI

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM

MDCCCLXXVII.

P. CORNELII TACITI

DE SITU AC POPULIS

GERMANIAE

LIBER.

AD FIDEM CODICUM VATICANORUM, PERIZONIANI, NEAPOLITANI

CETERORUMQUE OPTIMORUM LIBRORUM

DENUO RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

H. SCHWEIZER-SIDLER.

BEROLINI

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM

MDCCCLXXVII.

PRAEFATIO GERMANIAE.

Jam quadriennio ante haec Germaniae editio Orelliana altera prela reliquerat, cum extemplo Calvary, bibliopola Berolinensis, ad quem nobis insciis omnes libri ad antiquitatem pertinentes, qui olim Orellii, Fuessilini et sociorum Turicensium impensis sunt editi, transierant, mihi nuntiavit hanc curam proxime in publicum prodire debere ac me monuit, ut, si quae vel addere vel corrigere vellem, primo quoque tempore ad se mitterem. Omnium maxime, quod fieri non potuisse doleo, totum quem dicunt commentarium in novam formam redigere mihi placuisset, tempore urgente mihi, qui insuper prorsus aliis studiis distinebar, nihil relinquebatur nisi ut admodum pauca adderem ac corrigerem.

Pag. I. Eorundem librorum scripturas accuratius etiam et libri Neap. scripturam plenius quam a nobis factum est Müllenhoff in altera Hauptii editione proposuit. Postea Waitz (G. G. A.) probare studuit librum Vaticanum 1518 saepe integriorem praebere scripturam quam A B, atque ceteros quoque libros saepius ad verum restituendum esse adhibendos.

Wölfflin (Hermes XI, 126) libri inscriptionem fuisse DE SITU AC POPVLIS GERMANIAE luculenter docuit.

p. 2, l. 5 pro vv. cuius incolae — Romani. l.: quae adiecto v. omnis non tam opponitur illis Germanis cet., quam singulis ipsius partibus. l. 7 dele vv. Nec vero — respicit. p. 2, p. a. l. 1 post v. dicebatur adde: Quae nuperrime Müllenhoff vir cl. (Archiv für slav. Phil. I, 2) de Danuvio, Dunaŭ, Dunaj disseruit, nondum legi.

l. 3 post v. Ister h. e. Strom.

p. 4. l. 39 l. depreh.

l. 53: Quae nuper L. Meier (Zeitschrift für d. Phil. 4 p. 72 sqq.) contra hanc loci enarrationem disputavit diligenter quidem et acute, nobis non persuaserunt eam esse falsam recteque adj. adversus ita explicari ut eodem fere intellectu esse quo adj. inimicus statuamus. Qua de causa Baumstark, philologorum Germanorum insolentissimus (A. E. G. 49) Orellii sententiam ridiculam dixerit, parum intellego. Ipse a. adversus interpretatur „anderweltlich."

p. 5. l. 10 post severum adde: quod adjectivum sanscrito chrịsta respondere docuit I. Schmidt Voc. II, 458.

p. 5. p. a. l. 24 post p. 532 sq. adde: atque in editione Germaniae.

p. 6. l. 6 post incolant adde: Scherer z. G. D. Spr. 164 et Zimmer, Ost- und Westgermanen, 70, etiam lingua inter se differre Germanos occidentales et orientales statuerunt. l. 25 adde: ut in licentia vetustatis. Anton, Stud. 2, p. 56: wie es bei dem Spielraum, den das Alterthum gibt, zu sein pflegt oder nicht anders sein kann. l. 49 adde: Nuper rursus multi deum alium esse non posse quam Tuistonem, si grammaticam spectes rationem, satis acriter contenderunt; sed deo ortos esse posse Gottentsprossene haud neges, si conferas gentis appellationes „Stammnamen".

p. 7. Postremo quod sciam de hoc nomine Hasdieu, professor Buckarestensis, (Elemente Dacice II, CHIOB) disseruit statuitque Suebos dici illustres.

l. 13 adde: eaque vera cet. Zacher Halensis, quod mecum amice communicavit, haec verba artius vult coniungere cum v. v. ceterum G. cet.

Posteaquam haec de cap. 2 sententia sunt scripta, eam rem Watterich, Kaufmann, Usinger alii accurate tractaverunt. Watterich, der deutsche Name Germanen p. 55 sqq.,

rursus originem ejus nominis esse Theotiscam docte et diligenter, sed vereor ne frustra probare studet.

p. 10, p. a. l. 20 adde: cf. Müllenhoff D. A. p. 43.

p. 12. p. a. l. 38. Cf. Hehn, Kulturpflanzen und Hausthiere, p. 376, quo loco de vocabulis Theotiscis, quibus arborum insitio significatur, accurate disseruit.

p. 13 l. 3 infra l. ὁμοίως.

p. 13 p. a. l. 6 adde: Locutionem haud perinde prorsus aliter interpretatus est Leo Meier, similiter atque Orelli, tamen alia supplens cogitatione Christ, qui locum Justini II, 2 comparavit: aurum et argentum (Scythae) non perinde ac reliqui mortales adpetunt.

p. 15 p. a. l. 8 l. galeae. De equis iuvabit legere quae Hehn in libro modo laudato accurate et suaviter scripsit.

l. 31 lege Marabathus.

Ad locum c. 6: eoque mixti etc. cf. quae L. Meier (Z. f. d. Ph.) disseruit. Qui quod affirmat grammatica jam ratione centenos necessario ad solos pedites debere referri, vereor ne acutius quam verius hoc statuat.

p. 20. De Wodani nomine cf. Zimmer, Z. f. d. A. 19 p. 164 sqq.

p. 21. De Iside h. l. memorata cf. I. Gantrelle, Contributions à la critique et à l'explication de Tacite. Paris 1875. Postquam vir doctus accurate locum tractavit, his verbis p. 65 disserendi finem facit. Nous croyons pouvoir conclure de notre double démonstration, que les Suèves mentionés dans l'Agricola habitaient à l'embouchure de l'Escaut, et que c'est à eux, que pensait Tacitus en disant dans la Germanie, qu'une partie des Suèves sacrifiait à Isis, c'est-à-dire à la déesse germanique Nehalennia.

De loco c. 9. ceterum nec cohibere etc. prorsus aliter sentit Leo Meier, Z. f. d. Ph. IV, p. 184 sqq. cui ut assentiar a me non impetro.

p. 22, l. 8 infra: Vellem hanc de idolis Orellii mei annotationem oblitterassem. Melius composita et satis luculenta harum rerum expositio Wackernagelii invenitur. Z. f. D. A. IX, 543.

p. 23, l. 20 post v. v. eine G. adde: Dubium mihi jam non est, quin Tacitus die Gew. dixerit.

p. 25 p. a. l. 20 adde: Lexer, mittelhd. W. II, 22.

p. 26, 5. Baumstark (D. U. St. 392 sqq.) suo modo latrans hanc interpretationem impugnat et solam librorum scripturam turbae rectissime se habere contendit, quam scripturam eodem modo interpretatur quo Orelli in sua editione priore explicaverat. Hoc tantum concedimus, in scriptura turba pl. rectius suppleri v. ipsis quam v. principibus vel sacerdoti.

p. 32 a. p. infra l. 6 post v. explicavit adde: jam me paenitet hanc Köchlyi coniecturam emendationem vocasse atque adeo in contextum recepisse.

p. 38 l. 2. Schröder, Gesch. etc. I, p. 26: Tacitus spricht entweder von der Morgengabe oder stellte den Muntschatz irrthümlich als eine Gabe an die Frau dar. Ingeniosam quidem huius loci enarrationem Sohm, iurisc. cl., proposuit, qua Tacitum de mulierum emancipatione agere docet; sed mirum nobis videtur T. in emancipatione boves iunctos et frenatum equum memorare.

p. 40 p. a. l. 2 l. D.

p. 42 l. 1 l. cuique. l. 43 post v. Mutterbruder adde: Cf. Lexer, mhd. W. s. v.: das wort bedeutet ursprünglich das haus des (kleinen) grossvaters, eine ähnliche bildung wie vrouwenzimmer.

Ib. a. p. l. 15. Prorsus aliter de aetatis privilegio existimat Baumstark, qui ex c. 32 colligit hoc Germanorum omnium fuisse commune.

p. 43 l. 12 infra dele vv. post — C. 30. Ib. a. p. l. 29 scribe le6d.

p. 44 l. 20 infra adde: Lexer, mhd. W. s. v.

Ib. l. 3 infra. Christ, prof. Mon., N. Jahrbb. 113 pag. 336 coniecturam communis v. probat coll. Caes. B. G. VI, 23 victusque communicatur. Sed cf. quae diximus: Satis notum cet.

p. 45. Bücheler in enarranda t. Ig. V, 2: Sacrificare et epulari et consultare casci populi uno tempore soliti sunt; Germani de pace et bello deliberabant in conviviis (T. G. c. 22), similem usum apud Raetos foederatos ad nostram memoriam durasse audivi. — Scholia ad Il. l. 70: *Διὸ καὶ Πέρσαι μεθύοντες συμβουλεύονται, νήφοντες δὲ ἐπικρίνουσιν, καὶ ὁ Ῥοδίων δὲ νόμος* cet. (Meiser, N. Jbb. pag. 111, 498).

p. 46, l. 1 l. umor. p. 46 med. Admodum diligenter et suaviter his de rebus egit Hehn, Kulturpflanzen etc. ed. 2 p. 131 seqq.

P. 51 l. 13 infra: De anni apud Germanos divisione cf. etiam Weinhold, Rede bei der Feier etc. Kiel 1862.

p. 53 l. 13 i. l. transgressos. p. 57, l. 7 l. Germania. p. 60 l. 14 adde: 18,

p. 57 l. 7 l. Germania.

p. 75 a. p. i. l. 13 l. Vinilorum.

p. 76 a. p. l. 12 l. Gotorum.

p. 80 in ind. script. l. ministrantur libri, ministrant Lipsius.

Turici Kal. Sext. MDCCCLXXVI.

H. Schweizer-Sidler.

CORNELII TACITI
DE SITU GERMANIAE
LIBER.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Germaniae situs. 2. incolae indigenae. auctores gentis. nominis origo. Hercules. 3. barditus. ara Ulixis. 4. Germani gens sincera. habitus corporum. 5. terrae natura. non aurum, non argentum, nec aestimatum. 6. Germanorum arma, equitatus, peditatus, ordo militiae. 7. reges, duces, sacerdotes. 8. feminarum virtus et veneratio. Veleda. Albruna. 9. dii, sacra, simulacra nulla. 10. auspicia, sortes. ex equis, e captivo praesagia. 11. consultationes publicae et conventus. 12. accusationes, poenae, ius redditum. 13. scuto frameaque ornati iuvenes, principum comites. eorum virtus et fama. 14. gentis bellica studia. 15. in pace venatio, otium. collata principibus munera. 16. urbes nullae. vici, domus, specus suffugium hiemis et receptaculum frugibus. 17. vestitus virorum, feminarum. 18. matrimonia severa. dos a marito oblata. 19. pudicitia. adulterii poena. monogamia. liberorum numerus non finitus. 20. liberorum educatio. successionis leges. 21. patris, propinqui amicitiae inimicitiaeque susceptae. homicidii pretium. hospitalitas. 22. lotio, victus, ebriorum rixae. consultatio in conviviis. 23. potus, cibus. 24. spectacula. aleae furor. 25. servi, libertini. 26. faenus ignotum. agricultura. anni tempora. 27. funera, sepulcra, luctus.

28. Singularum gentium instituta. Galli, olim valida gens, in Germaniam transgressi, Helvetii, Boii. Aravisci, Osi, incertum genus. Germanicae originis populi Treveri, Nervii, Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii. 29. Batavi, Chattorum proles. Mattiaci. Decumates agri. 30. 31. Chattorum regio, habitus, disciplina militaris, vota, virtutis incentiva. 32. Usipi, Tencteri, equitatu praestantes. 33. Bructerorum sedes, a Chamavis et Angrivariis occupatae. 34. Dulgubnii. Chasuarii. Frisii. 35. Chauci, pacis studio, iustitia et virtute nobiles. 36. Cherusci et Fosi, a Chattis victi. 37. Cimbrorum parva civitas, gloria ingens. Romanorum clades. Germani triumphati magis quam victi. 38. Sueborum numerus, mores. 39. Semnonum religio, victimae humanae. 40. Langobardi. Reudigni. Aviones. Anglii. Varini. Eudoses. Suardones. Nuitones. Nerthus cultus communis. 41. Hermunduri. 42. Varisti. Marcomani. Quadi. 43. Marsigni. Cotini. Osi. Buri. Lugiorum civitates, Harii, Helvecones, Manimi, Elisii, Nahanarvali; horum numen Alcis. Gotones. Rugii. Lemovii. 44. Suiones, classibus valentes. 45. mare pigrum. Aestii, Matris Deum cultores, sucinum legunt. Sitonibus femina imperat. 46. Peucini, Veneti, Fenni, Germani an Sarmati? eorum feritas, paupertas. Hominum monstra, Hellusii, Etiones.

„*Germaniae* libri qui supersunt omnes ex apographo derivati sunt, quod Henoch Asculanus temporibus Nicolai V Pontif. Max. conquirendorum codicum gratia in Galliam et inde in Germaniam profectus in monasterio aut Corbeiensi aut Fuldensi confecit. codex, quo usus est ille, vetustate ita consumptus fuit, ut plurimis locis de vera lectione dubitaret. proxime ad id apographum accessit liber nunc item deperditus cuius iactura compensatur duobus codicibus inde transcriptis, Vaticano 1862 et Perizoniano Leidae asservato, quorum prior ut accuratissime scriptus summae auctoritatis debet esse, hic qui adhuc optimus testis habitus est scripturam praebet a Ioviano Pontano ex arbitrio suo correctam: accedit, quod idem liber iterum postea interpolatus est, ut maiore cura quam adhuc factum est discernendae sint diversae manus in eo conspicuae. reliqui libri etiam magis interpolati sunt: ex quorum numero ut cum cautione ad corrigendam Vaticani illius scripturam adhibeantur seligendi sunt Vaticanus 1518 et Neapolitanus." REIFFERSCHEID. Codices Vaticanos 1862 et 1518 nonnullis in locis accuratius inspexit nostra gratia V. D. Dr. *Rühl.*

Notae. A = codex Vaticanus 1862.
B = codex Perizonianus.
C = codex Vaticanus 1518.
D = codex Neapolitanus (cuius de scriptura rarius faciemus mentionem).

CORNELIUS. TACITUS. DE ORIGINE ET SITU GERMANORVM A. — C. CORNELII. TACITI. DE ORIGINE ET SITU GERMANORUM C. — C. CORNELII. TACITI. DE ORIGINE ET SITU GERMANIAE LIBER INCIPIT D. — CORNELII. TACITI. DE ORIGINE. SITU. MORIBUS AC POPULIS. GERMANORUM LIBER. INCIPIT B. Reifferscheid acute probare studet tituli primam formam fuisse: *DE SITU GERMANIAE.*

(1) Germania omnis a Gallis Raetisque et Pannoniis Rheno et Danuvio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separatur: cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Raeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus

1. *Raetisque*. Cellarius. *retiisque* A, *rętiisque* C, *rhetiisque* B. — *danuuio* C, inscriptiones, nummi, uterque l. Mediceus pluries; *danubio* AB (ex medii aevi consuetudine). — 2. *mọtuo* B. — *seperatur* A. — 5. *raeticarum* D, *reticarũ* A, *ṙęticarum* C, *rheticarum* B.

1. *Germania omnis*] i. e. cum singulas eius partes in unum comprehenderis. Cf. initium Caes. Belli Gallici: *Gallia* est *omnis* divisa cet., atque eius loci interpretes. Est Germania quae dicitur *magna*, *Γερμανία μεγάλη*, cuius incolae opponuntur illis Germanis, qui sinistram Rheni ripam accolebant erantque imperii Romani. Nec vero *decumates agros*, *sinum* illum imperii Romani trans Rh. et Dan. situm (C. 29), h. l. respicit. — *Gallis*] Galliae propriae incolis. Postea et Galli et Itali a Theotiscis *Walahi*, *Walahisci* (Wälsche), ab Anglosaxonibus *Vealhi* h. e. barbari appellabantur. — *Raetisque*] emendavit Cellarius, quum eo tempore non plures fuissent Raetiae partes distinctae. *Raetos* ex pluribus gentibus, Etruscis, Celtis, tertia quadam haud satis nota, fortasse Liguribus, fuisse commixtos recte conicias ex testimoniis veterum scriptorum et inscriptionibus, quae nuper ibi repertae sunt. Cfr. Mommsen, R. G. 1, 123; idem, *die nordetruskischen Alphabete*; Zeuss, *die Deutschen und ihre Nachbarstämme* (infra Z. D.) p. 228; Gisi, *Quellenbuch der Schweizergesch.* p. 513 sqq. Ceterum eo tempore Raetiae nomen (haud perinde vetustum, ut videtur) Vindeliciam quoque amplectebatur et ultra Danuvium erat extensum, id quod cum hodiernum nomen *Ries* ex ingenio linguae Theotiscae *Raetiae* nomini accurate respondens satis doceat, tum inscriptione nuperrime reperta probatur. Cfr. Christ, *Ber. der Bair. Ak.* 1868, II, p. 428. Praeter Raetiam etiam *Norici* T. mentionem facere poterat. — *Raetisque et P.*] „Particulae *que* — *et* (non raro) aequas partes sustinent, inveniturque haec iunctura cum alias saepe, tum saepissime, si nomina vel terrarum vel gentium enumerantur." Spitta, *de Taciti in comp. enunt. ratione*, p. 97. — *Pannoniis*] Pannonios Illyrici fuisse generis docet Z. D. p. 254. — *Rheno*] Rheni nomen Celticae esse originis et *currentem* significare docte demonstravit Glück in libello suo de Rheno, Moeno, Mog., ed. Mon. 1866. Ex littera autem H addita colligere debemus, Romanos hoc nomen ex lingua Graeca in suam recepisse. Germani ita declinaverunt, ut vernaculae linguae speciem indueret, cum flumini nomen *Rîn* inderent — *Danuvio*] De Danuvii item Celtico nomine diligenter disseruerunt Zeuss, *grammat. C.* pag. 994, ann. 16 et Glück, *die keltischen Namen bei Caesar*, p. 92, quorum uterque eo flumen *citato cursu* significari censet. A Theotiscis nomine ad ipsorum linguam deflexo Danuvius flumen *Tuonouwa* dicebatur. Sed unde primum Illyricum adluit (alio ex alia lingua desumto nomine), *Hister* sive *Ister* appellatus est. Plin. N. H. 4, 24. Praeterea fluminum montiumve perraro in hac cura mentionem facit T. propterea, quod accuratiore notitia carebat nec tabulis geographicis uti poterat. Cfr. Ukert *Germ.* p. 248. — *a Sarmatis*] Graecis *Σαυρομάται*, *Συρμάται*, quo de nomine consulas Müllenhoffium, *Monatsb. der Pr. Ak.* 1866, p. 571. Anglosax. *Sarmende* sive *Sermende*. Quos Sarmatas Tacitus ante Dacos inducit, Sarmatae illi *Iazuges*, h. e. *magni* (Müllenhoff l. l. p. 566) esse videntur, qui Dacis expulsis nuper in agrum inter Danuvium et Tibiscum iacentem invaserant (Müllenh. p. 575); sed verbis proxime sequentibus docemur nostrum quoque, ut alios scriptores, Sarmatiae nomine etiam Scythiam quam dicunt Graeci esse complexum. Errasse vero cum aliis cl. v. I. Grimm., cum Sarmatas omnino esse eosdem censeret quos Venedos, Slavorum maiores, acute docuit Müllenhoff l. l. p. 549 sqq., sed Aricae originis fuisse Sarmatas illos proprios idem luculentis ostendit argumentis. — *Dacisque*] quos diversae, ut ceteri veteres scriptores, a Germanis stirpis habebat Tacitus. Contra Iac. Grimm *über Jornandes und die Geten. Berlin* 1846. p. 36. et *Gesch. der D. Spr.* eos Germanis adnumerat et Dacos Danorum, Getas Gotorum maiores fuisse censet, haudquaquam tamen virorum his in rebus peritorum assensu. Cfr. praeter ceteros Müllenhoff in *Ersch u. Gruber, Encyclop.* s. v. *Geten.* — *mutuo metu*] nullis finibus certis ac naturalibus, sed interiectae sunt solitudines, in quas neutri immigrare audent. Cfr. Caesar B. G. 4, 3. 6, 23. ORELLI. (infra *O.*) Sed num T. h. l. re vera de solitudinibus cogitaverit, dubitari licet. — *montibus*] Intellege Carpathicos. — *sinus*] terrae, non maris; sinuata litora sive terras sinuatis (in septentrionem) litoribus; cfr. C. 37: *eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent*; id quod paullo ante C. 35. ita expresserat: *In septentrionem ingenti flexu redit* Germania. Ann. 4, 5. 67. Agr. 23. Verg. Ge. 2, 123; *(India) extremi sinus orbis*. Horat. Epod. 1, 13. Intellegitur imprimis paeninsula Iutia *(Jütland*, Chersonesus Cimbrica). Qui explicant „*maris sinus*", per zeugma haud probandum ex v. *complectens* supplent *efficiens*. — *insularum immensa spatia*.] Fioniae, aliarum, fortasse ex Plinii (N. H. 4, 13, 96.) et Taciti opinione etiam Scandinaviae. *O.* Ceterum voca-

modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Danuvius molli et clementer edito montis Abnobae iugo effusus pluris populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat: septimum os paludibus hauritur. (2) ipsos Germanos indigenas crediderim minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos, quia nec terra

1. *flexu occidentem* superscr. *in* B. — *danubius* A B, *dañuvius* C. — 2. *Abnobae* Rhenanus, *arnobę* (in margine *arbonae*) A, *arbonę* B, *arbone* (in margine *mons* a^{u}*bona*) C. — *plures* C D. — 5. *ŏspitiis* B, *ospítiis* C. — *mistos* B.

bulum, quod est *immensus,* apud Tacitum vim suam propriam rarius servasse et saepius idem fere significare, quod *magnus*, *maior*, satis docuit Wölfflin, *Philologus* XXVI, 159, qui tamen ipse errat, cum negare videtur Taciti *insulis* Scandinaviam quoque contineri posse, oblitus Scandinaviam usque ad saeculum XI pro insula sive pro insulis esse habitam; quam si minus bellum ipsum aperuit, aperuit tamen expeditio aut Drusi aut Tiberii in Germania bellantium. — *nuper cognitis cet.*] Collato C. 34. probabiliter hoc referas ad Drusi expeditionem a. u. 742., qua patefactae sint gentes illae; quamquam, ut verum fatear, Dio 54, 32. affirmat Drusum non ultra Chaucos penetrasse; quod tamen intellegas licet de gente hac superata, non de longinquiore aliqua et breviore expeditione in Oceanum, qualem significat Suet. Claud. 1: *Drusus — primus Romanorum ducum Oceanum septentrionalem navigavit,* et ad quam item referri videtur ea, quae facta est *auspiciis D. Augusti Germàniam classe circumvecta ad Cimbrorum promunturium (Skagen* in Jutlandia, ut arbitrantur), *et inde immenso mari prospecto.* Plin. N. H. 2, 67. et Mon. Ancyr. V. 14, M. *Cla*]*ssi qui praeerat meo iussu ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad ... .m navigavit, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adit.* Alii quidem (in eis Mommsen) interpretantur de Tiberiana (a. u. 758.), quam memorat Velleius 2, 106. Verum nisi omnia me fallunt, adulator rem ideo exaggeravit, quo in his ipsis *gentibus ac regibus* bello patefactis (Cic. Manil. 8.) Druso aequipararet Tiberii gloriam, immo hunc supra fratrem extolleret. *O.* — Ceterum falso Kritz hos ablativos quos dicunt ablativos qualitatis putat, cum sint ablativi absoluti licentius quidem cum ceteris enuntiationis partibus iuncti: *cum nuper sint cogniti* cet. h. e. quod inde novimus, quod nuper sunt cogniti cet., quam sententiam nuper Baumstark nulla idonea causa eo modo quo solet impugnavit. — *aperuit*] ut Agr. 22: *tertius expeditionum annus novas gentis aperuit,* h. e. fecit, ut primum innotescerent. Similiter Strabo 7. p. 291. de Drusi expeditione, qua Burchana insula detecta et occupata est: *Γνώριμα δὲ ταῦτα κατέστη τὰ ἔθνη πολεμοῦντα πρὸς Ῥωμαίους κτλ.* Item Plinius N. H. 4, 13, 27: *Tres et viginti inde insulae Romanorum armis cognitae. Earum nobilissimae Burchana cet.* — *Raetic. Alp. inaccesso cet.*] Verticem dicit Tacitus, quem alii, velut Strabo, Ptolemaeus, dicunt montem Adulam (hod. St. Gotthard). Caesar B. G. 4, 10: *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt.* — *modico flexu*] Intellege de flexu occidentali prope Arenacum *(Arnheim),* haud longe a Rheni ostio, unde subiungitur *Oceano miscetur.* Gerlach. Rectius existimes a Tacito flexum Rheni in universum occidentalem esse significatum. — *versus*] participium esse, non praepositionem, contra Ernestium bene indicarunt Passow et Hess. — *molli*] Noli accipere cum nonnullis de solo non saxoso, sed dictum est, ut Verg. Ecl. 9, 7: *qua se subducere colles Incipiunt mollique iugum demittere clivo*, homonymum igitur vv. *clementer edito,* qua imagine utitur noster etiam Ann. 13, 38: *colles — clementer assurgentes.* Utrumque iam coniunxerat Columella 2, 211: *collem clementer et molliter assurgentem. O.* Verba *molli et clement. e.* opponuntur v. v. *inaccesso et praec.* Wölfflin, *Phil.* XXVI, 137. — *Abnobae*] Scripturam hanc praeter Ruf. Fest. Avien. Per. 437: *Abnoba mons Istro pater est, cadit Abnobae hiatu Flumen,* firmant inscriptiones DEANAE ABNOBAE positae (Inscr. Or. Lat. N. 1986.) Plin. N. H. 4, 12, 24. Ptolem. 2, 11. Nomen Abnobae esse Celticum censet Zeuss D. p. 10 et significare *silvam flumine circumfusam.* Eadem est silva, quae *Marciana* postea dicebatur et hodie appellatur *Schwarzwald.* Oritur ibi Danuvius inter montes Rosseck et Briglrain. (Cfr. Ukert *Germ.* p. 117.) — *meatibus*] cfr. Draeger, *Syntax u. Stil des T.*, pg. 96. — *septimum*] Amm. Marc. 22, 8, 45: *septimum ingens et palustri specie nigrum.* — *hauritur*] unde factum, ut cum reliqua habeant suum quodque nomen apud scriptores antiquos, septimum nomine careat. Cfr. Ukert p. 160. Kruse de *Istri ostiis,* Vratislav. 1820.

2. *adventibus et hospitiis*] Gerlach: *durch Einwanderung und gastlichen Verkehr. Hospitia* autem interdum transeunt in fixas hospitum sedes in terris exteris. *O.* Perperam Doederlein *adventus* h. l. eorum esse existimat, qui irrumpant in alienas nationes et armata manu novas sedes capiant ac tueantur ut *ἔποικοι*, *hospitia* eorum, qui voluntate incolarum recipiantur ut *μέτοικοι.* Cfr. C. 40. *adventu hospitioque.* — *classibus*] Celeberrimae coloniae Phoenicum, Lydorum, Graecorum Tacito hic obversabantur: quarum numerus et gloria in causa erat, ut praeter morem suum levius hoc statueret. Duebn. Etenim persuadere sibi nequibat, fieri etiam po-

olim sed classibus advehebantur qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra utque sic dixerim adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia

3. ę *horridi* B.

tuisse, ut ex Asia terrestri itinere populi hi in Germaniam immigrarint. *O.* Contra ea satis nunc constat antiquissimas migrationes fere semper terra esse factas atque Germanos olim, ut ceteros populos, qui vetustis temporibus incolebant hodieque incolunt Europam, ex Asia parente fecunda eo advenisse. An cuiquam, qui non dedita opera his in rebus caecutiat, dubium est, quin Germani sint consanguinei non solum Celtarum, Slavorum, Italorum, Graecorum, sed etiam Armeniorum, Persarum, Indorum orientalium? — *advehebantur*] per zeugma quod dicunt refertur etiam ad vocabulum *terra*. — *immensus ultra*] Ad vocabulum *ultra* supplent quidam „fines *imperii* Romani." *Immensus ultra* est Oceanus, qui in immensum (als unermesslicher) ultra h. e. ultra Romani *orbis* fines extenditur. De adverbii usu, ubi adiectivum requiritur, cf. Roth, T. Agric. p. 215, sqq. — *adversus*] „e regione nobis, in altera orbis terrarum dimidia parte situs." Cic. Acad. pr. 2, 39, 123. *dicitis enim esse e regione nobis e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis.* Somn. Scip. 6: *hos qui incolunt terram – – –, partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare nobis.* Plin. N. H. 2, 68. de duobus verticibus: *hunc, qui trionum septem vocatur, eumque, qui adversus illi austrinus appellatur.* 10, 6: *(vultures) ex adverso orbe advolare.* Qui contra interpretati sunt aut „naviganti se opponens, infestus," ut sane est Plin. Epp. 6, 16, 17: *(Mare) adhuc vastum et adversum permanebat;* aut comparantes *adversum flumen*, „contrarius Oceani cursus," (ut Tac. Hist. 2, 98: *Mare quoque Etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.* Plin. N. H. 2, 70, 71: *Navigantium haec maxime cursus dreprehendunt, in alia adverso, in alia prono mari:)* haud satis respexerunt vv. *utque sic dixerim*, quae in utraque hac interpretatione et affectata et supervacanea sunt. Equidem in vv. *utque – – adversus* agnosco colorem quendam rhetoricum, quo usus hoc fere significare voluerit: „Eum, qui hoc in Oceano ultra semper navigaret, eo tandem perventurum, ubi, si sub eodem caelo continens esset terra, inveniret Antipodas." *O.* Cfr. praeter ceteros Wex in eo libello, quo a. 1853 *scholae Suerinensis solemnia saecularia celebranda indixit*, pg. 7 sq., qui plures etiam locos addidit, quibus hanc sententiam stabiliret. Ceterum de formula *ut sic dixerim* cf. Wölfflin, *Philol*, XXVI, 139. — *orbe nostro*] Sic Agr. 12: *dierum spatia ultra nostri orbis mensuram.* Plin. N. H. 12, 12, 26: *In nostro orbe proxime laudatur nardum Syriacum.* — *informem terris*] „ubi inamoenum undique aspectum praebent terrae" *O.* Seneca provid. 4: *Perpetua Germanos hiems, triste caelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant.* — *nisi si patria sit*] Recte Wex l. l. p. 8: Grammatico nomine in his verbis peccarunt interpretes (plerique), quod verba *nisi si patria sit* arte copularunt cum verbis *quis — Germaniam peteret*, non satis memores, neque modos *peteret* et *sit* satis congruere, neque sententiam constare. Immo copulanda sunt *terram tristem cultu aspectuque nisi si p. sit* h. e. tristem cuique nisi cui illa patria sit. *Peteret* erit: quem olim petisse putas? — *carminibus*] Alterum de Germanorum carminibus testimonium est Ann. 2, 88: *Arminius – – canitur adhuc barbaras apud gentes.* Iornandes 4: *quemadmodum et in priscis [Gotorum] carminibus paene historico ritu in commune recolitur.* *O.* Vetustissima haec carmina haud dubie allitteratione quae dicitur adhibita erant composita. Cf. quae luculenter hac de re disseruerunt Müllenhoff de Taciti Germania enarranda atque emendanda optime meritus in *Z. für D. Alterthum* VII. p. 527 ff. (infra ZDA.) et Wackernagel noster, cuius libris et commentationibus rerum Germanicarum cognitio praeclare adiuvatur, in *Deutsche Litteraturgesch.* p. 10. Ceterum Germanorum carmina vetustissima omnia ad res divinas aut mythicas pertinuisse atque a choris esse acta et cantata probare studet aliis, in his Wackernagelio, dissentientibus Müllenhoff *de antiquissima Germanorum poesi chorica particula.* 1847. — *Tuistonem*] Unice veram esse viliorum aliquot librorum lectionem *Tuisconem*, falsam alteram *Tuistonem*, contenderunt olim Grimm, *Mythol.* Ed. II. (infra nobis Gr. M.) p. 176. et 318., Z. D. p. 72. Grimm *Tuisconem, Tvisconem, Tivisconem* ductum a *Tivo* significare censebat *caelestem*, vel *Tivi* dei stirpem. *O.* Wackernagel cum aliis probe intellegens I. Grimmii interpretationi et rem et linguae Theotiscae leges repugnare ZDA. VI, p. 19 *Tuisconem* substantivum declinationis quam dicunt infirmam, referendum esse existimat ad adi. Theot. *suisk*, id quod dudum Lachmann quoque in scholis suis docuerat; *Tuisconem* igitur eum dici, qui sexus sit duplicis suique similem non habeat. Convenit de re inter Wackernagelium et Müllenhoffium, verum hic eandem sententiam inesse censet in lectione melioris notae, quae est *Tuistonem*, quod nomen satis congruere putat cum substantivis *tvistr* (linguae borealis), *tvist* (linguae Anglos.), „filum duplicatum", *swist* (linguae Theot.). Haec M. ZDA. IX, 259 ff. Nuper I. Grimm in *Ber. der Berl. Ak.* 1859, p. 254, sqq. Müllenhoffi et Wa-

aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit?

1. *germania* C. — *peter̃t* B. — 2. *nisi* (n^{i} C) *si* A C, *nisi* (*ni si* inde factum) B. De partt. *nisi si* vide Hand Turs. IV. p. 239.

ckernagelii sententiae suaeque, quam olim probasset, interpretationi id officere contendit, quod in nominibus ex Germania occidentali traditis *T* littera semper *TH* soni vicem sustineret. Quod praeclari viri argumentum num in universum valeat, dubitare ausim. Idem loco modo citato haud spernendam ait lectionem optimorum librorum *Tristonem* pro *Thristone*, quod nomen, si conferas vet. Sax. *thrīsti*, Anglosaxonum *thrīste*, nostrum *dreist*, *audacem* sive *severum* posse significare statuit. Sed quae in optimis libris legimus nequaquam hanc interpretationem adiuvant, tantum indicant archetypi scripturam h. l. fuisse obscuratam atque dubiam. Cum *Mannus* prorsus idem esse videretur, qui Indorum *Manus* et, quod dudum vidit Wackernagel priorem huius ethnogoniae partem anthropogoniae in Asia olim commentae esse frustum, a vero non abhorreret, ipsi quondam Germanorum *Tuistonem* cum Indorum *Tvastore* conferri licere putavimus. Nuperrime Curtze (*Commentar zu T. Germania*) Tuistonem potius cum Indorum *Iamo*, qualem vetustissima carmina formarunt, esse comparandum opinatus est, *Tuistonis* autem *nomine* non tam *duplicem*, quam *geminum*, *gemellum* h. e. *Iamum* significari. Ad eundem *Iamum*, ut amice nobiscum per litteras communicavit, Zacher Germanorum refert deum, eius vero nomen *Turstonem* fuisse suspicatur. Aliorum interpretationes vel allucinationes proferre non operae est. Nos iam in eis acquiescimus, quae Lachmann, Wackernagel, Müllenhoff statuerunt, atque omittimus *Tuistonem* ad certum quendam externarum gentium referre deum vel heroem. — *filium Mannum*] De huius nominis vi cfr. I. Grimm *Myth.* 319. Müllenhoff apud *Schmidt. Z. für Gesch.* 8, p. 92 sqq. Wackernagel ZDA. l. l., imprimis Kuhn *Z. für Sprachvgl.* 4, 94 sqq. Sane negari non potest Germanorum *Manni* vocabulum arte cohaerere cum Indorum *Manu* atque inde Theot. vocab. *mennisco* esse profectum. Ipsum *Manni*, primi hominis vel hominum regis, nomen deductum est a rad. *man* „nach etwas strecken, ermessen, denken.“ Iam supra significavimus Wackernagelium l. l. suspicari, ea, quae T. de Tuistone et Manno tradiderit, non ad Germanicae gentis solius, sed ad hominum generis universi originem pertinere eamque mythi partem iam ex Asia fortasse Germanos in novas sedes secum attulisse, a filiis demum Manni ipsorum Germanorum ordiri genealogiam, qua ratione efficiatur Tacitum perperam hunc mythum in eorum argumentorum numero habere, quibus Germanos in ipsorum terra, quae tunc erat, ortos esse confirmetur. Wackernagelio cum aliis assentitur Rieger ZDA. XI, 177 sqq. Equidem non negaverim etiam reliquum mythum iam ante esse conformatum quam Germani Germaniam occuparent. — *Manno tris filios* cet] Ut in aliis genealogiis mythicis, sic in hac quoque tertio loco tria membra constituuntur, idque fabulam a Tacito vetustam, non recentem quandam fictionem tradi satis probare acute ostendit Müllenhoff. Nominum, quae Manni filiis erant indita, haud dubie allitteratione, id quod I. Grimm M. p. 325, Müllenhoff non uno loco probant, inter se conexorum formas non solum alii, sed eidem alibi alias fuisse statuerunt. Vero proximae esse videntur illae, quales I. Grimm postremo profert GDS. p. 775: *Ingus* sive *Ingvus*, *Iscus* sive *Iscvus* (potius *Istus* sive *Istvus*), *Irman*. Müllenhoff ZDA. IX, 250 et Kirchhoff, *got. Runena.* p. 30, sq. de Ingaevonum sive Ingvaeonum auctoris nomine idem fere statuunt quod I. Grimm. Rectius autem tertia littera T *Istaevones* sive *Istvaeones* et *Istvum* scribi non solum Plinii libri docent, verum etiam illa genealogia, quam Francones fama traditam — haudquaquam ex Tacito desumtam — servaverunt. De ea cf. Pertz, *mon. Germ.* X (VIII) 314. Müllenhoff ZDA. IX, 249 et apud Mommsen., *Verzeichniss der Röm. Provinzen* p. 532 sqq. Quae horum nominum fuerit vis, pro certo dici non potest, sed cum *Ingvum* et *Irminum* spectes, verisimile est admodum, quod Müllenh. apud Schmidt. l. l. acute probare studuit, *cognomina* esse magnorum quorundam deorum ad cultumque earum gentium, quae ex ipsis nominatae sunt, pertinere. Miro acumine Wackernagel l. l. et alibi suspicatus est, syllabas — *isc* — et — *ing*, — quibus patronymica formentur, nominibus *Ingvi* et *Iscvi* (potius *Istvi*) originem dedisse, *Irminum* idem significare quod nostrum *volk*. Weinhold ZDA. VII, 48 *Ingvi* nomen ad rad. *ing*, se movere, refert et Tacitum erroris insimulans eundem esse existimat hunc heroem atque *Mannum*. Qua opinione equidem existimaverim mythi ordinem ac formam disturbari. Quam difficilia sint explicatu nomine grammatico derivata *Ingaevones*, *Istaevones*, *Herminones*, Müllenhoff docet ZDA. l. l., qui postremo rectius Plinium scripsisse censet *Ingvaeones*, *Istvaeones*, quam Tacitum, quod videatur, *Ingaevones*, *Istaevones*, quarum quidem formarum terminationem similem esse formis *Frisaevo*, *Frisaeo* (Inscr. l. 173, 175) haud negat. Quae nationes his nominibus contineri viderentur, ea de re multi multa disseruerunt. Praeter ceteros cf. Z. D. 73 sqq., Ukert, *Germ.* p. 194. Grimm M. l. l., in praefatione ad Taciti Germaniam p. IV. GDS. p. p. 616, 618, 630, 631, 657, 679, Müllenhoff apud Schmidt. l. l., Waitz, *deutsche Verfassungsgeschichte* 1[2], p. 11. M. Rieger, magnopere a ceteris dissentiens ZDA. XI, p. 177, sqq.; Wackernagel *D. Litt.* p. 8 id solum attulit, non lingua inter se fuisse diversas eas tres gentes,

Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae et annalium genus est, Tuistonem deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tris filios assignant, e quorum

1. *celebraī* C. — 2. *tuistonem* C, *tristonem* (in margine *tuisman*, supra *tui*) A, *tristonem* B, *bistonem* D. — *et* A C, corr. B, *ei* pr. B. — 3. *conditoresque* Rhenanus. *conditorisque* A B, *conditoris* C. — *tres* A C.

cum Tacitus linguam respiciens Suebos ceteris Germanis opposuisse videretur. Tantum constat mythum a Tacito narratum ad solos occidentales Germanos citra Viadrum sitos pertinere itaque eos complecti populos, quorum posteri hodie Germaniam ac partem Angliae incolant. Non ex popularibus carminibus deducta, sed potius a doctis hominibus Romanis conformata est ea gentium Germanarum discriptio, quam Plinius N. H. IV, 14 affert aliquanto ampliorem, quippe quae ad *omnes* pertineat Germanos: *Germanorum genera quinque, Vandili, quorum pars Burgodiones, Varini, Charini, Gutones, alterum genus Ingyaeones, quorum pars Cimbri, Teutoni ac Chaucorum gentes, proximi autem Rheno Istiaones (sic Ian), quorum Cimbri (sic!), mediterranei Hermiones (sic!), quorum Suebi, Hermunduri, Chatti, Cherusci, quinta pars Peucini, Basternae supra dictis contermini Dacis.* In altero loco *Cimbrorum* nomen perperam esse repetitum dudum homines docti viderunt. Cfr. Ukert G. p. 193. *Ultimos Germaniae Hermiones* (sic) solos memorat P. Mela 3, 3, solos *Ingaevones* Solinus, c. 23. — *pluris Deo ortos*] Perperam hunc locum I. Grimm M. p. 319 alii interpretantur, quum *deum* ad *Mannum* pertinere censent; Müllenhoff apud *Schmidt.*, M. Rieger l. l. alii recte viderunt Taciti *deo* referri debere neque ad Mannum neque ad Tuistonem, sed verba *pluris deo ortos* esse interpretanda: „es seien mehrere (einzelne stämme) von e i n e m (non: von d e m) gotte entsprossen h. e. es führen sich auch mehrere einzelne auf einen gott zurück.“ Falso etiam Ukert G. 422: „ein gott habe mehrere söhne gehabt.“ Müllenhoffii sententiam esse veram inde apparet, quod Marsi, Gambrivii, magnam partem Suebi, qui proprium suum sibi eponymum assignarint, maioribus illis generibus continentur *licentia vetustatis*. Neque allitteratione Marsorum, Gambriviorum, Sueborum, Vandiliorum eponymi aut ipsi inter se aut cum Ingaevonum, Istaevonum, Herminonum eponymis conectuntur; neque ipsi igitur neque cum illis coniuncti eisdem carminibus celebrabantur. Immo horum deorum nomina, quos *quidam* homines docti Romani eponymos fuisse affirmant, ex *veris* demum nominibus gentium (wirklich vorkommenden Namen) facta esse et iusti mythi natura vacare constat. — *Marsos*] quos in hoc libello T. nusquam praeterea memorat, sed pluriens, ubi Germanici expeditiones describit, Ann. I., 50, 56; II, 25. Ad Ann. I., 50 locum de Marsis praecipuum Nipperdey annotat, non unam quandam nationem, sed complurium nationum confoederationem eo nomine significari videri (sed ita, ut unius nationis nomen praeter ceterarum nationum nomina valeret). Strabo VII, 1, 3: *Ταύτης δὲ (τῆς χώρας ποταμίας) τὰ μὲν εἰς τὴν Κελτικὴν μετήγαγον Ῥωμαῖοι, τὰ δ᾽ ἔφθη μεταστάντα εἰς τὴν ἐν βάθει χώραν, καθάπερ Μαρσοί.* Sedes Marsorum falso statuit Ukert G. 387 ad utramque Amisiae ripam fuisse; I. Grimm GDS. 618 sqq. accurata disquisitione historica demonstravit eos inter Lupiam et Ruram flumina habitasse. Fractae eorum vires cum essent a Germanico (Ann. II, 25), nomen hoc ipsum non iam comparet, sed falso inde colligas Marsos tum omnes ad unum perisse. De Marsorum nomine J. Grimm M. 336, GDS. p. 618 sq. Prorsus a vero aberrant, qui hoc nomen cum vocabb. angl. *marsh*, anglos. *mersc*, theot. *marsch*, francogall. *marais* cognatum esse censent; sed *Marsignos* ab eadem radice nomen accepisse haud perperam existimes. — *Gambrivios*] Praeter hunc locum ab uno Strabone semel memorantur Gambr. VII, I, 3: *Ἀλλά δ᾽ ἐνδεέστερά ἐστιν ἔθνη Γερμανικὰ Χηροῦσκοί τε καὶ Χάττοι καὶ Γαμβρίουοι καὶ Χαττουάριοι*, quo ex loco id certe cognoscitur Gambrivios ad Germaniae partem occidentalem spectasse. Grimm GDS. 830 sq., Zeuss D. p. 83 eosdem esse statuunt, qui alibi et saepius *Sigambri* sive *Sugambri* vocentur, *Sigambrorum* vero nomen esse contractum ex *Sigugambris*: quod quam dubium sit, docet Müllenhoff ZDA. IX, p. 137. Sed eiusdem esse stirpis posteriorem Sugambrorum nominis partem, cuius nomen Gambriviorum, negare non ausim. Eponymus Gambriviorum ex Grimmi sententia appellabatur *Gambrus* (GDS. 778), quod ipsum nomen formatum esse existimat ex theot. *gambar* strenuus; sed si *Gambrus* (stirpe *Gambru*) eius gentis auctor esset vocatus, *Gambroviorum* potius ipsi nomen gesturi fuisse videantur; Müllenhoff ZDA. IX, 252. Nihil causae est, cur non *Gambrum* (st. *gambra*) eponymum fuisse commentum statuamus. — *Suebos*] non *Suevos* apud Tacitum esse scribendum docet Müllenhoff ZDA. IX, 257 sq. X, 564 sq. Sueborum nomen iam apud Caesarem haud satis certum multo fit incertius apud Tacitum, qui, cum aliquot gentes Suebicae in Germaniae partem, quae ad orientem spectat, commigraverint, eorum fines magis iusto promovet. Sed praecipuus Sueborum populus *Semnones* habentur, qui postea quoque praeter ceteros hoc nomen retinuerunt. *Sueborum* gens unde nomen duxerit, non liquet; nam dubia sunt admodum, quae in diversas partes hac de re disseruerunt Zeuss D. 55, Wackernagel ZDA. VI, 258, Grimm GDS. I., 322 sq., qui *Suevos* et *Slavos* idem esse vocabulum censet, Holtzmann in

nominibus proximi Oceano Ingaevones, medii Herminones, ceteri Istaevones vocentur. quidam, ut in licentia vetustatis, pluris deo ortos plurisque gentis appellationes, Marsos Gambrivios Suebos Vandilios affir-

1. *ingęvones* B, *ingevones* A C. — *hermi,^{n}ones* B, *hermiones* A C. — *istevones* C. — 2. *pluris* – – *pluresque* AB, *plures pluresque* C. — 3. *gābriuios* A, *ganbriuios* C, *gabri^{v}nios* B. — *suevos* ABC. — *vandalios* B.

Pfeiffers Germania II, 215. — *Vandilios*] mytho illo carminibus vetustis celebrato non contineri et antiquitus partem Germaniae orientalem tenuisse satis constat. Hoc uno loco Tacitus eius Germanorum generis mentionem facit, de cuius sedibus disseruerunt Zeuss D. 57, 443 sqq. Grimm GDS. p. 475 sq., Ukert G. 422, Müllenhoff, *Verz. der R. Prov.* p. 523 sqq. De variis nominis formis cf. Zeuss l. l., de eius vi praeterea Grimm l. l. Si radicem, quae inest in verbo *wenden*, ac vocabula *wenti*, finis, et *wentilsēo* respicias, dubites, utrum Vandilii sint gens *mobilis*, an gens regionis alicuius *fines tenens*. — *ceterum Germaniae cet*] De hoc loco homines docti indocti multi multa disseruerunt, non pauci, alii alio modo corrigere eum temptavere. Eorum sententias si minus omnes, tamen satis multas cognoscas licet apud Waitz., *deutsche Verfgesch.* 1^2, p. 24 sqq., Curtze l. l. pag. 57 sq. alios. Hoc loco eas enumerare ac recensere longum est. Dicit Tacitus *affirmare quosdam*, initio illos solos, qui sua aetate *Tungri* vocentur, *Germanorum* nomine insignis fuisse, sive nomen iam ex regione trans Rhenum sita attulerunt sive transgressi demum flumen acceperunt; mox ab his ipsis, qui victores in Galliam irrupissent, *omnes* nationes transrhenanas eodem nomine esse appellatas, quo victis significarent, has eiusdem esse stirpis cuius ipsi, nec sane defuturos quin sibi auxiliarentur, ubi opus foret. Ita paullatim nationis (der Einzelnation) nomen in universae gentis (der Gesammtnation) appellationem evaluisse, cum eo nomine, quo Transrhenanas nationes illi appellari simulassent, ipsae quoque se vocarent. Hanc quarundam narrationem utrum probaverit T. necne, ex eius verbis colligere non possumus; nostra aetate a nullo sano probari facile existimaverim. — *recens et nuper a.*] *Recens* adiectivum esse videtur. Cf. Wölfflin *Phil.* XXVII, 140. — De *nuper* vocabulo Hand, *Tursell.* IV, p. 345. — *additum* idem fere est quod *inditum*. Cf. Wex in libello scholastico supra laudato p. 5, qui hos affert locos: Plin. Paneg. 12; Ovid. Metamorph. 5, 525; 9, 357, Verg. Aen. I., 267. — *qui primi cet*] Videntur significari Caesaris (B. G. 2, 4; 6, 32) *Segni, Condrusi, Eburones, Caeroesi, Paemani, qui uno nomine Germani appellantur;* sed praeter ceteros, qui *Germani* dicebantur, populos *Eburones* eminebant. Prorsus aliter existimat Wormstall, *Tongern und Bastarnen*, p. 27, cui primi illi Rh. transgressi *Vangiones, Triboci, Nemetes* esse videntur. — *ac nunc Tungri*] sc. vocentur. Cf. Dräger l. l. 88. „Quod Tacitus eos nunc Tungros vocari dicit, quos ignorat Caesar, id inde explicandum videtur, quod ipsius aetate haec potissimum natio ex illis Germanis nota erat Romanis, quippe ex qua ut maxime bellicosa plerumque cohortes adsciscerent (Hist. 2, 28; 4, 16, 66, 79; Agricola 56). Caesaris contra aetate ex illis imprimis *Eburones* emicuisse videntur (B. G. 6, 34). Atque horum mediis in finibus erat castellum Aduatica (B. G. 6, 32), quae apud Ptolemaeum et in itinerario antiquo primaria urbs Tungrorum dicitur." Wex. Non defuerunt, qui nomen *Tungrorum* ex lingua Theotisca interpretarentur et vel *clamosos* vel *homines patria lingua utentes* (I. Grimm GDS. pag. 788) vel *fratres* (Künssberg) eo significari dicerent. Sed satis hodie constat, hos Arduennae accolas Gallos, non Theotiscos fuisse, et ipse Caesar hoc docet B. G. 5, 27. Ceterum Wormstall l. l. acute quidem, sed non ita probabiliter quam praefert lectionem *ut nunc Tungri* eo modo explicat, ut Tungri vocabulum subiecti quod dicunt vice fungatur: wie jetzt die Tungern Germani heissen. Immo etiam si quam lectionem libri optimi praebent *ac nunc T.* legere cogamur, *ac* particulam h. l. eadem sententia qua *ut* esse et posse et debere contendit. — *Germani*] Prima Germanorum mentio exstare videtur in Fastis triumphalibus Capitolinis sub Augusto in marmor incisis, p. CLVI ed. Bait., Mommsen C. I. L. 1., 458: M. CLAVDIVS. M. F. M. N. MARCELLVS. AN. DXXXI. COS. DE GALLEIS. INSVBRIBVS. ET GERMAN. cet. quo quidem in loco Roth (*Germania* I, 156 sqq.) recte existimat, quod Augusto placeret, pro nomine Gaesatorum Germanorum nomen incisum esse. Idem l. l. suspicatur Germanorum nomen tempore belli servorum, a. 73 a. Chr., primum esse auditum; Holtzmann vero rursus *Germania* 9, 5 ante a. 58 a. Chr. esse auditum audacter negat. Sed unde novit vir doctus Posidonii locum, quem Athenaeus 153. e (ap. Müller. 32) ex tricesimo historiarum libro affert, posteriorem esse anno 58? Recte de hoc loco Toepelmann p. 47: (In) quo (libro) cum de Germanorum prandio agatur, certe ad annum 113, quo primum Romani a Cimbris et Teutonibus fugati sunt, res eo libro narratas pertinere persuasum habebimus. Iam de nomine ipso agendum est, quod quamvis multae et luculentae rationes ut desistamus tandem ex lingua Theotisca ducere compellere videantur, tamen non desunt, qui id facere studeant, in eis summus vir et harum rerum ut pauci peritus, W. Wackernagel, *Zeitschrift für D. A.* 4, 480: *also Germania von irman, volk, Germanus auf deutsch G'airmans, volksgenosse*, et in eo libro, quo prioris editionis chrestomathiae Theotiscae explicantur vocabula s. v. *irmindeot* adjungit: *irmin, volk, dazu Arminius und nach Goetzinger Germanus, d. i.*

mant, eaque vera et antiqua nomina. ceterum Germaniae vocabulum recens et nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis, evaluisse paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox etiam a se ipsis invento nomine Germani vocarentur. (3) fuisse

1. *enque* C. — 3. *ac* AC, *ut* B. — 5. *etiam* AB, *et* C.

Germanus, volksgenosse; quae interpretatio ne linguae quidem legibus satis congruere videtur. Ad priores interpretes propius accedit Wexii linguae veteris Theotiscae haud periti opinio, quam profert l. l. p. 6. Taedet eius generis opiniones, quae linguae leges prorsus neglegant, refellere. At plures etiam nuper exorti sunt, qui ex lingua latina nomen ducerent, sive ab ipsis Romanis inditum esse opinati sunt, sive eos interpretes peregrini nominis fecerunt. Holtzmann in suo de Germanis ac Celtis libro et Roth l. l. Strabonem secuti *γνησίους*, alii velut Below et Kuenssberg *fratres* eos significari putant, ac prope ad eos accedit Bornhak, *Ursprung und Bedeutung des N. Germanen*, ita tamen ut *germanum „volksgenosse“* ex Theotisco aliquo vocabulo velut *diutisc* sive *folhlîh* interpretatione latina ortum esse existimet. Tertia pars ad extricandam nominis vim optimo sane iure (conferantur cum alii tum Brandes, *das ethnogr. Verhältniss der Kelten u. Germanen)* Celtarum linguam adhibuit, sed hi quoque in diversas discesserunt sententias. Leo Halensis et I. Grimm idem fere in hac re sentiunt, cum eorum uterque nomen interpretatur ex subst. brit. *garm*, clamor, et Germanos *βοὴν ἀγαθούς* dici censet, quam interpretationem tueri student Brandes l. l. et Ebel, *Beiträge zur vergl. Sprachf.* 3, 230; Zeuss et Mahn priorem nominis partem vocabulum Cambr. *ger*, vicinus, esse censent; rursus aliud statuit Pott, et F. 2, 2, 873. At F. Hitzig aliorum interpretum praeterquam Holtzmanni nulla habita ratione altius progressus est, cum (*Monatsschr. d. wissenschaftl. Vereins in Zürich* I., p. 142 seqq.) ad Indos orientales nos relegans Germanos *karimanyân* esse et *albos* significari eximio utique, ut solet, acumine statuit. Neminem adhuc novi, qui virum doctum sit secutus. — *vocati sint*] nomine grammatico duplici ratione nobis interpretari licet, ut vel transgressi demum nomen acceperint vel ex Germania iam attulerint, qua de re cf. Wex l. l. p. 5. Sed Tacitus nihil de origine nominis cogitans id dicere videtur hoc tunc nomine fuisse. — *ita n. n.*] Recte *ita* particulam Wex p. 6 idem fere significare dicit quod *itaque;* Brandes l. l. p. 183 cum sequenti *ut* arte coniungendam falso existimat — *a victore*] Propter verba proxime sequentia *a se ipsis* aliter explicari non possunt nisi *ὑπὸ τοῦ νικήσαντος*, nullo pacto *secundum victorem, ἀπὸ τοῦ νικήσαντος*, nach dem Sieger, quae sane est *a* praepositionis sententia Liv. I., 13: *Quirites a Curibus appellat;* Vellei I., 1.: *loco perpetuum a se nomen dedit;* at Tacit. Ann. 12, 27: *cui nomen inditum e vocabulo ipsius.* — *Victores* dici illos Rhenum transgressos, *qui Gallos expulerint*, non annotaremus, nisi etiamnunc docti quidam viri Romanos h. l. victores dici opinarentur, ei scilicet, qui Germanorum nomen ex lingua latina esse ductum contendere non desinunt. Alii coniecturis huic loco lucem afferendam putaverunt, in eis Leibnitz et I. Grimm, qui *victo* legendum opinantur; Wexio, qui in eadem est sententia, *victis* placet, Weidnero *victis victorum ob m.* Sed nihil mutandum. Cf. Brandes l. l, p. 183. — *ob metum*] recte plerique explicant: „quo metum incuterent Gallis.“ Sed illud minime opus, immo reiciendum est in ipso Germanorum nomine horribile quid inesse; inest in ea re quod, qui trans Rhenum permanserint, eiusdem sint generis atque ubi opus sit fratribus auxiliaturi. — *a se ipsis*] verba arte sunt coniungenda cum verbo *vocarentur.* — *invento nomine*] Wex l. l. p. 5 cum aliis explicant „nomine per occasionem accepto“, nec negandum *invenire nomen* saepe hoc significare; sed nihil obstat, quin eandem alibi locutionem interpretemur ita, ut in verbo *inveniendi* notionem *fingendi* sive *simulandi* inesse statuamus. *Invento nomine* est „nomine ficto a Germanis Cisrhenanis et per simulationem in omnes Transrhenanos translato.“ Cf. Brandes l. l. — Iam addimus, quod docti illi Romani, quorum sententiam Tacitus profert, affirmaverint, magnopere a vero abhorrere et audacter negandum Germanos omnes ipsos se hoc nomine ab exigua aliqua natione assumpto vocasse. At re vera illo tempore nullo omnino communi nomine hae gentes ipsae se appellabant, nisi in commercio cum Gallis et Romanis; neque ullo tempore hoc *Germanorum* nomen fuit populare. Ceterum operae pretium est monere *Theotiscorum* quoque nomen in inferiore Germania exortum idque re vera vulgare paullatim factum esse. Cf. Wackernagel, *deutsche Litteraturgesch.* p. 128 sqq.

3. *Fuisse apud eos — memorant*] Scilicet auctores quidam Romani. — *Herculem*] Hoc quidem loco interpretatione Romana utitur noster. Ceteri Taciti de Germanorum Hercule loci sunt infra c. 9; Annal. II. 12: *in silvam Herculi sacram*, fortasse Germ. c. 34. I. Grimmio antea *Saxneát* sive *Sahsnôt* (Myth. ed. I. p. 203 et apud Pertzium), postea (ed. II., p. 338 sq.) *Irmin*, aliis erat *Donar* sive *Thorr.* Sed Grimm GDS. p. 349. ipse in hanc sententiam abisse videtur, cum dicit: *ja Fairguneis und Perkunas dürfen sich vielleicht dem Hercules nähern,* idem vero p. 657: *wie der*

apud eos et Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in proelia canunt. sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim trepidantve, prout sonuit acies; nec tam vocis ille quam virtutis concentus videtur. affectatur praecipue asperitas

1. *vocis ille* - - *videtur* Rhenanus. *voces ille* (*ille* AC) — *videntur* ABC.

Name Irminlō — an die silva Herculi sacra (Tac. ann. II, 12) mahnt. Praeter Zeussium D. p. 23 sq. Müllenhoff in commentatione sua de vetustissima Germanorum poësi, Wackernagel D. L. p. 8 alii Herculem deum dici existumant, qui apud Germanos est *Donar* sive *Thorr*, et multa eius interpretationis argumenta ex utriusque eorum natura, armis, factis afferunt, cum contra alii prorsus negent, Herculem unum ex magnis deis vocari potuisse, ut Ferd. Deycks in *indice lectionum in acad. Monaster. per menses aest. a.* 1854 *habendarum.* Sed Cicero Tusc I., § 28: *et apud Graecos indeque perlapsus ad nos et usque ad Oceanum Hercules tantus et tam praesens habetur deus.* Nuper Rieger apud Hauptium l. c. sane haudquaquam temere utramque sententiam ita coniungit, ut h. l. et c. 34. et Annal. II., 12. Herculem *Irminum* dici censeat, quum c. 9. alium esse posse neget nisi illum deum, qui Donar sive Thorr a Germanis vocatur. *Castra Herculis* prope Noviomagum sita et *Herculis columnae* illae ad hanc rem dirimendam non multum conferunt, cum illa fortasse Romanorum fuerint, hae non minus ex Romanorum quam ex Germanorum sententia potuerint *superesse;* ceterum certe in c. 9. atque in Annalium loco Herculem quempiam magnorum deorum dici apparet. — *primumque omnium virorum fortium*] *als den ersten aller Helden.* Rieger l. l. cogitat de Irmino conditore et origine gentis Herminonum. Sane v. v. *virorum fortium* ad semideos solos atque heroes referri minime necesse est. Ceterum de bellicis his carminibus eorumque modo praeclare egit Müllenhoff *de vet. G. p.* Diu mansisse hunc morem belli initiandi apud Germanos testatur de Gotis Ammianus 31, 7, § 11: *Barbari maiorum laudes clamoribus stridebant inconditis.* Nec minus eo quoque aevo quod dicitur medium ante pugnam committendam pia carmina cantabantur vel apud maiores nostros preces fiebant. Eiusmodi carminis fit mentio in cantilena illa, quae Ludovici appellatur, apud Wackernagelium, *altd. Lesebuch* p. 108: *Ther kuning reit kuono, Sang lioth frano, Ioch alle saman sungun kyrrie leison;* cf. praeterea Curtze l. l. p. 81 sq. — *haec quoque carmina*] „Carmina, quibus viros fortes celebrarent, ante pugnam, hunc baritum (sic!) sub ipsum pugnae initium canebant: sed de vano clamore, qui verbis non contineretur, cogitari non potest. Cf. Histor. 4, 18. De v. *haec* v. Germ. 20: *in hos artus, in haec corpora.*" *S.* Sed *cantus virorum* coniunctus cum *feminarum ululatu* prorsus contraria docere videtur; equidem existumaverim *barditum* a verbis exorsum in sonos quosdam indiscretos abisse. *Haec* pronomine pro *illa* pr. ideo T. usus est, quod *illis* proxime antecedit. Coniecturis *bellica, heroica, in acie quoque, alia* quamvis sint hominum sagacium et sermonis Tacitini admodum peritorum, opus esse non videtur. Cf. etiam Wölfflin, *Phil.* XXVII, 100. — *quorum relatu*] Vocabulum nunc apud solum Tacitum repertum: h. l. *Vortrag,* intonation. — *barditum*] In hac scriptura reperta in optimis libris minime sane cogitandum de Celtarum *bardis* (Lucan. I., 444. Ammian. 15, 9.) Ductum est visum olim vocabulum Müllenhofffio et Wackernagelio, illi in comment. sua *de vetust. G. p.* 19, huic D. L. p. 9, ex substantivo, quod scutum significaret, velut ex Germanorum borealium *bardi,* et Wackernagel attulit Anglosaxonum *vordun and bordun hofon herecombol* h. e. *mit Worten und Schilden erhoben sie das heerzeichen.* Cf. etiam *Hāvamāl* str. 157, 4: *undir randir ek gel.* Müllenh. quidem ZDA. 9, 242 aliter explicandum esse *barditum* suspicatur, sed nondum, quod sciam, quid nunc hac in re sentiret, proposuit. Quod praeter Germanica vocc. *bardi* et* *bards,* bart, reliquum sit vocabulum, ad quod *barditus* forma referri possit, equidem nescio. Qui lectionem *baritum* in libris deterioribus traditam recipiebant, alii alia explicabant ratione. Sed *baritum* quidam *barrito,* cuius apud Festi Comm., Vegetium (mil. 3, 18), Ammianum Marcell. pluriens fit mentio, inducti scripsisse videntur. Homines in his rebus periti *barritum et barditum* vocabula origine et vi inter se aliquantum differre dudum probe intellexerunt. Cf. sis Curtze l. l. p. 88 sq. qui tamen varia nobis miscere videtur. — *terrent*] adeo eis animus crescit, ut etiam hostes terreant. — *sonuit acies*] iungenda esse luculenter docet locus Hist. 4, 18: *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.* — *vocis ille — videtur*] Librorum verba sic emendavit Rhenanus, cum sanum aliquem sensum in lectione vulgata inesse ne Kritz quidem demonstraverit. — *fractum murmur*] Vergil. Ge. IV., 72 (vox) *auditur fractos sonitus imitata tubarum.* Wagner ad Verg. Aen. XII, 923: *Frangitur non simpliciter i. q. sonat, resonat, repercutitur, sed ita sonat, ut abruptum sonum rei vi fractae imitetur.* Apte cum sonis *ad scutum* fractis comparari possunt Vergilii (Aen. 3, 556) *fractae ad littora voces.* — *Ulixen*] Fieri non poterat, quin, studia antiquitatis Germanicae investigandae cum nuper multo laetius effloruerint, multi hanc

soni et fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. ceterum et Ulixen quidam opinantur longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum adisse Germaniae terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum nominatumque......: aram quin etiam Ulixi consecratam adiecto Laërtae patris nomine eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam Graecis litteris inscriptos in confinio Germaniae

1. *obiectis* AB: *dictis* C. — *ad eos* pr. A. — 2. *ulixen* C: *ulyssem* (*ss* in litura) B. — 3. *errore si in* C. — 4. *asciburgiumque* A: *astiburgiumque* B. *assiburgiumque* C. — *hodie* C. — 5. *nominatumque*, sed in margine *deest* B. *nominatumque* ασκιπυργιον AC. — *ulyxi* A. *ulyssi* (*ss* in litura) B. — 6. *eo* C. — *monimentaque* A.

quoque de Ulixe fabulam a Tacito ex aliorum quidem narratione traditam ipsique haudquaquam certam ad Germanorum deum vel heroem quempiam spectare dicerent. Eorum opinionem, qui propter similitudinem cum Graeco Ulixis nomine de *Odino* cogitaverunt, satis refellit I. Grimm M. 339. Neque vero quod ipse aliquando (M. 349) statuit, *huius loci* Ulixen cum rege illo, qui *Orendel* dicebatur, conferri licere rerum peritis facile probabit. Alibi (M. 1214) I. Grimm et olim Müllenhoff maxime propter *asc* in nomine *Asciburgium* radicem de *Isco*, qui conditor fuerit *Iscaeronum*, cogitaverunt, quae scriptura vereor ne nihili sit. Perperam autem illi, qui priorem *Asciburgii* vocabuli partem nihil esse nisi Graecorum *ἀσκόν* suspicati sunt; quanquam ipse quidem I. Grimm in thesauro linguae Theot. s. v. *asch* id vocabulum cum Graecorum vocabulo *ἀσκός* cohaerere haud negat. Roth (in *Pfeiffers Germania* I., 48 sqq.) omissa merito illa quorundam interpretatione, qua *Asciburgium* Asenburgium h. e. Asorum arcem dici censebant, de Sigimundo et Sigifredo Welsungis cogitat et pristinos Francones addit ut ipsi se opponerent Gallis, qui a Troianis originem se ducere contenderent, sui conditorem Troianorum hostem acerrimum fecisse videri. Wackernagel D. L. I, hac fabula recordationem quandam ex Asia originis significari putat. Simrock, *Myth.* 369, de heroe illo, qui *Sceaf* sive *Scoup* dicebatur, monet, qui dormiens nave sit advectus eodem modo, quo Ulixes ex inferorum regno advenerit. Mannhardt (*Zeitschrift f. d. Myth.* IV, I., 93 sqq.) haud dubium esse docere voluit, quin h. l. Tacitus interpretatione Romana Germanorum cuiuspiam fabulae esset usus, interpretatio autem ea niteretur esse necesse vel in nomine aliquo vel in ipsa sola fabula vel in utroque. *Ulixen* dici opinatur Germanorum *Uligisum* h. e. Waligisum, quo nomine Freyum deum significari a vero non valde abhorrere statuit. Monet deinde de fabulis illis, quibus vir pulcherrimus nave ab oloribus tracta celebratur advectus, quem ipse Freyum fuisse putat, cum alii Wuotanum fuisse arbitrentur. Nemo facile ex hominibus linguae rerumque Germanorum peritis in hanc abierit sententiam. Recte Orelli in priore huius libri editione: Graecum vero fabulae colorem magis etiam quam in ipso *Ulixe* facile agnoscas in mentione *Laërtae*, quem quomodo explicare conetur Grimmius, videsis apud ipsum. Verum tota haec narratio orta esse videtur ex prorsus arbitraria interpretatione miri illius monumenti prope Asciburgium positi, nisi merum est otiosi alicuius Graeci inventum ipsa haec ara una cum Germanorum Ulixe. Atque eandem originem tribuo ceteris Ulixis erroribus, quorum nullum est vestigium apud Homerum. Strabo 3. p. 149: *οὐ γὰρ μόνον οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν τόποι καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν τοιούτων σημεῖα ὑπογράφουσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ Ὀδύσσεια πόλις δείκνυται καὶ Ἀθηνᾶς ἱερόν.* Solinus 22: *in quo recessu Ulixen Caledoniae appulsum manifestat ara Graecis litteris scripta VOTVM.* C. 23: *ibi* (in Lusitania) *oppidum Olisipo Ulixi conditum.* Claudian. in Rufin. 1, 123. Serv. ad Aen. 6, 107. — *Asciburgiumque*] Hist. 4, 33 in sinistra Rheni ripa XIII. M. P. a Veteribus. Putant esse alii *Essenberg*, alii rectius *Asburg*. Cf. Ukert Gallien, p. 522. Z. D. pg. 7 nomen haud dubie recte ducit ab *ask* hodie *Esche. O.* Sed haec arbor cum facilem materiam praebeat ad hastas, naves, vasa fabricanda, haec ipsa saepe eodem nomine dicebantur, ut A. nostrum a navibus appulsis nomen duxisse satis verisimile sit. — *hodieque*] h. e. hodie quoque. Cf. Hand Tursell III, 100, Wölfflin, *Philologus*, 26, 160. — *nominatumque*] Sano iudicio M. Haupt post haec verba lacunae posuit signum, cum *Asciburgii* nomen nullo pacto Ulixen conditorem significaret; aliud igitur nomen huius loci vel finxerunt vel acceperunt, qui contexuere de Ulixe fabulam, quod hodie ignoramus. Nam quae coniecerunt litteris graecis scripta alii alia, nemo facile probabit. Cf. Wölfflin, *Phil.* 26, 160. — *aram*] arae notio ad Germanos prorsus nihil pertinet. — *Ulixi consecratam*] non in Ulixis honorem, sed ab Ulixe, ut Ann. 15, 41. *Romulo*, Suet. Oct. 1. *Octavio;* I. Caes. 88 *ei.* V. v. *Ulixi* cet. in hunc locum devectum esse Ulixen probari debebat. — *monumentaque et t.*] Voc. *monumenta* generalem magis exprimit notionem, quamquam saepissime eo quoque sepulcra significantur, quae *tumulis*, h. l. indicari constat.

Raetiaeque adhuc extare. quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. (4) ipse eorum opinionibus accedo qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus; truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patientia; minimeque sitim aestumque tolerare,

1. *rętięque* A., *rhętięque* B., *retieq* C. — 3. *aliis* delendum putat Lips. — 4. *nationibus* superscr. *nū* B. — *connubiis* libri. — 6. *quamquam* B: *qq* [tm̄] A, *qtāq* [o u] C. — *cęrulęi* C, *ceruli* [ł lei] A, *ceruli* B. — 8. *satim* C.

Eos, si placet, appelles Hünengräber, Riesenbauten. — *Graecis litteris*] De signis, quae *runae* dicuntur, equidem non cogitaverim, quamquam, quod Orelli Dahlmanno (hist. F. I., p. 172) contendenti runas vix usitatas esse ante a. p. Chr. n. MCC. credidit olim, prorsus falsum est. Cf. Liliencron, *zur Runenlehre* p. 17 sqq., sed runae *monumentis et tumulis* incisae, quas Taciti aetate esse statuere liceret, nondum, quod sciamus, repertae sunt. Quod Caesar de litterarum Graecarum apud Helvetios (B. G. I., 29) et Druidas (6, 14) usu tradidit cur non ita magni esse momenti existimemus, homines earum rerum periti satis intellegunt. At quae litterae Graecae hic memoratae fuissent, luculenter nuper docuit Th. Mommsen in commentatione sua *die nordetrusk. Alphabete*, pag. 201. — *neque confirmare*] Admonent haec v. v. Livii in praef. § 6: *ea nec affirmare nec refellere in animo est;* item l. 5, 21. — *demat vel addat fidem*] rariore loquendi usu, quo *demere fidem* idem est quod *non habere fidem; fidem addere* idem quod *habere fidem.*

4. *ipse e. op. accedo*] Non solum Tacitus neglectis de Hercule et Ulixe fabulis, ut iam alii ante ipsum scriptores Romani, Germanos indigenas esse censet, sed etiam prorsus sinceros mansisse neque ullo modo cum aliis nationibus commixtos esse existimat. Hic cum de Germanis omnibus loquatur, eorum rationem non habet, quae de Bastarnis tradidit. — *nullis aliis aliarum cet*] „durch keinerlei fremdartige Ehen aus fremdart. Stämmen". Post Lipsium multi homines docti suspectum habuere vocabulum *aliis*, ac nuper Halm, *kr. St. des T.* p. 30 acerrime eos qui retinere vellent, increpuit. Haud negandum deesse hoc v. potuisse; videtur autem T. ea sermonis ubertate usus esse, ut certissimam ipsi sententiam exprimeret disertissime. Quod, qui delere voluerunt, etiam ad Rudolfum Fuldensem nos relegant, ipsi, opinor, vident, quam infirmo nitantur praesidio. Comparant quidam Platonis Phaedrum (p. 278 A): *ἐν ἄλλων ἄλλαις ψυχαῖς.* Ceterum hic T. rem quandam certam praeter ceteras eligit, qua Germanos propriam ac sinceram gentem esse demonstret. — *infectos*] Verbis quae sunt *inficere, corrumpere* (c. 23), *vitiare* Passow annotat non semper adhaerere notionem rei in peius mutatae, sed mixtae nec iam sincerae. Cf. Graecorum *μιαίνειν* et *φθείρειν*. Plut. t. II. 393 C.: *τὰ μιγνύμενα τῶν χρωμάτων οἱ βαφεῖς φθείρεσθαι καὶ φθορὰν τὴν μίξιν ὀνομάζουσιν.* — *truces*] Caesar B. G. 1, 39: *saepenumero sese cum iis* (Germanis) *congressos ne voltum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse.* Plut. Mar. 11. Cimbris tribuit *χαροπότητα τῶν ὀμμάτων.* — *caerulei*] Horat. Epod. 16, 7: *Nec fera caerulea domuit Germania pube.* Iuven. 13, 64: *Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam Caesariem?* Coniunctis adiectivis *truces* et *caerulei* Tacitus in vivo oculorum colore miram quandam vehementiam atque ferociam apparere significat. — *rutilae*] Cfr. Agr. 11. Suet. Cal. 47. Lucan. 2, 51: *flavos - - Suebos.* Herodian. 4, 7 de Caracalla: *κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς καὶ ἐς κουρὰν τῶν Γερμανῶν ἠσκημένας.* Auson. Idyll. 7, 10: Bissula *oculos caerula, flava comas.* Sidon. Apoll. Paneg. Maioriani 218: *Scythicisque choreis Nubebat flavo similis nova nupta marito.* Alios locos collegere Z. D. p. 51. U. G. p. 198. Cfr. etiam de vi adiectivo *rutilus* insita (röthlich-gelb) Wölfflin *Philol.* 26, 161. Eum colorem augere solebant sapone quodam, de quo Plin. H. N. 28, 51. Cf. Wackernagel ZDA. IX, p. 556 sq. I. Grimm ibidem VII, 460 ipsum *saponis* vocabulum Germanicum esse opinatur. Ceterum idem fere, quod Tac. de Germanorum oculis et comis narrat, alii de aliis narrant gentibus, quae vergunt in septentrionem; velut de Celtis et Thracibus. Quid, quod *Usunum* oculorum comarumque habitus quosdam (Ritter, Geogr. VI, 611 sqq.) eo perduxit, ut Germanorum eam gentem esse opinarentur, quos refellit Lassen, Ind. A. II, 369. — *magna corpora*] Pomp. Mela 3, 3: *immanes sunt animis atque corporibus et ad insitam feritatem vaste utraque exercent, bellando animos, corpora ad consuetudinem laborum.* Sidonius Epp. 8, 9. Ed. Grégoire II. p. 316: *Hic Burgundio septipes frequenter Flexo poplite supplicat quietem.* Carm. 12, 10. Vol. III. p. 202: *Spernit senipedem stylum Thalia, Ex quo septipedes videt patronos.* — *ad impetum*] Non solum dicit hostium impetum, sed omnem vehementem rerum exorsum. De Germa-

frigora atque inediam caelo solove assuerunt (5) terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior, qua Gallias, ventosior, qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis. numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. argentum et aurum propitiine an irati dii negaverint dubito. nec tamen affirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scruta-

1. *assuerunt* B, *assuerunt* A (superscr. *l int*), *assuererunt* C. — 4. *pecudum*, litteris *ud* punctis subnotatis et superscr. *or*. B. — 6. *ecque* B, *eeque* A, *eātque* C. — *dapes* A (superscr. *o*). — 7. *propitii* C.

norum acri *in hostes* impetu cf. Caesar B. G. VII, 13. — *laboris atque op.*] *Labor* opponitur *impetui*, operam significans durantem quae ad *opera* perficienda requiritur. Haud quidem negaverim opera dici praecipue bellica apta ad loca vel defendenda vel oppugnanda. — *non eadem patientia*] Cf. Wölfflin, *Philol.* 26, 160 sq. qui praeter Ann. II, 14 simillimum nostri locum attulit Germ. 23, 2: *adversus sitim non eadem temperantia.* De pronominis quod est *idem* usu cf. Spitta l. c. 111. — *frigora*] Polyaen. 8, 10, 3: *Μάριος Κιμβρίους ἠπίστατο κρύος μὲν καὶ χιόνα φέρειν δυναμένους, καῦμα δὲ καὶ ἥλιον οὐδαμῶς.* Contra ea Appianus de rebus G. c. 4: *οἱ (Γερμανοὶ) — κρύος ὁμοίως ἔφερον θάλπει.* — *caelo solove*] Caelum ad frigora, solum ad inediam pertinet. — *assuerunt*] Supplendum videatur *tolerare*; sed cum Tacitus praeter ceteros variare soleat verborum constructionem, satius existimes verbum *assuescendi* iungi accusativis *frigora atque inediam.* Vergil. Aen. VI, 833: *Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella.* Iam verbis *caelo solove* ad ea traducit legentes, quae c. 5 narraturus est. —

5. *terra*] Pomp. Mela 3, 3, 3: *Terra ipsa multis impedita fluminibus, multis montibus aspera et magna ex parte silvis ac paludibus invia.* Hist. 4, 73. de Germanis: *relictis paludibus et solitudinibus suis.* — *aliquanto specie differt*] „unterscheidet sich um etwas in seinem Aussehen". Terra cum multas habeat partes, apte *differendi* verbo utitur Tacitus. — *silvis*] silvae memorantur maxime Hercynia, Marciana (Abnoba), Bacenis, Teutoburgiensis, Caesia. Hodie quoque pars montium nomen a silvis ductum retinuit, velut „Schwarzwald" et „Harz", quod nomen ex vocabuli „hart" genetivo ortum *silvae montem* significare videtur. Liceat etiam commonefacere legentes multorum illorum nominum, quae cum Theotisco substantivo *lōh*, lucus, silva, composita sunt. — *horrida*] Recte Roth „mit *finstern* Wäldern bedeckt", cum adiectivum *horridus* sociatum cum adi. *foedus* condicionem aliquam debeat significare, quae animos formidine afficiat atque horrore. Ceterum in hac terrae nostrae descriptione meminisse debemus Tacitum multo quidem veriorem esse, quam alios scriptores Romanos, sed fieri non potuisse quin sicut Germanorum mores cum Romanis, terram quoque eorum cum Italia conferret. — *satis*] non est adverbium, ut nonnulli voluerunt, sed substantivum pro „segetibus", unde cervisiae copia apud Germanos. Eadem constructione Verg. Ge. 2, 222: *terra ferax oleo.* *Avenam* sevisse eaque pulte maiores nostros usos esse monet Plinius N. H. 18, 44; *hordeum* novisse Germanos ex Germ. c. 23 conicimus et hoc frumenti genus praeter cetera Goti *baris* (angl. *barley*) h. e. *gitragidi*, Getraide, nominabant, *bygg*, h. e. *fruges cultas* Germani boreales, *gërsta* Theotisci, quae forma magis genuina esse videtur quam Graecorum *κριθή*, Romanorum *hordeum*. *Triticum* num severint G. dubium est, sed haud prorsus inepta eorum sententia, qui *frumenti* nomine (c. 23, 45) illud significari putant; Gotis est *hvaiteis* i. e. frumentum album. At *secale Cereale*, quod *Roggen* nos dicimus, post Taciti demum aetatem ex septentrione in Germaniam illatum esse videtur. Raphanos, rapa, fabas Germaniam genuisse satis constat. De sisere Plinius N. H. 19, 28: *siser et ipsum Tiberius princeps nobilitavit flagitans omnibus annis a Germania.* Cf. de tota hac re Jacobi de rebus rusticis vet. Germ. Lipsiae 1833; Hostmann, *über altgermanische Landwirthschaft*, 1855; Roscher in ephemer. societ. acad. Lips. 1859. — *frugiferarum arborum i.*] Perperam *Tross* coniecerat esse legendum „patiens", cum Tacitus h. l. rursus Germaniae arbores cum Italiae arboribus comparet neque illae tam amplos tamque sucosos et dulces ferrent fructus quam quae gignebantur in terris meridianis; vites et oleae prorsus deerant. *Agrestium pomorum* (c. 23) h. l. rationem non habet; quam dicat *arborem frugiferam* c. 10, ad illum locum explicabimus. Cf. etiam Grimm G. d. Spr. p. 22: Gartenbau und Obstzucht u. s. f. In nostris regionibus etiamnunc poma generosa, uvae, nuces „wälsch" cognomine significantur. — *pecorum fecunda*] pecora h. l. ampliore intellectu dici satis omnibus liquet. Pl. N. H. 17, 4: *nam quid laudatius Germaniae pabulis?* — *improcera*] Supple „sunt pecora". Miro acumine Wolff ad Ann. 1, 10 „terra Germanica est *improcera* ob improcera corpora pecudum", idque probavit Passovio, Hessio, Doederleinio, Nipperdeio (ad

tus est? possessione et usu haud perinde afficiuntur. est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur, quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla affectione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus. (6) ne ferrum quidem superest, sicut

1. *et* BC, *etiam* A. — *perinde* [l pro] A, *aut proinde* C. — 7. *ligatosque* C. — *affectione* C, *affectatione* AB.

Ann. 14, 16) Iure suo Orelli: *terram improceram* hac inversione ne Sidonius quidem ac Venantius dixissent; neque, ut faciunt, comparari potest C. 6: *nudi aut sagulo leves.* Temere Schneidewin legendum esse *in improcera* olim coniecit. — *honor*] pulchritudo e nitore totaque forma ampla ac torosa, qualem in bove femina requirit Vergilius Ge. 3, 51. Sic Hor. C. 1, 17, 16: *Ruris honorem.* Epod. 11, 9: *Silvis honorem decutit.* — *gloria frontis*] cornua, poëtice; non quod iis deesssent cornua, sed non tam magna nec tam camura aut patula aut licina quam armenta Italica habebant. ORELLI. Sed cf. Jacobi l. l. 26 sqq. Ceterum oves, capras, sues Germanis non defuisse omnes noverunt. De ovibus cf. Wackernagel Z. f. d. A. IX, 535. — *eaeque solae et gratissimae opes*] Hac de re praeclare disserit Wackernagel l. l. p. 549, tamen nimio, quod equidem existimem, acumine *opibus* proprie boves significari suspicatus est. — *Argentum etc.*] cf. Ovid. Met. 1, 140 sqq. *effodiuntur opes irritamenta malorum.* Sed ea irritamenta mature Germaniam ingressa sunt; cf. c. 15, 42: Hist. IV, 76. T. vero h. l. de eis loquitur rebus, quas ipsorum Germanorum gignit solum in eisque aurum et argentum esse negat. Neque inde, quod metalla magis minus pretiosa nominibus vere germanicis vocantur, conici licet metalla quoque ipsa in Germania esse inventa. Ceterum operae pretium est, quod Grimm G. d. Spr. demonstravit, addere pretiosorum metallorum nomina artius esse coniuncta cum graecis et slavicis quam cum romanis nominibus. — *nec tamen affirmaverim*] Argentifodina, ut videtur, non ita larga Ann. XI. 20 memorata tum, cum hunc libellum scribebat, ipsi ignota fuisse videtur. De auro ex Rheno flumine quaesito inde a quinto demum saeculo p. Chr. n. faciunt mentionem. Wackernagel l. l. 554. Saeculo nono Otfrido auctore (Krist 1, 1, 72.) *lesent thar in lante gold in iro sante.* De auro apud Helvetios ex fluminibus petito cf. Mommsen, *nordetr. Alf.* p. 245. — *possessione* cet.] Ex Taciti usu particc. *haud perinde* pro „non admodum, *nicht sonderlich*“ (cfr. Plat. Phaedon. p. 63. C: οὐχ ὁμοιως ἀγανακτῶ), manente comparatione „haud perinde ac facile exspectaris, (cfr. C. 34. Hist. 2, 84. 4, 62. Liv. 4, 37.) haec interpretanda: „non magnopere curant neque anxie quaerunt possessionem argenti, et si quando casu aliquo ad eam perveniunt, utuntur promiscue vasis et argenteis et fictilibus, cum nos haec ad viles dumtaxat usus destinemus; illi argentea non pluris aestimant quam fictilia“. — *est videre*] de infinitivo cf. Draeger, *St. des T.* p. 49. — *non in alia vilitate*] non prorsus idem, quod *pari, eadem vil.*, sed cum T. scribere deberet *non in alio pretio*, iam eius animo pretii vilitas obversabatur itaque duas sententias *non in alio pretio quam q. h. f.*, *quorum* admodum *vile est pretium*, suo more in unam contraxit. Facile igitur caremus coniecturis *utilitate* aut *nobilitate.* Sed Caesar B. G. IV, 27: (cornua urorum) *studiose conquisita ab labris argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.* Cf. quae affert Wackernagel l. l. p. 539. — *proximi*] Romanis, Rhenum et Danuvium accolentes. — *commerciorum*] Germanorum praecipuae merces erant comae flavae, quibus se ornabant matronae Romanae, pelles ferarum, gantarum plumae, sapo, siser (Plin. 19, 5, 28.), sucinum. Ceterum de omni hac re cf. Wackernagel l. l., praecipue p. 555 sqq. — *formasque*] h. e. *notas*, cf. Gesneri thes. s. v. *nota.* — *agnoscunt*] pro vulgari „probe norunt.“ — *serratos*] denarios, quorum ambitus asper et dentatus est in modum serrae; quod indicio est nihil iis delimatum et iusti esse ponderis. Eckhel D. N. V. p. 94. Hinc etiam posterius apud Alamannos ac Boioarios denarius vocatur *Saiga, Segit*, serrae. Du Cange in v. Wackernagel l. l. 557, I. Grimm, D. Gramm. 1^3, p. 103. — Accuratius hac de re disseruerunt Mommsen, Rö. M. p. 771 et post eum Hultsch, *griech. u. röm. Metrol.* p. 216. Facile apparet Germanos scite melioris notae denarios eis praetulisse, qui Neronis aetate procusi sunt. — *bigatosque*] quibus bigarum nota impressa. Plin. 33, 3, 13: *Nota argenti fuere bigae atque quadrigae, et inde bigati quadrigatique dicti.*

6. *ne ferrum quidem superest*] De re cf. Wackernagel, l. l. 552 sq. — *superest* autem idem quod *abunde suppetit.* — *rari gladiis*] Haec v. v. non nimis premenda videntur; rarius autem *gladiis* quam *frameis* utebantur. De gladiis cf. c. 18, c. 24; c. 44. Populorum quoque nomina a

ex genere telorum colligitur. rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur. hastas, vel ipsorum vocabulo frameas, gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leves. nulla cultus iactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricae, vix uni alterive cassis

1. *tellorum* C. — 3. *tello* C. — 4. *comminus* A, *cōminus* C, *cominus* B. — 5. *atque ī īmensum* C, *atque*, [in] *īmensum* B, *atque ī mensum* A. — 7. *lętissimis colloribus* C. — *distingūt* A B, *distingunt* C.

genere aliquo gladiorum ducta esse videntur, velut *Cheruscorum* ab eo substantivo, quod Gotis est *haírus*, ac nonnulla sunt vere Germanica vocabula quibus gladiorum genera significantur, ut Gotorum *hairu*, *mēki*, Theotiscorum *sahs*, *swert*. — *maioribus*] Interpretes nonnulli obiecere Tacito locos, ubi ipse Germanis *ingentes*, *enormes*, *praelongas hastas* tribuit (A. 1, 64. 2, 14. et 21.), sed vel ex h. l. apparet ipsum hastas a lanceis distinxisse. — *lanceis*] quae erant latiore cuspide quam frameae, ad ictus inferendos. Vocabulum est Gallicum auctore Diodoro 5, 30: *λόγχαι, ἃς ἐκεῖνοι* (Galli) *λαγκίας καλοῦσι*: Hispanicum contra Varroni apud Gell. 15, 30. — *frameas*] Etiamnunc apud Hispanos *framea* significat telum missile. Complures frameae repertae sunt in sepulcris, quarum figuras exhibet Lisch *Friderico-Francisceum. Leipzig* 1837. Tab. XIII. Estorff *heidnische Alterthümer. Hannover* 1846 p. 76. Tab. VII., qui vocat *Bronzekeil*. ORELLI. A Tacito nusquam nisi in Germania fr. memoratur; quae de ea Gellius 10, 25 et Iuvenalis 13, 78 afferunt, nihil nos adiuvant. Isidoro Origg. 18, 6, 3, Augustino ep. 120, 16 aliis framea est gladius (Isidorus: *framea gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo spatham (epée) vocant*); cf. etiam Graffii thes. theot. s. v. swërt. Facile ea vocabuli significatio oriri potuit, cum framea non tam hastile quam hastae acumen ferreum vocetur. Unde framea nomen duxerit, non adeo compertum est, ut dubitari iam non liceat. Illud dudum vidit I. Grimm ad nostrum *pfrieme*, subulam, referri non posse nisi a prorsus linguae imperitis. Ipse de *framea* alibi aliter existimavit. Postremo in thesauro l. theot. s. v. *Franke* eam sententiam censet veram, quam ipse G. d. D. Sp. 518 sqq. exhibuit, teli nomen ex populi nomine derivatum dicens. Wackernagel ZDA. 2, 558. frameae nomen a verbo *hramjan σταυροῦν* mutata, ut saepe fit, prima littera gutturali *ch*, *h* in labialem *f* ductum esse putat et proprie „die haftende und heftende" significare, inde ortum diminutivum *francam* atque nomen Franconum, qua de re vix dubitari licet. Müllenhoff ZDA. VII, 388 hoc vocabulum, quod olim Grimm fecerat, ad adverbium quod est *fram*, ad verbum *framjan* „perficere", ad adiectivum Germ. septentr. *framr* „audax "pertinere pro certo habet, quae sententia nobis quoque maxime arridet: ceterum Leo Meier, Zeitschr. f. Sprachvergl., VI, 424 sq. haudquaquam, si sonos spectes, temere coniecit, *frameae* vocabulum ad radicem *prem* in v. lat. *premendi* esse referendum. — *eminus*] ubi frameis pro missilibus utebantur. — *scuto*] De Germanicis scuti nominibus cf. I. Grimm D. Gr. III, 445. Vocabulum, quod est „schild", Grimm G. D. Spr. 222 haud vere, ut opinor, ad latinum *scutulum* refert, rectius *Aufrecht* Z. f. Sprachvgl. I, 362 ad sanscritum vocabulum *ćardis* „Decke, Schutz, Haus". — *missilia*] intellege potissimum de saxis iactis e fundis vel ipsa manu. Cogitant etiam de catejis, *Wurfkeulen*. Verg. Aen. 7, 741: *Teutonico ritu soliti torquere cateias*. ORELLI. Cf. Histor. 5, 17: (a Germanis) *saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur*. Hoc Germaniae loco *pila* quoque atque *sagittae* (histor. 4, 61: *sagittis iaculisque puerilibus*) missilia quominus dicantur, nihil, quod videam, impedit. — *spargunt*] Ut Verg. Aen. 12, 50: *ferrumque haud debile dextra Spargimus*. ORELLI. Cf. Wölfflin, *Ph.* 26, 131 et Graecorum *ἰοχέαιρα*, h. e. quae sagittas effundit. — *in immensum — v.*] Perperam, quo scripturam *immensum* omissa *in* praepositione firment, comparant Ann. 3, 30, 52. 4, 27, 40. 6, 37, quibus in locis omnibus *immensum* accusativus est quem dicimus verbalem et actionis qualitatem atque gradum significat, cum hic non vibrandi *vis*, sed *finis* intellegi debeat. — *nudi*] ut Hist. 2, 22: *Germani more patrio nudis corporibus*. De Francis Agathias 2, 5. Ed. Bonn. p. 74: *Θωράκων μὲν καὶ κνημίδων ἀγνῶτες τυγχάνουσιν ὄντες, τὰς δὲ κεφαλὰς οἱ μὲν πλεῖστοι ἀσκεπεῖς ἔχουσιν, ὀλίγοι δὲ καὶ κράνη ἀναδούμενοι μάχονται· γυμνοὶ δὲ τὰ στέρνα εἰσὶ καὶ τὰ νῶτα μέχρι τῆς ὀσφύος, ἐνταῦθα δὲ ἀναξυρίδας, οἱ μὲν λινᾶς, οἱ δὲ καὶ σκυτίνας διαζωννύμενοι τοῖς σκέλεσι περιαμπίσχονται*. ORELLI. De Herulis Paulus D. 1, 20, qui recte fortasse eius rei rationem esse addit, quod vulnera ab hostibus illata contempserint. Liv. 22, 46: *Galli super umbilicum erant nudi*; 38, 21: *detegebat volnera eorum, quod nudi pugnant*. Cum his conferas sis, quae Caesar B. G. 6, 21 et Dio 38, 45 de Germanorum vestitu domestico tradunt. Cf. etiam Müllenhoff Z. f. D. A. X, 557. — *sagulo leves*]

aut galea. equi non forma, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros in morem nostrum docentur; in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe ut nemo posterior sit. in universum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt; idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et

1. *aut galea* Rhenanus. *aut galee* AB, *augalee* C. — *variare* AC, *varietate* B. — 3. *coniuncto* A (*cuncto* in margine), *cuncto* B, *concto* C. — *existimanti* C. — 4. *misti* B.
t di
— 5. *delectos* A. — 6. *centeni - numerus* om. C. — 7. *quod* corr. B, *quidem* pr. BA.

Cf. c. 17. Wackernagel Z. f. D. A. IX, 535. Sed dubitari licet, num scriptores Latini tantummodo ea de causa, quod eadem materia facta eiusdem essent coloris, cuius saga Romana, Germanorum amicula hoc nomine appellaverint. — *scuta*] De materia, qua Germanorum scuta facta erant, cf. Ann. II, 14: *ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus vel tenuis fucatas colore tabulas* (Dio 38, 49, 56). Similia de Advatucorum scutis Caes. narrat B. G. II, 33, sed addit pellibus ea induxisse. De Bastarnarum *nomine* quae Zeuss et I. Grimm exposuerunt, indubia non existimaverim; sed de eis Verrius Flaccus Argonaut. 6, 96: *quos crudi mora corticis armat.* Adde quae poetae German. boreal., Anglosaxones, Theotisci afferunt: *lind* „tilia" Germ. bor. et Anglosaxonibus etiam „clupeus, scutum", Anglosaxonibus *lindvīga* sive *lindviggend* „bellator scuto armatus"; in carmine de Hildebrando: *heuwun harmlīco huīttē scilti, unte im iro lintūn luttilō wurtun.* Forma plerumque quadrata, sed ut longitudo latitudinem superaret, vel triangula fuisse videntur, cum c. 43. Tacitus rotunda scuta Lemoviorum propria esse dicat. Fuerintne unicoloria an virgata an certis quibusdam insignibus ornata veterum Germanorum scuta, non satis compertum habemus. Hariorum *nigra* scuta memorantur c. 43, scuta *alba* (?) in carmine de Hildebrando et apud Caedmonem. Atque Frisii scuta habebant *fusca* (braun), Saxones *rubra;* Wiarda, Asegabuch 7, 16. Alamannis *scutorum insignia* quae contuentes inter se noscebant, tribuit Ammianus 16, 12, 6. Quae ex Diodoro V, 30 et Livio VII, 10 huc afferunt interpretes, ad res vere Germanicas declarandas non ita idonea sunt, nec magis, quae ex carminibus de Gudruna et Nibelungis repetiverunt. De generis insignibus, quae nos *Wappen* dicimus, cogitari hic vix liceat. De colorum genere cf. Wackernagel, Z. f. D. A. l. l. p. 539; de artificibus in ea re occupatis eorumque nomine idem l. l. p. 545. — *loricae*] Nomen goticum *loricae* est *brunjo*, theotiscum *prunja, brünne,* quo de vocabulo num recte I. Grimm in thesauro theot. s. v. *brünne* existimaverit, nobis dubitare licet. Germanis hoc vocabulum commune est cum Slavis. Alia vocabula idem fere significantia sunt *halsperc,* quod Wackernagel censet esse corruptum ex forma *alberc,* et *hringa* h. e. Ringe; in carmine de Hildebrando: *gurtun sih swert ana — ubar hringā.* Ampliore sunt notione Gotorum *sarva,* Theotiscum *gesarwi* „arma", et Theotiscum *gudhamo,* vestis bellica. *Panzer et harnisch* non Germanorum esse propria satis constat. — *cassis aut galea*] Isidorus Origg. 18, 14. p. 559. Lind.: *cassis de lamina est, galea de corio.* ORELLI. Cum *geleae* vocabulo apte comparari potest Graecorum *χυνέη, cassis* eiusdem radicis (*scad*) est, cuius *castra.* A Gotis *hilms,* a Theotiscis *helm* vocabatur, e rad. *hilan, oc-culere.* — *equi non forma, non velocitate conspicui*] Sic Caesar B. G. 7, 65. Germanis auxiliaribus, *quod minus idoneis equis utebantur,* a Romanis sumptos distribuit. ORELLI. Sed idem C. B. G. 4, 2. Germanorum iumenta quodammodo laudat. Inter causas, cur plerumque forma conspicui e. non fuerint, recte Wackernagel ZDA. 9, p. 560 sq. eam numerare videtur, quod in vetere Germania multi etiam feri fuerint equi, qui demum erant domandi. Ceterum certi quidam Germaniae populi praeter ceteros equitatu excellebant, velut Tencteri. Equis autem non solum indigenis usos esse Germanos, verum Gallicis quoque non inepte inde conicere videntur, quod praeter vocabula vere Germanica * *aihua-, ehu* et *hors* sive *hros* Gallicum quoque nomen, quod est *marca,* usurpabant, quod nomen nom. pr. *Marobodui* prior pars esse videtur. Eius formam genuinam Müllenhoff Z. f. d. A. VII, 528 *Marabatha* esse docuit, h. e. *Ἱππόμαχος;* Galli ex suae linguae indole transformarunt. Zeuss, grammat. celt. p. 825. Ephippiis Germanos non uti narrat Caes. B. G. 4, 2, quas Romanis quoque ex Graecia allatas esse vox ipsa demonstrat; sed *satal* Theotiscum priscae formae est vocabulum. *variare*] varios formare gyros hac fere figura ∞, quales equos docebant Romani. Cfr. Tibull. 4, 93: *Inque vicem modo directo contendere cursu, Seu libeat curvo brevius compescere freno* equum. Haec autem omnia pertinent ad exercitationes equestres, non ad proelia. — *in rectum cet*] Omnes homines docti praeter Ianum v. *dextros* de loco interpretantur; Ian vero (Eos 1864, p. 76 sqq., 319 sq. alibi) de equorum dexteritate intellegit, ut eadem fere sit notione hoc adiectivum qua adiectivum *habilis;* sed hoc ipso existimaverim Tacitum fuisse usurum, si quod

honor est. acies per cuneos componitur. cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt. (7) reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. nec regibus infinita aut libera potestas; et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. ceterum neque animadvertere neque vincire, ne

2. *fortitudinis* pr. B. — *etiam* A B, *et* C. — 4. *consilium* C. — 5. *infameam* C. — 6. *et* C, *etiam* A B.

lan significat, exprimere voluisset. — *ita coniuncto orbe*] orbis h. l. qui efficitur, non qui effectus est. — *nemo posterior*] eo iuxta quem equitat. D. — *in universum aestimanti*] De hoc dativi usu cf. sis Roth ad Agricolam excurs. XXII, 3. Wölfflin. *Phil.* 26, 143. — *eoque*] Wölfflin, *Phil.* 25, 110. — *mixti*] Saepe ea res memoratur a Caesare velut B. G. 1, 48; 7, 65; 8, 13; 36, de Gallis 7, 18. Idem narrat de Bastarnis Livius 44, 26. A Germanis vel Gallis Romanos hunc morem pugnandi recepisse verisimile est: cf. Caesar B. C. 3, 75, 84; Vegetius 3, 16. — *peditum*] A Germanis fortasse, quod Müllenhoff putat, hi pedites *fanthjos* (coll. Theot. *fendo*, Anglosax. *fētha*] appellabantur. — *centeni - - vocantur*] nomine aliquo Theotisco a v. *hundert* ducto. ORELLI. Cf. I. Grimm G. D. Spr. p. 491 sqq.; Waitz, *d. Verfassungsgesch.* 1², p. 155 sq., ratione non satis certa *centenos* ad dilectum vulgarem esse referendos censet, cum singuli pagi (Waitzio *Hundertschaften*) *centenos* praestare consuerint milites. Sed de universo exercitu Tacitus disserere incipit demum a verbis: *acies* cet., et quomodo Waitzii sententia probata verba *iam nomen et honor est* recte explices vix habebis. W. Nitzsch et Müllenhoff ZDA. X, 550 sq. verum nobis attigisse videntur, qui *centenis* non solum *pedites*, verum *equites* quoque arbitrentur, quibus mixti sunt, contineri. Qua ratione Caesar B. Gall. 1, 48 cum Tacito congruat, eidem luculenter docent. Sed eorum sententia tum demum stabit, cum contra Waitzium Germanorum pagos centies decem domibus proprie constitisse statuerimus, quod quam bene cum populorum Indogermanorum more conveniret, in libello nostro scholastico de Taciti Germania altero pag. 2. annot. docuimus. — *iam nomen et honor est*] „h. e. technischer Name u. Ehrentitel“ — *acies per cuneos componitur*] Copiosius de hac quoque re disseruit Curtze in libro suo *Germania des T.*, pag. 228 sqq., nos satis habemus afferre Histor. 4, 16: *Canninefates* cet. *propriis cuneis componit*, ib. c. 23 et infra c. 7: *non casus* cet. — *consilii quam formidinis*] Eius generis locis omissum esse *potius* vel *magis* opinantur (Draeger, Syntax cet. p. 61), sed vide ne Tacitus originem particulae *quam* respexerit „in demselben Grade wie“. — *praecipuum*] i. e. maximum. Wölfflin, *Phil.* 26, 161. — *flagitium*] Gellius, N. A. 1, 18: *vitia enim flagitiis leviora sunt.* — *referunt*] cf. Florus 1, 18, 10. — *scutum reliquisse*] Cf. Grimm R. A. p. 644 sq.; 731; Wilda, *German. Strafr.* p. 785 sq. Homines ignavi a Germanis *argai* appellabantur, quod vocabulum a radice *argh*, h. e. tremere, originem ducit. Ceterum recte eos, qui ardente pugna scutum reliquerunt, distinguas ab illis, qui prorsus ex proelio aufugere. — *sacris adesse*] civitatis suae igitur iudicio omni iure humano ac civili exuti (*völlig rechtlos* vel ex formula olim apud Helvetios usitata, *ehr- und wehrlos*), ex interpretatione Romana *intestabiles* fiebant. Cfr. Waitz 1², p. 398, n. 2. Wilda, *d. Str.* p. 268, n. 1; p. 154, n. 1. Atque nota, quomodo hic distinguantur *sacra* et *concilium* de publicis civitatis negotiis. — *inf. laqueo f.*] Haud facile intellegas, quomodo factum sit, ut interpretes quidam h. l. de capitis poena a civitate ignavis illata cogitarent. Cf. etiam Scherer, *ephemer. schol. Austr.* 1869, pag. 107.

7. *reges*] Procop. B. Gotth. 1, 1: *Θευδέριχος ῥὴξ διεβίω καλούμενος. οὕτω γὰρ σφῶν τοὺς ἡγεμόνας καλεῖν οἱ βάρβαροι νενομίκασι.* Opponit igitur *ῥῆγα*, primum inter proceres (*Häuptlinge*) singularum nationum Germanicarum, *βασιλεῖ*, imperatori Romano. ORELLI. De regibus Germanis et vetere et recentiore tempore multi multa disseruerunt. Ne eorum quidam omnium, qui nostra memoria hac de re scripserunt, nomina proferre libet, satisfacere legentibus videmur cum haec proferimus: Sybel, *Entstehung des d. Königthums*, 1844; P. Roth, *Gesch. des Beneficialwesens von der ältesten Zeit bis ins 10te Jh.*, 1850; R. Köpke, *deutsche Forschungen. Die Anfange des Konigthumes bei den Gothen*, 1859; Dahn, *Könige der Germanen*, 1862; Waitz, *deutsche Verfassungsgeschichte*, ed. 2, 1865. Praeterea complures homines docti de Germanorum nobilitate disseruerunt, velut Brandes, Watterich alii. Pauca de his rebus, sed ut solet luculenter disseruit Scherer l. modo laudato. De *nominibus*, quibus Germani veteres appellabant reges, largam commentationem composuit Massmann (Berliner Jahrbücher für d. Sprache und A. X, p. 65 sqq.), scripsitque Mannhardt de nominibus Germanorum propriis, quae ad regnum

verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt; effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt. quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates. et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audias, unde vagitus infantium. hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. ad matres, ad coniuges vulnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent,

et
4. *neque* B. — 5. *et prop.* A C, *aut prop.* B. — 6. *audias* coni. Wölfflin: *audiri* libri. — — 7. *volnera* A, *ille* A. — *numerare aut exigere* A B, *et* C.

referuntur observationis specimen, 1857. Plurimi eorum, qui huic rei operam navarunt, praeter ceteros Waitz, a *regibus principes* Germanorum accurate distinguendos esse statuerunt, I. Grimm quoque G. D. Sp. 599 his utitur verbis: *Darin waren die Hermunduren von den Chatten und allen westlichen Germanen verschieden, dass sie gleich Markomanen und Quaden Könige über sich hatten, nicht blosse Fürsten; bezeichnet die Königswürde schon damals grössere Macht?* Tantum constare videtur nusquam in Germania civitates prorsus liberas atque eius generis quas nos dicimus *Republiken* fuisse, sed in *omni* Germanorum civitate vel singulas vel plures gentes fuisse nobilitate insignes, ex quibus vel *reges*, vel *principes* sumpserint. Ceterum duo quoque apud quosdam populos *reges* interdum inveniuntur, cf. Ann. 13, 54; 12, 30. — *ex nobilitate*] propter *ἀντίϑεσιν ex virtute* haec vv. necessario interpretanda *nach dem Adel*, non *aus dem Adel*, atque significant: „nobilissimum quemque regem sumunt;“ et quidem respiciebant regiam stirpem in successore deligendo, ut Cherusci Româ petunt Italicum, *unum reliquum stirpis regiae.* Ann. 11, 16. Cfr. etiam Gregor. Tur. 2, 9. I. p. 180. Ed. Grégoire: *Francos reges crinitos super se creavisse de prima et, ut ita dicam, nobiliore familia.* Cfr. Grimm *Rechts Alterthümer* p. 229. Sybel *D. Königthum* p. 133. et 152. Waitz I², p. 250, 298. OR. Vocabulum Theotiscum *kuning*, *künig* eum significat, qui (nobili) genere, *kuni, künne* ortus est. De vocabulis *adal, adel, adelich* cf. I. Grimm, thesaur. l. Th. s. v. Neque vero temporibus illis defuerunt, qui regnum vi occuparent tuerenturque, velut Maroboduus. Vell. II, 108, Köpke, D. F. p. 27. Reges sibi a Romanis praefectos (Germ. 42) suo iure Germani odio habuerunt, quippe qui plerumque dominationem exercituri essent acriorem. Eius generis Vannius fuit, Ann. 2, 63; 12, 29. — *duces ex virtute*] Dux apud Saxones *heritogo*, apud Anglos. *heretoga*, quocum cave confundas *folctoga*, Theotiscis sup. *herizogo.* Cf. Gesetze der Angelsachsen, ed.² Schmid, pag. 510 sq. Non ita certum est neque exemplis comprobatur quod multi, in eis I. Grimm R. A. p. 229, docent, ex *omnibus ingenuis* (Gemeinfreien) duces sumptos esse, verum nisi credere velis Tacitum per antithesim ita scripsisse, fieri potuit, ut ex pluribus principibus vel regibus eum summum declararent ducem, qui virtute emineret. Exemplo nobis est Arminius, qui ex pluribus principibus, qui Cheruscis eo tempore praeerant, electus erat. — *sumunt.* Theotisce *kiosan.* Utique, priusquam rex iniret regnum, talem eum agnosceret populus necesse erat. Cf. quae acute hac de re disseruit *Scherer* in iudicio suo de Beovulfo ab Heynio edito, quod inseruit in ephem. Austr. a. 1859, pag. 95, et 103, ann. — *Duces* Germanorum quomodo gentis more declarati sint, docet Tac. H. 4, 15. Ceterum apud Saxones antiquos principes inter se de imperio sortitos esse tradit Beda, Hist. eccles. 5, 10: *Non habent reges Saxones, sed satrapas plurimos (?) suae genti positos, qui ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, huic obtemperant* cet. — *nec regibus infinita*] *Adductius regnantur* (c. 44) gentes quaedam Germanicae in orientem et septentrionem vergentes. Sed *Verritus* et *Maliorix* (Ann. 13, 54) nationem Frisiorum regebant, *in quantum Germani regnantur.* Maroboduus alii ob superbiam regno pulsi sunt. Mirum autem et quod ad proprium Germanorum morem declarandum multum valeat, quod Tac. c. 42 tradit: *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus.* De potestate regia cf. etiam Grimm R. A. p. 231 sq. et p. 243 sq., de eorum apud Gotos auctoritate Gregor. Tur. 3, 30. *Sumpserant Gothi hanc detestabilem consuetudinem, ut si quis eis de regibus non placuisset, gladio eum adpeterent, et qui libuisset animo, hunc sibi statuerent regem.* De Anglosaxonum regibus accurate disseruit Schmid in glossario, quod utilissimum adiunxit editioni suae legum Anglosax. s. v. cyning. De regibus Islandicis et Suecicis cf. Maurer, Beitr. z. Rechtsgesch. des Germ. Nordens I, p. 11 sqq., de Norvegis Wilda, Str. d. G. p. 989. — *et duces-praesunt.*] Vocabulo *admiratione*, quae sententia inest in verbis „exemplo potius quam inperio“ cet. luculenter repetitur; admiratio fit inde, si cet. — *prompti*] Ann. 1, 57: *barbaris, quanto quis audacia*

cibosque et hortamina pugnantibus gestant. (8) memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe impatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut

1. *pditur* B. — 2. *inclinas* C. — 3. *cõminus* A, *cominus* B C. — 5. post *puellę* aliquid erasum in B. — *nobiles* A C, *nõbiles* B. — 6. *imperentur* (a supra e) B.

promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior videtur. — *sacerdotibus*] Cfr. C. 11. Theotisce sacerdos *êwarto*, id est, legis custos. Cfr. Grimm *R. A.* p. 750. (et p. 270). De aliis sacerdotum nominibus Theotiscis cf. Grimm, Mythol. ed. 2, p. 78 sq. Indubitato huic testimonio de Germanorum sacerdotibus adde C. 10. 11. 43. Quocirca Caesaris vv. 6, 21: *Germani neque Druides habent, qui rebus divinis praesint neque sacrificiis student* ita videntur intellegenda, ut neget auctor proprium aliquem et certum sacerdotum ordinem fuisse apud Germanos, similem Druidum *ἱεραρχίᾳ*. Ceterum utrum ex certo quodam civium ordine an ex universis ingenuis sumpti sint Germanorum sacerdotes, qualis fuerit eorum creatio et inauguratio prorsus nos fugit. Cf. tamen c. 43. Contradicere Tacito videtur C. etiam 6, 23: *Cum bellum civitas aut inlatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur.* Quo loco vel loquitur de certa aliqua natione ipsi notiore, apud quam haec a Taciti testimonio exceptio locum habebat, vel de bellis admodum periculosis, in quibus a solito more discedebatur, vel quod maxime probabile mihi videtur, non satis distinxit duces bellorum a sacerdotibus his additis, qui soli habebant potestatem sollemni aliquo ritu in noxios animadvertendi. Ceterum de toto loco cf. Waitz 1², p. 326. Unde Köpke D. F. p. 14 coniecerit regibus verberare cet. licuisse sacerdote non consulto, nobis haud liquet. Verum hoc sacerdotum ius sine dubio valebat non solum in eos, qui in contionibus vel in exercitu pacem cum popularibus violassent, sed etiam in desertores ac proditores. — *ne verberare quidem*] quod apud Romanos vel centurionibus licebat. — *non quasi in poenam*] noxiorum, sed in ultionem deorum delictis laesorum. — *nec ducis iussu*] In indiciis igitur sacerdotes pares erant regibus neque ab ullis eorum iussis pendebant. — *quem adesse*] ut summum iudicem ei parti faventem, cuius iustior esset causa in bello. Grimm R. A. p. 928. — *effigiesque et signa*] Cf. Grimm, Myth. p. 62, Müllenhoff in luculenta sua de vetustissima Germanorum poesi commentatione *effigies* ab *signis* diversas esse censet. *Signa* intellegit deorum quae dicunt attributa atque arma velut Vôdani hastam, malleum dei, qui Donar appellatur, gladium Martis, qui dicitur Tiu, Frohonis phallum cet. *Effigies* ei sunt imagines ferarum (Taciti Ann. 4, 22, Germ. 42) quae deorum vim exprimere videntur, velut anguis et lupi Vôdani, ursi et capri, qui ad illum Germanorum deum pertinent, cui nomen est Donar, arietis, qui sacer est Germanorum Martis, apri Frohonis cet. — *detracta*] a sacerdotibus. Grimm M. p. 80. — *familiae et propinquitates*] Quemadmodum *principes gentibus cognationibusque, qui una coierant, agros attribuebant* (Caesar B. G. 6, 22), ita eaedem cognationes una pugnabant: isque mos valuit etiam apud Langobardos. Paulus Diac. 2, 9: *Gisulfus non prius regimen Foroiulianae civitatis — — suscepturum edixit, nisi Alboin ei, quas ipse eligere voluisset Langobardorum f a r a s, hoc est g e n e r a t i o n e s vel lineas tribueret. Factumque est et — —, quas optaverat Langobardorum p r o s a p i a s, ut cum eo habitarent, accepit.* Cfr. Sybel D. K. p. 15. Talis autem familia cum eodem etiam loco habitaret cum servis ac libertis suis, factum est, ut *fara* interdum significaret etiam vicum, ut *fara Authareni* memoratur in Lupi Cod. dipl. Bergom. I. p. 172. OR. Cfr. quae hac de re collegit Köpke D. F. p. 32 sq. — *pignora*] Sic Hist. 4, 18: *Civilis matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem.* — *audiri*] si *possit* addidisset, langueret oratio neque quod Tacitus volebat exprimeret; si omisisset v. *audiri*, quod seclusit Ritter, affectatam brevitatem sectatus esset. Sane *audiri* pro inf. historico, quemadmodum nonnullis visum erat, haberi non potest. OR. Wölfflin, Philol. XXVI. p. 109 sq. perdito huic loco apte ita mederi studet, ut *audiri* infinitivum mutet in coniunctivum *audias*. De *ululatus* plurali numero ibidem W. loquitur. — *exigere*] „comparare inter se vulnera cum laude eius, qui plura et honestiora tulerit". Duebn. — *pavent*] „Qui Romanis feminis formidolosus ac foedus aspectus foret, Germanicis gratus esse solet". — *cibosque et hortamina*] zeugma prorsus Taciteum, pro quo vulgaris scriptor facile dixisset: „cibos pugnantibus apportant simulque eos ad virtutem exhortantur". Ceterum de substantivi *hortaminis* forma cf. Wölfflin, Philol. 25, p. 100.

8. *memoriae proditur* cet.] Wölfflin, Philol. 26, 118. — *a feminis restitutas*] Cfr. Plutarch. Mar. 19. et 27. Caesar B. G. I, 51: *Germanorum mulieres in proelium proficiscentes milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.* OR. Florus 3,

consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam. sed et olim Albrunam et compluris alias venerati sunt, non adulatione, nec tamquam facerent deas.

(9) Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Martem et Herculem concessis anima-

1. *neglegunt* A, *negligunt* B C. — 2. *veledam* A, *voledam* B, *valedã* C. — 3. *Albrunam* Wackernagel, Müllenhoff: *auriniam* ABC, sed in B *l albriniam* supra ascriptum. — *complures* C. — *neque* B. — 6. *et Herculem* post *placant* A B, *Herculem ac Martem c.* C D.

3, 15. Similia de Persarum mulieribus tradit Iustinus 1, 6. Cf. *Weinhold*, die Deutschen Frauen, pag. 41 ff. — *obiectu pectorum*] Suis supplices obiciebant pectora, mortem pro captivitate expetentes. Passow. Cuius sententia praeferenda nobis videtur Halmii sententiae Wölfflino probatae, qui locum ita interpretandum censet, ut T. tradat matres atque uxores aperta suis pectora obiecisse quaerentes quasi num se, quae illis ipsis mammas praebuissent, aut eorum filios nutrivissent, temere in servitutem essent daturi. — *feminarum suarum nomine*] sc. quam suo ipsorum n. De usu vocabuli *nominis* cf. Ann. 14, 59: *nomine patris*, et quae Bentley adnotavit ad Horatii carmen 3, 21, 5. — *obsides*] Suet. Oct. 21: *A quibusdam novum genus obsidum, feminas, exigere temptavit, quod neglegere marium pignora sentiebat.* — *puellae quoque nubiles*] Sic recte Italus quidam librorum lectionem correxisse videtur, cum T. hoc loco non de *nobilitate*, sed de *feminis* in universum loquatur. *Nubiles* quidem puellae maioribus sunt obnoxiae periculis. — *providum*] Caesar B. G. 1, 50: *matres familiae Germanorum sortibus et vaticinationibus declarabant, utrum proelium committi ex usu esset necne.* Clemens Al. Strom. 1. p. 360. Pot.: *εἰσὶ δὲ καὶ παρὰ Γερμανοῖς αἱ ἱεραὶ καλούμεναι γυναῖκες, αἳ ποταμῶν δίναις προσβλέπουσαι καὶ ῥευμάτων ἑλιγμοῖς καὶ ψόφοις τεκμαίρονται καὶ προθεσπίζουσι τὰ μέλλοντα.* Cfr. Grimm M. p. 84. et 368 sqq. Weinhold, die D. Frauen, pg. 54 sqq., Müllenhoff, zur Runenlehre, p. 44 sqq. — *vidimus — Veledam*] Videre poterat noster Romae captivam. Sic vel similiter plerique haec verba interpretantur. Contra Walther: nos, qui nunc vivimus, meminimus sub D. Vespasiano fuisse Veledam. Veleda natione fuit Bructera, Histor. 4, 61; 5, 22. Dionem 57, 6 perperam *Βελήδαν* scripsisse testis est Statius, S. 1, 4, 90: *captivaeque preces Veledae.* Veledae nomen ex radice, quae est subiecta verbo Got. *viljan*, velle, deductum *benevolentiam, clementiam* significare et proprie esse cognomen, ut *Albrunam* alia, acute coniecit Müllenhoff, zur Runenlehre, p. 55. — *Albrunam*] Eam esse veram scripturam primus, quod nos sciamus, coniecit Wackernagel, Deutsche Literaturgesch. pag. 13, qui suo iure Iornandis *aliorunas* (24) *haliorunas* esse censet. Wackernagelio accessit Müllenhoff, z. R. p. 51 Idem pg. 55 nominis esse vim docet *ein mit der Runenkraft der Elbe-begabtes Weib.* De Albrunae aetate M. disseruit pag. 53. Memoratur praeterea a Dione 67, 5. *Γάννα παρθένος μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν τῇ Κελτικῇ θειάζουσα.* *Gannae* nomen facile est explicatu ex Germanorum septentrionalium substantivo *gan*, ars magica. Müllenhoff pag. 55. Sueton. Vitell. c. 14: *vaticinante Chatta muliere, cui velut oraculo acquiescebat.* De *Gambara* Langobardorum simili Veledae Müllenhoff p. 55. De *Theota* Alamannorum Pertz 1, 365. Miram fabulam narrat Saxo Grammaticus 7. Ed. Müller. Vol. I. p. 321. *de perita augurii femina* a Frothone consulta: *cuius feminae carminum tanta vis erat, ut rem quantalibet nodorum connexione perplexam e longinquo soli sibi conspicuam ad contactum evocare posse videretur.* Postremo conferre libet nomina, qualia *Electrudis* i. e. *Alahtrudis* cet. Grimm G. D. Sprache, 537 sqq. — *facerent deas*] Adde, „sed ut quae re vera haberentur". Senatus per adulationem *faciebat* deas, ut Drusillam, Caligulae sororem, et quadrimestrem filiolam Neronis ex Poppaea. Duebn. Haud sane multum differt ab hac sententia Hist. 4, 61: *Germani plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas;* neque altera alteri contradicit, ut opinatus est Rühs. Ceterum scite Thierry *Réc. Mérov.* VII. T. II. p. 242: *Dans un état exalté de l'âme, il arrivait souvent aux femmes germaines de prendre la parole en vers improvisés ou dans un langage plus poétique et plus modulé que le simple discours. On en trouve une foule d'exemples dans les sagas, qui sont le monument le plus complet des anciennes mœurs germaines.* Affert deinde inter alia exempla Fredegundis cum Chilperico marito expostulationem apud Gregorium Tur. 5, 35.

9. *deorum maxime Mercurium*] Aliter Caesar B. G. 6, 21: *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt;* quo de loco cf. quae I. Grimm luculenter disseruit Gesch. d. D. Spr. p. 766 et in commentatione sua Academica de deo qui dicitur Donar, p. 2. Addesis quae minus apte exposuit Mannhardt, Mythol. pag. 70 sq. Harum rerum peritis satis apparere puto Caesarem hac quidem in re Gallos accuratius novisse, quam Germanos; quanquam Solem hos coluisse

libus placant. pars Sueborum et Isidi sacrificat: unde causa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum libur-

1. *sueuorum* B C, *suenorum* A. — 2. *peregrinorum sacro* C.

cum multa alia testantur, tum carmen illud, quod aliquot abhinc annos Mersiburgi est repertum (K. Müllenhoff u. W. Scherer, Denkm. p. 7), lunā tempora eis discripta fuisse satis constat, ignem illo iam tempore fuisse pro numine haud quisquam negaverit. De Gallis Caes. B. G. 6, 17: *Deum maxime Mercurium colunt,* quem locum Tacito h. l. obversatum esse pro certo affirmaverim, quamvis sit ineptum et absurdum conicere nostrum re quoque ipsa indidem sumpta perperam Germanos confudisse cum Gallis. Quem Germanorum summum deum Romani Mercurium non satis accurate interpretati sint, docent expressa testimonia Pauli Diac. 1, 9: *Wodan* (Grimmio *Wuotan* idemque Scandinavorum *Othinus*, qua forma utitur Saxo Gr.) *sane, quem adiecta littera Gwodan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, et ab universis gentibus ut deus adoratur.* Galfridus Monemut. Lib. 6. Ed. 1587, p. 43: *Hengistus Vortigerno: colimus maxime Mercurium, quem Woden nostra lingua appellamus.* Cfr. Gr. M. Ed. I. p. 91. Ed. II. p. 122. OR. Ceterum qui factum est, ut summus eorum Germanorum deus, quos Tacitus noverat accuratissime, *Vodanus* (aliis enim Germanis non qui Vodanus dicitur deum sed illum quem Thonarum appellabant, aliis Tivum summum fuisse a vero non abhorret) Mercurii nomine vocaretur? Facile profecto, qui mythologiae Germanicae non prorsus sit rudis, concedet revera multa Vodano cum Mercurio fuisse communia, quamvis aliis rebus magnopere inter se differant. Nec vero omittendum Gallos Romanis priores innotuisse, eorumque deum summum *Teutatem* i. e. potentem, cui nescio an maior etiam cum Mercurio Romanorum et Graecorum Herme similitudo fuerit, hoc nomine dictum esse, quam rem in interpretando Vodani nomine alicuius fuisse momenti haud negaverim. *Vōdanus*, si vocabuli vim quaeras, a radice aliqua *vadh* (fortasse inde lat. *vadere*) deductum esse videtur. Perperam alii vel sscr. *vedas*, divitiae, huc traxerunt vel *Vodanum* cum Indorum *Buddho* confundere sunt conati. — *certis diebus*] i. e. festis diebus. De anni temporibus, quibus sollemnia apud Germanos fiebant, cf. quae disseruit Müllenhoff, Zeitschrift für Geschichtswiss. v. 8, maxime p. 266 sqq. Festus dies apud Gotos *dulths*, apud Theotiscos *dult* appellabatur, cuius propria vis, sive Dietrichii (Z. f. D. A. V, 524 sqq.), sive Delbrückii (Zeitschr. für D. Phil. I, 9) sententiae suscribes, ea fuerit, ut certam significaret diem. Nobis Delbr. recte hoc vocabulum ad sanscrit. *dhṛti* referre videtur: cf. Graecorum *θαλία*. Eadem fere vis subest alii apud Theotiscos vocabulo *itmâl* s. *itmâli*, sollemnis, festivus, unde Theotiscorum *itmâli* festivitas, ags. *édmaele*. Cf. Pictet, les orig. I. E. II. S. 388. — *humanis quoque hostiis*] Cfr. Ann. 1, 61. 13, 57. Sidon. Apoll. 8, 6. Ed. Grégoire II. p. 302: *Mos est* (Saxonibus) *remeaturis decimum quemque captorum per aequales et cruciarias poenas, plus ob hoc tristi quod superstitioso ritu, necare.* Sorte autem ducebantur immolandi. Iornandes 5: *quem Martem Gothi semper asperrima placavere cultura (nam victimae eius mortes fuere captorum) opinantes bellorum praesulem aptius humani sanguinis effusione placandum.* Ac Wodan re vera victoriae dator, teste Paulo Diac. 1, 8: *Wandali accedentes ad Wodan victoriam de Winilis postulaverunt.* Procopius B. Gotth. 2, 25: *Ἐπιλαβόμενοι δὲ τῆς γεφύρας* (prope Ticinum) *οἱ Φράγγοι παῖδάς τε καὶ γυναῖκας τῶν Γότθων, οὕσπερ ἐνταῦθα εὗρον, ἱερευόν τε καὶ αὐτῶν τὰ σώματα εἰς τὸν Πάδον ἀκροθίνια τοῦ πολέμου ἐῤῥίπτουν. οἱ βάρβαροι γὰρ οὗτοι, Χριστιανοὶ γεγονότες, τὰ πολλὰ τῆς παλαιᾶς δόξης φυλάσσουσι, θυσίαις τε χρώμενοι ἀνθρώπων καὶ ἄλλα οὐχ ὅσια ἱερεύοντες, ταύτῃ τε τὰς μαντείας ποιούμενοι.* Refertur autem haec narratio ad a. post Chr. 539. Haec de captivorum immolatione; de sacrilegis lex Frisionum add. sap. tit. 12 ed. Walt. I, p. 374: *Qui fanum effregerit et ibi aliquid de sacris tulerit, ducitur ad mare, et in sabulo, quod accessus maris operire solet, finduntur aures eius et castratur et immolatur diis, quorum templa violavit.* Cfr. Gr. M. p. 38. et 93. Ceterum ex his atque aliis locis apparet captivos tantummodo et maleficos et qui dignitatem hominum liberorum non aequarent servos esse immolatos. Germanos vero veteres hac in re non crudeliores se praestitisse aliis eisque eruditissimis nationibus docent testimonia a Curtzio large collecta. Verum *Martem* quoque humanis hostiis coluisse Germanos ipse Tacitus testis est Ann. 13, 57; Germ. c. 39; de Nerthus cultu cf. c. 41. — *Concessa* autem animalia plerique ea putant, quae Romani quoque, qui tunc erant, deis afferri licere existimaverint, cum hostias humanas tanquam incestas detestarentur. Atque ut hac ratione locum interpretemur postulare severe videntur verba, quae modo antecesserunt; haud negaverim alibi quae dicuntur a. *concessa* ea posse vocari, quae deorum sacra sint. Artificiose Reifferscheidt participium *concessis* in p. *consuetis* mutandum esse opinatus est. Inter *concessas* hostias memorantur equi, ut nobilissima victima (cfr. Ann. 13, 57.), praeterea tauri, maiales sacrivi sive votivi Leg. Salic. T. 2., arietes. Dietmar. Merseburg. 1, 9, de Northmannis: *Est unus in his partibus locus Lederun nomine in pago, qui Selon* (Sioland, Seeland) *dicitur, ubi post novem annos mense Ianuario - - omnes convenerunt, et ibi diis suismet LXXXX. et IX. homines et totidem equos cum canibus et gallis*

nae figuratum docet advectam religionem. ceterum nec cohibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine caelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus

pro accipitribus oblatis immolant: qua tamen in narratione Grimmio canum saltem et accipitrum immolatio videtur fabulosa. Cfr. Gr. M. p. 38, 42, 93. Huc adde quae Curtze disseruit. Ceterum sacra frumento, floribus aliis rebus facta, quae cur illo tempore locum non habuerint nihil est caussae, Tacitus omisit. De vocabulis Germanicis sacrorum propriis cf. I. Grimm, Mythol. p. 31 ff. In eis *tiber* quoque, Theot. *zepar, Ziefer* (Ungeziefer) invenitur, quod recte cum Latino voc. *daps*, Graec. *δαπάνη* conferunt. Hostiarum reliquias, praesertim ora s. *capita* Germanos ex arboribus suspendisse etiam Tacitus testis est Ann. I, 61. — *Martem*] Hist. 4, 64., Ann. 13, 57; Grimm Mythol. 175 sqq. Is deus in abrenuntiationis formula, quae modo proferetur, *Saxnôt*, h. e. *Schwertgenosse*, a Germanis boreal. *Tyr*, alibi *Ziu, Zio*, a genere certo quodam Germanorum *Ear, Er* appellabatur. Nomen quod est *Ziu, Zio (Tivus)*, accurate respondet Indorum orientalium nomini, quod est *dyâus*, caelum, caeli deus, Graecorum *Ζεύς*, unde satis apparet, Germanorum Martem aeque ac Romanorum maiorem olim deum fuisse (Germ. c. 39). Nomen quod est *Ear*, Mannhardt, Mythol. p. 263, significare censet *radium* sive *sagittam*. Ceterum, quod Reifferscheidt denuo confirmat, in A. B. haec leguntur: *Martem c. a. placant et Herculem* idemque censet C. D. scripturam manifesto corrigendi studio natam habere *Herculem ac Martem c. a. placant;* sed quod hac ex re concludit post *placant* novam sententiam incipere, cuius praeter prima illa verba *et Herculem* reliqua omnia interciderint, fortasse etiam alia de deabus Germanorum, quae desideremus, eadem hac lacuna absorpta esse, parum verisimile est, cum in abrenuntiationis formula (Müllenhoff u. Scherer LI.) *ec forsacho allum diaboles uuercum and uuordun, Thuner ende Uuôden ende Saxnôte* oet, ipsi hi tres dei soli nominentur et inter se coniungantur. Quidni statuere liceat aut iam in codice archetypo aut in Asculani apographo v. v. *et Herculem* errore fuisse omissa, postea errorem additis, non interpositis verbis esse correctum? — *Isidi*] Gr. (M. p. 275.) refert ad deam Zisam sive Cizam, quae Augustae Vindelicorum antiquitus colebatur, testibus „Excerptis ex Gallica historia" in duobus Codd. Monacc. (Ibid. p. 269.) sive alio nomine sane ficto Velleio Gallo (apud Goldastum R. Suev. Scriptt. Ulmae 1727. p. 3. Gr. M. p. 270). Verum et deam istam Zisam et testimonia de ea ab otioso aliquo monacho ficta arbitror, prorsus ut quae olim apud nos narrabant de Turico rege, Turici conditore. Alii cogitarunt de Frigga s. Frikka, Wodani s. Odini coniuge; „dea alma Scandinavorum ut Isis Aegyptiorum" (Duebn). Vide Gr. M. p. 280. Zacher in libro suo de „runis" atque in commentatione inserta in *Hallische Encyclopaedie* de Germanis acute coniecit eius deae nomen fuisse Germanicum, *Isam*, ductum a radice *vas* (?!), splendere, eodemque referendum Ulixen supra a Tacito memoratum, eique assensit Mannhardt. At si nomen esset vere Germanicum, Tacitus haud dubie fuit significaturus. Equidem in eorum abeo sententiam, qui *Isidem* interpretatione Romana appellatam esse quandam Germanorum deam statuerunt. — *unde causa et o. peregrino sacro*] De omisso verbo *sit* Wölfflin, Phil. 26, 144. Peregrinitas ista inerat non tam in Isidis nomine quam in liburna ei attributa. Gr. M. p. 94., qui p. 236 cum hoc deae symbolo conectit diem festum *ISID. NAVIGIVM* III. Non. Mart. (5. d. M.) in Kalendariis antiquis (cfr. Inscr. Lat. II. p. 380), apud Appuleium Met. 11, (Ed. R. p. 764), apud Lactantium, Inst. 1, 27. Fortasse quis navium meminerit, quibus Indorum dei deaeque per *aëra* vehuntur, Kuhn, Z. f. vgl. Spr. 1. 536, ut aquae, per quas Sueborum Danuvium accolentium Isis vehitur, proprie non tam ad mare quam ad caelum pertinere videantur. Mira utique, quae J. Grimm M. 242 sq. de *navibus et aratris* posteris temporibus in Suebia per pompam circumductis tradit. Ceterum forma *liburna* pro *liburnica* non solum poëtae utuntur, sed etiam Caesar B. C. 3, 9. — *cohibere parietibus*] Difficilis sane est quaestio, utrum Germani Taciti aetate templis vel sacellis plane caruerint necne; quanquam in universum Tacitus hac quoque de re vera tradidisse nec, quod quidam existimant, rhetorica arte usus esse videtur. Non desunt quidem in eisque homines rerum Germanicarum periti, qui opinentur Tacitum ipsum se correxisse, cum c. 40 de Nerthus *templo*, Annal. I, 51, de *templo* Tamfanae solo aequato faciat mentionem; sed vix dubitandum, quin eis locis templi vocabulum ampliore sit notione significetque c. 40 nemus, Ann. 1, 51 vel nemus vel arborem deae sacram, vel quod quidam in ipso Tamfanae nomine inesse putant, columnam. Ceterum cf. Grimm M. pg. 57—108 et G. D. Spr. p. 116 sqq. De deorum simulacris cfr. Gr. M. p. 95., qui ex Sozomeni Hist. Eccl. 6, 37. illustri loco de Ulphila haec affert *λέγεται ὥς τι ξόανον ἐφ' ἁρμάξης ἑστώς, οἵ γε τοῦτο ποιεῖν ὑπὸ Ἀθαναρίχου* (rege Gotorum † a. 382) *προσετάχθησαν, καθ' ἑκάστην σκηνὴν περιάγοντες τῶν χριστιανίζειν καταγγελλομένων ἐκέλευον τοῦτο προσκυνεῖν, καὶ θύειν· τῶν δὲ παραιτουμένων σὺν αὐτοῖς ἀνθρώποις τὰς σκηνὰς ἐνεπίμπρων.* Sane fatendum est omnia de simulacris apud Germanos testimonja multo posteriora esse Tacito, unde fuere, qui arbitrarentur *idolis*, in quae toties invehuntur scriptores Christiani, progredientibus demum seculis cultum esse tributum. Pro qua opinione afferunt Gregorii Thaumaturgi testimonium Ed. Mogunt. 1604. p. 118: *εἷς λόγος παρὰ πάντων, τοὺς κατα-*

appellant secretum illud quod sola reverentia vident. (10) auspicia sortesque ut qui maxime observant. sortium consuetudo simplex. virgam frugiferae arbori decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt. mox, si publice consultetur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiae, precatus deos caelumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. si prohibuerunt, nulla de eadem re

2. *conserrant* C. — *est simplex* C. — 4. *nox sin* C. — *consultetur* Halm: *consuletur* libri. 6. *suppliciens* C. — 7. *interpretationem* C. — *prohibueāt* C.

δραμόντας τὰ ἡμέτερα μέρη βαρβάρους (Gotos) *εἰδώλοις μὴ τεθυκέναι.* Cui opponuntur alii auctores diserte idola commemorantes, inter quos eminet Alcuinus in Vita S. Willibrordi († 740.) Opp. II. p. 188: *Venit ad quandam villam Walachrum nomine, in qua antiqui erroris idolum remansit:* [*ad quod statuto tempore omnis congregabatur populus, illud colens summa veneratione*]. *Quod cum vir dei zelo fervens confringere niteretur, praesente eiusdem idoli custode, nimio furore incensus ille, quasi dei sui iniuriam vindicaret, in impetu animi insanientis gladio caput sacerdotis Christi percussit.* Similia de Persis tradit Herod. I, 131. Ceterum signa sacra et effigies (ferarum) Germanis Taciti aetate fuisse docet c. 7. — *lucos*] Taciti locos collegit Gr. M. p. 60. addens Claudian. Cons. Stilich. 1, 288: *Ut procul Hercyniae per vasta silentia silvae Venari tuto liceat, lucosque vetusta Religione truces et robora numinis instar Barbarici nostrae feriant impune bipennes.* Ac permulta idem excerpsit Christianorum scriptorum de lucis sacris testimonia. Cf. etiam Grimm G. D. Spr. p. 116 sq. et p. 783. Quid, quod interdum etiam singulae arbores dis sacratae erant: Caroli M. Capitul. Sax. 21. Canc. III. p. 68: *Si quis ad fontes aut arbores vel lucos votum fecerit aut aliquid more gentilium obtulerit, - - si nobilis fuerit, solidos LX. cet.* Hinc autem ortae sunt opiniones de superstitionibus Alamanorum et Francorum: de illis enim Agathias 1, 7. Ed. Bonn. p. 28: *δένδρα τε γάρ τινα ἱλάσκονται καὶ ῥεῖθρα ποταμῶν καὶ λόφους καὶ φάραγγας, καὶ τούτοις ὥσπερ ὅσια δρῶντες, ἵππους τε καὶ βόας καὶ ἄλλα ἄττα μυρία καρατομοῦντες ἐπιθειάζουσιν.* De his Gregor. Turon. 2, 10: *haec generatio fanaticis semper cultibus visa est obsequium praebuisse, nec prorsus agnovere deum, sibique silvarum atque aquarum, avium bestiarumque et aliorum quoque elementorum finxere formas, ipsasque ut deum colere eisque sacrificia delibare consueti.* (Gr. M. p. 89.) Hinc etiam factum, ut post Christiana sacra recepta in Gothlandia severe vetitum esset, ne quis coleret montes, lucos, asyla, loca saepta, gentilium numina, Guta-Lagh Ed. Schildener C. 4. §. 12: *nymant mak anbeden berg, hols, wike adir stafgharde oder der heyden Got.* Cfr. ibid. C. 2. p. 108. antiquam de Gothlandia narrationem, a Schildenero Germanice versam: *Vor dieser Zeit und noch lange nachher glaubten die Leute an Haine und an hohe Schutzorte und gehegte Plätze (hult oc a hauga wi ac stafgarda).* In Concilio Nannetensi Can. 20 memorantur *arbores daemonibus consecratae, quas vulgus colit et in tanta veneratione habet, ut nec ramum nec surculum inde audeat amputare.* Cfr. Canciani Legg. Vol. I. p. 120. Leges in Anglia conditas Vol. IV. p. 304: *Ethnicismus est, quod quis idola adoret, hoc est, quod quis adoret deos gentiles et Solem vel Lunam* (quae vv. imprimis notanda propter Caesaris vv. 6, 21: *Solem et Vulcanum et Lunam:) ignem* (Caesaris *Vulcanum*) *vel fluvium, torrentes vel saxa vel alicuius generis arborum ligna.* Adde quae Müllenhoff tradidit in Nordalbingische Studien I. p. 12 sqq. — *deorumque nominibus appellant*] id est, „singuli luci certis dis horum nominibus consecrati sunt“; ut *silva Herculi sacra* Ann. 2, 12., *lucum, quem Baduhennae vocant* A. 4, 73., *Nerthus castum nemus* Germ. 40. „Incolas autem horum nemorum deos sola mente venerantur, non oculis vident, ut nos simulacra in nostris templis dicata“. Cfr. Waitz *D. Verf.* I[2], p. 46. (Cfr. etiam illustrem locum de Iudaeorum religione Hist. 5, 5.)

10. *auspicia*] Severissimis ideo legibus post Christianam religionem receptam auspiciis interdictum est. Cfr. Liutprandi Legg. Lib. 6. § 30. OR. Grimm, M. 1181 sqq. Quarum rerum in auspiciis (*Vorzeichen*) Germani imprimis rationem habuerint, luculenter docet Müllenhoff, zur Runenlehre p. 27 et 28. — *sortesque*] De variis *sortium* generibus praeclare disseruerunt C. Müllenhoff, zur Runnenlehre pag 28 sqq., et Homeier iuris consultus doctissimus idemque suavissimus in Berichte der Berliner Akademie 1853, pag. 747 sqq., quorum uterque non solum sortitionis exemplorum largam copiam congessit, verum, quod non minoris faciendum est, docuit etiam quid inter eius genera interesset. Insigne exemplum praebet Procillus, captivus Romanus, a Caesare liberatus, B. G. 1, 53: *is se praesente de se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur; sortium beneficio se esse incolumem.* Memorabilis item est narratio Remberti in Vita S. Anscarii 27. Ed.

in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri. publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. nec ulli auspicio maior fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes: se

3. *equorum quoque* AB, *equorumque* C. — 5. *pressas* superscr. *o* B. — 6. *ac* AB: *et* C. 7. *sed* C, *sed etiam* Meginhard, om. AB.

Lambecii Hamb. 1706. p. 71: *populus Sueonum diutina caede* (a Danis patrata) *fatigatus coepit angustari. -- Igitur quaerendum sortibus statuerunt, utrum dii eorum eis vellent auxiliari. -- Missis itaque sortibus, neminem deorum, qui eis subsidio esse vellet, reperire potuerunt. -- Omnium itaque rogatu supplici rursus missa est sors, et inventum, quod Christus vellet eis auxiliari.* Et ex alia recensione apud Waitz *D. V.* I², p. 327: *Rex, congregatis primo principibus suis de hac patris nostri legatione cum eis tractare coepit. Qui sortibus quaerendum statuerunt, quae super hoc deorum esset voluntas. Et euntes igitur more ipsorum in campum miserunt sortes; ceciditque sors, quod dei voluntate Christiana religio ibi fundaretur.* — *ut qui maxime*] Hac de formula cf. Fleckeisenii ephem. 93, 486 sqq. — *s. consuetudo simplex*] Incertum est, utrum Tacitus dicat „*die* Gewohnheit“ an „es gibt *eine* G. c.“ — *frugiferae arbori*] Müllenhoff l. l. p. 28, qui collato c. 5 de piris, malis similibus arboribus hic non esse cogitandum recte existimat, sed *frugiferas arbores* (fruchtbar holz) in sortitione concessas sambucum, iuniperum, quercum, fagum dici arbitratur — *in surculos amputant*] M.: *zerlegten sie in stäbchen.* Eius generis surculus Gotis *tains*, Fris. *tên* (plur. in legg. Fris. XIV. *teni*) Germ. boreal. *teinn*, Anglosax. *tân*, Theot. *zein* (cf. nostrum *zeine* h. e. corbis virgis contexta). Cf. quae de *tenis* in sortitione usurpatis disseruerunt l. l. Müllenhoff et Homeier. Cum vocabulum, quod est *tains*, nihil aliud significare videatur nisi virgam vel eius partem, Got. *hlauts*, Theot. *hlôz*, Loos, et *kavel*, quod Homeier docta disquisitione satis probavit, notionem habent *virgae* vel *decisae* vel *incisae*. — *notis*] Jam si Müllenhoffii et Homeieri commentationes attentius perlegeris, non, opinor, dubites, quin *runae* quas dicunt sint intellegendae, quibus Germanos, si minus ad scribendum, at in uaticinando atque sortitione usos esse hodie satis constat. An qua alia ratione *interpretationi*, cuius noster mox mentionem facit, locus futurus fuit? Haec signa initialia gravissimorum vocabulorum in surculis incidebantur, quo facto ipsi quoque *discreti* fiebant. Cf. Müllenhoff l. c. 31 et Wackernagel, D. Litt. p. 12, quo loco vir doctissimus de verbis Germanicis *vrîtan*, scribere, *vrits* (littera), *riz*, *Riss* aliis luculenter egit. — *per candidam uestem*] Confert Müllenhoff p. 34 legis Islandicae, quae Grâgâs dicitur, locum, *hverr madr skal merkia hlut sinn oc bera alla saman î skaut*, h. e. suam quisque sortem signet ac conferant omnes in vestem. Alia eius rei exempla congessit Homeier. — *temere ac fortuito*] Est quasi formula etiam apud Ciceronem obvia de Off. 1, 29. Tusc. 1, 49 cet. Cf. Wölfflin, Phil. 26, 138. *Temere* proprie sine certo eius, qui agit, consilio (blindlings, sanscr. *tamas* n., tenebrae), *fortuito* de eo, quod casu aliquo aliunde oblato evenit. — *si publice consultetur*] haec vv. non de scrutanda voluntate deorum, sed de consilio quodam publice capiendo intellegi debent. Ritter. — Emendavit hunc locum Halm, qui pro futuro *consuletur* coniunctivum *consultetur* legendum esse vidit (Controv. Stellen in der Germania des T. p. 29 sq.) Cf. etiam Wölfflin, Philolog. XXVI. 162. — *sacerdos civitatis*] Apud Rudolfum Fuldensem *sacerdos populi* dicitur. Locos de Germanorum sacerdotibus collegit Grimm *M.* p. 78. Cfr. Sybel *D. K.* p. 67. Sacerdotes etiam feminas commemorat Eunapius in Maii Scriptt. vett. n. Coll. II. p. 277., ubi narrat de Tervingis (Gotorum natione) sub Valente in Romanum imperium receptis: *Φυλαὶ μὲν τῶν πολεμίων διεβεβήκεσαν ἄπειροι καὶ πλείους ἐπιδιέβαινον -- εἶχε δὲ ἑκάστη φυλὴ ἱερά τε οἴκοθεν τὰ πάτρια συνεφελκομένη, καὶ ἱερέας τούτων καὶ ἱερείας.* Sacerdotes autem clare a regibus distinguit ubique Tacitus, neque provocare debemus ad regem Gotorum Camosicum Iornandis 11., non minus, ut videtur, mythicum, quam Diceneum: *qui et rex illis et pontifex ob suam peritiam habebatur.* Etenim verissime docuit Sybel *D. K.* p. 55. nullo tempore *θεοκρατίαν* proprie dictam obtinuisse apud Germanos. Notatu dignum est Germanos post recepta sacra Christiana renuntiasse propriis vocabulis atque ex v. *πρεσβύτερος* formasse *Priester*, cum Gotis sacerdos esset *gudja*, Burgundionibus maximus sacerdos *sinisto*, natu maximus. Amm. Marc. 28, 5. Grimm *R. A.* p. 267. OR. — *pater familiae*] tamquam idem eius sacerdos. Cfr. Grimm *M.* p. 80. — *ter singulos tollit*] nihil aliud est, quam tres surculos tollit, non simul quidem, sed unum post alterum. OR. Eam interpretationem, quam Doederlein quoque proposuit, veram esse plane

enim ministros deorum, illos conscios putant. est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus exploratur. eius gentis cum qua bellum est captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt. victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur.

(11) De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud prin-

illos
1. *illos* C: *istos* B., *istos* A. — *consios putat* C. — *observatio* pr. B et AC, *opservatio* corr. B. — 2. *exploratur* A et corr. B: *explorātur* pr. B, *explorant* C.

evincit Müllenhoff l. l. Idem melius etiam quam Wackernagel nos docet, quomodo inde omen interpretando percipi potuerit. — *fides*] consensus cum sortium exitu, quo hae sancirentur. — *avium voces volatusque*] Inde, quae Müllenhoff z. R. p. 28 profert, Theot. *fogilrartód* h. e. avis vox et *hleodar* h. e. sonus, Anglos. *hleódhor* et Anglosax. *hleódhorcuidhe* significant *oraculum, auspicium*. Volatus autem quem dicit Tacitus praecipue intellegendus est certarum quarundam avium adventus, quem Germani *anganc* appellabant. Huc formula illa *heil scouwôn* pertinet. Cf. etiam Grimm Myth. p. 636 sqq., pag. 1079 sqq., G. D. Spr. p. 984. — *equorum*] Gr. M. p. 624. Eundem morem obtinuisse apud Luizicos sive Luiticos Venedos testatur Dithmarus Mers. Lib. 6. Ed. Wagn. p. 151: *equus, qui maximus inter alios habetur et ut sacer ab iis veneratur* (sic) - - -; *praemissis sortibus* - -, *per hunc quasi divinum augurantur*. — *p. a. iisdem* cet.] Vocabulum quod est *iisdem* ad cap. IX extremum referendum: iisdem nemoribus ac lucis, qui deorum sunt sacri. Cf. Ann. 13, 57, quo ex loco apparet Martis et Mercurii equos fuisse sacros. Plura affert Müllenhoff in libello de antiquissima Germanorum poesi chor. p. 8, unde efficiatur nobilissimo et summo cuique fere deo Germanorum equos fuisse sacratos, iure igitur suo quodam Tacito rem ita narrare licuisse, quasi in omnium deorum, quibus nemora erant dicata, templis alerentur. — *candidi*] prorsus ut apud Persas. Herod. 1, 189: τῶν τις ἱερῶν ἵππων τῶν λευκῶν. Cf. Livius V, 23: *maxime conspectus ipse est curru equis albis iuncto urbem invectus, parumque id non civile modo, sed humanum etiam visum est*, cet., et quae C. Ritter, Geographie von Asien 2, 144, 975, 1096 de populorum quorundam Asiae moribus affert et Grimm R. A. pag. 263 de Langobardorum carro. — *nullo mortali opere*] Tales res vel dies Gothlandii vocabant *verchhelgir, werkheilig*. Guta-Lagh 8, 1. OR. — *pressos sacro curru*] φράσις poëtica pro *currui subiunctos*, qua utitur praesertim Ovidius v. c. Met. 1, 124: *pressique iugo gemuere iuvenci*. 12, 77: *tum colla iugo candentia pressos Exhortatus equos, currus direxit in hostem*. Amor. 1, 2, 14. cet. Cfr. Markland. ad Stat. p. 19. disputantem contra I. Fr. Gronovii coni. *prensos*. — *vel princeps*] iis, opinor, in civitati[...]ibus, quae reges non habebant. Huebaldus in Vita S. [...]Lebuini apud Sybel. *D. K.* p. 51: *in Saxonum gente* [...]*aperat - - - neque terreni alicuius regis dignitas* [...] - -, *pro suo vero libitu, consilio quoque, ut sibi vid*[...]*ebatur, prudenti, singulis pagis principes* [...] *praeerant singuli*. Ceterum de hoc loco luculente [...]disseruit Müllenhoff l. l. p. 7: „Quod Tacitus de e[...]quorum praesagiis apud Germanos observatis refer[...]t, ita minime institui poterat, ut illi sacro currui in[...]gerentur eo consilio, ut tamdiu circumducere[...]tur, dum hinnirent aut fremerent, neque consili[...]um initum neque quicquam coeptum sit antea. Qu[...]id enim, si tacebant? Tacendo sane neque eq[...]ui malum neque ululae bonum unquam ediderun[...]t omen. Describitur igitur pompa aliqua, id quod unum restat, quomodo rem nobis informemus. Sumamus necesse est ipsis diebus festis, cum deorum sacra celebrarentur, sacros currus vectos, equis illis candidis deductos esse comitantibus eos pompamque ducentibus sacerdote ac rege vel principe civitatis ac subsequente plebis agmine. Jam vero ubi forte equorum fremitus et hinnitus audiebatur, ii faustissimum facere auspicium videri poterant, quod et nobilissimum et sanctissimum omnium non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes haberetur." — *apud proceres, apud sacerdotes*] Falso quidam ex hoc loco, quo pr. et s. iunguntur, coniecerunt pro certo, quod ceteroquin satis probabile est, hos ex nobilibus vel generosis esse delectos. — *est et alia*] De hoc oraculi sive ominis genere cfr. Rogge *Gerichtswesen der Germanen* p. 204. Grimm, *R. A.* p. 928. Differt sane hoc singulare certamen, mediae aetatis *duellum*, quod pro *praeiudicio (Vorentscheidung)* accipiebatur, ab *ordaliis (ordal* n. i. q. iudicium, Urteil) *Gottesurtheilen*, inter accusatorem et reum, etsi quaedam intercedit inter utraque similitudo. Ceterum a maioribus nostris *duellum* dicebatur *einwîc*, h. e. singulorum certamen.

11. *de maioribus*] intellege potissimum de bello aliis populis indicendo, de pace rursus componenda, de emigrationibus ab universo populo suscipiendis, de principibus creandis, poenis in eos constituendis, qui memorantur C. 12. — *principes*] De *principibus* Germanorum harum rerum periti homines in diversas abierunt sententias, quas omnes enumerare ac recensere longum est.

cipes pertractentur. coëunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut incohatur luna aut impletur: nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coëuntium absumitur. ut turba placuit, considunt armati. silentium per sacerdotes, quibus tum et coër-

1. *praetractentur* C. — 2. *inchoatur* B C. — 6. *turba* Gronovius: *turbae* A B C. — 7. *tum* A, *cum* C, *tamen* B.

Fuerunt hodieque sunt, qui satis acriter *principes* eosdem esse contendant, quos Tacitus alibi *nobiles* dicat verius, atque nostro ipso loco *nobilium consilium* significari existiment. Quibus vehementer repugnat non uno loco Waitz, vir clarissimus, velut in libro suo doctissimo, qui inscribitur *Deutsche Rechtsgeschichte*, I, in commentatione sua inserta in Allgemeine Monatschrift 1854 alibi; ipse eos hic *principes* dici existimat, qui in conciliis ex universis ingenuis sint electi, ut singulis civitatibus sive pagis praeessent. Koepke in libro supra citato pag. 13 sqq. *principes* a Tacito modo ampliore modo strictiore intellectu dici arbitratur, ut nostro loco principes nominentur non solum iudices electi, verum etiam generosi et qui de patria bene meruisse iudicati sint. Tantum constare videtur *principes* eos esse, qui summo civitatis sive gentis loco constituti sint, non omnes nobiles, sed qui ex nobilibus ut primum locum tenerent sint sumpti. *Plebis* autem vocabulo ei simpliciter significari videntur, qui non sunt principes, „die Masse.“ — *subitum*] veluti hostilis invasio inopina vel atrox aliquod facinus ilico vindicandum, ubi convocabantur, ut aiunt mediae aetatis scriptores, *invocatione armorum* sive *clamore armisono, wâfen ruofen*. Rogge *D. G.* p. 47. Grimm *R. A.* p. 876. — *certis diebus*] Non satis noster in hoc capite distinguit commune omnium popularium concilium a pagorum et vicorum conciliis. Posteriore tempore concilia maiora plerumque vel semel, vel bis, vel ter in anno fiebant. Grimm *R. A.* p. 821 sqq. De locis ad haec concilia sive comitia electis idem p. 793 sqq., de diei tempore, quo habebantur, p. 813 sqq. Eius generis concilium mediae aetatis scriptores appellant *mallum legitimum, êhaft ding*. J. Gr. *R. A.* p. 827. *Mallum* idem esse videtur, quod Gotorum *mathl*, contio, unde si J. Grimmium (D. Gr. I [3], p. 170) audias, Theotiscum oritur *mahal*, quod saepius legitur in carmine *Muspilli;* nec dubitandum, quin loca quoque, quibus habebantur concilia, nomen inde traxerint velut *Malberg*, *Detmold*, olim *Theotmalli* (Foerstemann, die D. Ortsnamen p. 95). De *machalo*, quod in Lege Salica tit. 16, 3 legitur et *horreum sine tecto* significare dicitur, cf. Müllenh. in l. S. a Waitzio edita, p. 289. Alia concilii nomina sunt *ding (tagading, vertheidigen)*, apud Anglosaxones *môt, gamôt*, Angl. *meet, meeting*.

Ceterum hoc loco Tacitus de eis popularium omnium conciliis loquitur, quae praeter cetera nomine comitiorum non indictorum *(ungeboten ding)* significantur. Grimm *R. A.* p. 821. — *luna*] Gr. *M.* p. 675: *Vermuthlich eigneten gewisse dinge sich für den neumond, andere für den vollmond, der neumond regte durch seine frische, der vollmond durch seine fülle an.* Liceat hic monere ipsa vocabula Sanscrita *mâs*, Graecorum *μήνη*, Germanorum *mân* nihil aliud significare nisi *mensorem*. — *noctium*] Vide Gr. *M.* p. 671. 714. Sic in Lege Salica T. 48: *inter decem noctes.* Tit. 76: *super septem noctes cum testibus eum* (antrustionem) *rogare debet, ut ante iudicem ad mallobergo debeat convenire; sic postea iterato ad noctes XIV.* cet. Specul. Sax. 1, 67: *Wen man beklagt über ungerichte, dem soll man tagedingen dreymal über 14 nachte.* Cf. Scherz gloss. 1102, Benecke-Müller, *Mittelh. Wörterbuch*, s. v. *naht.* „Huius rei monumentum restat in lingua Anglica, *sennight, fortnight (sevennights, fourteen nights)* dicente septem, quattuordecim dierum spatium.“ Duebn. Idem de Gallis tradit Caesar B. G. 6, 18. Cf. ibi interpretes. Linguae Sanscritae *niçāniçam* h. e. per noctes, adverbii quod est *semper* vice fungitur; in sermone Vedico *kshapas* h. e. *noctes* temporis significant spatia; *daçarātra-* (*rātri* nox) est decem dierum spatium. In libro sacro, qui dicitur *Avesta*, *noctibus* computantur tempora. Cf. Pictet, *les origines Indo-Européennes*, t. II, p. 588. — *nox ducere diem videtur*] cf. Pictet l. modo l., qui etiam Rigvedae locum quendam affert, quem hoc modo in linguam Francogallicam convertit: Au commencement était l'obscurité. Des ténèbres profondes enveloppaient tout comme un océan sans lumière. Sed dubito num inde Germanorum aliorumque populorum temporis computatio originem duxerit. — *sic constituunt, sic condicunt*] Est quasi formula iuris. Cincius apud Gell. 16, 4, 4: *status condictusve dies cum hoste.* „*So setzen sie fest, so beraumen sie an.* Gerlach. — *nec ut iussi*] suam libertatem in hoc quoque retinentes: „non quasi parentes imperio contionem indicentis, sed veluti commodo et arbitrio suo.“ Gron. — *ut turba placuit*] Sobald die Anzahl gross genug erscheint. Cf. Livius 39, 30: *ubi satis placuere vires*, h. e. satis magnae et idoneae visae sunt; 33, 31: *cum primum eis res suae*

cendi ius est, imperatur. mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutiunt: honoratissimum assensus genus est armis laudare. (12) licet apud concilium accusare

5. *consilium* C.

placuissent. Profecto fieri non potuit, ut initium quoque ipsum concilii, quod ex more Germanorum sanctum quoddam esset necesse erat, a plebe ex ipsius arbitrio fieret; quare librorum lectio *ut turbae placuit* reicienda videtur. — *considunt*] Grimm *R. A.* p. 763, p. 791. — *armati*] cf. c. 13; 22 cet., Grimm Gesch. d. D. Spr. 17. *R. A.* p. 287; 764; 771. Eo more interdictum est a Pipino, Italiae rege; Leges Langobard. tit. XLII: *Ut nullus ad mallum vel ad placitum intra patriam arma, i. e. scutum et lanceam portet.* Cf. etiam Grimm *R. A.* p. 764 et quae his contraria tradit ib. p. 288. De vetere in Jslandia more cf. Maurer, *Germ. Anz.* 1863, p. 432. In Helvetia quamdiu armati comitiis affuerint cives rerum nostrarum peritis enarrare supervacaneum est. Orelli: memini ipse in comitiis paganis mense Maio quotannis Waedensvilae (in vico ad lacum Turicensem sito) ante hos quinquaginta annos haberi solitis omnes viros honestiores gladiis accinctos fuisse. — *silentium*] Gr. *R. A.* p. 751. Wilda, *Strafrecht d. G.* p. 233 sq. Est quod per mediam aetatem vocabant *d. Gerichtsbann*, quo de vocabulo cf. Grimm in thes. l. Th. s. v. *bann.* — *tum*] „dum contio habetur neque vero extra eam“: id quod hoc manifesto significat. — *coërcendi*] turbidos ac seditiosos puniendo in ordinem cogendi. — *prout aetas* cet.] Aetatem h. l. proprio suo sensu esse intellegendam nec de Anglosaxonum *caldermano* (Schmid, *Ges. der Angels.* p. 560) nec de *senioribus* medii aevi (Grimm, *R. A.* 268) esse cogitandum luce clarius docere videntur vv. *prout nobilitas* cet. Nec satis apte conferas Claudian. Bell. Get. 479. de Alarico: *primosque suorum Consultare iubet bellis annisque verendos. Crinigeri sedere patres, pellita Getarum curia.* Ceterum *Halm* (c. St. p. 10 sq.) nobis quoque nunc probavit haec vv. *prout-est* ad vv. *rex vel princeps* referenda esse neque eis homines ex populo praeter regem et principes significari, quod Köpke l. l. p. 9, ubi Watterichii sententiam refellere studet, audacter docet. — *frameas concutiunt*] cf. Ovid. Metam. II, 465. *concussa manu signum dare*; Sen. quaest. nat. 2, 28, 1: *utrum carae manus concutiantur* cet.: h. l. „sic schlagen die Speere aneinander“. Hist. 5, 17: *ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta* (Civilis) cet. Cfr. Gr. *R. A.* p. 244: *waffengeräusch, händeschlagen und lauter zuruf war zeichen des beifalls der menge*, „clamor validus, voces in caelum levatae“ (apud historicos mediae aetatis). — *armis laudare*] argute dictum; alius facile addidisset: „quippe quae sint ingenuorum summa ornamenta ac praecipua decora.“

12. *licet*] Cfr. Waitz *D. V.* 1², p. 332 n. 2. Sed in verbo *licet* hoc quoque inesse posse videtur, nonnisi apud commune omnium concilium *accusare et discrimen capitis intendere* licuisse. Ceterum de toto hoc loco Wilda, *D. Strafr.* p. 158 sqq., 498. — *distinctio poenarum*] Wilda l. l. p. 196: Wir dürfen, da Tacitus nur den Satz erläutern will, *distinctio poenarum ex delicto*, was er mittheilt, wohl nur als beispielsweise Anführung betrachten. — *proditores*] Rotharis Legg. 4: *Si quis inimicum publicum infra provinciam* (id est, regnum) *invitaverit aut introduxerit, mortis incurrat periculum.* Lex Alamann. 25: *aut vitam perdat aut in exilium eat, ubi dux miserit, et res eius infiscentur in publico.* Ceterum cf. Wilda, *Strafr. der G.* p. 985. — *transfugas*] Rotharis Legg. § 3: *Si quis foris provinciam fugere tentaverit, mortis incurrat periculum.* Caroli M. Legg. § 81: *Qui heriliz fecerit, vitae periculum incurrat. (heriliz,* corruptum ex *harisliz, herisliz).* — *suspendunt*] Cfr. Gr. *R. A.* p. 682 et 745. *Arbores*, ex quibus capite damnatos suspendebant, appellabant maiores nostri *wîzipouma* h. e. supplicii arbores. Ceterum J. Grimm alii recte addunt has poenas pro sacrificiis fuisse. — *imbelles*] qui militiam detrectarunt, *die mit dem Heerbann nicht ausgezogen waren.* Hi apud Wisigothos (Legg. L. 9, 2, 8) *redigebantur protinus ad conditionem infimae servitutis;* et mox § 9: *qui de expeditione publica quocunque fraudis commento effugiendo se subtraxerint, non solum ducentenis ictibus flagellorum verberati, sed et turpi decalvatione foedati, singulas insuper libras auri cogantur exsolvere.* Graviore etiam poena dignos iudicavit Lotharius imperator Legg. § 71: *Quicunque liber homo a comite suo fuerit admonitus ad patriam defendendam et ire neglexerit, et exercitus supervenerit ad istius regni vastationem – –, capitali subiaceat sententiae.* OR. Wilda, *Strafr. der G.* 154, ampliore intellectu esse haec verba probare studet, ut *ignavi et imbelles* non solum ei intellegantur, qui expeditioni se subtraxerint, vel inter pugnandum aufugerint, sed illi omnes, qui scelus aliquod clam aut dolo malo commiserint. Sed cf. Bonerii fab. 82, 27: *man sprichet, wer von vorhten stirbt, das der im selber das erwirbt, das man in sol in mel begraben* cet., et Fischart: *Denn welcher stirbet gleich vor*

quoque et discrimen capitis intendere. distinctio poenarum ex delicto. proditores et transfugas arboribus suspendunt; ignavos et imbelles et corpore infames caeno ac palude iniecta insuper crate mergunt. diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. sed et levioribus delictis pro modo poena:

3. *caeno,* optimi alibi libri; *ceno* AC, *coeno* B. — 5. *flagicia* A. — *supplicia abscondi* B. In mg. *flagitia.* — *poena* Acidalius: *poenarum* ABC.

schrecken, den sol man mit kukac bedecken. De horum vocabulorum apud Tacitum usu cf. etiam Wölfflin, Phil. 26, 113 et 138. — *corpore infames*] Ex ipsius Taciti consuetudine Ann. 1, 73: *mimum corpore infamem* alii intellegi nequeunt nisi pathici, qui corpore suo quaestum faciebant. Capitular. VII. 356. Ed. Walter II, 750: *qui cum masculis concubuerunt. Quisquis autem (id) — egerit, aut capite puniatur, aut, si ei vita concessa fuerit — paenitentiam veraciter agat.* Atque imprimis huc pertinet L. Wisigotor. 3, 5. Ed. Walther I, 487: *Masculorum concubitores vel ii, qui talia consentientes pertulerint, ista sunt legis huius sententia feriendi, ut – – iudex utrosque continuo castrare procuret* cet. Adde Tit. 7 et cfr. Leges in Anglia conditas Ed. Canc. IV. p. 280. (Sed his de locis cfr. Wilda, *Strafr.* p. 858, qui recte, opinor, eos quoque ad superiora tempora illustranda pertinere negat. S.) Atque eos qui corpore quaestum fecerant, deorum leges violasse Germanis visos esse verisimile est. Waitz, *D. V.* I², 396. n. 1. quidem huc refert Hist. 4, 14: *Impubes, sed forma conspicui* (Batavi a Romanis in dilectibus habendis) *ad stuprum trahebantur,* quasi hos quoque muliebria vel invitos passos supplicio affecissent. Verum Taciti tempore dilectus in Germania a Romanis haberi non iam poterant. Igitur qui inter ipsos nefandae libidinis convicti essent, ita punitos esse dicit. Ac facile fieri poterat, ut qui Romae inter principum custodes meruerant, eo vitio semel imbuti, ei etiam in patriam reversi indulgere pergerent. Ceterum de toto hoc loco cf. Wilda, *Strafr.* p. 153 sqq. — *caeno*] Qua poena etiam feminae muliebris decoris causa afficiebantur. Cf. Wilda, *Strafr.* p. 506 et quae J. Grimm, *R. A.* 695 affert ex Herb. de bello Troiano carmine: *Jch wil, daz Pentesileam frezzen die hunde, oder in einen fûlen grund werde gesenket als ein hund.* Legg. Athlst. IV, 6, 94 (Schmid, *Ges. d. Angels.* 2, p. 151): *Si libera mulier sit* (furti convicta) *praecipitetur de clivo, vel submergatur. Gudhrûnaqu.* 3, str. 11 (Lüning, Edda, p. 432). Simrock locum (p. 240) hoc modo vertit: *Nie sah Klägliches, wer nicht gesehen hat, wie da Herkias Hände verbrannten, sie führten die Maid zum faulenden Sumpf* (*î myri fûla*): *so ward der Gudrun vergolten der Harm.* — *pro modo poena*] Hanc Acidalii emendationem Codd. *poenarum* unice veram esse docuit Gerlachius p. 109. Quod T. de leviorum delictorum pro modo poena tradit, omnibus omnium Germanorum posteriorum legibus optime illustratur, quae in singula delicta certas singulas poenas constituerint. *Poenae* vocabulo h. l. non perperam usum esse nostrum docet Wilda, *Strafr.* p. 318. Est Anglosax. *vîte,* Theot. *wîzi.* — *pars multae*] Num recte Mommsen v. cl. *Unterit. Diall.* p. 280 hoc vocabulum ex adiectivo quod est *multus* ductum censeat, valde dubitaverim. Sed hoc constat eius vocabuli sententiam satis bene vocabulo Theot. quod est *buoza* exprimi. Nostro loco *multae* nomine et *compositionem* et *fredum* quem dicunt simul contineri satis apparet. Cf. Grimm, *R. A.* p. 648, Wilda, *Strafr.* p. 439, Schmid, *Ges. der A.* s. v. *vîte.* Partes multae in rebus furtivis solvendae etiam accuratius distinguit lex Sal., tit. II cet. Quid sit saepius illic memorata *delatura* sive *dilatura, wirdhria,* J. Grimm egregie docet in praefatione, quam addidit editioni Merkel., p. LXXXV sq. — *vel civitati*] quae non *regnatur* (C. 43), regem non habet. (Waitz *D. V.* I², p. 306.) Aliter Sybel *D. K.* p. 139 de h. l. disputat. Sed nescio an haud recte tam accurate inter eas civitates, quibus praeerat rex easque quibus praeerant principes, distinguas. — *vel propinquis*] velut ubi multa propter homicidium imponitur vel qui vindicatur, alio modo mortuus est. — *principes, qui iura*] Hos principes (*Hundertfürsten, Hundertrichter* eos cum Sybelio vocaveris), qui iudiciis praeerant de omnis generis controversiis, etiam de delictis, praeter ea, de quibus concilium universum (init. huius cap.) iudicabat, distinguendos esse a principibus c. 13 memoratis cum aliis censet Köpke l. l., cum Waitz etiamnunc eosdem esse acriter contendat. Nullo vero pacto cum Savignyo ita explicari posse hunc locum, ut dicat Tacitus *ex* principibus sive nobilibus electos esse, qui iura per v. redderent, iam inde apparet, quod noster indicativo *reddunt* usus est. Recte vertas: *sie wählen in der V. auch die Ersten, die Praesidierenden, welche — Recht ertheilen. Centeni* autem *comites* haudquaquam prorsus eidem sunt intellegendi *comites,* de quibus T. modo locuturus est. Videntur h. l. Waitzio, cui omnes fere iuris Germanici consulti hac in re assentiuntur, cives esse pagi sive *centuriae* (der Hundertschaft), quos nomine Theotiso *Beisitzer* dici liceat. Sed iam supra *pagis* decies centenas familias sive domos contineri certis argumentis coniecimus; quod si recte coniecimus, ex singulis gentibus singuli comites, qui ius dicerent, sumebantur. Idem in

equorum pecorumque numero convicti multantur. pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exolvitur.

Eliguntur in iisdem conciliis et principes, qui iura per pagos vicosque reddunt. centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, assunt. (13) nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos

1. *mulctantur* B, *mulctae* A B C. — 2. *ipsis* pr. B. — *vindicatur* C: *vindicarit* (*tur* superscr.) B, *vindicarit* A. — 3. *pnceps* litteris *pn* et *e* superscr. *ι*, *ι* B. — 5. *adest adsunt* A. — 6. *armate* pr. C. — 7. *tum* C, *cum* (*tum* superscr.) B, *cum* A. — 8. *propinqui* A B: *propinquus* factum ex *propinqui* primae manūs C.

scholis suis docere Müllenhoff dicitur. — *consilium simul et auctoritas*] Praeclare de hoc loco disseruit Bethmann-Hollweg in libello suo, qui inscribitur *die Germanen vor der Völkerwanderung* p. 47. *Sie ertheilen ihm ihren Rath, geben also ihre rechtliche Meinung ab, die aber ein höheres für ihn bindendes Ansehen hatte. Auch diese ganz aus der Natur der Sache hervorgehende Vertheilung der Richterfunctionen ist überall bei den Germanen dieselbe geblieben, wo nicht individuelle Gründe eine Modifikation veranlassten. Aus der Gemeinde kommt das Zeugniss über das in ihr lebende Recht, die richterliche Obrigkeit hat nur die Verhandlung zu leiten und das Urtheil zu vollstrecken.* Non igitur in Germania ipsi principes iura reddunt, sed iudiciis praesunt eorumque decreta exequenda curant.

13. *armati*] Gr. *R. A.* p. 287. — *probaverit*] „tacito consensu iam idoneum agnoverit;“ verbum militare apud Romanos de iis, qui dilectu acto ad sacramentum admisissent aliquem. Gronov. Obss. p. 322. Fr. Hos autem Cassiodorus Var. 1, 38 vocat *iuvenes nostros, qui ad exercitum probantur idonei.* De *probatoriis* cf. Forcellini s. v. Sed hoc loco vix de probatione militari Romanorum cogitari licet, atque rectius interpretari videtur Nipperdey ad Ann. I, 58: billigen, addens, breviter hoc dictum esse pro *opinionem probare.* Draeger, S. u. St. des T p. 88: *iudicaverit et probaverit.* Cfr. omnino Waitz *D. V.* I³, p. 31, 257, maxime p. 328 cet. Gr. *R. A.* p. 415, 462; F. Walter, *D. Rechtsgesch.* II, p. 162; Kraut, *Vormundschaft;* Schmid, *Ges. d. A.* p. 633 sqq., qui consulendi de filiorum emancipationis ex *mundio (munt*, manus, potestas) patris tempore ac ratione. — *scuto frameaque*] mediam per aetatem in horum locum gladius successit. Vide Nibelung. 27—42; 596: *Vil degen swert dâ nâmen, sechs hundert oder baz, den künigen ze êren.* Ceterům distinguendus hic mos arma sumendi a comitatus instituto, de quo mox. Ille ab omnibus tenebatur, qui ad pugnandum idonei erant inventi; hoc ad eos dumtaxat pertinebat, qui artiore necessitudine cum principe aliquo inita ad hunc se applicaverant. — *domus pars*] filii familias tantummodo, quibus varia ministeria domestica iniungebantur. C. 25. — *aut magna patrum merita*] Nonnulli haec verba pro mera praecedentium epexegesi habuerunt, quod num recte fecerint equidem dubitaverim. Praestare mihi videtur cum Orellio haec verba ita explicare, ut si qui, ceterum minus nobiles, magna merita in bellis praesertim sibi acquisissent, eandem dignitatem nancisci potuisse statuamus qua erant homines insigni nobilitate ornati. Praeter nobilitatem, quae insigni genere nitebatur nobilitatem sive dignitatem in civitate summam magnis de rege vel de principe vel de civitate meritis quoque interdum paratam esse cur negemus nihil causae est. Cf. W. Scherer, *Zeitschrift f. d. ö. G.* 1869, p. 108. — *principis dignitatem*] De huius loci difficillimi sententia vix unquam fiet ut omnes inter se consentiant. Jam primum plerique interpretes spreta meliorum librorum A B lectione, quae est *dignitatem*, deteriorum lectionem, quae est *dignationem*, probant; sed de huius ipsius lectionis sententia valde inter se dissentiunt. Primus, quod sciam, Orelli activo quem dicunt intellectu accepit, eique praecipue adstipulantur multi eorum; qui in jure Germanico docendo versantur: cf. Waitz, *D. R.* I³, p. 264. Interpretantur igitur vocabulis Theotiscis *Würdigung, Beachtung, Anerkennung von Seite eines Obern.* Sed ut concedamus veram esse *dignationem* lectionem, multa tamen obstant ne activam illam eius vocabuli sententiam h. l. esse statuamus. quae exponere supersedemus, cum luculenter iam exposuerit Halm c. St. p. 2 sqq. Aliis *principis dignitas* est *principis status, Würde, Stellung eines Obern, eines Häuptlings.* et inde ab his verbis Tacitum de comitatu loqui incipere putant. Sed etiam hac de re certant, utrum statuere nobis liceat praeter *reges* vel *principes civitatis iudiciorumve principes comitatus* fuisse, an nemini nisi illis fuerit concessum *comites* asciscere. Maxime consentaneum est pri-

toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignitatem etiam adulescentulis assignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur. nec rubor inter comites aspici. gradus quin etiam ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur; magnaque et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerrimi comites. haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuvenum globo circumdari; in pace decus, in bello praesidium. nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetun-

3. *digtatem* (with *i* written above) A B, *dignationem* C. — 3. *ceteris* A B C, *ceteri* Lipsius. — 4. *etiam* A B, *ē* deletum C. — 7. *hec vires* (with *c* written below) pr. B.

mum reges et principes civitatis comitibus sese circumdare esse solitos; sed quid causae sit, cur prorsus negemus paucis illis quidem adulescentibus nobilibus, qui civitatis principatum nondum erant adepti nec unquam fortasse erant adepturi, comites sumere licuisse non video. Beovulfus quoque, quamquam rex non erat, comitibus princeps praefuit. Scherer l. l. 101. Ac *principes* eius generis homines eadem ratione appellari poterant qua Romae *principes iuventutis*. Jam sunt eique viri doctissimi, qui, cum vv. *ceteris robustioribus* cet. recte se habere putent, verba *principis dignitatem* cet. ita interpretentur, ut adulescentuli illi non continuo principes fiant vel fieri possint, sed eis aliquando ut fiant postulare liceat, *Anspruch auf die Würde eines princeps*. Cf. Halm, controv. st., Scherer, l. l. 103. Ribbeck, Rhein. Mus. 22, 158. Scherer Taciti locum hoc modo in vernaculam linguam convertit: *ausgezeichneter Adel oder grosse Verdienste der Väter sichern auch ganz jungen Leuten die Würde eines princeps zu, einstweilen schliessen sie sich den andern ältern und schon bewährten principes an und werden ihre Gefolgsleute, was durchaus keine Erniedrigung ist.* At Ribbeck, Rudolphi alii haec ita intellegi non posse existimarunt nisi vocabulo aliquo addito, quo ratio inter has enuntiationes intercedens indicaretur; *interim* igitur postea in *ceteris* corruptum Ribbeck, *ceterum* pro *ceteris* legendum Rudolphi coniecerunt. *Ceteri* vero pro *ceteris* ésse legendum Lipsius statuit, cumque multi et doctissimi viri, velut Haupt, secuti sunt, ut *ceteri* illi dicerentur, quorum non erat *insignis nobilitas, neque magna patrum merita*. Sed *ceteros* eos tantum se dicere, qui *comitibus* aggregantur, Tacitus nullo modo significat vixque licet supplere *comitibus*, de quibus adhuc prorsus nulla mentio sit facta, *ceteros* vero omnes Germanos adulescentulos intellegi plane absurdum est. Richter Portensis in Mus. Rh. 24, p. 229 sq. vv. *insignis n.* — *assignant* a Tacito post v. *assunt* (in extremo c. 12) collocata fuisse statuit, ibi a librario, cuius oculi *assignant* vocabulo in errorem essent inducti, omissa signo, quod sensim evanuisset, addito post *rei publicae* v. inserta esse, quae sententia jam ideo minus probanda videtur, quod haud satis apte Tacitus vv. *centenis comitibus* demum illa adiecisset. Nos librorum lectionem tuendam rati interpretamur: *Qui etiamtum adulescentuli ipsi principis dignitatem acceperunt, ceteris principibus (uni ex ceteris pr.)* cet. *a*. *Ceteris* autem, non *aliis* T. scripsit, ut certum quendam ordinem significaret. *Ceteris* cum viro quodam docto ita explicare ut sit *quam ceteri sunt* haudquaquam opus esse videtur. — *nec rubor*] poetarum ritu hoc vocabulo Tacitus pro *dedecore* usus est. — *inter comites*] *comitis* vocabulo accurate respondent Gotorum *gasintha, gasinthja*, Theot. *gisindo*. De aliis comitum nominibus Germanicis cf. Scherer l. l., Grimm, G. D. S. 131 sq., Schmid, *Ges. d. A.* s. vv. *gesidh* et *thegen*. Ceterum comitatus Germanorum, quem sequi ne nobilibus quidem, quod satis ex Beovulfo apparet, dedecori erat, similia instituta apud alias quoque gentes reperiuntur. Cf. Grimm G. D. S. 131 sq. Merkel *de republica Alamanorum* p. 28 sq. — *gradus quin e.*] Primi gradus illi esse videntur, quos Anglosaxones *eaxelgestallan* dicunt. Maurer *(krit. Ueberschau* II, 404) nomina Anglosaxonum quae sunt *thegn* et *gesidh* ita inter se differre dicit, ut prius eum significet, qui singulari aliquo munere apud principem suum fungatur, velut is, qui Theotisce *truhsâzo* i. e. *truhtsâzo* appellabatur, quod nomen a Schadio aliis recte compositum esse dicitur ex substantivis *truht*, caterva, comitatus, et *sâzo*. In carmine Anglos. de Beovulfo alibi *dugudh* et *geogodh* (adulescentuli) inter se opponuntur. Cf. Grein et Heine s. v. v. — *plurimi et a. c.*] Numerum comitum non admodum fuisse magnum satis hodie constat. Praeter Waitzium *D. V.* 1^2, p. 360 alios cf. Scherer, l. l. p. 107. — *haec dignitas* cet.] Meo ex sensu languet distinctio Cod. Periz. et Sellingii: immo sunt membra παράλληλα duo; *decus* respondet *dignitati*,

tur enim legationibus et muneribus ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant. (14) cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare, iam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem principi suo ex acie recessisse. illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare praecipuum sacramentum est. principes pro victoria pugnant, comites pro principe. si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt,

3. *equare* C. — *viro* B. — 5. *eius* om. B. — 6. *peipuum* B. — 2. *clarescant* C.

praesidium viribus, atque eadem sententia bis exponitur, ut in instituto Romanis prorsus insolito lector aliquantum immoretur. — *magno - - globo circumdari*] In Nibelung. Str. 1282 de Attila Chriemhildae obviam eunte: *Vor Etzelen dem künige ein ingesindè reit frô und vil rîche, hübsch unde gemeit; wol vier und zweinzec fursten rîche und hêr.* — *expetuntur enim cet.*] Cf. quae ad hunc locum illustrandum ex Beovulfo affert Scherer l. l. 102, n. 4. Ceterum *plerumque* h. l. est *haud raro.*

14. *turpe principi*] Nibelung. Str. 1957 „*Ez saeme,*“ *sô sprach Hagne,* „*vil wol volkes trôst, daz die hêrren vaehten ze aller vorderôst, alsô der mînen hêrren hie islicher tuot; die howent durch die helme, daz nâch den swerten fliuzet bluot.*“ — *iam vero infame*] De comitum in principes fide cf. Loebell., *Greg. Tur.* p. 511 sqq. Hüppe, *adn. ad Taciti Germaniam* (Coesfeld 1853) p. 18 sqq., qui praeclaros locos citat ex Heliando v. 143 sqq. et ex Beovulfo v. 5763 sqq. Adde, quae accuratius hac de re disseruit Scherer l. l. p. 106. — *defendere, tueri*] Amm. Marc. 16, 12: *Chnodomarii* (regis Alamanorum) *comites numero ducenti et tres amici iunctissimi flagitium arbitrati post regem vivere vel pro rege non mori, si tulerit casus, tradidere se vinciendos*, cum ille se dedidisset Iuliano. Nibelung. Str. 2168: *iu* (Chriemhilt) *hât uns an den ende gedienet Ruedigêr der helt.* — *gloriae eius assignare*] Nibelung. Str. 1735: *Er* (Hagen) *und der von Spâne trâten manegen stic, dô si hie bi Etzel vâhten manegen wîc se êren dem künige; des ist vil geschehen.* — *praecipuum sacramentum*] *war das Wesentlichste in ihrem Eide*, „hoc potissimum modo fidei satisfaciunt, qua se erga principem suum sacramento obstrinxerunt.“ Monendum erat ob falsissimam lect. *principum sacramentum* Vb. F. Vind. Spir., quam defendi posse opinatus est Ernestius Hist. 1, 76: *sacramentum Othonis.* 2, 55: *sacramentum Vitellii.* Summum comitum erga principem suum obsequium ita exprimitur in *Waltharii manu fortis* v. 632: *Tunc heros* (Hagano) *magnam iuste conceperat iram, Si tamen in dominum licitum est irascier ullum.* Principem etiam in exsilium comitabantur; Beda Hist. Eccl. 3, 1: *Filii regis Edelfridi cum magna nobilium iuventute apud Scotos exsulabant.* De mutuis principum et comitum officiis cfr. Canuti M. Legg. castr. Tit. 74 apud Langebek Scr. rer. Danic. III. p. 160: *Ut rex aliique summae dignitatis viri, qui aulicum commilitium haberent, hominibus suis benevoli atque affabiles essent iusteque in causis eorum ius dicerent; ii autem e contra dominis suis fidelitatem et servitium praestarent iussisque eorum omnibus obtemperarent.* Sic Francorum *antrustiones* qui dicuntur *trustem* et *fidelitatem* (quae duo vocabula eadem fere notione esse videntur) *conjurare* solebant. Form. Marc. 1, 18. Waitz *D. V.* 1², 270. — *plerique nobilium adulescentium*] Locus hic rursus variis interpretationibus vexatus (cfr. Sybel *D. K.* p. 86, Waitz *D. V.* 1², p. 263) egregie illustratur ex Nibelung. Str. 22 de Sifrido complures expeditiones bellicas vivo etiamtum patre suscipiente: *er versuochte vil der rîche durch ellenthaften muot; durch sînes lîbes sterke reit er in menegiu lant.* Itaque per *nobiles adulescentes* intellege praecipue regum filios, qui, cum torpidam pacem fastidiant, gloriae cupiditate accensi ultro in aliena bella proficiscuntur una cum voluntariis ex regis vel principis comitatu. ORELLI. Nuper de hoc loco accurate disseruit Halm *controv. Stellen* p. 6 sqq., qui tamen haud recte ad solos comites eum pertinere nobis videtur statuisse. Nos, quod iam Orelli significavit, hoc Tacitum dicere censemus, satis multos ex nobilibus adulescentulis, quibus praeerat princeps aliquis eius generis, qui ipsi domi erant superioris gradus comites, ultro alias saepe petisse nationes cet. Cf. Scherer l. l. p. 102. — De vocabulo, quod est *clarescere* cf. Wölfflin, Philol. 25, 112. — *tuentur*] h. e. ei qui comites alunt. Haud necesse videtur cum Halmio ad solos comites nobiles hoc ita referre, ut hi ipsi sibi parent, unde, cum principes aliquando facti sint, comitatum sustineant. Sed recte Halm l. l. de variante subjecto quod dicunt, quod in his se excipientibus enuntiatis statuere debemus, disseruit. „Adulescentibus in aliorum populorum bella profectis levantur principis expensae in comites, quos per inertem pacem alere ac sustentare difficile est. In bello vero in praemiorum locum

magnumque comitatum nonnisi vi belloque tuentur. exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. nam epulae et, quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia munificentiae per bella et raptus. nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri. pigrum quin immo et iners videtur sudore acquirere quod possis sanguine parare.

(15) Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque, fortissimus quisque ac bellico-

1. *tueare* C. — 5. *expectare* B. — 6. *imo* ABC.

continuo exigunt modo equum, modo frameam;" quae quidem munera post nova comitum egregia facinora rursus exhibenda fuisse consentaneum est. Verum, si nec praemia donari nec largae epulae (stipendiorum apud Romanos loco) praeberi possunt, comites paullatim dilabuntur atque evanescit illud *in pace decus, in bello praesidium.* — *princip. sui liberalitate*] liberalitas larga apud Germanos veteres, quod satis nobis ostendunt poetae, virtus est praeclara: dicebatur Theotisce *miltî.* Cf. Grimm thes. Theot. s. v. *arg.* — *illum bellatorem equum* cet.] Pronomen demonstr. hanc habet vim, ut sit: „equum bellatorem tantopere cupitum et pro quo praemio a principe suo obtinendo audacter quaecunque pericula subeunt." Huiuscemodi autem dona memorat Fredegarii continuator ad a. 764: *Remistanus ad regem veniens sacramenta multa et fidem regi Pippino promisit, ut semper fidelis tam praedicto regi quam et filiis suis esse deberet. Rex vero in suam ditionem eum recepit et multa munera auri et argenti et pretiosa vestimenta, equos et arma largiendo eum ditavit.* Cf. Beovulf v. 1033 sqq. quos Ettmüller hoc modo in linguam nostram convertit: *Er gab Beowulfe den brand Halfdenes, ein gülden kampfbanner zum kämpenlone (ein zeichen der schlacht mit zierem griffe) helm und brünne. Das here kampfschwert, das reich geschmückte, die recken sahen dem biedern bringen.* Adde v. 20 sqq., v. 80 sqq., 264 sqq., 287 sqq. Nibelung. Str. 1943. Hagano de Volkero, Guntharii comite: *Volkêr ist dir holt; er dient willeclichen dîn silber und dîn gold.* ORELLI. Crebra fuisse equorum armorumque vel vestium dona Germanorum poetae saepissime docent, atque adeo Gotorum *maithms*, donum, idem vocabulum plerique esse iudicant atque Theotiscorum *meidem, meiden*, equum. Cf. quae his de rebus docte ac suaviter, ut solet, disseruit J. Grimm in commentatione sua academica (1848) *schenken und geben*, p. 8. Cf. etiam Wackernagel Z. D. A. 9, 545: *rosse also wie waffen waren ein geschenk der milde und ehrerbietung.* Verba autem *cruentam victricemque* nescio quid habent poetici. Ut liberis olim nomen inditum est, cuius vim rebus gestis ratam facerent, sic comites frameam exigunt, quam cruentam ac victricem fore confidunt. — *nam epulae* cet.] *Nam* epulae solita merces est comitum. *Ἓν διὰ δυοῖν epulae et apparatus* refert dicendi genus Taciteum pro vulgari *epularum apparatus.* Cic. Orat. 25. Largi illi apparatus saepe describuntur, velut in Beovulfo 483 sqq., 620 sqq., 1025 sqq., in Nibelungiade Str. 369: *Si fuorten rîche spîse, dar zuo guoten wîn.* Itaque etiam *gimazun* (a nom. *gimazo*), convivae, dicebantur comites. — *annum*] proventum anni, ut haud raro poëtae. Lucan. 3, 452: *Agricolae raptis annum flevere iuvencis.* Stat. Silv. 4, 2, 22. *Pharium annum* pro Aegypti proventu annuo. Agricola, c. 31. — *vocare*] ut A. 6, 34: *Orodem - - vocare ad pugnam* pro solito *provocare.* — *vulnera mereri*] ut honorifica fortitudinis testimonia. Cfr. C. 7 extr. — *sudore - sanguine*] Hac de allitteratione quam dicunt cf. Wölfflin, Philolog. 26, 100.

15. *non multum venatibus*] Contraria cum videantur Caesaris testimonia B. G. 6, 21: *Vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consumitur.* 4, 1: de Suebis: *multum sunt in venationibus*, Lipsius delendam suasit negationem, non tamen delevit ipse, uti fecere Oberlinus aliique. Sane huic audacissimae coniecturae faventia afferre poterant multa, quae posterioris sunt temporis, velut Hilpericum, qui dicitur, v. 148. Ed. Orell. p. 27: *Etenim nemora inter opaca Hic pater adsidue Karolus, venerabilis heros, Exercere solet gratos per gramina ludos Atque agitare feras canibus tremulisque sagittis Sternere cornigeram nigraque sub arbore turbam;* Caroli Calvi et Haraldi Danorum regis venationem in Rheni insula delectationis causa celebratam fuse descriptam ab Ernoldo Nigellio in Carmine elegiaco in honorem Hludovici Caes. Aug. Lib. IV. apud Murat. Scriptt. rer. Ital. T. II. P. II.; item ex poetis Germanicis, velut Rigsmâl 29 cet. (Lüning p. 240 sqq.), Nibelung. Str. 854: *Nu wir der herverte ledec worden sin, sô wil ich jagen rîten bern unde swîn hin ze dem Waskem walde, als ich vil dicke hân.* Verum magnis huiuscemodi venationibus a multis una susceptis tantum per unum alterumve diem vacare po-

sissimus nihil agens, delegata domus et penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia: ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit.

2. *hebent* AC: *habent* B. — *mira diversitate* utrique voc. superscr. ab al. m. *m.* B. — 5. *etiam* AB: *et* C.

terant, ut per se apparet; itaque tempus multo maius, ubi bellum non esset, quieti dabatur. Atque recte Gerlach docuit Tacitum Caesari contradicere minime voluisse: hunc rationem afferre, qua *labori ac duritiae studentes vires nervosque confirmare conentur*, illum non sine arte quadam rhetorica significare, etsi interdum venationes suscipiant, tamen plus etiam indulgere otio, somno ciboque, quam laetam maiorum nostrorum vitam saepe describunt mediae aetatis poëtae, velut Hilpericus ille v. 526: *Ad mensas resident laeti variisque fruuntur Deliciis; medio celebrant convivia tecto: Aurea namque tument per mensas vasa Falerno. Rex Karolus simul et summus Leo praesul in orbe Vescitur atque bibunt pateris spumantia vina.* Nibelung. Str. 1407. Rumoltus, culinae praefectus, Gunthario hoc consilium praebet: *Ir sult mit guoten kleidern zieren wol den lîp; trinket wîn den besten und minnet waetlichiu wîp;* et, qui omnia complectitur locus Str. 268: *si vröuten sich der maere gên der hôchgezîte tagen, Wie si leben solden, dâ ze der wirtschaft. wünne âne mâze mit vröuden überkraft* cet. De feriis, quae Taciti tempore erant in Germania, cf. Caes. de B. G. 6, 26, Plin. N. H. 11, 37 et locorum nomina, qualia sunt *Urbach, Urdorf, Wisontessteiga, Wisendangen, Ellwangen,* antea *Elchenwangen* cet. Ceterum qui de re venatica Germanorum veterum recte velit existimare, eum necesse est adhibere etiam, quae leges barbarae de canibus venaticis et falconibus eorumque pretiis docent. Cf. Davoud-Oghlou, histoire de la législation des anciens Germains 1, 248, 341, 414, 518; 2, 284 cet. J. Grimm his de rebus non minus docte quam suaviter disseruit in luculenta sua praefatione ad legem Salicam a Merkelio editam et G. D. S. 1, 43 sqq. F. A. Wolfius suis in scholis haec omnia *Quotiens — quietem* ad principes horumque comites referre solitus erat: vix recte; potius describuntur mores omnium nobilium atque ingenuorum paullo lautiorum. Prope ad Wolfii sententiam accedunt, quae disseruit Wackernagel apud Hauptium Z. D. A. 9, 531. — *deditis c.*] Wölfflin, Phil. 26, 122, contulit cum Sallustii Cat. 2, 8: *dediti ventri atque somno.* — *delegata domus* cet.] De verbo *delegandi* cf. Kritz ad h. l., de re cf. Wackernagel Z. D. A. 9, 532; Weinhold, *die Deutschen Frauen*, p. 311 sqq., Grimm G. D. S. p. 20. — A quo aetatis anno apud Germanos ordiri solita sit *senectus*, docet Grimm, *R. A.* 416 sqq. — *ultro*] Sic dona haec honoraria distinguit a tributis aliis populis impositis. Principes autem intellege praecipue civitatum rectores *(Fürsten)*, id quod elucet maxime ex sequentibus, ubi de *finitimarum gentium* donis narrat, quae illis solis, non ceteris nobilitate maxime conspicuis, quales megistanes erant apud Parthos *(Häuptlinge)*, destinari potuisse consentaneum est. Exempla talium donorum collegit Grimm *R. A.* p. 246 ex Ann. Lauriss. min. ad a. 753 (Pertz I. 116): *In die autem Martis campo secundum antiquam consuetudinem dona illis regibus a populo offerebantur, et ipse rex sedebat in sella regia, circumstante exercitu et maior domus coram eo. Annualia dona* vocant Ann. Bertin. ad a. 837, Pertz I, 430. Addo ex *Walthario m. f.* 581: Camelo, *Inclita Metensi quem Francia miserat urbi Praefectum, qui dona ferens deveneral illo Anteriore die, quam princeps* (Guntharius) *noverat ista.* ORELLI. Cf. etiam Grimm, *R. A.* 297 sq. Sed quae olim ultro dederunt postea rogabantur, quod tributum *bëta* dicere solebant. Cf. Mhd. Wörterbuch von Benecke Müller s. v., Mhd. Handwörterbuch von Lexer s. v. Et deorum quondam sacrae silvae fluminaque posteriore tempore regum facta sunt. Ceterum gentes subiectas iam Taciti aetate vectigales fuisse consentaneum est. Cf. Germ. c. 43. — *armentorum* cet.] Genetivi sunt partitivi, ut Hist. 2, 44: *superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit.* WALTH. Sed quivis videt hoc exemplum ad locum nostrum interpretandum haud satis aptum esse. Cf. potius Varro r. r. 3, 46 *apponendum bene olentium herbarum*, Appuleius Metam. 5 *auri vel monilium dare.* Eius generis genetivus non solorum Graecorum est, sed etiam nostri sermonis olim proprius fuit. J. Grimm D. Gr. 4, 648 sqq. — *sed publice*] Additum est in codd. A B *et*, quod nescio an recte defendat Wölfflin, Phil. 25, 110. Cf. praeter ipsum Nipperdey ad Ann. 1, 60. — *electi equi*] Cf. c. 14. — *magna arma*] Hanc lectionem esse corruptam et pro ea Köchlyi emendationem *insignia* esse recipiendam plane nobis persuadet Wölfflin, Phil. 26, p. 126; nam quae sint h. l. *magna* arma nemodum explicavit. — *phalerae torquesque*] quae apud Romanos quoque dona militaria fuisse satis novimus. De phaleris cf. Rich, Röm. A. s. v., Pluries in lingua vetere Theotisca *phalerae* sive *phalera* appellantur *gareiti, gareita, gareite*, cf. Graff, thes. s. v.; *torques* autem Germanis est

gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis sed et publice mittuntur, electi equi, insignia arma, phalerae torquesque. iam et pecuniam accipere docuimus.

(16) Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes. colunt discreti ac diversi, ut fons,

1. *finitimarum* supra versum B. — *gentium* om. relicto spatio C. — 2. *sed et* AB, *sed* C. — *insignia* Köchly; *magna:* libri.

bouc. — *iam et pecuniam*] Ne *iam* particula esset repetenda, Tacitum post voc. *iam* pro *etiam* uti esse solitum part. *et* docet Wölfflin, Philol. 25, 118. — *docuimus*] Herodian. 6, 7: *Πάντα τε ὑπισχνεῖτο (ὁ Ἀλέξανδρος) παρέξειν, ὅσων δέονται, καὶ χρημάτων ἀφειδῶς ἔχειν. Τούτῳ γὰρ μάλιστα Γερμανοὶ πείθονται, φιλάργυροί τε ὄντες καὶ τὴν εἰρήνην ἀεὶ πρὸς Ῥωμαίους χρυσίου καπηλεύοντες.* Iul. Capitol. M. Anton. 21: *emit et Germanorum auxilia contra Germanos.* Hess. Atque iam ante Taciti tempora Claudius Italicum in Germaniam remissum *auxerat pecunia.* Ann. 11, 16. Cfr. Hist. 4, 76, Germ. c. 42.

16. *nullas -- urbes*] Mattium illud Ann. 1, 56 contradicere vulgo putant; sed *gentis hoc caput,* ut aliquot pagorum Helveticorum minorum capita, non tam urbs quam vicus maior ceteris fuisse videtur. Idem, ni fallor, valet de multis illis *oppidis* sive locis a Ptolemaeo in Germania et in Tabula Peutingeriana atque etiam de *regia castelloque* Ann. II, 62 memoratis et de *Batavorum oppido,* Hist. 5, 19, quae certe *urbes,* quales Romani intellegebant, non fuerunt. Cf. Hist. 4, 64: *postulamus a vobis muros coloniae munimenta servitii detrahatis.* Ammian. 16, 2: *ipsa oppida ut circumdata retiis busta declinant.* Neque etiam postero tempore in captis Gallorum oppidis habitabant. Iulian. ad Athen. p. 278 Sp.: *πολλῶν πάνυ Γερμανῶν περὶ τὰς πεπορθημένας ἐν Κελτοῖς πόλεις ἀδεῶς κατοικούντων.* Ac similiter reges Francorum multo libentius habitabant in amplis suis villis quam in urbibus. Cfr. Thierry *Récits Mérov.* II. p. 363. Ex Germanorum *lingua* hac de re nihil certi discimus. Gotorum *baurgs (Asciburgium)* nihil aliud significat nisi *locum* aliquem *tutantem, haims* locum, ubi *habitatur, κώμη, veihs* vicum, locum, ubi *considunt, thaurp* agrum. Hostmann l. l. p. 47. Cfr. praeterea Ukert G. p. 204. Klemm *G. A.* p. 114, praeter ceteros autem Wackernagel Z. D. A. 9, 530 sq. Inde a saeculo octavo p. Chr. n. singulae urbes in Germania exstructae sunt; sed praecipue Henricus I. urbium conditor apud historicos celebratur. — *discreti ac diversi* cet.] „uni ab alteris separati, domibus nusquam cohaerentibus et ita ut in viis plateisque nullum servent ordinem normamve, quemadmodum apud nos fit“ *(in ganz verschiedenen Richtungen).* Similiter Cic. pro l. Man. 4: *duo loca disiunctissima maximeque diversa.* Paucos hodie esse putamus, qui ut Landau, *Territorien* 77, hic *unam* tantum habitandi rationem a Tacito memorari statuant in vicis, quorum quidem plateae iustae non fuerint. Plerique ut Bethmann Hollweg, *die Germanen vor der Völkerw.* p. 13, Dahn l. c. 1, 56, Roscher, *Nationalö.* 2, 199 alii *duas* habitandi rationes et in singulis villis et in vicis a scriptore significari existimant. Multos vicos paullatim ex villis ortos esse facile intellegitur satisque vocabulis quibusdam firmatur. Tantum monemus de locorum nominibus, quorum posterior pars est — *wila* vel — *wilari* vel — *ikon* hoc est — *inghofen.* Quod Tacitus narrat Germanos coluisse, ut fons cet. placuerit, eius quoque rei documento sunt multorum locorum nomina, velut illa, quae sunt composita cum vocc. *—brunnen, —feld, —wangen, —berg* cet. *—vicos*] Si originem spectes, *vicus* prorsus idem est vocabulum, quod Indorum orient. *vêça-,* Graecorum *οἶκος;* ampliorem notionem non solum Romanorum *vicus,* sed etiam Gotorum *veihs,* Theotiscorum *wich* accepit. De vocabulo Theotisco quod est *dorf* cf. W. Grimm thes. Th. s. v. — *domum spatio* cet.] De vocabulis, quibus *domus* apud Germanos significabatur, cf. Grimm, Gr. III, 426 sqq. Gotorum *gards,* quod voc. eadem est radice, qua *hortus,* saeptum indicat locum, *hûs,* quod recte cum Romanorum *casa* conferas, locum tectum. — *spatio c.*] Waitz D. V. 1², 113: *unmittelbar zu dem Hause gehörte ein gewisses Land, zu Hof oder Garten oder sonstigem Gebrauch: das Ganze hiess später Hofstätte, in Norddeutschland Wurth, im skandinavischen Norden Topt. Es war regelmässig mit einem Zaun umgeben.*— Consentaneum est hoc spatium et ipsam domum prima verum in dominium apud veteres Germanos redacta esse. — *sive inscitia aedificandi*] Verior ratio ea erat, quod quisque paterfamilias cum suis speciem liberae quasi civitatis assumebat ideoque a ceteris familiis sese separabat. — *ne caementorum quidem aut l.* cet.] Herodianus 7, 2 de Maximino in expeditione sua vicos Germanorum incendente: *ἐδῄου τε οὖν πᾶσαν τὴν χώραν, μάλιστα τῶν ληΐων ἀκμαζόντων, τάς τε κώμας ἐμπιπρὰς διαρπάζειν ἐδίδου τῷ στρατῷ. εὐμαρέστατα γὰρ τὸ πῦρ ἐπινέμεται τάς τε πόλεις αὐτῶν, ἃς ἔχουσι, καὶ τὰς οἰκήσεις ἁπάσας. λίθων μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἢ πλίνθων ὀπτῶν σπάνις, ὗλαι δ' εὔδενδροι· ὅθεν ξύλων οὔσης ἐκτενείας συμπήγνυντες αὐτὰ καὶ ἁρμόζοντες σκηνοποιοῦνται.*

ut campus, ut nemus placuit. vicos locant non in nostrum morem conexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi. ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. quaedam loca diligentius illinunt terra ita pura ac splendente ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. solent et supterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemis et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt. et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

1. *longant* A. — *connexis* libri. — 6. *ut splendete* C. — *liniamenta* B. — *celorum* C. — 7. *supterraneos* AB, *sb't'aneos* C. — 9. *honerant* C. — *hiemis* Reifferscheid, *hiemi* libri.

Itaque *caementa* et *tegulae* a Germanis vocabulis quoque a Romanis petitis appellantur. De vocabulis quae sunt *siegel* et *tegel* cf. quae docte disseruit Wackernagel, *umdeutschung d. fremdwörter*. p. 9 et 12; *materia autem informis* prorsus respondet Theotisco *scaffalôsa zimbar*, cum *zimbar* (ags. timber, v. bor. timbr) proprie materiam significet. Cf. Wackernagel Z. D. A., 9, p. 539; Hostmann, *Altg. Landw.*, p. 53 sq. — *citra speciem*] Cf. Wölfflin, Phil. 26, 108. — *illinunt terra*] Wackernagel l. l. 538 confert Germanorum borealium verbum quod est *steina*, *pingere*. — *ut picturam ac lineamenta colorum imitetur*] Hic locus varie coniecturis temptatus est. Köchly pro *colorum* legendum esse existimavit *corporum*, Nipperdey *locorum* (cf. Mus. Rhen. XVIII, 342), quam lectionem ingeniose excogitatam Haupt in ipsum textum quem dicunt recepit. Jam ut concedamus in verbis *picturam ac lineamenta colorum imitari* sanam sententiam non inesse atque adeo num ita coniuncta vere sint latina esse dubium, utra harum coniecturarum praestet inde pendet, quae sint illa loca terra illita. Wackernagel l. l. interiora esse censet, „zimmerwände.“ Quam sententiam si probaveris, melius ad rem quadrare videbitur Köchlyi coniectura. Contra si Tacitus exteriores domorum partes quasdam terra illa pura ac splendente illini a Germanis dicat, haud dubie praeferenda Nipperdeyi coniectura, qua significatur locorum circumiacentium, montium, collium, arborum cet. imaginem ex parietum partibus illitis relucere. Nobis quidem, quod posterius posuimus, videtur esse veri similius, sed ita quoque Halmio (c. St. 15 sqq.) assentimur, qui nihil h. l. mutandum statuit, rhetoricam autem quandam abundantiam in T. verbis inesse et ipsum non modo non satis perspicue locutum, sed ne novisse quidem perspicue rem quam descripserit. „Terra illita, inquit, picturam imitatur (sieht wie eine Bemalung aus), vel, ne nimium dicam, lineamenta colorum (wie Farbenrisse oder farbige Linien, d. h. als wäre quibusdam locis das Holzgetäfel (oder das Flechtwerk, cf. goth. *haurds*) nicht mit einem Erdbewurfe, sondern mit förmlichen Farben überzogen.“ At nescio, an verbum imitandi interdum notionem verbi nostri *vorstellen* sive *ersetzen*, *vertreten*, accipere possit. Cf. Mühlmanni thes. lat. s. v. In particulae *ac (lin.)* locum *aut* p. substituendam putaverim. Ceterum de re cf. etiam Hostmann, l. c. p. 19. — *supterraneos specus*] sunt *scrobes* illi, *quos siros (σιροὺς) vocabant in Cappadocia et in Thracia*. Plin. N. H. 18, 30, 73. Idem 19, 1, 2: *In Germania defossi atque sub terra id opus* (texendi lina) *agunt*. Amm. 17, 1, 8: *Iulianus, cum prope silvam venisset squalore tenebrarum horrendam, stetit diu cunctando, indicio perfugae doctus, per subterranea quaedam occulta fossasque multifidas latere plurimos, ubi habile visum fuerit, erupturos*. His de specubus disseruit J. Grimm G. D. S. 1, 235. Müllenhoff in glossario editioni legis Salicae Waitzianae addito s. v. *screuna* hoc vocabulo, quod est Francogall. *escregne* cet., docet significari cameram demersam in humum *multo insuper fimo* oneratam, in qua puellae simul convenientes pervigilant ad mediam noctem; idem igitur esse, quod Theotiscorum *tunc*, hypogeum, gyneceum, textrinum. Wendelini temporibus vocatum esse huius gen. specum *erdhaus*, in l. vet. bor. *iardhhûs*, in Flandria dici *scrane*. Sed accuratissime hac de re egit Wackernagel Z. D. A. 7, 128 sqq. Certis e vestigiis efficitur, hos scrobes infundibuli sive cornus formam habuisse, in medio autem cornu solum fuisse ligneum, quo superior locus ab inferiore frumentario secerneretur. Fimo fuisse oneratos indicat vocabulum Theot. *tunc*. In nomine quod est *geneztunc* Graecum *gynaeceum* et Theot. *tunc* inter se coniuncta sunt. In lingua vet. bor. *dyngja* conclave significat, ubi texunt mulieres, atque hodie Augustae Vindelicorum textrina subterranea *dung* vocatur. Ad vv. *suffugium hiemis* cf. quod Mela II, 1 de Scythis narrat, nec negligendum, quod in glossis Schlettst. *tunc* explicatur latinis vocc. *hiemalis zeta* i. e. diaeta.

(17) Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. gerunt et ferarum pelles, proximi ripae neglegenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. eligunt feras, et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.

1. *figula* B. — 2. *iusta* B. — 3. *distinguntur* B. — 4. *gerunt* C: *ferunt* superscr. ab al. m. *g* B, *ferunt* A. — 5. *neglegenter* C, *negligenter* AB. — 7. *occeanus* C.

Ceterum Reifferscheid suo iure in dativi locum genetivum *hiemis* substituit. — *advenit*] ex Taciti usu perfectum esse debere docet Wölfflin, Phil. 26, 118. — *aut ignorantur aut fallunt* cet.] Weidner: *die Gegenstände bleiben dem F. überhaupt unbemerkt oder entgehen ihm, weil er sie nicht finden kann.*

17. *tegumen*] Ad totum Germanorum habitum oculis subiciendum inspice Sancti Bartoli et Piranesii tabulas columnam Antoninianam exhibentes. ORELLI. Recentiore tempore de Germanorum re vestiaria disseruerunt Weinhold, *die Deutschen Frauen im Mittelalter*, et brevius, sed acute summoque cum fructu Müllenhoff Z. D. A. x, 553 sqq. De singulis quibusdam huius generis rebus egit Wackernagel Z. D. A. l. c. Speramus quae Wackernagel de *texendi* arte composuit futurum ut mox in publicum edantur. Hic tantum annotemus radices, quae subjectae sunt vocabulis *texendi, nendi, suendi*, Germanis esse communes cum Indis or., Graecis, aliis gentibus Indogermanicis. Cf. Pictet, *les origines Indo-Européennes*, II, p. 155 sqq. — *sagum*] De sago Romano cf. Rich R. A. s. v. Non fuisse putamus cur Wackernagel censeret tantummodo, quod eadem materia (lana) eodemque colore essent saga Romana et Germanorum amicula, scriptores Romanos haud satis apte ad haec significanda vocabulo sagi usos esse. Satis perspicue Tacitus narrat Germanis quoque esse amicula, quibus potissimum terga umerique contegantur. Quae amicula omnes et locupletes et pauperes gerebant; erant quasi Germanorum togae, sed togis Romanis et minores et leviores. Plerumque unicoloria haec amicula fuerunt; sed de *sagulis versicoloribus* mentionem facit noster Histor. 5, 23, quo cum loco sis conferas Hist. 2, 20. Distinguenda vero *vestis versicolor* apud Ap. Sid. ep. 4, 20. De amiculi nominibus Germanicis cf. J. Grimm, gr. III, 447. — *fibula*] quales complures adhuc repertae sunt. Earum formas vide in sepulchris apud Klemm. *G. A.* p. 71. Lisch. *Friderico-Francisceum* p. 134. Tab. XX. Estorff. *heidnische Alterthümer* p. 85. Tab. IX. OR. *Fibula* Theotisce dicitur *nusca*, *nuscila* a verbo quod est *nussan*, nectere, vel *spanga;* Grimm l. l. 449. De *spina* cf. quae ibidem Grimm ex M. S. 2, 80b profert: *glesin ist diu rinke, von kupfer ist der dorn* (am Gürtel). — *cetera intecti*] Aliter haec vv. interpretari non possumus quam: „praeter illud sagum nudi.“ Sequentia pigritiam Germanorum describunt sic per totos dies prope focum agentium, atque eam opponunt Romanorum mobilitati quotidianisque discursibus per fora ac porticus. V. *cetera* igitur refer ad solum v. *intecti;* non, ut nonnulli voluere, ad totum enuntiatum, ut sit: „ceterum totos dies prope focum agunt (prorsus) nudi, tantummodo puta pudendas corporis partes subligaculo tecti“; quam expositionem bene refutavit Gerlach p. 117. Cfr. Caesar B. G. 6, 22: *pellibus aut parvis rhenonum tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda.* ORELLI. Rectius quam alii hunc locum interpretati sunt Gerlach et Orelli; expressius tantum dicendum Germanos non prodire esse solitos hoc habitu in publicum, quod luculenter docet Müllenhoff l. l. — *totos dies agunt*] agendi verbum absolute est dictum, *totos dies accusativus* est quem *spatii* dicere nobis licet. — *l. veste distinguuntur, non fl.*] Accurate haec vv. interpretatur M. Omnes Germani et amictum et vestem gerunt, sed vestis, quae ceterum plerumque stricta, non fluitans, est, materia distinguuntur locupletissimi. *Vestis* vero vocabulo significatur vestis interior sive *tunica*, *χιτών*. De Germanicis tunicae nominibus cf. Grimm D. Gr. III, 447. Gotorum *páida*, Theot. *pfeit* num recte a Leone Meiero (G. Gr. p. 58) vocabulum vere Germanicum existimetur dubitaverim (cf. Thomsen, *über den Einfluss der germ. Spr. auf die finnisch-lappischen Übers.*, p. 159 sq.); theotisce dicitur *hroch*, ags. *roc*, v. bor. *rockr*, unde quidam dubito num recte *frack* quoque voc. ortum esse existiment. Verum haud negaverim vestis nomine h. l. etiam subligaculi genus sive femorale contineri, quod

(18) quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. intersunt parentes ac propinqui, ac munera probant, non ad delicias

1. *ullãru*, sed expunctis litt. *ru* B. — 4. *ambiontur* C. — 5. *munera probant munera* A B C. *probant munera* Lachm.

theotisce *bruoh*, agls. *brôc* dicitur. De hoc vocabulo arte coniuncto cum Gallorum *bracca* cf. Grimm thes. Th. s. v. *bruch*. Distinguendi ab hoc femorali sunt *hosi*, quibus proprie tibialia significantur. Neque est cur negemus etiam veteribus Germanis genus aliquod calceorum fuisse notum, cum vere Germanicum sit vocabulum *skôhs*, Schuh. — *stricta*] Procerum habitum optime describit Sidonius Apollinaris Epp. 4, 20. Vol. I. p. 386 Ed. Grégoire: *Regulorum autem sociorumque comitantium* (Sigismerum iuvenem regium, Francum, ut videtur) *forma et in pace terribilis; quorum pedes primi perone setoso talos adusque vinciebantur; genua, crura suraeque sine tegmine. Praeter hoc vestis alta, stricta, versicolor, vix appropinquans poplitibus exsertis, manicae sola brachiorum principia velantes; viridantia saga limbis marginata puniceis; penduli ex humero gladii balteis supercurrentibus strinxerant clausa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu, muniebantur, lanceis uncatis securibusque missilibus* (franciscis) *dextrae refertae, clipeis laevam partem adumbrantibus, quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita censum prodebat ut studium.* — *singulos artus exprimente*] Sidonius Paneg. Maioriani v. 242 de Vandalis: *Strictius assutae vestes procera coërcent Membra virum, patet his altato tegmine poples.* — *proximi ripae neglegenter*] „Proximi ripae (Rheni et Danuvii) Romanae (potissimum pauperes) neglegenter pellibus se tegunt, quia cultum et meliores iam vestes (imprimis laneas) habent a Romanis aut provincialibus, commerciorum beneficio. Ulteriores contra sive interiores et septentrionales Germani maiore in pretio pelliceas vestes habent, iisque vestiuntur exquisitius et elegantius, quia carent aliis vestimentorum generibus, neque ea importantur aliunde, nullo cum exteris intercedente commercio.“ BERNEGGER. (De *rhenonibus* cf. Müllenhoff l. l.) — *ut quibus — cultus*] h. e. qui non per commercia vestimenta accipiunt. Satis his verbis indicatur artem texendi in Gallia et in Germania occidentali illo tempore diligentius esse exercitam quam in Germania interiore. Plin. N. H. 19, 1: *Galliae universae vela* (h. e. lina) *texunt, iam quidem et transrhenani hostes, nec pulcriorem aliam vestem eorum feminae novêre.* — *detracta velamina*] „Insolentius dicuntur de pellibus ferarum“. KRITZ. Sed cur non possint esse hominum velamina feris detracta, non intellego. — *maculis pellibusque*] maculis e pellibus beluarum confectis, quarum diversas lacinias adsuebant, ut esset maior varietas. Est figura quae dicitur Ἓν διὰ δυοῖν, qua Romani saepe pro *compositis* usi sunt. — *beluarum, quas* cet.] Referri huc potest Nibelung. Str. 354, 1: *Von fremder vische hiuten bezôc wol getân.* (Cf. quae ad hunc locum annotavit Lachmannus.) Probabiliter tamen intellegas non solum de beluis marinis, sed etiam de pellibus animalium septentrionalium vario modo in Germaniam, ubi illa non reperiebantur, importatis. Cf. etiam Halmium c. St. p. 14 sq. qui tamen parum accurate de amictibus (Pelzüberwürfen) loquitur. — *nec alius feminis*] De habitu Germanorum vide etiam Sancti Bartoli Col. Anton. Tabb. 17. 49. 63. 65. 67. Piranesii T. 19. 77. Göttling *Thusnelda. Jena* 1843, p. 7. — *purpura*] De vera purpura muricis suco tincta nemo iam cogitabit; sed potius de iridis genere, de quo Plin. 2, 26, 97: *Hyacinthus in Gallia maxime provenit. Hoc ibi fuco hysginum tingunt;* id est, color ruber subfuscus, *dunkelroth*. ORELLI. Cf. Müllenhoff, Z. D. A. x, 556, Wackernagel, ib. 9, 536, qui recte existimare videtur consuetudinem amictus purpura variandi praecipue ad eorum limbum pertinere, quae consuetudo hodie quoque apud nos obtinet. Cf. Apoll. Sid. ep. 4, 20: *viridantia saga limbis marginata puniceis.* — *partemque vestitus* cet.] Wackernagel hac re Tacitum distingui dicere existimat mulierum vestem a virorum veste. Sed de viris quoque Apoll. Sid. ep. 4, 20: *manicae solum brachiorum principia velantes. Armalausi* nationis cuiusdam Germanae est nomen (Grimm D. S. 1, 499 ff.). Certe si quid aliud, quum haec scriberet, Tacitum spectasse putes, etiam suae gentis memor fuisse videtur.

18. *quamquam*] Haec ita cohaerent cum praecedentibus: „Etsi ex Romanorum sensu parum decens est hic feminarum habitus, in quo aperta manet pectoris pars vestisque admodum brevis est atque adeo quis suspicari possit minus castas esse Germanas, nihilominus severa illic sunt matrimonia.“ Salvian. de Gub. Dei 7, p. 263. Rittersh.: *Gothorum natio perfida, sed pudica est; - - Franci mendaces, sed castitate venerandi.* — *exceptis admodum paucis* cet.] Sic Caesar B. G. 1, 53: *Duae fuerunt Arioristi uxores, una Sueba natione - - -, altera Norica.* Alia de gentibus borealibus affert Grimm R. A. p. 440, G. D. S. 188 sq., Weinhold N. L. 249. Similiter Clothacharius Francorum rex duas sorores in matrimonium duxit. Gregor.

mulicbres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur, atque in vicem ipsa armorum aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis

3. *hoc* AB. *hec* C.

Tur. 4, 3. Idem rursus in se admisit Charibertus rex. Ibid. C. 26. Ibid. C. 28: *Chilpericus rex, cum iam plures haberet uxores, - - Galsuintham expetiit et a patre Athanagildo accepit* cet. Non prorsus abhorret a vero et Taciti tempore et postea alios Germanorum populos aliis esse usos moribus, cum Germani cultiores singulis essent contenti uxoribus. Cf. Grimm G. D. S. l. l., Weinhold, *die D. Frauen im M.* 284 sqq. Si *ius* spectes, nihil obstabat, quin singuli Germani plures ducerent uxores. Wilda, *Strafr. d. G.* p. 850 sqq. Qui factum sit, ut paullatim etiam apud paganos polygamia quam dicimus prorsus tolleretur, et Weinhold et Wilda l. l. luculenter exponunt. Ceterum *ambire c.* φράσις est Vergiliana Aen. 7, 333: *neu conubiis ambire Latinum Aeneadae possint.* ORELLI. Superlativus *plurimis* ex sermonis Tacitini indole non plena sua vi intellegendus est. In verbis *qui non libidine — ambiuntur* zeugma inesse complures annotaverunt. — *dotem non uxor*] Non temere quidem fecit Tacitus, quum, quod negabat esse, primum collocavit, quod dotem non ab uxore marito, sed uxori a marito offerri a moribus Romanis, qui tunc erant, prorsus abhorrebat. Ceterum prope omnes iuris Germanici consulti affirmant Tacitum praecipuam quandam rem, quae in sponsalibus constituendis — de sponsalibus h. l. agitur — fieri debebat, parum recte perspexisse dotisque nomine falso pro emtionis pretio esse usum. Certa quaedam exempla, quae inveniuntur et in gentibus Indogermanicis et in ceteris nationibus, haud rara documenta, quae occurrunt in rerum Germanicarum memoria ac legibus barbaris, multa denique linguae testimonia satis declarant primum omnium h. l. de emptione sive ipsius puellae sive tutelae, in qua puella adhuc fuerat, dicendum fuisse. Ex aliarum gentium legibus atque usu primum, quod apud Indos orientales constitutum fuit, libet proferre. Manūs legibus (III, 51 sq.) patres prohibentur ac vetantur, ne pro filiabus spondendis munera accipiant, aliter fore ut filias vendidisse videantur. De vetustissimo apud Graecos more cf. Schoemann a. gr. 1, 50 sq., de Romanis Rein, Paulys Realenc. s. v. *mancipatio* p. 1470. Ex lege illa Islandica, quae dicitur *grāgās* tum demum rite sponsa esse videtur puella, cum de certa quadam pecuniae summa, quae *mundr* h. e. tutela dicitur, adhibitis arbitris convenit, quae quidem summa nuptiis factis ad uxorem redit. Ex Suecorum lege qui spondet puellam, accipit munus, quod vocant *vingiaf* vel *faestnaethae fae* h. e. amici donum vel sponsionis pretium. Similia constituta sunt in Langobardorum, Saxonum, Burgundionum aliorum Germanorum legibus. (Cfr. Gr. *R. A.* p. 420, qui ex Saxone Gr. 5, p. 88 similem Scandinavorum morem memorat: *Frotho Ruthenis ab ipso devictis legem imposuit ex imitatione Danorum, ne quis uxorem nisi empticiam duceret, venalia siquidem connubia plus stabilitatis habitura censebat, tutiorem matrimonii fidem existimans, quod pretio firmaretur.* Adde Cassiodor. Var. 4, 1, p. 56 Ed. Garetii, ubi Hermanafrido regi Thoringorum Theodoricus rex in matrimonium dat neptem suam, haec inter alia ad eum scribens: *Salutantes vos gratia competenti indicamus nos venientibus legatis vestris impretiabilis quidem rei, sed more gentium suscepisse pretia destinata, equos argenteo colore vestitos, quales decuit esse nuptiales.* Et complures locos, in quibus mentio fit *pretiorum emptionis uxorum* collegit Gr. *R. A.* p. 422. Cfr. Lupus Cod. diplom. Bergom. I. p. 513: „Cum feminae nubebant, ut in mariti potestatem, *mundium*, transirent, opus erat, ut maritus hoc ius a parentibus puellae qui *mundualdi* dicebantur, pretio et numerata pecunia compararet. Hoc autem pretium *mundium* pariter appellabatur.“ ORELLI. Praeterea cf. Kraut, *Vormundschaft*, Weinhold, *die D. Frauen im M.* p. 209 sqq., N. L. 240 sqq., Wackernagel in Schreibers Taschenbuch *„Familienrecht und Familienleben“*, Schroeder de dote cet., Berol. 1861, Schroeder, *Gesch. des eh. Güterr.* I, Berlin 1863, Davoud-Oghlou, *hist. de la législ. des anciens G.* s. v. *femmes et enfants; schwäbisches eheverlöbniss*, denkmäler von Müllenhoff u. Scherer XCIX cet. Praeter *mundium* hoc pretium vocabulo quod est Burg. *wittimo*, Fris. *witma* s. *wetma*, Ags. *veotuma*, apud Germ. sup. *widumo* significabatur, quo de vocabulo accurate disseruit Wackernagel, *Spr. der Burgunder* p. 21 sqq. Langobardorum est *mēta*. Alia linguae in hac re sunt testimonia Islandorum *brudkaup*, sponsalia, Anglosax. *ceāp*, kauf, et *fōsterleān*, θρεπτήρια, et locutio vet. Sax. *buggean* (angl. buy) *ti brūdi*. In carmine quod inscribitur diu guote vrou, v. 2415, occurrunt v. v: *ze rechte er si koufte*, apud Germanos bor. uxor rite ducta est *kona mundi keypt*. Auctores latine scribentes saepe utuntur in hac re *mercandi, mercationis* vocabulis. Hoc certe ex eis, quae protulimus, efficitur, Tacitum, etiamsi concedamus procum praeter mundium, quod *mundwaldo* debebatur, puellae quoque ipsi at-

incipientis matrimonii auspiciis admonetur venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram ausuramque. hoc iuncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. sic vivendum, sic pereundum: accipere se quae liberis inviolata ac digna

1. *incipientibus* A. — 4. *pereundum* B, *pariendum* A, *píendum* C.

tulisse munera quaedam, parum accurate ac perspicue de sponsalibus faciendis esse locutum ac rem gravissimam prorsus omisisse. — Doni autem matutinalis, quod ex more recepto primo post nuptias die maritus uxori offerebat (Gr. *R. A.* p. 441), nullam mentionem facit Tacitus, et a dote clare distinguitur in pacto pacis apud Brequigny-Pardessus Dipl. I. p. 158, ubi memorantur quinque civitates a Brunichilde *tam in dote quam in morganegiba, hoc est, matutinali dono, acquisitae.* Liutprandi Legg. 2, 1: *Si quis Langobardus morgincap coniugi suae dare voluerit, quando sibi eam coniugio sociaverit, ita decernimus, ut alio die ante parentes et amicos suos* (quemadmodum in sponsalibus ipsis apud Tacitum) *ostendat per scriptum a testibus roboratum. - - Tamen ipsum morgincap volumus, ut non sit amplius nisi quarta pars de eius substantia, qui ipsum morgincap dedit.* Ita Sifridus Nibelungorum gazam Chriemhildae donaverat. Nib. Str. 1056: *ez was ir morgengâbe; er sold ir billichen sîn.* — *intersunt parentes*] Gr. *R. A.* p. 433. Adde ex Lege Salica emendata T. 70: *Si quis filiam alienam ad coniugium quaesierit praesentibus suis et puellae parentibus.* Cfr. Waitz, *D. V.* I², p. 57. — *ac munera probant, prüfen die Gaben.* Suo iure Lachmann semel tantummodo vocabulum quod est *munera* legendum esse contendit, id quod Wölfflin, Philol. 26, 110 certis demonstravit argumentis. Ceterum non ita certum est, utrum priore loco an altero v. sit delendam neque debeatne simul intercidere *ac* particula. — *ad delicias muliebres*] ut Romanorum uniones, gemmae, armillae cet. — *quibus - - comatur*] Intellege specula potissimum et pectines. Böttiger *Vasengem.* 1, 3, 59. — *boves* cet.] sic in Libello dotis apud Marculfum Form. 2, 15, Ed. Canc. II. p. 231 (Walter, C. J. G. III, 324): pater adulescentis matrimonium cum *honesta puella* contracturi *donat nurui suae* inter alia *caballos tantos, boves tantos, gregem equarum, gregem armentorum* cet. ORELLI. Haec ipsa sunt, quibus Germani Taciti tempore in commercio pro pecunia utebantur. Wackernagel Z. D. A. 9, 550. — *in haec munera accipitur*] *sō empfahet er si unde habe sime.* — *armorum aliquid viro*] Etiam haec Tacitus parum accurate narrasse videtur atque hoc tantum constare iam in sponsalibus faciendis invicem a muliere vel potius ab eo, cuius in tutela fuerat, viro aliquid tributum esse. Verisimile est parentes ac propinquos et mulierem et virum muneribus, quaecunque erant, ornasse, sed nihil certius quam viro signum quoddam imperi ac tutelae velut gladium cet. a patre vel tutore mulieris esse redditum, h. e. *armorum aliquid.* Cf. praeter Grimm *R. A.* 426, 430, 167 quae scripta sunt in formula sponsalium, quae apud Suebos fiebant, supra memorata: *Nu nimet der voget — ain swert — und ain mantel* cet. — *arcana sacra*] Gr. *R. A.* p. 427 addubitat symbolicam horum donorum significationem. (Cfr. *Myth.* p. 92). Recte: manifesto enim opponitur hic Germanorum ritus simplex atque apertus, totam eorum indolem clare referens *arcanis* illis Romanorum *sacris* in confarreationis ritu, qui iam in desuetudinem abierat (A. 4, 16) cuiusque primariam rationem plerique non iam intellegebant.— *coniugales deos*] August. de C. D. 6, 9; Preller, R. M. 582 sqq. — *hoc iuncti boves*] Parum intellegimus, qua de causa Wackernagel *(Spr. der Burgunden* p. 22) his verbis utatur: indem das Geld für die Frau davon (von got. *vidan* binden) benannt wird, hören wir aus der Schilderung, die Tacitus von dem germanischen Ehabschlusse gibt, zwei Schlagworte hervorklingen, die wie alles Einzelne in derselben richtig sind, *maximum vinculum* und *iuncti boves.* — *liberis*] filiis, qui eadem dona interdotem offerant virginibus, quibuscum sponsalia facient. — *digna*] absolute accipiendum, uti nunc post Gruberum plerique faciunt. Nec vero est cur haereas in posterioris *quae* duplici constructione, qua simul est accus. et nom.; etenim prorsus sic Sall. Iug. 14: *omnia, quae aut amisi aut ex necessariis advorsa facta sunt.* Ibid. 31: *quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est.* — Ceterum usque ad ea tempora, quibus lex christiana et ius ecclesiasticum diu valere coeperant, sponsalia praesentibus propinquis facta — *mahaljan,* sollemni modo addicere, *vermählen* — atque ut tempore certo quodam in sponsalibus faciendis constituto virgo in publico duceretur vel veheretur in civitatem domumque mariti, — *brautlauf* — in conubio iungendo res fuerunt praecipuae. Re vera conjugium fieri coeperat quum vir cum virgine arbitris adhibitis una in lecto geniali primum cubabant, et sollemnia ecclesiastica saepe post genialem demum noctem accedebant, Supersedemus h. l. longius exponere de pompa nuptiali, de sollemni apud focum receptione, de cantibus atque saltatione, quae ibi fiebant, nec persequi libet, quam tarde quamque singulari ratione in hac re ecclesia cum moribus patriis sit coniuncta. Cf. Weinhold l. l. et quae disseruerunt Kuhn et Schwarz in libro qui inscribitur *Norddeutsche Sagen.*

reddat, quae nurus accipiant rursusque ad nepotes referantur. (19) ergo saepta pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptae. litterarum secreta viri pariter ac feminae ignorant. paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum poena praesens

1. *reddat* A B, *reddant* C.

19. *ergo*] refertur ad praecedentia: „propter id ipsum, quod dona illa nuptialia inviolata student servare, tutâ et inexpugnabili corruptoribus pudicitia semet ipsas veluti saepiunt ac tegunt." Liv. 3, 44: *postquam omnia pudore saepta animadverterat.* Recte Gerlachius defendit lect. *saepta* contra Arund. *saeptae*, quod plerisque placuit: „Variata enim quam maxime conveniunt stilo Taciti; prius part. loco adiectivi positum, alterum vim causalem habet. Contra duo participia, quorum alterum alterum explicat, eodem casu inter se iuncta, ut alterum initio, alterum fine orationis positum sit, plano contra usum loquendi pugnat": (saltem inconcinna foret iunctura). — *litterarum secreta*] Hac in iunctura, ubi de feminarum corruptione atque adulteriis agitur, vix aliter interpretari possumus quam litteras amatorias, vetitas atque ideo secreto missas; de qualibus Iuven. 6, 277: *Quae scripta et quas lecture tabellas, Si tibi zelotypae retegantur scrinia moechae!* ORELLI. De alio quodam litterarum usu Ovid. Am. 2, 5, 17: Non oculi tacuere tui *conscriptaque vino Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.* Cf. Wackernagel D. L. p. 11 sq.: der Mangel der Prosa und die Erhaltung der Gedichte lediglich durch den Gesang machten die Buchstabenschrift, insofern sie der Litteratur hätte dienen können, den Germanen entbehrlich. Dennoch bestand eine solche und ward unter Umständen gebraucht. *Zwar nicht zu Liebesbriefen und ähnlicher Buhlerei, wofür allein sie Tacitus läugnet*, vielleicht aber zu Briefen anderer Art cet. Tamen ex eis quae hac de re Liliencron ac Müllenhoff luculenter disseruerunt recte statuere nobis videmur, Germanos, qui tunc fuerunt, runis quas dicunt ad scribendum omnino nondum esse usos, neque existimare debemus, latinas eis litteras vulgo satis innotuisse. Itaque hoc de loco verissime iudicat Halm c. St. p. 19 sq. — *paucissima adulteria*] H. l. Tacitus tantum de matrimonii severitate et de *adulterio* loquitur. Eodem modo ex more atque iure Germanorum de *stupro* existimabatur, cum et stupro et adulterio commisso mulieres familiae sacra foede violare viderentur. Tutela (mundio) eadem viri fiunt iura quae proximi mulieris propinqui, ut — quod iam vetustissimis temporibus licuisse cur negemus non est — in adulterio vel stupro manifeste prehensos moechum una cum muliere interfici liceret impune. Sunt leges, quibus etiam post flagitium commissum mulierem occidi permissum est cum vir flagitii postea compertus non ita gravi poena discederet. Grimm R. A. 450; 742. Wilda Str. 809 sqq. — *accisis crinibus*] Recte hanc librorum melioris notae lectionem defendere nobis videtur Halm contr. St. p. 8. *accisi crines* sunt *beschnittene, kurz geschnittene H.* Et virginitatis et libertatis signum apud veteres Germanos erant crines intonsi. Grimm R.A. 283, 702, Weinhold, D. Fr. 253. Grimm R.A. 711: (Seligenstadter Sendrecht) *und die frawe (die ein unehliches kind geboren) sal den sun umb die kirchen tragen, wollen und barfuss, und sal man ihr har hinden an dem haubet abesniden* cet. In mulierum poenis, quae a maritis instigatae aliis vim intulerunt in Liutprandi legibus 6. 141 (ed. Walther) *decalvandi* poena enumeratur. — *nudatam*] In loco ex Grimmii libro modo allato: *und ir rock hinden abesniden.* W. G. II Gipt V, p. 145 (Wilda Str. p. 824): *er soll ihr den Mantel abreissen und den Hintertheil des Rockes abschneiden* Alibi: *sie soll von dem Gute gehen in ihren Alltagskleidern; der Mann kann sie vom Hofe jagen in einem Hemde und Mantel.* (Grimm R. A. 450). — *coram propinquis*] Neocorus, Chronik des L. Dithmarschen (Dahlm. I, 96): *wenn eine frauensperson entehrt worden, so hat das ganze geschlecht sich dieses angezogen und die entehrte wol mit eigenen händen getödtet* cet. — *per omnem vicum v. a.*] Cf. Bonifatii in ep. 72 ad Ethibaldum regem Merc., ed. Würdtwein p. 102. in Excursu. — Adde eis, quae Tacitus h. l. memoriae prodidit, legg. in Anglia conditas ed. Schmid p. 301: mulier adultera *sit ad dedecus seculi sibi ipsi, et habeat legalis maritus omne quod ipsa habebat, et ipsa perdat nasum et aures.* Leg. Visigoth. 3, 2, 2: *Si mulier ingenua servo suo vel proprio liberto se in adulterio commiscuerit – – adulter et adultera ante iudicem publice fustigentur et ignibus concrementur.* Multos ex legibus et annalibus locos huc pertinentes congessit ac luculenter hac de re disseruit Wilda l. l., nec contemnendus liber Davoud-Oghlovii, *histoire de la législation des anciens Germains*, Berol. 1845, qui in singulorum legibus sub litt. k locos, qui ad mulierum mores pertinent, diligenter tractavit. — *publicatae enim* cet.] Nipperdey cum recte videret, haec verba non iam ad adulteria pertinere, *enim* particulam delendam esse censuit (Mus. Rh. XVIII, 344). Sed cf. Halm contr. St. p. 9, qui locum ita convertit: *kein Wunder! (d. i. eine so harte Strafe des Ehebruches*

et maritis permissa. accisis crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus maritum invenerit. nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. melius quidem adhuc eae civitates in quibus tantum virgines nubunt et cum spe votoque uxoris semel transigitur. sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum sed tamquam matrimonium ament. numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur; plusque ibi boni mores valent quam alibi bonae leges.

1. *adcisis* A. *accisis* B D. *accissis* C. — 2. *ac psōne* C. — 4. *invenerit* B. *inveniet* A. *invenit* C. — 9. *ament* A B. *attinent* C.

darf nicht Wunder nehmen), findet ja doch Prostitution überhaupt keinerlei Nachsicht. Confitemur quidem horum Taciti verborum sententiam non ita gravem esse eorumque lenitatem parum cum more iureque *Germanorum* consentire. — *invenerit*] vitiata. Halm l. l. Ejus gen. mulier a Gotis dicebatur *kalkjō*, a Theotiscis *lenna* sive *huora*, quibus de vv. cf. Weinh. D. F. 290. — *nemo — ridet*] Cf. Köpke D. F. p. 217. — *saeculum*] usu singulari dictum pro moribus, qui hoc per saeculum quasi necessitate aliqua sic iubente dominantur neque ab iis, qui nunc vivunt, sine aequalium irrisione atque reprehensione migrari possunt. Louandre: *la mode du siècle*, nos *Zeitsitte, Zeitgeist*, ut ex recentiore usu Klotzius Satiram suam non inelegantem inscripsit *Genium seculi.* — *melius quidem adhuc*] De hac collocatione v. *adhuc* post comparativos pro Tulliano *etiam* cfr Hand Turs. I. p. 165. Frequentius quidem comparativis praeponitur, sed utriusque generis exempla e Quintiliano, apud quem primum nunc reperitur, ille collegit. — *cum spe — transigitur*] Cf. Agricola 34 *transigere cum expeditionibus.* De re cf Grimm *R. A.* 451, 453; Grimm, *über das Verbrennen der Leichen*, p. 47 sqq., G. D. S. 139 sq., Philipps, *Ursprung der Katzenmusiken*, maxime p. 58. Procop. B. Gotthic. 2, 14: *Ἐρούλου ἀνδρὸς τελευτήσαντος ἐπάναγκες τῇ γυναικὶ ἀρετῆς μεταποιουμένῃ καὶ κλέος αὐτῇ ἐθελούσῃ λείπεσθαι βρόχον ἀναψαμένῃ παρὰ τὸν τοῦ ἀνδρὸς τάφον οὐκ εἰς μακρὸν θνήσκειν. οὐ ποιούσῃ τε ταῦτα περιειστήκει τὸ λοιπὸν ἀδόξῳ τε εἶναι καὶ τοῖς τοῦ ἀνδρὸς ξυγγενέσι προσκεκρουκέναι.* ORELLI. Aliis Germaniae locis mulieres una cum maritis se cremasse si minus ex certis rerum memoriae argumentis, tamen ex fabulis docet Grimm l. l. Etiam in medii aevi carminibus vetustissimi huius moris, quo vidua marito superstes esse noluit, vestigia inveniuntur. Wigalois 7705 sqq. Sed num idem hic mos apud Indos orientales iam antiquissimis temporibus valuerit, nunc Indorum antiquitate melius cognita dubitari licet. Cf. R. V. hymn. X, 18 de eoque Roth, *Z. d. O. morgenl. G.* VIII, 467 sqq. Tantum constat eum morem non omnium Indorum communem neque commendatum fuisse inde a principio sacris eorum praeceptis. Sed postea quoque altera viduarum conjugia apud Germanos hic illic improbata esse multa docent, quae Grimm l. l. ac Philipps, *Ursprung d. Katzenmusik*, p. 54 sqq., protulerunt. Neque haec, si recte existimes, elevantur aliis testimoniis, velut Rotharis legg. I. 182: *potestatem habeat mulier* (apud Langob.) *vidua ad alium maritum ambulandi, liberum tamen* eisque, quae attulit Rive, *über die Deutsche Vormundschaft.* — *num. l. finire*] Vix crediderim his verbis prorsus idem dici, quod dicitur vv. *aut quemquam* cet., sed recte negare videtur Tacitus adhibitas esse apud G. eius generis res, quibus ne vivi nascerentur liberi impediretur. — *agnatis*] Eadem significatione, qua Hist. 5, 5, sunt, qui post familiam constitutam, ubi heres iam est, deinde nascuntur. Inspice l. l. (Louandre: *faire périr un nouveau-né*). Infantium tamen expositionem haud prorsus inusitatam fuisse compluribus testimoniis evincit Gr. *R. A.* p. 455 sqq. Fieri potuit, ut saepius in Germania boreali quam in G. occidentali liberos exponerent. Weinhold l. c. 74 sqq. Profecto autem per jus id facere tota Germania licebat non minus, quam eos vendere et interficere. Plerumque exponebant vel inopia adducti, vel quod infirmi videbantur liberi, vel quod erant portenta, vel suspectae originis. Et, nisi res singulares excusarent, improbabant. si exponebantur iam a patre sublati atque (id quod fieri solebat die octavo) aqua lustrati nominatique. Quid, quod parum recte exponere videbantur eos liberos, qui prima nutrimenta, lac vel mel, gustassent. Nec licebat exponere nisi aut patri aut legitimo tutori. Cf. Wilda, *Strafr.* p. 724 sqq., qui etiam legum posteriorum praecepta affert, quibus ne hoc fieret vetitum est. — *boni mores*] Cf. Hor. carm. III, 24, 35: *Quid leges sine moribus vanae* proficiunt cet. Carolus Magnus Legg. § 148 (Walter III, p. 607): *Ut*

(20) in omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in haec corpora, quae miramur, excrescunt. sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis aut nutricibus delegantur. dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas: inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. sera iuvenum venus, eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur; eadem iuventa, similis proceritas: pares validaeque miscentur, ac robora parentum liberi referunt. sororum filiis idem apud avunculum qui ad patrem honor. quidam sanctiorem artioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam et animum firmius et domum latius teneant.

2. *mirantur* C. *nec* A. *ne* B. *non* C. — *aut* B. *ac* A C. — 4. *dinoscas* A C. — *pectora sed t* puncto subnotatum B. *peccora* C. — 8. *ad* A C. *apud* B. — 9. *artioremque* A C. *arctioremque* B. — 10. *et in animum* A B C.

longa consuetudo, quae ad utilitatem publicam non impedit, pro lege servetur et, quae diu servatae sunt, permaneant. — *leges*] Cfr. Leg. Sal. antiq. Ed. Canc. II. p. 13. Rotharis in Peror. p. 753. Ed. W.: *Leges patrum nostrorum, quae scriptae non erant, condidimus.* Taciti vero temporibus omne Germanorum ius mera consuetudine nitebatur, sed sancte servata. ORELLI. Quo tempore et quibus initiis ortae sint Germanorum leges, multi disseruerunt, quos enumerat Hillebrandt, *Lehrbuch der Staats- und Rechtsgesch.* 1, p. 72 sqq. alii. Antiquissima legum barbarorum lex Salica esse videtur, cuius primordia inter paganos composita et lingua vernacula scripta esse J. Grimm et post eum alii probaverunt. Cf. J. Grimm, *Einleitung zu der l. Sal.* ed. Merkel p. LXVIII sqq. De Gotorum antiquissimis legibus cf. J. Grimm G. D. S. 1, p. 453, qui tamen, si Wackernagelium alios audias, haud satis recte *bellagines* veras leges fuisse existimavit.

20. *nudi* cet.] P. Mela 3, 3: *nudi agunt, antequam puberes sunt — viri sagis velantur.* Cf. c. 17. Perperam autem interpretes quidam statuerunt adiectivum quod est *sordidi* ad solum vestitum pertinere. Quod dicunt quotidie Germanos lavisse (c. 22), primum Tacitus h. l. maxime de parvulis agit infantibus, deinde, etiamsi lavabant, non tam elegantes videbantur quam locupletiorum Romanorum liberi. — *in hos artus, in haec c.*] Wölfflin, Phil. 26, 102: haec, quae quotidie hic (Romae) videmus. — *quae miramur*] Pomp. Mela 3, 3, 2: *qui habitant* (Germaniam) *immanes sunt animis atque corporibus.* Veget. 1, 1: (sine disciplina) *quid adversus Germanorum proceritatem* (Romanorum) *brevitas potuisset audere?* — *sua quemque mater*] Guta-Lagh 18, 3: *alsust sal izlich wip zu drien jaren eres kyndes warten.* Cf. Agricola 4. De educandis a matribus liberis Grimm *R. A.* 411 sq. Sed postea apud Germanos quoque hanc rem in peius vertisse docet Weinhold l. l. 79. — *delegantur*] Sic Dial. 29: *At nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae.* V. ipsi inest notio summae neglegentiae atque incuriae, qua parentes adversus liberos agant, eos ancillarum velut pleno arbitrio tradentes. Ex usu ICtorum proprie est substituere in locum nostrum debitorem, qui ex alia causa idem nobis debet, *anweisen*, *assigner*. Cfr. Ern. in Clav. Cic. in h. v. — *dominum ac servum*] Quod eriles liberi cum servis una primam pueritiam egerunt nec nomina alia erant illorum atque horum, multum ad leniendam servitutem contulit. Weinhold l. l. p. 80 sqq. N. L. 266 sq. — *aetas separet*] quando utrique ad pubertatem pervenerunt, victus et cultus ingenuos et servos distinguit. — *virtus agnoscat*] Species est προσωποποιΐας, „donec virtus tamquam suos, semet ipsa dignos agnoscat“; rhetorico modo pro vulgari: „donec ingenui ipsa virtute sua comprobent se fortiores atque audentiores esse.“ Sic *agnoscere* absolute pro merita alicuius et laudes ultro agnoscere. Seneca Ep. 120 extr. Plin. Epp. 5, 17. Pressius autem Taciti genus dicendi refert nostra ratio, quam interpunctio Cod. Stuttg., in quam incidit etiam Thierschius: *donec aetas separet, ingenuos virtus agnoscat.* — *sera iuvenum venus*] Caes. B. G. 6, 21: *qui diutissime impuberes manserunt, maximam inter suos ferunt laudem.* — *inexhausta pubertas*] vim generandi et vigorem per senectutem etiam durantem explicat Gesnerus in Thes. Pomp. Mela 3, 3: *longissima apud eos pueritia est.* — *festinantur*] Tacitus primus verbo transitivo *festinandi* passive usus esse videtur. Res, de qua h. l. commemorat Tacitus, postea mutata est, cum et leges et rerum memoria non rara afferant exempla, quibus vel sponsalia vel nuptias aetate naturae haudquaquam convenienti facta esse apparet. Weinhold l. c. 191. Orelli h. l. affert Liutprandi Legg. 2, 6: *Si quis puellam ante annos XII. sponsaverit aut tulerit, tunc ille, qui eam tulerit aut sponsaverit componat, sicut edictum de raptu continet, id est, DCCCC. solidos, medium regi et medium eidem infantulae, et ipsa revertatur in casam et in pecuniam suam et sit quieta*

heredes tamen successoresque sui quique liberi: et nullum testamentum. si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. quanto plus propinquorum, quanto maior affinium numerus, tanto

3. *quo* B. *tanto* A C. — *maior* A C. et corr. B. *magis* pr. B

usque ad iustum tempus. — *eadem iuventa*] *dieselbe Jugendstärke* Gerlach. Scilicet opponuntur virginibus Romanis, quae prope puellulae iam nubebant. Nolim equidem explicare: „eadem educatio, quae a puerorum educatione nihil differat; ideoque in eandem, qua iuvenes excellunt, proceritatem excrescunt.“ S. — *pares validaeque miscentur*] Caroli M. Legg. § 145: *Nullus praesumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare, nec in dissimili aetate, sed coaetaneos et sibi consentientes.* Sed hac ipsa lege C. M. veterem morem restituere studuit. — *sororum filiis*] Roscher *N. Ö.* 1, p. 476 parum, quod nobis videtur, apte suspicatur vetustissimis temporibus apud Germanos quoque eum morem fuisse, ut una mulier pluribus viris, qui fratres erant, nuberet, ita ut certum non fuerit, quis pater esset. Hac de sententia accuratius disserere supersedemus. Ipsi olim huic loco lucem afferre studuimus lingua ac moribus Germanorum adhibitis in commentatiuncula inserta in Monatsschrift des wissensch. Vereines in Z. 1, p. 431. Si reputemus, post patrem mortuum filium ei in familia tuenda successisse ipsumque *fratris* nomen praecipue sorores ei curae fuisse satis probare, non dubitabimus, quin inter sororum filios et alterum illum patrem arta quaedam necessitudo intercedere debuerit. Satis jam notum est substantivum quod est sanscrit. *bhrātar*, lat. *frāter*, got. *brōthar*, derivatum esse a radice, quae est *bhar*, ferre, et, si accuratius cognoscas, prorsus idem quod scr. *bhartar*, coniux (*bhāryā*, uxor). Necessitudinis, quae inter sororem ac fratrem intercedit, praeclarum documentum est, quod attulit Roth in luculento suo ad Jaskae Niructum commentario p. 25 sq.: *wie ein bruderloses Mädchen — dreister sich den Männern zuwendet* cet. Eodem spectat, quod apud Romanos sororis frater dicitur *avunculus* h. e. minor avus, ac nescio unde rectius quam ex *avo* explices priorem partem vocabuli Theotisci *ōheim*, *oeheim*, *Mutterbruder* et *Schwestersohn*, nec neglegendum eundem *nĕvo* dici. His linguae testimoniis adde, quae de avunculi officio disseruit Kraut in libro qui inscribitur *Vormundschaft* 1, 38 sqq. et quae Waitz exposuit D. V. 1^2, p. 62 sqq.; das salische Gesetz p. 111 sqq. Jam postremo loco commemorare nobis licet de singulis quibusdam locis, quos vel ex Taciti libris vel ex Nibelungiade attulerunt; cf. T. Hist. 4, 33; 5, 20, Nibel. 1853 sqq. Wackernagel, *Schw. Museum* 1, 98: früherhin mochte (bei der Namengebung) der Oheim etwa nur ein Vorrecht der Wahl besessen haben, der Oheim, der nach einer uralten Auffassung der Familienverhältnisse der zweite Vater und gleichsam auch ein Grossvater war, nur der kleinere, der *avunculus*. — *domum latius teneant*] quia sororis filiis obsidibus datis non solum avunculi sed etiam obsidum patris huiusque propinquorum fides obstringitur. — *heredes*] De Germanorum iure hereditario consule Grimm *R. A.* p. 466. Sybel *D. K.* p. 12. Waitz *D. V.* 1^2, p. 59 sqq. Maier, *Germaniens Urverf.* Hamb. 1798, p. 71 sqq. Roscher, N. Ö. 2, p. 232. Germanorum veterum et ius hereditarium et tutelae officium in consanguinitate erant sita. Moris ac iuris illorum est sexus virilis homines multo in hereditate mulieres antecedere: hae postea quoque vel post illos vel cum eis ita hereditatem adeunt, ut inferiores sint. Itaque, quos *liberos* dicit T., *filios* rectius intellegimus. Aetatis privilegium vulgo non fit. Sed si filii relicti non sunt, plerumque in iuris G. praeceptis proximum parentes gradum occupare debent, ac mireris apud Tacitum nullam omnino mentionem fieri inter heredes patris eius, qui mortem obierit filiis non relictis. Grimm *R. A.* p. 477. Verisimilius est a nostro omissum esse, quod rarius fieret, quam eum non commune omnium jus, verum singularia quaedam tantum instituta respexisse. Ceterum *liberis*, *fratribus* cet. non solum ipsi *liberi*, *fratres* cet. continentur, sed etiam eorum progenies (je die ganze Parentel). — *nullum testamentum*] Intellege ex Romano more rite scriptum, testibus firmatum, obsignatum, quo hereditas ad alios transire poterat atque ad quos naturâ pertinebat. Ceterum cfr. Gr. *R. A.* p. 482, qui testamentorum vestigia in legibus Langobardicis, Goticis, Burgundicis reperiri docet, non item in Francicis, exceptis tamen formulis saeculorum VI. et VII. Cf. Roscher l. l. Haud dubie testamentorum ratio maxime per Romanos innotuit Germanis, et prima in propria Germania testamenta a clericis in ecclesiae gratiam sunt facta (*sēlgeraete*). Sed quam parva primo testamentorum fuerit vis, docent dirae illae sanctionis formulae, quae eis addi solebant. Etiam extremo saeculo XV raro testamenta ab hominibus tertii gradus facta sunt, multo antea vivorum *munera*, quae vivis dabantur, quibus, qui donant, ipsi sibi aliquid detrahunt. — *quanto maior*] *quanto*, non *quo* recte h. l. *tanto* vocabulo respondere evincit Wölfflin, Phil. 26, p. 162 sq. — *gratiosior*] favorabilior, quia tales senes a multis simul propinquis affinibusque honore ac muneribus afficiuntur. — *nec ulla orbitatis pretia*] Etenim apud Germanos nulli heredipetae artes suas exercere poterant, quemadmodum iidem faciebant apud Romanos, cuiusmodi tamen comparationes semper lectori ipsi instituendas relinquit. Cfr. Seneca ad Marciam Consol. 19: *In civitate nostra plus gratiae orbitas confert quam eripit.* Ammian. Marc. 14, 6, 22: *nec credi potest, qua obsequiorum diversitate co-*

gratiosior senectus; nec ulla orbitatis pretia. (21) suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. nec implacabiles durant: luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum

l gratior
1. *gratiosior* A. — 2. *seu p. seu pr.* om. C. — 3. *poetarum* C.

luntur homines sine liberis Romae. Plin. Epp. 4, 16: ***nostro saeculo plerisque etiam singulos filios orbitatis praemia graves faciunt.*** Haec autem erant splendida munera, epulae, salutationes matutinae, patrocinium forense, ipsa denique testamenta heredipetarum.

21. *inimicitias*] *Inimicitiam* quam T. dicit *(capitalis inimicitia, vindicta)* Anglosaxonibus est *faehdh*, Theotiscis *faida, vêhede, vēde,* quo de vocabulo cf. Grimm, th. Th. s. v. *fehde.* Antiquissimum talium faidarum vestigium est apud Vell. Paterc. 2, 118, ubi Germani Quintilio Varo subdolas agunt gratias propterea, *quod solita ante armis decerni iure iam terminarentur.* Quae a Roggio D. G. p. 4 sqq., Thierry récits Merov. II, p. 1 aliis olim hac de re sunt disputata, a viris doctis recentioris aetatis et correcta sunt et accuratius definita, ex quibus praeter Waitzium D. V. praecipue nominamus Wildam, *Strafr. d. G.* p. 156 sqq., Koestlinium, Schmidtium in ind. leg. A. s. v. *Fehde* et *Fehdenrecht.* Qui scire velit, quid in singulis barbarorum legibus hac de re sit constitutum, adeat Davoud-Oghlovii hist. de la législ. Germ. Admodum apte Tacitus inimicitias suscipiendi officium arte coniunxit cum iure Germanorum hereditario, quippe cum illud universae fuerit familiae ac maxime proximi cuiusque. Germani cum in universum fuerint superbi ac facile, si quis ipsorum vel familiae jura laeserat, ira vehementi sint commoti, tum vero, si injusta unus ex proximis caede interfectus erat, accedebat hominis mortui veneratio. Inde orta est vindicta illa, quam Germani *rache* (a rad, *rēhhan*, goth. *vrikan*, sanscrit. *varj*, graece *Fεϱγ)* nominabant. Quam exercentes primo etiam ob leviora delicta aut iuris violationes eos qui violarant saepe occidisse a vero non abhorret. Verum apertam, non clandestinam esse oportebat hanc caedem, atque in conciliis indicium de ea profitebantur. Sed postea *rēhhan* nihil aliud significat nisi summo rem persequi iure et *rahha* hoc persequendi genus. — *necesse est*] „ex communi Germanorum sensu atque intima persuasione, apud quos familiarum vincula sint artissima.“ Nibelung. Str. 1854 post vv. exscripta ad C. 20: *Und ziehet in ze êren, unz er werde man. hât iu in den landen iemen iht getân, daz hilfet er iu rechen, gewahset im sîn lîp.* — *luitur* — *homicidium*] Wilda l. l. Haec quoque propter hominem occisum vindicta fortasse iam Taciti tempore atque etiam prius certo quodam tantummodo ambitu atque intra certum quoddam tempus lege erat concessa et in conciliis, si quando erat exercita, indicium eos, qui exercuerant, profiteri oportebat. Hactenus nobis de vindictae *iure* (Fehde*recht*) Germanorum dicere licet. At vero ea faida, quae quasi privatum bellum, quo ut duo populi, sic duae gentes familiaeve inter se iniusta causa dimicabant, omnibus temporibus improbabatur. Homicidii causa vindictam, quatenus homicidā interficiendo sumebatur, jam antiquitus leges et ecclesia tollere studuerunt, ita tamen ut semper qui eam iuste exercuisset minore poena a iudicio discederet quam alius generis homicidae. Sed jam Taciti tempore, quod h. l. videmus, homicidium quoque mitiore ratione lui poterat, pro certo tamen existimare debemus invitis eis, qui laesi erant, ei qui laeserat hanc rationem inire non licuisse, cum e contrario, si is, qui laesus erat, eius generis satisfactionem postularet, eum qui laeserat, solvere oporteret; quod si recusabat, aqua ignique ei publice interdicebatur. Ceterum quae exempla fabulis produntur vix negari potest eius generis satisfactionem interdum ita quoque ratam esse iudicatam, si non in concilio, verum privatim constitueretur. De *armentis* et *pecoribus* cf. Wackernagel Z. D. A. IX, p. 550. — *satisfactionem*] Eodem voc. utuntur, quamvis rarius, leges Germanicae, saepius *multa*, saepissime vero *compositione homicidii, wërigeld,* quod vocabulum cave confundas cum Langobardorum latioris sensus v. *widrigild* (Wiedervergeltung), cum *wërageld, wërigelt, wërgeld* vocabuli prior pars quin sit *wër(a)*, i. e. vir, vix dubitari liceat. Anglosax. est *leōd-geld, leōd,* in glossis Malloberg. *leodi, leudi*, quo de vocabulo cf. J. Grimm, praef. ad l. Sal. ed. a Merkelio, pag. LXIII, et, qui aliter explicat, Holtzmann, *über das Verhältniss der Malb. Glosse u. s. f.* p. 14. Cfr. Gr. *R. A.* p. 649 sqq., Waitz *D. V.* I², p. 402, Wilda, *Strafr.* p. 398 sqq., David-Oghlou l. l. Apud Langobardos ab eo, qui post acceptam satisfactionem inimicum occiderat, duplex multa exigebatur. Rotharis Legg. § 143. Wilda, *Strafr.* p. 369 sqq. — *universa domus*] Wilda, *Strafr.* p. 372 sqq. — *iuxta libertatem*] ex posteriore Latinitate pro „in libertate, inter liberos homines.“ Cfr. Hand Turs. III. p. 538. — *hospitiis*] Haec quoque opposita sunt depravatis Romanorum moribus, quos acerrime perstringit Ammianus Marcellinus 14, 6, 12 et 21. Caesar B. G. 6, 23: *hospitibus omnium domus patent victusque communicatur.* Lex. Burgund. 38, 11: *quicunque hospiti venienti lectum aut focum negaverit, trium solidorum inlatione mulctetur.* Capitul. 1 a. 802 (Georgisch p. 638): *Praecipimus, ut in omni regno nostro neque dives neque pauper peregrinis hospitia denegare audeat.* Gr. *R. A.* p. 399, Weinhold, N. L. p. 441 sqq., Schmid, *Ges. d. A. s. v. Fremde.* Hospitalitatis autem, quam maiores nostri exercebant, splendida exempla ubivis obvia sunt in Nibelungorum carmine, v. c. Str. 78, Str. 1127: *den*

numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem.

Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur; pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes; proximam domum non invitati adeunt. nec interest: pari humanitate accipiuntur. notum ignotumque, quantum ad ius hospitis, nemo discernit. abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi in vicem eadem facilitas. gaudent muneribus, sed nec data imputant nec acceptis obligantur. vinculum inter hospites comitas.

(22) Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur,

2. *iusta* B. — 3. *aliqua* B. — 5. *cum defeceret* C. — 8. *poposceris* B. Correxit alia m., *poposcerit* C., *poposcerunt* A. — 10. *vinclum* — *comitas*. Lachmann. *victus* — *comis* A B C. — *hospites* A B. *homines* C. — 11. *e* C et corr. B. *enim* A et pr. B.

gesten hiez er schenken (vil gerne tet man daz), mete den vil guoten und den besten wîn. — *pro fortuna*] „pro cuiusque re familiari plus minusve copiosis ac lautis.“ — *cum defecere*] scil. cibi; „cum epulas amplius praebere hospiti non possunt.“ C. 24: *cum omnia defecerunt.* Ern. Halm, *c. St.* p. 23, ann. 18 Tacitum haec parum accurate narrare dicit, cum plerumque per tres tantum noctes hospiti in eadem domo manere licuerit; sed hae tres noctes posterioris esse temporis videntur. — *notum ignotumque*] Nibelung. Str. 38: *vil der edeln spîse si* (regis hospites) *von ir müede schiet und wîn der aller beste, des man in vil getruoc. den fremden und den kunden bôt man êren dâ genuoc.* — *abeunti*] Ita cum Hagano ab oppido Bechelaren profecturus a Gotelinda poscit Nudungi scutum, illa statim annuit: „*den schilt wil ich iu geben.*“ Nibelung. Str. 1638. Et epulae et dona, quae abeuntibus -sed non tantum hospitibus abeuntibus — dabantur, proprio nomine dicebantur *letzi*, quo de vocabulo cf. Benecke-Müller, mhd. W. s. v. Adde, quae hac de re docte disseruit J. Grimm in commentatione sua „schenken und geben.“ — *vinclum i. h. comitas*] Sic luculenter emendavit librorum lectionem, quae est *victus inter hospites comis*, Lachmann in commentario in Lucr. p. 247, nisi quod, si Wölfflinum audiamus, scribere debebat plenius *vinculum*. Quae verba iam per se ita sunt perspicua, ut interpretatione omnino non opus sit. Satis notum Tacitum locos, quibus de certa quadam re egit, acuta aliqua concludere solere sententia. Rectissime Reifferscheid, coniectanea in T. G.: quibus indicibus cave ne adnumeres verba (cap. 21) *victus inter hospites comis* in marginem ab aliis reiecta. Quam coniecturam probare vetamur et sententiae conformatione ab indicibus aliena et egregia Lachmanni emendatione cet. — *obligantur*] verbi causa, ut post munera accepta nullam unquam *faidam* cum donatore ineat.

22. *in diem*] Opponitur hoc Romanorum mori, qui plerumque ante lucem evigilabant, acriterque desides illos reprehendere solebant, qui *iam claro mane fenestras intrante* adhuc *stertebant.* Pers. 3, 1. Sybel *D. K.* p. 10: *Der deutsche Keorl (freie Landsasse) erscheint bei Tacitus ganz beherrscht von der Neigung zu seliger Unthätigkeit, die einzig durch die Lust an gefahrvoller Anstrengung, an Jagd und Krieg, gebrochen wird.* Ac toto de loco bene Passovius: „Ceterum singula fere huius capitis verba institutis Romanis opposita sunt. Surgebant Quirites ante lucem, lavabantur post pilam, iunctis sedibus cenabant; ne quis in urbe cum telo esset, legibus XII. tabularum cautum erat, ante lucernas potare ignominiosum habebatur, per convivia denique mutua diffidentia regnabat. De convictibus Germanorum plura servavit Posidonius p. 136, 141. Bake.“ — *saepius calida*] Gerlach. p. 129 varios locos afferens, (in quibus sane notabilis Herodiani 7, 2, 12: *εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς τὸ νήχεσθαι ἐγγεγυμνασμένοι, ἅτε μόνῳ λουτρῷ τοῖς ποταμοῖς χρώμενοι*), Tacitum errasse suspicatur: verum hic agitur de quotidianis lavationibus domi inter somnum et prandium factis, ubi non facile semper satis vicina erant flumina. Praeterea loquitur de hieme, maiore apud illos anni parte. Orelli. Ceterum satis recte J. Grimm in thesauro linguae Theot. s. v. *bad* Wackernagelii sententiam, qui huius vocabuli originem esse existimat verbum, quod est *baejen*, refutare nobis videtur, quamquam Germanos per medium aevum calidis praecipue lavationibus usos esse non ignoramus. — *cibum capiunt* cet.] De prandii cenaeque tempore et modo, quae posteriore erant aetate, cf. Weinhold, *D. Fr.* 386 sqq., *N. Leben* 150 sqq. Num satis accurate Tacitus suam cuique *mensam* apud veteres Germanos esse dixerit, dubitaverim. Ceterum *mensa* vocabulo vere Germanico dicitur a Gotis *biuds*, a Theotiscis *piot*, quo eodem vocabulo

saepius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. lauti cibum capiunt: separatae singulis sedes et sua cuique mensa. tum ad negotia, nec minus saepe ad convivia procedunt armati. diem noctemque continuare potando nulli probrum. crebrae, ut inter vinolentos, rixae raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. sed et de reconciliandis in vicem inimicis et iungendis affinitatibus et asciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat. gens non astuta nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci. ergo detecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est. deliberant, dum fingere nesciunt; consti-

2. *seperate* A. — 5. *trausfiguntur* B. — *sed et* A B. *sed* C. — 9. *adhuc* C. *adhec* A B. — *ioci* A C. *ioci* (*ł loci*) B. — 10. *retrectatur* superscr. *a* B.

(bëód) ab Anglosaxonibus *patina* significatur *Mēs* autem Goti, *tisc* Theotisci mutuati sunt a Romanis, nec mirum, quod substantivo *tisk* (discus) similiter ac *biuds* s. olim non minus *patinam* quam *mensam* dicebant. Cf. Weigand, *D. W.* s. vv. *Beute* et *Tisch*. — *tum ad negotia*] Gr. *R. A.* p. 765. Sed non solum publica h. l. negotia dicit Tacitus, verum etiam privata, cum rem domesticam et agrariam non adeo neglexisse Germani sint putandi, ut ne imperarent quidem unquam, quae fieri vellent. — *ad convivia*] Usum hunc permansisse etiam per mediam aetatem compluribus testimoniis docet Gr. *R. A.* p. 869. Hic quoque addendum a Tacito etiam privata dici convivia et quotidiana et festa, velut cum liberi erant nati aquave lustrati, cum filii arma acceperant, cum sponsalia nuptiaeve fiebant, cum paterfamilias erat mortuus aliisque oblatis occasionibus. Cf. librum suavissimum Wildae, Gildewesen des Mittelalters. Halae 1831. — *vinolentos*] dicitur etiam de temulentia ex alio ac vini potu orta, veluti cerevisia, qua frequentius utebantur Germani. De Caesaris auxiliaribus Appian. B. C. 2, 64: *μάλιστα αὐτῶν οἱ Γερμανοὶ γελοιότατοι κατὰ τὴν μέθην ἦσαν*. Cfr. Ann. 11, 16, de Cheruscorum vinolentia. — *raro conviciis*] Nibelung. Str. 2: *daz enzimt niht helde lip, daz si suln schelden, sam diu alten wîp.* — *caede*] Hinc in Leg. Salic. (Merkel. XL. III): *Si quis in convivio, ubi quinque fuerint et unus ex ipsis fuerit interfectus, — illi, qui remanent, aut unum convictum de se dare debent aut toti morte illa coniactent* cet. — *de reconciliandis*] Sic per mediam aetatem inimici inter se reconciliandi unum idemque poculum unus post alterum siccabant. — *invicem*] Sunt qui explicent hoc vocabulum *ab altera parte, contra*. Cf. Hand Tursell III, 457. Wackernagel Z. D. A. 9, p. 547: *invicem ist, wie sonst im silbernen Zeitalter, Partikel des Gegensatzes.* Tamen non esse videtur cur hoc quoque loco *invicem* esse pro *inter se* negemus. — *asciscendis principibus*] Igitur omnis generis principes interdum etiam inter convivii laetitiam asciscebantur sive renuntiabantur, oblatis procul dubio interdum etiam muneribus symbolicis. — *bello*] Exempla habes Civilis Hist. 4, 14. et 29. — *simplices*] omnia sine astuta reticentia vel ambagibus aperientes, candidas ac sinceras, *offenherzig*. Similiter A. 1, 69: *non enim simplices eas curas*, sed dolosas. *Simplicibus* hoc sensu homines opponuntur obscuri. Cic. de Off, 3. 13., et audacius etiam ab Horatio C. 1, 6, 7. *duplex Ulixes*. Cfr. Ruhnk. ad Tim. Lex. p. 87., qui affert ex Plat. Polit. 8. p. 547. E. *ἁπλοῦν καὶ ἀληθῆ* oppositum *κιβδήλῳ*. — *non astuta nec callida*] Cfr. Doederlein Synon. III. p. 216. — *adhuc*] „non ut nos Romani intimos sensus etiam in conviviis abscondere solemus; contra apud illos nunc quoque *verax aperit praecordia Liber*" — *licentia ioci*] Quam inepta sit Lipsii lectio *loci*, a Walthero acriter defensa, optime demonstrat Gerlach p. 130. *Iocos* utique amabant Germani inter compotationes. Sic in convivio Burgundionum apud Rudegerum Nibelung. Str. 1612: *gemelicher sprüche wart dâ niht verdeit; der reite vil dô Volkêr, ein degen küene unt gemeit.* — *mens postera die retractatur*] Haec sane iungenda neque vero cum Passovio ex Ed. Vindob. distinguendum: *nuda omnium mens. Postera* cet., qua ratione inita inanem *περισσολογίαν* cum praecedentibus efficerent vv. *detecta* - - *mens*. Verum hoc dicit: „quae inter compotationem simplici et aperto animo deliberarunt statueruntque, de iis postera die denuo consilium ineunt, ante novam temulentiam", id quod per se intellegitur. *Mens* autem h. l. pro vulgari „consilium detecta - - mente captum". — *salva*] „utrique tempori suum servatur ius, et ei, quo bene poti consultant, et ei, quo adhuc sobrii sunt".

tuunt, dum errare non possunt. (23) potui uumor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus: proximi ripae et vinum mercantur. cibi simplices, agrestia poma, recens fera aut lac concretum. sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. adversus sitim non eadem temperantia. si indulseris ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis quam armis vincentur.

5. *indulxeris* superscr. *s* A B.

23. *umor ex hordeo*] Est Gallorum *cervesia* sive Hispanorum *caelia*, *Bier*. Cfr. Plin. N. H. 22, 25, 82. ORELLI. De variis huius potionis apud varios populos nominibus cf. Pauly, Realencyclop. s. v. *cerevisia*, Pictet, les origines Indo-Européennes II. p. 319 sequ., Weinhold, D. Fr. 217, Wackernagel Z. D. A. 6, 261, Grimm, th. Theot. I. s. v. *bier*, Ignaz Petters, Beitrag z. D. Wortforschung 1. sqq., Pott, Wurzelwb. I, 192, alii. Tantum constat, non unum aliquod potionis, quae ex hordeo frumentove parabatur, omnium simul Indogermanorum nomen commune hodie exstare, neque abhorret a vero *bior* vocabulum vel a Romanis vel a Slavis sumptum esse, quamquam Petters vere germanicum esse haud inepte probare studuit. Aliud quoque cerevisiae nomen, quod apud Saxones et Germanos boreales viguit hodieque viget, in l. a. bor. *öl* i. e. *alu* cet. peregrinum esse censet Grimm l. l. Tertium eius rei nomen est *grût*, *grûz*; cf. Müllenhoff et Scherer, Spr. D. pag. 329. Ceterum de Germanorum veterum ac recentiorum potionibus aliis quoque luculenter et diligenter disseruit Wackernagel l. l. Profecto etiam antiquitus *metum* quem dicebant Theotisci potabant Germani; Indorum or. est *madhu*, potus inebrians. Cf. Pyth. apud Strabonem C. 201: παρ' οἷς δὲ σῖτος καὶ μέλι γίγνεται, τὸ πόμα ἐντεῦθεν ἔχειν. — *aut frumento*] Triticum dicere videtur Tacitus, quod saepissime communi hoc nomine appellatur. — *corruptus*] fermentatione praeparatus. Ukert G. p. 212: *durch Gährung bereitet*. Louandre: *qui, par la fermentation, se rapproche du vin*. — *Corrumpendi* verbo non solum in eis rebus utuntur, quae fiunt peiores, sed in eis quoque, quae aliis rebus admixtis ex naturali sua condicione in aliam transeunt. Poculorum mentionem fecere Caesar et Plinius; ille B. G. 6, 28: *Urorum cornua studiose conquisita ab labris argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur*; hic N. H. 11, 37, 45: *Urorum cornibus barbari septentrionales potant, urnisque bina capitis unius cornua implent*. De alius generis poculis cf. Grimm G. D. S. I. p. 143 sqq. De poculorum nominibus germanicis cf. Grimm, gr. III, 457 sq. Nomini, quod est *stikls*, respondere videtur Lit. *stiklas*, quo quidem vocabulo *vitrum* significatur. — *vinum m.*] Iam ex eis vocabulis, quae maxime ad vinum parandum pertinent, velut *Kelter*, *Torkel*, *Presse* similia, recte concludas aliquanto posteriore tempore Germanos ipsos vinum parare didicisse. Cf. Wackernagel l. l. — *agrestia poma*] quae nunc dicimus *Holzäpfel*, *Holzbirnen*, nullis insitionis ceterisque culturae artibus in minus asperum sucum gratioremque saporem mitigata; *pomaria* enim non conserebant C. 26. Praterea maxime cogita de fragis, moris ruborum ac similibus bacis. Cf. etiam Wölfflin, Phil. 26, 130. — *recens fera*] opponitur mori, quo Romani, ut nunc quoque faciunt Itali, feras in venationibus confectas, quo laxior fieret caro, post unum demum alterumve diem a coquis praeparandas curabant. Pompon. M. 3, 3: *Victu ita asperi incultique, ut cruda etiam carne vescantur aut recenti aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovarunt*. De *cruda* carne dubitare licet, nisi cogites de fumigata vel etiam in sole torrefacta, qua solent etiamnunc vesci Raeti montani. Certe Posidonius p. 141: προσφέρονται κρέα μεληδὸν ὠπτημένα· atque apud Tacitum quidem *recens* non potest cum aliis explicari *cruda*. ORELLI. Sed non solum *fera*, piscibus, avibus vesci solitos esse Germanos veteres, verum etiam carne equina, bovina, ovina sim. satis constat. Ceterum revera postea quoque boreales quidem Germanos interdum cruda carne esse usos docet Weinhold, Nord. Leb. 147 sq., quanquam ferocium tantum hominum id esse iudicabatur. — *lac concretum*] nominatum *skyr* apud Germanos boreales. Non caseum butyrumve a T. dici, de quibus vide Grimm G. D. S. p. 1002 sqq., Wölfflin Phil. l. l. argumentis ex linguae latinae indole desumtis docere studet. De *lactis concreti* etiam apud Asiaticas quasdam gentes usu cf. Ritter, Asien I, p. 433. Ceterum probe novimus praeter carnem, agrestia poma, l. concr. alios quoque cibos jam vet. G. notos fuisse. Cf. quae ad verba *satis ferax* cap. V. disseruimus. Panis genus aliquod quin eis innotuerit, non dubitamus; praecipue autem *pulte ex avena facta* populos Germanos vixisse Plinius N. H. 18, 149 memoriae prodidit. Pultem ac maxime pultem a Plinio nominatam diu praecipuum Germanorum cibum mansisse cum multa alia docent tum quod apud nos hodie quoque vocabulo *muos* maxime *habermuos* significatur. — *blandimentis*] condimentis aliisque gulae irritamen-

(24) Genus spectaculorum unum atque in omni coetu idem. nudi iuvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu iaciunt. exercitatio artem paravit, ars decorem, non in quaestum tamen aut mercedem: quamvis audacis lasciviae pretium est voluptas spectantium. aleam, quod mirere, sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate ut, cum omnia defecerunt, extremo ac

3. *excitatio* C. — *parat* C. — 5. *expectantium* A C. — *miretur* C. — 6. *defecerint* B.

tis, velut sisere, halece, garo, qualia enumerat Horat. Sat. 2, 8. Sed posterioribus temporibus, medio quod dicunt aevo, prorsus alium morem peregre etiam Germaniam invasisse docet Wackernagel l. l. — *si indulseris*] Luther (wider hanswurst): *Das trinken ist ein böses altes herkommen in Deutschland, wie der Roemer Cornelius schreibt, hat zugenommen und nimmt noch zu.* — *vitiis*] „temulentiae vitio, cui nimium indulgent ceterisque cum illo fere coniunctis, partim iracundiae, partim segnitiae". Facetum *ἀντίθετον* cum *armis* frustra quaesivit Cod. Bamb. scriptor *vino* ultro substituens.

24. *genus spectaculorum*] Haud mirum nullam prorsus hic fieri mentionem ludicrorum inter equites certaminum multo postea frequentissimorum (*tiost* i. e. Francog. *juste*, prov. *josta* ex lat. *juxta*; *buhurt*. med. l. *behordium*, Francog. *bohurt*, prov. *beort.*) De ludicris batuendi exercitationibus Gudrun Str. 369. Ziemann: *wir habenz uns ze rehte, daz sîn allertegeliche phlëgent ritter und die knehte.* ORELLI. Eius generis, de quo T. memorat, saltationes (Schwerttänze) usque in saeculum XVII in Hassia sunt exercitatae; Lyncker, Hess. Sagen, no. 321, Winkelmann, Beschreibung von Hessen, pag. 374, quo loco eiusmodi saltationem describit, Grimm, D. Sagen 2, 241. De Dithmarsorum eiusmodi ludicris Neocorus, 2, 566 (Dahlmann) narrat, de Germanorum borealium Weinhold, N. L. pag. 466 sq. Ex hoc loco maxime apparet recte Tacitum de arte et decore esse locutum. *Die Männer schwangen (noch im 16. Jahrh.) zuerst unter einem dreimaligen Umtanz die Schwerter in den Scheiden in die Luft, zogen dann blank und bewegten sich unter Lufthieben nach bestimmten Formen durch einander, so dass ihre Klingen eine sechseckige Rose bildeten. Plötzlich lösten sie diese auf und über dem Kopfe jedes einzelnen zeichneten sie im Fechten eine viereckige Rose. Dann bewegten sie sich heftiger und rascher, schlugen die Schwerter gegen einander und beendeten mit einem raschen Rückwärtssprung das schöne Spiel, zu dem Musik und Gesang ertönten.* Cf. etiam Wackernagel Z. D. A. IX, 312 et Müllenhoff Z. D. A. X, 557. Nuperrime Müllenhoff, vir praeter ceteros rerum Germanicarum peritus, accuratissime hunc locum tractavit in commentatione *Ueber den schwerttanz.* Berlin 1871. — *nudi iuvenes*] Non prorsus nudos fuisse ex posteriorum more satis probat Müllenhoff l. l; Winkelmann l. l.: *bedecket mit einem weissen Hembd.* — *se saltu iaciunt*] De vocabulis Germanicis, quae ad saltandum pertinent, cf. Weinhold, D. Fr. 369. Gotorum *laiks* (leich) proprie *saltum* significat, Theotiscorum *tumōn* est *rotari*; Wackernagel, Litteraturg. p. 41, n. 18. — *infestas*] adversas; voc. indicat, quam periculosum sit id ludicrum. Vim bene expressit Louandre: *des framées qui les menacent.* — *paravit*] Aoristus significat hanc artem iamdudum in communem Germanorum morem cessisse et a plerisque exerceri itaque apud omnem nationem ex ea decorem parari; praesens, quod alii habent, paucos duntaxat ad hunc honorem pervenire significaret. — *quaestum*] ut solebant circulatores sive ioculatores Romani tales artes lascivas plebeculae spectandas exhibere. — *in quaestum*] De praepositionis *in* usu cf. Draeger, S. des T. p. 31. Ex substantivo quod est *exercitatio* sumendum est *exercent.* — *audacis lasciviae*] Lyncker, Hess. Sagen, p. 240, narrat anno 1571 Ibae in vico ad Fuldam sito in eiusmodi ludicro unum ex saltatoribus gladio transfixum esse. Ceterum recentiore tempore spectantes nummos, lardum, ova, farcimina quasi pretium ultro conferebant. — *mercedem*] Significat gladiatorum potissimum auctoramentum, ad quod patrimonio comeso homines perditi Romae saepe confugiebant. — *aleam*] „qui nobis est merus ludus, etsi interdum rei familiari perniciosus atque idcirco legibus vetitus (Beckers Gallus ed. 2. p. III, p. 259, Hor. 3, 24, 58: *vetita legibus alea*), Saturnalibus tantum permissus; hunc, quasi res esset perquam seria, sobrii exercent iidem Germani, qui contra *de pace ac bello plerumque in conviviis consultant.* C. 22". ORELLI. De aleae apud Germanos lusu cf. Weinhold, D. Fr. p. 85, N. L. p. 468 sqq. Daemoniaci quiddam in aleis inesse, ut Indos, Germanos quoque iudicavisse testis est J. Grimm, Myth. 841, 136. — *lucrandi — temeritate*] *temeritas*, quae mentis est condicio, aptius cum verbo *ludendi* coniungeretur; sed Tacitus sententia admodum concisa coniungit cum verbis quae ludi eventum significant. — *extremo ac novissimo*] Similiter atque ipse Cicero de Divin. 2, 43 iungit *extremum atque ultimum.*

novissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. victus voluntariam servitutem adit: quamvis iuvenior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur. ea est in re prava pervicacia: ipsi fidem vocant. servos condicionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsolvant. (25) ceteris servis non in nostrum morem discriptis per familiam ministeriis utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, iniungit: et servus hactenus paret. cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur.

5. *discriptis* Reifferscheid. *descriptis* A B C. — 6. *ministeriis* C. *ministris* superscr. ab al. m. *teriis* B *ministris* A. — *utuntur* om A. — 7. *ut c.* A C et corr. B. *aut* pr. B. — *et servus* A C. *ut servus* superscr. ab. al. m. *et* B. — 8. *exequantur* C.

Hoc autem loco quam efficacissime Tacitus exprimere voluit, cum omnia, quae quis per aleam perdere possit, defecerint, eum tandem audere etiam illum iactum, qui de ipsa libertate decidat, (*extremum* relatum ad priores, *novissimum*, post quem iam nullum ultra temptare liceat, *entscheidende und letzte).* Ceterum idem prorsus de Hunnis tradit Ambrosius de Tobia C. 11 apud Lipsium. ORELLI. Lubet hic maxime Indorum facere mentionem, qui inde a vestustissimis temporibus aleae lusum vehementissime exercuerunt. Iam in Rigvedi carminibus ceterum plerisque ad religionem pertinentibus exstat aleatoris cantilena eum lusum detestantis (Roth, Litt. u. Gesch. des Veda, p. 8 sq.), ac Nāli fabula omnibus satis nota est. Ceterum fieri non potuit, quin in Germania quoque legibus aleae lusus, qui lucrandi causa fieret, vetaretur. Cf. Weinhold l. l., Beneke-Müller s. v. *würfelspil.* — *voluntariam*] Grimm R. A. p. 327. — *iuvenior*] Hac forma utitur etiam Columella 9, 11, 9. Plin. Epp. 4, 8. Appul. Met. 8, 21. — *alligari*] Ut iam ex lexicis uberioribus notum est, ab antiquis etiam scriptoribus praepositionis vi prope exstincta usurpatur *alligandi* verbum eadem sententia qua *ligandi* vel *vinciendi.* — *servos condicionis huius*] servos dediticios, ut alii ob inopiam interdum sponte servi fiebant. Gregor. Turon. 7, 45: *subdebant se pauperes servitio, ut quantulumcunque de alimento porrigerent.* Gr. *R. A.* p. 327. — *tradunt*] Cfr. A. 4, 72: *Frisii postremo corpora coniugum aut liberorum servitio tradebant.*

25. *ceteris*] Opponuntur eis, quos propter quendam pudorem *per commercia tradunt*, id est, aliis populis remotioribus, etiam Romanis vendunt. Ceteri autem quibus rationibus servi sint facti docet I. Grimm R. A. p. 320 sqq. Praeter hunc cf. Waitz D. V. 1², 182 sq., *Dahn* in commentatione sua, quae inscribitur *Leibeigenschaft*, Staatswörterbuch von Bluntschli und Brater. De servorum apud Germanos generibus disseruit Wackernagel Z. D. A. IX, pag. 532, 537. De eorum condicione cf. insuper Wilda, Str. 652 sqq., Weinhold N. L. p. 433 sqq. Nomina germanica, quae servum significant, enumerat atque interpretatur Grimm R. A. 302. *Sclave*, quo vocabulo hodie utimur, est mediae latinitatis *Sclavus*, *Slavus* (der Slave), et simili modo ortum atque Anglosax. *vealh*, servus. Schmid G. d. A. s. v. Ceterum Tacitus h. l. unius tantum servientium generis condicionem describit, eorum, quos non inepte comparaveris eius generis hominibus, qui postea *liti* vel *hoerige* appellabantur ac lenius ab eris habebantur. Wackernagel l. c., Waitz l. l. p. 183. — *ministeriis*] „ut apud nos distinguitur familia rustica ab urbana, et in hac cuique proprium assignatum est ministerium“, qualium ingens numerus memoratur praesertim in Inscriptionibus. — *suam quisque*] servi, inquit, non ut apud nos cum contubernalibus suis habitant in angustis cellis in ipsis heri aedibus constructis. Rhetorice autem rem exornat *sedem* dicens pro casa sive tugurio, *suos Penates regit* pro „suae familiae praeest“. — *frumenti modum cet.*] Cf. Grimm R. A. 258 sqq., 362 sq., 378 sq., Wackernagel l. l. — *colono*] de his vide Gr. *R. A.* p. 559. ORELLI. Sed Tacitus h. l. dicit colonum *Romanum*. De hoc cf. Walther, Röm. Rechtsgesch. § 484. — *hactenus paret*] „nulla fere alia ministeria ei imponi solent“; nam domestica officia (*cetera*, quibus apud Romanos servi fungebantur,) ab uxoribus ac liberis vel etiam ab infirmissimo quoque ex familia (*Gesinde*(?), operi rustico parum idoneo, (C. 15.) curabantur. Recte Gr. *R. A.* p. 350. notat haud nimis stricte accipienda esse vv. *et — — paret.* Certe servo, si domino in mentem venisset ministerium aliquod ab eo exigere, legitimum ius non erat id renuendi vel litem ero intentandi. Cfr. Waitz *D. V.* I². p. 183. — *cetera officia*] „die übrigen Leistungen, nämlich die Dienste des Hauses“. Quae enumeravit Tacitus proprie non *officia (Dienste)* dici debebant, et scriptor *cetera-officia* dicendo alius generis rem adiungit. De hoc usu vocabulorum, quae sunt *alius* et *ceteri*, cf. Kritz

verberare servum ac vinculis et opere coërcere rarum. occidere solent, non disciplina et severitate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune. liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus quae regnantur. ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

(26) Faenus agitare et in usuras extendere ignotum; ideoque magis servatur quam si vetitum esset. agri pro numero cultorum ab universis

3. *liberti - - argumentum sunt*] In A B omnia haec omissa in fine demum c. 26. occurrebant; sed B etiam hic habet inferiore margine, signo ad v. *impune* posito; adscripta sunt („atramento dilutiore; omittitur *et super ingenuos;* non autem altero loco c. 26.“ BOECKING.) cum notula: *in hoc loco potius.*

ad Sall. fr. h. I, 10, p. 12. Simili modo Graeci saepius vocabul. ἄλλος, Indi or. v. *anya* sunt usi. — *uxor*] quae postea quoque vel in regia ea praecipue, quae ad ciborum apparatum et vestitum pertinebant, curabat. Cf. Weinhold, D. Fr. — *verberare - - rarum*] Opponuntur haec Romanorum saevitiae in servos. Cfr. Gr. *R. A.* p. 344. — *opere coërcere*] velut cum Davo minitatur Horatius, *accedes opera agro nona Sabino* Sat. 2, 7, 118., vel cum in pistrinum detrudebantur. De servorum apud Romanos poenis cf. Becker, Gallus, ed. 2., II, pag. 121 sqq. Ceterum, quod modo insequentia verba satis docent, idem Germanorum in servos suos erat ius quod Romanorum, et in legibus barbarorum quas dicunt servi inter cetera animalia numerantur. — *occidere solent*] Hoc domini ius valuit, donec per Christianam doctrinam paullatim abolitum est. Cfr. Gr. *R. A.* p. 344. — *liberti*] qui non ut apud Romanos certum populi ordinem ac partem constituebant, sed tantum media condicione erant inter eros, qui eos manumiserant, eorundemque servos. Perperam Ernesti coniecit legendum esse *libertini*, cum Tacitus priore loco haudquaquam aliquo de ordine loquatur. Vetustissimum (?) autem manumissionis ritum clare praecipiunt Leges in Anglia conditae. Ed. Canciani IV. p. 401. (Schmid, G. d. A. 476): *Qui servum suum liberat in ecclesia vel mercato vel comitatu vel hundreto, coram testibus et palam faciat, et liberas ei vias et portas conscribet apertas, et lanceam et gladium quae liberorum arma sunt in manibus ei ponat.* De manumissione apud Langobardos v. Rotharis Lex 225: *Dominus ipse quartus ducat eum in quadrivio - - et sic dicat: De quattuor viis, ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem.* Cfr. Muratorii Antiqq. m. aevi I. p. 847, de triplici modo manumissionis apud Francos Brequigny-Pardessus Dipl. I. p. 233, Gr. *R. A.* p. 331 sqq., Waitz. D. V. I[2], 174 sqq. Manumissus a Germanis dicitur *frīlāz*, f. *frīlāza*; *fralēts* apud Wulfilam est ἀπελεύθερος. De manumissionis apud G. boreales ratione *(leysing)* et libertorum ibi condicione cf. Weinhold N. L. 438 sqq. — *raro aliquod momentum*] Haec omnia respiciunt ad nimiam potentiam atque iniquitatem libertorum apud Romanos per corrupta imperii tempora. Aspere obiurgat fratrem Quintum nimis facilem libertis suis iam Cicero Epp. 1, 1. Atque memento Chrysogoni Sullae, Demetrii Pompeii, Pallantis et Narcissi Claudii libertorum. — *impares*] inferiores ingenuis. DUEBN. Ceterum haec de libertorum potentia apud *gentes quae regnantur* pertinent ad *Marcomanos. Quadosque* C. 42., *Gotones* C. 43., *Suiones* C. 44. Regum sane tantummodo favore atque indulgentia momenti aliquid in regia et in ipsa civitate adipisci poterant liberti. Cf. Waitz D. V. I[2], 364: auf das Verhältniss zum Könige kam alles an: weil jemand dem K. diente, ward er erhoben; ob er näher oder ferner stand, darauf wurde gesehen. Auch der *Lite* oder *Freigelassene* konnte so zu höherer Stellung gelangen. De Anglos. cf. etiam Leo, rectit. p. 172 sqq.

26. *faenus agitare*] pro magis solita loc. *f. exercere* A. 6, 16.; res utique, si modus servetur, licita; non est enim *Wucher treiben*, sed *Geldgeschäfte machen, trafiquer de l'argent;* nihilominus reprehensio inest, nam opponitur hoc nimiae Romanorum faeneratorum avaritiae. *Debita* autem etiam apud antiquos Germanos certis sub formulis coram iudiciis exacta esse apparet ex eorum legibus. Cfr. Gr. *R. A.* p. 614. et 866. — *in usuras extendere*] praeeunte Thierschio Act. phil. Mon. III. 3. p. 470 Bach et Duebner exponunt: „ita ut etiam usurarum faenus agitetur, ex ipsis usuris usurae rursus capiantur priori sorti *(Kapital)* adiectis; qui est *anatocismus*“. Alii, ut Walther, explicant: „pecunias faenore auctitare“, sive: „per longam annorum seriem eiusdem sortis non redactae (Hor. Epod. 2, 69.) usuras iusto tempore exigere“. Verum, hoc si voluisset, quidni apertius scripsisset *per usuras*? ORELLI. Cf. *Hennings, über die agrarische Verfassung*

in vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi camporum spatia praebent. arva per annos mutant: et superest ager. nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terrae seges imperatur. unde annum quoque ipsum non in totidem dige-

l prebent
1. *in vices* A. *invicem* B. *vices* C. — 2. *prebent* B. *prestant* A. *p̄stant* C. — 3. *labore* A C.
l labore
laborare B. *l laborare* margo A. — 4. *seperent* A. — *et hortos* C. *et*
ut B. *ut* A. — *ortos* A.

der alten Deutschen, Kiel 1869, qui coll. c. 17 *partem vestitus in manicas extendere* cum Walthero recte nostri loci verba ita interpretatur, ut Tacitus Germanos sorti usuras adicere neget. — *servatur*] „abstinentia faenoris" sive „non faenerari", quod ex sententia totius loci supplendum. De legibus Romanis cfr. Ann. 6, 16. Duebn. Ceterum Hennings l. l. tam scite, cur Tacitus hac de re ita esset locutus et quam arte haec cum proximis cohaererent, docuit, ut parum recte Halm c. St. 19 de toto hoc loco existimare videatur, cum dicit studio quodam artis perverso sententiam prope absurdam esse effectam. — *agri cet.*] De hoc loco praeter I. Grimmium, Sybelium alios nuper diligentius disseruerunt Hostmann, die altgerm. Ldw. 1855, Waitz, D. V. I[2], p. 102 sqq., 132 sqq., Hanssen, neues staatsb. Magazin VI, p. 1, sqq., idem, über die Gehöferschaften, Berlin 1863, et Geschichte der Feldsysteme in Deutschland, Tübingen 1865; Roscher, haben unsere Vorfahren in Tacitus Zeit ihre Landwirthschaft nach dem Dreifeldersystem getrieben? in Berichte über die Verhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften, Leipzig 1858, Hennings, über die agrar. Verf. der alten Deutschen, Kiel 1869. *Agri* h. l., quod verborum rerumque contextus satis docet, ei sunt agri, qui arandi sive potius in universum colendi sumuntur *(Ackerländereien)*. — *ab universis*] i. e. liberis cultoribus, qui in universitatem quandam, velut vicorum cet., coierunt. — *occupantur*] plerique ita interpretantur, ut de prima aliqua terrae, quae proxime capta est, occupatione Tacitus loquatur; sed nemo, quod sciam, docuit *occupandi* verbum semper ad eos homines easve res pertinere, quibus primum potimur. Insuper his capitibus agitur de re Germanorum privata, non de ratione, quam illi in rebus publicis constituendisque civitatibus secuti sint. — *in vices*] Haec optimi libri A lectio quomodo ceterarum lectionum fons existere potuerit accuratius ea de re existimantibus facile apparet. *In vices* autem nobis significare videtur *nach Wechsel*, ut vel duo homines vel res aut plures plurave deinceps se excipiant. Sed quaeritur, num hoc vocabulum maxime ad *universos*, an ad *occupationem*, an ad *agros* pertineat. Recte Hennings ad agros maxime pertinere contendit, ut alii post alios agri quos ararent occupari soliti sint. Simili modo Schroeder, Centralblatt 1866, n°. 10: *in gewissen Zeiträumen abwechselnd nehmen die einzelnen Gemeinden (universi) neue Feldstriche (Hauberge) in Angriff.* Eandem fere sententiam praebet lectio libri B *invicem*, quae nescio an J. Pontani sit coniectura, ac parum recte Wackernagel Z. D. A. 9, 547 eam lectionem ita tueri studet, ut *invicem* hoc quoque loco particulam esse adversativam statuat, cum vix, quod v. d. existimavit Tacitum haec opponere de faenore modo dictis, cuiquam probet et ipsa vocabuli collocatio eius sententiae vehementer repugnet. Quod in libro Bambergensi legimus *vicis*, cum aliis hodie quoque probat Waitz, D. V., sed ut codici Bamb. aliquid auctoritatis concedamus, quomodo W., praesertim qui primam h. l. occupationem dici censeret, de *vicis* cogitare potuerit, non intellego. Temere loci difficultati mederi conatus est Ritter, qui vocabulum *invicem* induxit, neque ita multo melius Ribbeck Tacito consuluit, cum quod A praebet *in vices* in adiectivum mutavit *indivisi*. — *secundum dignationem*] Fuerunt qui haec verba ad agros referrent, ut dignationis vocabulo pretium sive aestimatio significaretur; sed ut concedamus alibi et alias apte de agrorum dignatione vel dignitate dici posse, sane ab hoc loco alienum est, quod, qui veterum Germanorum agriculturam rationemque agros omnium communes dividendi accuratius noverunt, luculenter docent. *Dignatio* hoc quoque loco ad homines h. e. cultores pertinet eorumque statum ac condicionem in civitate significat. Qua ratione eorum meliores partes fieri potuerint, Hennings l. c. exemplis demonstrat. — *arva per annos mutant*] Hic quoque quaeritur, utrum Tacitus homines inter se mutasse arva, an arva arvis mutasse dixerit. Cf. Hanssen, Gesch. der F., pag. 7. Sed quamquam satis hodie constat agros illo tempore universorum fuisse communes et singulas partes certas quasdam, sed non semper easdem esse divisas, hoc tamen loco, quo de *arvis* i. e. de eo agro, qui aratur et conseritur, agitur, multo praestat ipsorum arvorum intellegere mutationem. Eos autem longe a vero aberrasse interpretes, qui Moe-

runt species: hiems et ver et aestas intellectum ac vocabula habent; autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

(27) Funerum nulla ambitio: id solum observatur ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. struem rogi nec vestibus nec odoribus cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adicitur. sepulcrum caespes erigit. monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernantur. lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde ponunt. feminis lugere honestum est, viris meminisse.

3. *observatur* A C. *observant* B. — 5. *adicitur* C. *adijcitur* A. *adiicitur* B. — 8. *est* om. C.

sero auctore hanc arvorum mutationem illam dici putaverunt, quam *Dreifelderwirthschaft* hodie vocamus, nuper Roscher, Hanssen alii praeclare docuerunt. Hanc agros colendi rationem, quae etiam in Italia haudquaquam erat ignota, Tacitus ut verbis arva p. a. m. describeret, fieri non potuit, ac multa, quae hic enumerare longum est, ostendunt, eam a Germanis, qui Taciti tempore fuerunt, iniri prorsus non potuisse et in Germania aliquot demum postea saeculis innotuisse. Recte eam rationem, qua in agris colendis usi sunt illi Germani, *Graswirthschaft* dixeris. Agrum semel vel bis aratum et consitum per plures annos ita quiescere sinebant, ut pro pascuo esset itaque stercoraretur. — *superest ager*] Verbum *superesse* apud Tacitum non semper eadem esse sententia qua *superare*, *abundans esse*, sed non minus interdum prorsus idem valere quod *reliquum esse*, *relinqui*, satis docuit Hennings, p. 44; *ager* autem opponitur *arvis*, et omnes agri, qui universorum est cultorum, eas complectitur partes, quae certo quodam tempore non frumenti parandi causa coluntur, praecipue autem pascua perpetua (allmend). Iam si comparaveris Caesaris de Germanorum veterum agricultura locos de B. Gall. 4, 1 et 6, 22, priore loco facile concedas de singulari quodam Sueborum illo tempore perpetuo bellantium usu scriptorem loqui, ceterum utriusque loci praecipuam vim non ita multum distare ab eis, quae Tacitus prodidit. Nihil causae est cur etiam Taciti aetate praeter ipsas cultorum domos atque adiacentes hortos agrum apud Germanos privatum non fuisse negemus. — *labore contendunt*] „non id quaerunt, ut improbo labore uberius etiam ac prope amplius, quam suapte natura est, solum efficiant, ut hic pomaria plantent, illic prata separent ab arvis (etenim pascuorum satis ipsum solum iis sponte praebet, ut nobis Helvetiis Alpes), neque ut inanis oblectationis gratia flores in hortis riguis colant"; quibus omnibus Romanorum artificiosam, immo luxuriosam agricolationem perstringit. De pratis cfr. imprimis Columellae 2, 17: *necessarius aratori cultus est etiam prati, cui veteres Romani primas in agricolatione tribuerunt.* — *seges imperatur*] „solam segetem a terra ut debitum mortalibus tributum requirunt"; rhetorice pro: „frumentum tantummodo ex agrorum cultura quaerunt". — *annum quoque i. cet.*] I. Grimm olim Mythol. 718 haec Taciti verba non ita accurata esse neque omnium Germanorum in tres tantummodo partes annum dividendi communem fuisse usum censuit, sed alio loco, G. D. S. pag. 74, ipse se corrigit atque ita recte haec Tacitum dicere iudicat, si de autumno, quem Romani dicunt, h. e. de vindemia et messe pomorum intellegamus. Vocabulum, quod est Agls. *hearfest*, Theot. *herpist*, recentiore demum tempore eam anni partem significare coepit, quae *autumnus* a Romanis dicebatur. *Veris* nomen in lingua vet. Theot. est *lenzo* sive *lenzin*, quod iam ex ampliore forma *lengizin* ortum esse videtur. Sed antiquius est populorum borealium *vār* eiusdem radicis *vas*, quae subest Graeco ἔαρ i. e. *Ϝέσαρ*, Latino *vēr* h. e. *veser* cet. Cf. Aufrecht, Zeitschr. für vgl. Spr. I, 350 sqq. Significatur hoc vocabulo liquidum laetumque tempus, quod tristem excipit hiemem. *Winter*, Gotis *vintrus*, atque apud eos etiam ut nostrum *lauprisi anni* nomen, num, quod Leo Meier existimat, eiusdem sit radicis cuius Graecorum *Ϝέτος*, dubito. *Sumar* vocabulum nobis comparare licet cum Hib. *samhra* (*samh* sol et aestas). Totus annus coniunctis hiemis et aestatis nominibus potuit indicari, velut in carmine de Hildebrando:

Ich wallōta sumaro enti wintro sehstig.

Ceterum Dübner ad Taciti verba haec annotavit: Quod Anglica lingua verum esse probat, qua ver, aestas, hiems Germanicis vocabulis dicuntur *spring*, *summer*, *winter*, autumnus Latine *autumn*. Nam *harvest* (Germanicum *herbst*) ipsis significat messem.

27. De funeribus Germanorum diligenter disseruerunt J. Grimm, *über das verbrennen der leichen*, Weinhold, *die heidnische Todtenbestattung*, Sitzungsber. der Wiener-Akademie XXIX, p. 167 sqq., Ettmüller in docto suo prooemio Beovulfi interpretationi praemisso, p. 52 sqq., Weinhold, N. L. p. 474 sqq. — *ambitio*] ut apud Romanos, qui etiam funeribus quam maxime sumptuosis et ludis gladiatoriis ab heredibus editis populi favorem captabant. Sic teste Plinio 33, 10, 47 a. u. c. 745 Isidorus libertus *funerari se iussit H-S. unde-*

Haec in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, [quae nationes e Germania in Gallias commigraverint,] expediam.

3. *V. V. quae-commigraverint* del. censet Reiffersch.

cies cent. mill. — *certis lignis*] non promiscuis, sed usu ac more communi ad id semel destinatis ac statutis. ORELLI. Haud inepte h. l. de lignis querneis aut fagineis cogitaveris (Weinhold l. c. p. 481); sed pro certo affirmare licet crassiora haec ligna fuisse circumdata sive intexta sentium certo quodam genere, velut rubi, qui a Gothis *aihvatundi* nominabatur, rhamni, cui apud Theotiscos *depandorn* sive *depadorn* nomen est. Cf. Grimm l. l. p. 28 sqq. — *struem rogi*] De *strava* cf. Müllenhoff de G. p. p. 26, n. 4. De aliis multis *rogi* et *struis rogi* nominibus cf. Grimm l. l. Gentibus borealibus est *bāl*, *hladhr*, *köstr*, Anglosaxonibus *âd* (*eit* ignis), *bael*, Theotiscis *eit*, *saccari*, *hurt*, *pīgo* — *crementur*] Hunc priscorum Germanorum ritum abrogavit Carolus M. Monum. Paderborn. p. 302 (Pertz, 3, 49): *Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit et ossa eius ad cinerem redegerit, capite punietur.* BACH. Cf. Grimm, l. l. p. 40. p. 44. — *nec vestibus*] Contra Ann. 3, 2. in funebri per Italiam Germanici cinerum pompa *equites vestem (Teppiche), odores aliaque funerum sollemnia cremabant.* Cfr. etiam, quae de Poppaeae exsequiis narrat Ann. 16, 6. Sed postea similia apud Germanos facta esse satis constat. — *quorundam igni*] Cogita de principibus aliisque viris fortitudine praecellentibus. — *et equus*] *ille bellator equus* C. 14., quo quis in proeliis ultimum vectus erat. Addebantur omnino quae cuique vivo fuerant carissima, viris arma, mulieribus et pueris, quae eis summae fuerant voluptati. Ettmüller in commentatione supra memorata p. 54: *Lēt Egill giöra haug ā framam erdu nefinu; var thar ī lagdar Skallagrīmr ok hestr hans ōk vāpn hans ōk smidartōl*, i. e. Egil iussit ibi parari tumulum in terrae lingua in mare eminente. Ibi collocatus Skallagrim et equus eius et arma et fabri ferrarii instrumenta. Ceterum uxores quoque superstites maritis suis et servos simul cum eris suis mortuis interdum crematos esse fabularum et historiae testimonia docent. Cf. Grimm et Weinhold ll. cc. — *sepulcrum caespes erigit*] rhetorice pro vulgari: „sepulcrum e caespite erigitur"; prorsus ut apud Sen. Epist. 8, 4: *hanc* (domum) *utrum caespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest.* — *arduum*] excelsum, ac propterea *operosum*, ut Augusti mausoleum, Cestii pyramidem, quas Seneca de Brev. vitae 20: *magnas moles sepulcrorum* appellat. — *gravem*] quae monumentorum constructio aperte repugnare videbatur Tacito solitae illi in titulis precationi: SIT·TIBI·TERRA·LEVIS· Omnia, quae de Germanorum tumulis tradit, mirifice confirmantur ex iis, qui passim per Germaniam atque Helvetiam reperti et accuratius perquisiti sunt. De Helveticis autem nemo diligentius eruditiusque egit, quam amicus meus, Ferdinandus Keller: *Allgemeine Bemerkungen über die Heidengräber in der Schweiz. Mittheil. der antiq. Gesellschaft in Zürich.* XI. *Z.* 1847. OR. Cf. Grimm l. l. pag. 81. — Sane operae pretium est cum Taciti de funeribus narratione ea conferre, quae Caesar de B. G. VI, 19 de funeribus Gallorum tradidit: *Funera sunt pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa: omniaque, quae viris cordi fuisse arbitrantur, in ignem inferunt, etiam animalia, ac paulo supra hanc memoriam servi et clientes, quos ab eis dilectos esse constabat, iustis funeribus confectis una cremabantur.* Cf. etiam Mela III, 2, 3. Id vero desideramus in hac Taciti de Germanorum sepultura relatione, quod nullam mentionem facit cantuum funebrium, de quibus insigne exstat testimonium apud Iornandem C. 41: *Cum Vesegothae Theodericum regem diutius exploratum, ut viris fortibus mos est, inter densissima cadavera repperissent, cantibus honoratum - - abstulerunt.* ORELLI. De carminibus lugubribus (*sisura*, Francor. Rib. *dādsisas*, *leidsanc*, *charaleih* cet.) accurate et luculenter, ut solet, disseruit Müllenhoff de ant. G. p. p. 25 sqq. qui haud scio an omnibus probaverit iam Taciti aetate et dudum eum morem valuisse, quamvis negari non liceat recentiore aetate in hac quoque re multa accessisse. Atque a vero non abhorret iam illo tempore, quod postea factum est, carmine aliquo breviore adhibito rogum esse incensum. Ceterum non est cur dubitemus, quin populi mare accolentes mortuos suos navibus potius tradiderint, quae illos ad locum destinatum aveherent. — *lacrimas cito*] Per tres primos dies post funus effusissimo luctui indulsisse videntur, inedia quoque sese macerantes. Certe Nibelung. Str. 1012: *Dô was etelicher, der drier tage lanc vor dem grôzen leide niht az noch entranc.* ORELLI. Medio quod dicitur aevo luctum in septimum vel in tricesimum diem extendebant. Walter, corp. iuris germanici II, p. 625: *Fideles pro defunctis amicorum et parentibus eorum ieiunia et oblationes triginta dies adimplere faciant cet.* De conviviis tricesimo die in memoriam mortuorum sollemniter celebrari solitis cf. Wilda, Gildewesen p. 6 sqq. — *feminis lugere*] Sic Chriemhildis Nibelung. Str. 1045: *si klagete unz an ir ende*

(28) Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit; eoque credibile est etiam Gallos in Germaniam transgressos: quantulum enim amnis obstabat quo minus, ut quaeque gens eva-

1. *auctor* A. *autor* B. *auctorum* C.

die wîle werte ir lîp. — *viris meminisse*] Hinc generosissimus ille Wolfhardus ad avunculum Hildebrandum iamiam moribundus Nibelung. Str. 2239: *Unde ob mich mîne mâge nâch tôde wellen klagen, den naehsten unt den besten den sult ir von mir sagen: daz si nâch mir iht weinen, daz sî âne nôt; vor eines küneges handen lig ich hie hêrlîchen tôt.* Wilda l. l. pag. 9 infima. — *in commune*] „Adiectivis praefixa praepositio format notionem modalem, quae etiam adverbio exprimi potest (*εἰς κοινόν*). Hic usus ad seriora maxime tempora attinet". *Hand,* T. III, 330. Perperam Kritz ex hoc aliisque locis effici putat, Tacitum diutius in Germania esse versatum. Cf. Wölfflin, Philol. 26, 163. — *singularum gentium*] De his lectorem delego ante omnes ad Gerlachium, qui de singulis copiose disseruit; deinde addo, quae post amicum Zeuss et Ukert in medium attulerunt; nam hic omnia rursus accumulare supervacaneum ac molestum videbatur. ORELLI. Nobis neglegere non licet, quae post huius libri editionem priorem J. Grimm, Müllenhoff alii his de rebus multa et gravia attulerunt. — *quatenus*] Cf. Wölfflin, Philol. 25, 120. — „Halmii coniectura *quaeque nationes* verborum coniunctio efficitur, non tollitur rerum mire sociatarum discrepantia. Contra omnia bene se habent eiectis verbis *quae nationes ... commigraverint*: nempe olim eis, quae mox secuntur, pro indice ascripta erant": *Reifferscheid.*

28. *summus auctor*] „scriptor in hac re prae ceteris eminentis auctoritatis omnique fide dignissimus" — *tradit*] Bell. Gall. 6, 24: *Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella inferrent, propter hominum multitudinem agrique inopiam trans Rhenum colonias mitterent.* Adde Livium 5, 34: *tum Segoveso sortibus dati Hercynei saltus.* — *transgressos*] Sed recte I. Grimm G. D. S. p. 126, 723 statuisse videtur relictos potius esse in Germania hos Gallos, quam eo *transgressas* ex Gallia. — *permutaretque*] „rursusque pro lubitu alias rursus quaereret". — *promiscuas*] „nondum certis finibus inclusas, sed primo cuique occupanti patentes". — *divisas*] „nondum inter certos populos vel regna stabilem in modum separatas, ita ut novi advenae veteres habitatores prius debellare deberent". Lectio Tur. Bamb. Spir. aliarumque Edd. vett. *diversas*, praelata a Passovio, Hessio, Walthero, etsi nunc novi aliquid praesidii nacta est a sec. manu Cod. Periz., tamen minus placet, quoniam hoc v. huic loco minus apte significaret „sedes e regione sibi sitas, *in entgegengesetzter Richtung liegend*". — *inter H.* cet.] De aspera hac verborum structura cf. Wölfflin, Phil. 26, p. 101. — *Hercyniam silvam*] Cfr. imprimis Caesar B. G. 6, 25, quo auctore sexaginta dierum iter in longitudinem, novem dierum iter patebat in latitudinem, ita ut a Danuvii fontibus usque ad Daciae fines pertineret itaque hoc communi nomine omnes Germaniae montes a monte Abnoba usque ad montes Carpathos continerentur. Quam late postea singulis montibus magis cognitis Hercynii saltus nomen patuerit, accurate docent Zeuss D. p. 2 sqq., Ukert G. p. 111 sqq. *Ἀρκύνια ὄρη* nominat Aristoteles, *Ὀρκύνιον δρυμόν* Ptolemaeus, *Ἑρκύνιον δρυμόν* Strabo: unde satis apparet, *h* sonum vocabulo parum recte additum esse. *Hercynius* adiectivum est derivatum a substantivo Gallico *cyn*, altitudo, praemissa particula *ar, er.* Cf. Zeuss, gramm. C. 109, 867. — *Moenum*] „Frustra *Oenum* malebat Schwarzius. Cfr. Io. von Müller Hist. Helv. L. 1. C. 2. extr". S. *Moeni* quoque nomen esse Gallicum et proprie *fluentem* significare docuit Glück in commentatione sua, quae inscribitur Rēnos. Moinos u. Mogontiăcon, pag. 10 sqq. Bene vidit Dilthejus hic agi de aevo dudum praeterito, nec frustra apud Ptolemaeum 2, 11 regionem Silvae nigrae quae dicitur nominari *Ἑλουηττίων ἔρημον.* WALTH. — *Helvetii*] Cfr. Hist. 1. 67. Io. v. Müller Hist. Helv. Lib. 1. C. 2. extr. Zeuss *D.* p. 222. Ukert *Gallien* p. 342. *Germ.* p. 336. Sedes eorum ad Moenum, ipsis expulsis, memorat Ptolem. 2, 10. ita: *ἡ τῶν Ἐλουηττίων Ἔρημος μέχρι τῶν εἰρημένων Ἀλπίων ὀρέων*, id est, usque ad Abnobam montem, ubi Danuvius oritur. Ipsum autem Helvetiorum desertum quaerendum in finibus septemtrionalibus Silvae nigrae Alpem asperam versus, hodie *die Rauhe Alp. Helvetiorum* nomen eodem modo ab *Helviorum* sive *Elviorum* nomine est derivatum, quo *Cingetius* cet. Glück Kelt. N. bei C. pag. 112. — *Boii*] iidem de quorum parte Caesar B. G. 1, 5: *Boii qui trans Rhenum incoluerant et in agrum Noricum transierant.* C. 29. *Boios petentibus Haeduis – –, ut in finibus suis collocarent, concessit.* Aliam huius nationis partem funditus delevit (*ἄρδην ἠφάνισε*) sub Augusto Boerebistes, Dacorum rex, teste Strabone 7. p. 304., unde *deserta Boiorum* prope lacum Pelsonem (h. *Plattensee*) Plin. 3, 24. Tertiam denique eorum, qui in Germania remanserant, patriis ex sedibus pepulisse dicitur Maroboduus (infra C. 42. Vellei. 2, 108. 109). — *Boihaemi*] apud Vell. 2, 109 *Boiohaemum*, unde h. *Böhmen.* Strabo 7. p.

luerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas? igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Moenum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. manet adhuc Boihaemi nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Osis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam commigraverint, cum eodem adhuc sermone institutis moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem utriusque ripae bona malaque erant.

2. *divisas* A. C. *divisas* superscr. ab al. m. *uer*, ut sit *diversas*, B. — *hirciniam* superscr. ab al. m. *e* B. *hircyniam* A. *hercinam* C. — 3. *ultraque* om. B. — 4. *Boihaemi* Müllenhoff.
h
boihemi A. *boiemi* B. *boiemi* C. — *sigficatq.* i. e. *significatque* A C. *signatque* B. — 5. *arauisci* superscr. ab al. m. *n* B. — *a boiis* A B C, *osis* margo B. — 6. *osci* C. — *commigraverunt* C.
quia
— 7. *quia* C. *qui* B. *qui* A.

290: *τὸ Βουΐαιμον τὸ τοῦ Μαροβούδου βασίλειον*. Cfr. Zeuss *D*. p. 244. Ukert *Gallien* p. 322. *G*. p. 339. ORELLI. Luculenter Müllenhoff Z. D. A. 9, 242 docuit *Boihaemum* esse scribendum, cum J. Grimm G. D. S. 539, 781 *Boihēmum* formam explicare temptasset. Est vox hybrida, composita ex populi Gallici Boiorum nomine et Germanico *haims*. Hodiernum *Böhmen*, apud veteres Theotiscos *Bēeheim*, forma integriore *Bajahaims* nititur. — *mutatis cultoribus*] quoniam Boios expulisse dicuntur Marcomani. — *Aravisci*] *Eravisci* Plinio 3, 25., *Ἀραβίσκοι* Ptolemaeo 2, 16. Uterque eos Pannoniis adnumerat. Zeuss *D*. p. 257. ORELLI. Habitabant in dextra Danuvii ripa prope lacum Pelsonem. Zeussio (gr. Celt. p. 775) populi Illyrici nomen Celticum esse videtur, quod proprie fluv. Arabonem accolentes significet. — *Osis*] Cfr. C. 43. Cf. Müllenhoff Z. D. A. 9, 134. Habitabant Osi a tergo Quadorum ad minores montes Carpathos. — *Germanorum natione*] Si Tacito haec vv. tribuenda sunt, (nec video, cur otiosus aliquis haec inculcarit, quippe cum libellus hic ab interpolationibus integer manserit ideo maxime, quia in scholis vix unquam legebatur), significant: „qui vulgo inter Germanos referuntur“, sive potius: „qui num sint Germ. natio, nunc in incerto relinquo“ (nam vv. *Germanorum natione* pars sunt eius sententiae, quae Tacito videtur incerta). „Vv. *Germanorum natione* inde a Passovio solent damnare coll. C. 43.; sed hi duo loci illis verbis deletis non magis consentiunt. Si enim Osorum Pannonica est origo, certum est, hos in Germaniam immigrasse. Manet igitur neglegentiae crimen: itaque manebunt etiam verba ista“. 8. — *eodem adhuc sermone*] *Pannonica lingua* l. l. — *utriusque ripae*] Danuvii, cuius ripam dextram Aravisci, sinistram Osi accolebant. — *Treveri*] Bell. Gall. 8, 25: *Labienum - - in Treviros mittit, quorum civitas, propter Germaniae vicinitatem quotidianis exercitata bellis, cultu et feritate non multum a Germanis differebat.* Eorum caput Augusta Treverorum (Mela 3, 2.) h. *Trier*. Cfr. Zeuss *D*. p. 216. Walckenaer *Geographie des Gaules* II. p. 274. Ukert *Gallien* p. 360. ORELLI. *Treveros* proprios esse Gallos, non Belgas docet Zeuss *D*. 187. De Trevirorum nomine cf. Glück K. N. bei C. 155 sqq., qui non compositum, sed a substantivo quodam Gallico derivatum esse statuit. — *Nervii*] florentissimus Belgicae populus. Cfr. Hist. 4, 66. Eorum oppida Bagacum, *Bavay*. Camaracum, *Cambray* cet. Zeuss *D*. p. 214. Walckenaer I. p. 470. Ukert *Gallien* p. 374. — *circa affectationem*] „cupide sibi vindicant Germanicam originem“. De hoc praepositionis *circa* usu serioris latinitatis cf. Draeger, Syntax § 86. — *inertia Gallorum*] Agr. 11: *Gallos quoque in bellis floruisse accepimus: mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate.* — *Vangiones* cet.] Zeuss *D*. p. 221 docet apud Ptolemaeum 2, 9, ubi nunc est: *Γερμανία ἡ ἄνω, ἐν ᾗ πόλεις ἀρχομένων ἀπὸ τοῦ ὄβριγγα ποταμοῦ, Νεμητῶν μὲν Νοιόμαγος. Ῥουφιάνα. Οὐαγγιόνων δὲ Βορβητόμαγος. Ἀργεντόρατον. Λεγίων ἡ Σεβαστή, Τριβόκκων δὲ Βρευκόμαγος, Ἔλκηβος* vel auctoris ipsius vel librariorum esse errorem et verba sic transponi debere: *Οὐαγγιόνων μὲν Βορβητόμαγος. Ῥουφιάνα, Νεμητῶν δὲ Νοιόμαγος, Ἀργεντόρατον κτλ.* Atque similem transpositionem Zeussii ignarus suadet Walckenaer 1. p. 520, nisi quod Argentoratum *(Strassburg)* II. p. 315 tribuit Tribocis. Ceterum Borbetomagus, h. *Worms*, Noviomagus h. *Speyer*, Breucomagus h. *Brumt* sive *Brumat*, Elcebus h. *Hell* sive *Elle*. Cfr. praeterea Ann. 12, 27: Hist. 4, 70., item Gerlach ad h. l. et Ukert *Gallien*, p. 359. Tres autem hi populi cum non solum compareant inter Ariovisti copias (Caes. B. G. 1, 51), sed (4, 10) Triboci, (6,

Treveri et Nervii circa affectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt, tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

(29) Omnium harum gentium virtute praecipui Batavi non multum

1. *Nervii* Rhenanus, *neruli* A C. $\overset{h}{\textit{neruli}}$ B. — *citra* superscr. ab al. m. *circa* et litt. *tr.* punctis subnot. B. — *germanice* A. *germanię* C. *germanę* B. — 4. *treboci* C. — *ne Ubii*, Gruterus: *nubii* A C. $\overset{h}{\textit{nubii}}$ B. — 9. *batávi* B. *batavii* AC.

25) Nemetes clare in sinistra ripa collocentur, merito colligas cum Zeussio, eos populos iam ante Caesarem illuc immigrasse, certoque fundamento destitutam esse Walckenaerii II. p. 276 opinionem, id factum demum esse a. u. c. 725 post Treveros rebelles a Nonio Gallo domitos, Dio 51, 20., qui tamen de tribus illis populis nihil omnino tradit. ORELLI. I. Grimm, G. D. S. p. 497, hos tres populos Suebis adnumerat. *Vangionum* nomen re vera ex lingua Germanica *(wang,* planities) deductum esse videtur. Grimm l. l. nos de *Vangione* Suebo et de posteriore multorum nominum parte, quae est *wang, wangen,* admonet. Sed *Tribocorum* et *Nemetum* nomina quod existimavit esse Germanica, a vero aberrasse videtur. Zeuss D. 219; gr. C. 759 et Glück l. l. 158 Celtica esse docent, ut *Tribŏci* sint *per clivos habitantes.* De *Nemetum* nomine cf. etiam Beiträge zur vergl. Sprf. 4, p. 130 sqq. — *ne Ubii quidem*] qui Caesaris tempore, quocum adversus Suebos pugnarant (Caesar B. G. 4, 8. 11. 16. 19. 6, 9), in dextera Rheni ripa e regione Trevirorum habitabant, sed cum continue a Transrhenanis vexarentur, a M. Agrippa a. u. c. 715 in sinistram traducti sunt. Ann. 12, 27. Cfr. Zeuss *D.* p. 8. Ukert *Germ.* p. 349. *Gallien* p. 364. ORELLI. De Ubiorum quoque nomine in diversum abeunt virorum doctorum sententiae. Grimm G. D. S. 526 sq. a vocabulo Germanico *apa* putat derivatum, quod idem significet atque *aha, ahva,* et *Ubios* dici fluminis Rheni accolas existimat; Müllenhoff Z. D. A. 9, 130 sq. ad gentis mores esse referendum nomen dicit atque ex *ubja, uppi* (üppig) adiectivo originem ducere, ut *Ubii* sint *superbi, opulenti.* — *meruerint*] propter fidam cum Romanis societatem. — *Agrippinenses*] cfr. Hist. 4, 28: *actae utrobique praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis, eiurata patria, Romanorum nomen, Agrippinenses vocarentur.* Inde nomen *Grippigenland.* Grimm G. D. S. 527. — *conditoris sui*] Plerique interpretes h. l. de Agrippina minore, Germanici filia, cogitant, quam Tacitus Ann. XII, 27. (a. u. c. 804) coloniam (Agrippiniensem) in oppidum Ubiorum (de variis eius loci nominibus cf. Wölfflin, Phil. 25, p. 101) deduxisse narrat. Haud dubium est, quin Tacito *conditoris* vocabulo mulierem significare licuerit, cum *conditricis* forma postremae demum sit Latinitatis, sed *sui* pronomen, quod vix cum Sellingio reflexivum quod dicunt esse credideris, suspicionem movet, Tacitum h. l. de Agrippa potius cogitasse, cui ipsi quoque rationem quandam cum Ubiis intercessisse notum est, et annalium loco l. errorem commissum tacite correxisse. — *arcerent*] Transrhenanos a finibus imperii Romani.

29. *Batavi*] Zeuss *D.* 100 sqq., Grimm G. D. S. 584; 603. Apud poëtas variat quantitas penultimae. Iuv. 8. 51: *domitique Batavi,* et sic pronuntiant eorum posteri. Contra Lucan. 1, 43: *Vangiones Batavique truces.* De nominis, quod etiam in Theotiscorum vet. *Pazzauwa, Pazzawe* (Batava castra), nostro *Passau* occurrit, origine inter se dissentiunt I. Grimm Z. D. A. 7. 472 sq. et Müllenhoff, ib. IX, 235, 251, qui recte, quod equidem existimem, cum Zeussio et ipso Grimmio G. D. S. 588 de vocabulo gotico *bats* (melius) cogitat, ut *Batavi* vel felicitate vel virtute praeter ceteros praediti sint dicti. Utrum nominis terminatio eadem sit, quae in nominibus Celticis (Z. gr. C. 746) an, quod M. significare videtur, Batavorum nomen genetivo prisco *Batavē* nitatur, in incerto relinquimus. Quo tempore immigraverint, non constat; sed iam Caesar in novis sedibus (*insula Batavorum*) eos deprehendit. B. G. 4, 10. Inscriptio autem (Inscr. L. (OR.) N. 176) *GENS· BATAVORVM· AMICI· ET· FRATRES· ROM· IMP·*, quam hic certatim afferunt Interpretes, subditicia est aeque atque altera similis (N. 177). Utraque vero conficta

ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt, Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus in quibus pars Romani imperii fierent. manet honos et antiquae societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii reverentiam. ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et caelo acrius animantur.

h

1. *chattorum* C. *cattorum* A. *cattorum* B. — *populis* C. — 6. *matiacorum* C. — 8. *batávis* B.

est ex hoc ipso Taciti loco. „Cfr. de rebus Batavorum Bruiningii Commentarius - - de rebus Belgicis, Batavicis, Frisicis cet. Lugd. Bat. 1818 et Ersch. und Gruber *Encyclopaedie* VIII. p. 70.“ S. — *non multum ex ripa*] „non magnam partem ripae Rheni sinistrae incolunt extra insulam illam, quae praecipua eorum sedes est“. (Eam describit Plin. 4, 29). Plerique falso exponunt: „non longe a ripa,“ cui sensui parum conveniret particula *sed*. Recte post Waltherum accepit Zeuss *D*. p. 100. — *insulam Rheni*] Zeuss l. l. Batavi eius insulae partem orientalem incolebant, ubi postea *Batuae* nomine pagus situs erat hodieque Over Betuwe et Neder Betuwe nomina audiuntur. — *Chattorum qu. p.*] Cf. Hist. 4, 12. Non recte I. Grimmium *Batavorum* nomen a *Battis*, qui Chattorum essent pars, deduxisse docet Müllenhoff, Z. D. A. IX, 235. Mirum est apud Velleium (Z. D. p. 100) propter Canninefates Batavorum loco memorari *Chattuarios* neque inepte Zeuss hoc nomine utramque gentem contineri suspicatur. De *Chattuariis* eorumque rebus cf. etiam Zeuss p. 337 sqq., Müllenhoff, Verz. der R. Provinzen p. 520 sq., 529. — *in quibus*] „unde factum est, ut fierent;“ de eventu, non de consilio. Duebn. — *contemnuntur*] „nec tributis impositis contemptus victoris iis ostenditur.“ Id. Vel, si mavis: „non adeo viles habentur a nobis, ut tributa iis imponamus.“ — *atterit*] „quia tributorum sunt immunes, publicani ad Batavos non penetrant iniustisque exactionibus eos vexant ac pauperes reddunt.“ Cfr. Hist. 4. 12 et 5, 25. — *oneribus*] statutis et annuis; *collationibus*, quae tamquam munera imperatoribus a populo et a provincialibus ultro offerebantur maxime post publicam aliquam calamitatem, interdum etiam extorquebantur, unde Traianum laudat Plin. Paneg. 41 ob *collationes remissas*. Prorsus voluntariarum exemplum praebent illae, quae oblatae sunt Germanico A. 1, 71. — *Mattiacorum*] Zeuss D. 98 sq., Ukert G. 298, Grimm G. D. S. 851. „De hac gente h. l. loquitur non ut Batavis vicina, sed ob similitudinem obsequii, quo utebantur erga Romanos. Quare non est cur cum Leibnitzio mutemus *Marsatiorum* vel *Marsacorum*“. Walth. Pl. N. H. 31, 17: *Sunt et Mattiaci in Germania trans Rhenum fontes, quorum haustus triduo fervet;* hodie *Wiesbaden*. Postea tamen a Romanis desciverant se cum Chattis consociantes. Hist. 4, 37. Hic vero agitur de Traiani temporibus, quibus ad fidem erga Romanos redierant. Nominis origo non satis certa; sed a vero non abhorret cum vocabulo nostro, quod est *matte*, cohaerere. Terminatio vero Celtica esse videtur. Zeuss, gr. C. 772. Cf. *Mattii*, Chattorum capitis, nomen. — *adhuc*] Hand Turs. 1, 165 pro *adeo* vocabulo esse dicit; sed vide ne perperam. Est potius pro *insuper*. Ib. 168. — *acrius animantur*] „animosiores et acriores sunt, propter uberius solum et propter aëra puriorem, non tam pinguem ac nebulosum quam est in insula Batavorum“. Vulgo a Lipsio, ut videtur, in errorem inducti, prorsus contrarie interpretantur: „propter solum sterilius atque aëris inclementiam“. Ceterum in singulari hac iunctura *acrius* potissimum ad fortitudinem, *animantur* ad spiritus bellicos *(Begeisterung)* refertur. — *Non numeraverim*] De singulari numero cf. Wölfflin, Phil. 25, 97. — *decumates*] Nunc est ἅπαξ λεγόμενον ac vel propterea dubiae interpretationis. „Satis utique constat Romanos, postquam super Rhenum Danuviumque in Germaniam penetraverant, agros hosti ereptos aut ab hoste relictos in usum vertisse legionum. Cfr. A. 13, 54: *agros vacuos et militum usui sepositos*. Ex quo loco etiam apparet eiusmodi agros datos vel negatos petentibus“, (ut hic ait, advenis Gallis). „Dabantur autem haud dubie sub condicione decumarum“. Walth. Quibus decumis maxime providebatur Romanorum militum in vicinitate tendentium necessitatibus. *Decumates (Zehentäcker)* vocati esse videri possunt ad analogiam formarum *infernates, supernates* apud Vitruvium 2, 13 ac

Non numeraverim inter Germaniae populos, quamquam trans Rhenum Danuviumque consederint, eos qui decumates agros exercent. levissimus quisque Gallorum et inopia audax dubiae possessionis solum occupavere. mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur.

(30) Ultra hos Chatti: initium sedis ab Hercynio saltu incohatur, non ita effusis ac palustribus locis ut ceterae civitates in quas Germaniae patescit: durant siquidem colles, paulatim rarescunt, et Chattos suos saltus

2. *danuviumque* C. *danubiumque* A B. — *decumathes* A. — *levissimus que* C. — 6. *ultra* C. et corr. B. *ulera* A et pr. B. — *chatti* A. *catti* B C. — *hircynio* B. *hercinio* C. *hircynio* A. — *incohaī* A. *inchoatur* pr. B. *inchoant* C. et corr. B. — 8. *durās* pr. B. — *rarerscunt* B. *rarescere* C. — *chattos* A. *cattos* B. *cactos* C.

Plinium 16, 39, 76. ORELLI. Sed cum a Cicerone *decumani agri* crebro (ut Verr. 3, 6) memorentur in Sicilia, nescio an recte olim suspicatus sim ex *decumanus* vocabulo eodem modo in sermone prisco et vulgari factum esse *decumas*, quo *Campas* ex *Campanus*, *Picens* ex *Picenus*, *damnas* ex *damnatus*. — *levissimus quisque*] „qui cum domi suae propriam ob nequitiam adversa fortuna conflictaretur, meliorem quaerens temere plerumque in agros illos emigrabat“. — *dubiae possessionis*] quia a Romanis initio saltem non protecti nec defensi facile Germanorum latrociniis ex precariis sedibus pellebantur. — *limite acto*] Tales limites, quibus extranei separabantur a Romanis eorumque incursiones impediebantur, describit Spartianus Hadr. 12: *in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in modum muralis saepis funditus iactis barbaros separavit.* Addebantur etiam arborum concaedes ad arcendum imprimis equitatum. De hoc ipso limite a Tacito memorato intellegenda sunt vv. Frontini Strat. 1, 3, 10: *Imperator Caesar Domitianus Augustus, cum Germani more suo e saltibus et obscuris latebris subinde impugnarent nostros tutumque regressum in profundis silvarum haberent, limitibus per CXX. M. P. actis (in Südwestgermanien) non mutavit tantum statum belli, sed subiecit dicioni suae hostes, quorum refugia nudaverat.* Postea a Traiano extento limite illo hi decumates agri imperio Romano velut lacinia aliqua adiecti sunt. Et quidem sat multa eius limitis supersunt vestigia, muri in Danuvii dextra ripa inde a Ratisbona usque ad oppidum Lorch, (rusticis illius regionis *Teufelsmauer*), agger inde septentrionem versus structus usque ad silvam, quae nunc appellatur *Odenwald*, et Taunum montem usque ad Rhenum prope Coloniam Agrippinensem, multae inscriptiones militares repertae prope oppida *Badenweiler, Baden, Pforzheim, Rottweil* cet. Post Probum (a. 283) autem hi agri occupati sunt ab Alamannis. Cfr. Leichtlen *über die Röm. Alterthümer in dem Zehntlande zwischen dem Rhein, dem Main und der Donau. Freiburg* 1818. Creuzer *zur Geschichte altrömischer Cultur am Oberrhein und Neckar, Leipzig und Darmst.* 1833, Stählin *Wirtembergische Geschichte. Stuttgart* 1841. I. p. 14. 61. 80. OR. Adde Dierauer, Gesch. Trajans 30 sqq. Apud veteres Germanos limes Romanus *Palas* vocabatur (Zeuss D 311, sq.), postea *Pollum, Pfal, Pfalgraben.* — *sinus*] ut C. 1. *latos sinus*, tractus, qui extra antiquos imperii fines in terras olim ab hostibus Germanis relictas protenditur *(Ausbeugung des Reiches)*: non satis respondet, saltem imaginem obscurat nonnullorum interpretatio *Erweiterung der Herrschaft.* — *provinciae*] Germaniae superioris prope Rhenum, Raetiae prope Danuvium. Cf. etiam Christ, über ein bei Weissenburg (in Mittelfranken) gefundenes Militärdiplom, Bair. gel. A. 1868 pag. 409 sqq. —

30. *Ultra hos*] habitatores agrorum decumatium. — *Chatti*] Zeuss *D.* p. 95: *die Bewohner des äussern Waldabhanges im Wesergebiete;* ad Adranam *(Eder)* et *flumen gignendo sale fecundum et conterminum* ipsis et Hermunduris Ann. 13, 57, *Werraham*, ut plerique statuunt. De his singula persequens ideo accuratius agere potuit, quia saepius quam in alios populos remotiores Romani et in pace et in bellis in Ch. inciderant. *Cum Cheruscis aeternum discordant*, ait A. 12, 28. Memorantur etiam a Claudiano Bell. Get. 419: *Agmina quin etiam flavis obiecta Sicambris, Quaeque domant Chattos immansuetosque Cheruscos, Huc omnes vertere minas;* et a Sidonio Apoll. Carm. 7, 389: *Saxonis incursus cessat Chattumque palustri Alligat Albis aqua.* Postea transierunt in Francos. Cfr. Zeuss *D.* p. 327. Ukert *G.* p. 359. ORELLI. Grimm G. D. Spr. 570 sqq. De sono nominis initiali cf. Müllenhoff, Z. D. A. 9, 246. Apud Theotiscos vet. *Hassi, Hassones* nominabantur,

Hercynius prosequitur simul ac deponit. duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et maior animi vigor, multum, ut inter Germanos, rationis ac sollertiae: praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines, intellegere occasiones, differre impetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rarissimum nec nisi Romanae disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque et copiis onerant. alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum. rari excursus et fortuita pugna. equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constan-

1. *hercinius* B C. *hircynius* A. — *ac* A. *ac* B. (superscr. *atque*) *atque* C. — 3. *nosce* C. — 4. *intelligere* A B C. — 6. *romane* A. *rõe* C. *romanę* omnibus litteris, superscr. ab al. m. „*vel ratione*“. B. — 8. *honorant* C. — *chattos* A C. *cattos* B. — *raro* C. — 10. *iusta* B. — *propiora* C.

hodie *Hessen*, cum *Hazzi*, *Hazzones*, quae forma in virorum nominibus propriis servata est, expectaveris. Illa forma eadem ratione explicanda videtur, qua Gotorum *vissa*, sciebam, pro *vitta*, Theot. *wëssa*. Quae sit nominis origo, non ita certum est. Plerique, quod sciam, cum Anglorum *hat*, Anglos *hät*, G. bor. *hattr*, pileus, (cf. Sanskr. *čad*) arte coniunctum putant. Sed num sint *pileati*, an *bene tecti*, an pertineat nomen ad Dei *Othini* cognomen, quod est *Höttr*, haud liquet. — *durant siquidem*] Omnibus diu pensitatis, tandem praetuli Bekkeri distinctionem loci perquam difficilis, ut *durant* sit „continuantur, ultra porriguntur“, *sie ziehen sich (in ihrem Gebiete) weiter fort (bis an seine Grenze)*, *s'y prolongent* Louandre. Neque vero haesitandum in part. *siquidem* postposita, cum primariae notioni *durant* primum locum tribuendum indicasse videatur scriptor. Favet quidem alteri interpunctioni: *patescit, durant: siquidem colles* S, adnotans: „*initium* - - *incohant* et *durant* opponuntur. Chattorum sedes incohant in montibus, durant locis editioribus“. Qua in ratione offendo in ingratissimo ἀσυνδέτῳ *Chatti* - - *incohant* - - *durant*, ac si vel maxime ita distinguendum foret, equidem iungerem *ut ceterae civitates* - - *durant*, „necessitate coactae *durant (es aushalten)*, perseverant habitare in locis palustribus“. ORELLI. Ne hodie quidem de difficili hoc loco inter interpretes convenit et novae rationes vel eius enarrandi vel corrigendi accesserunt. Haupt in editione sua ita interpungit, ut ante *durant*: collocet, quo facto verbis *durant* cet. ratio additur verborum *non ita effusis* cet., quod maxime nobis arridet. Prorsus aliter Hennings l. l. p. 68 sqq. locum interpretatur, qui subiectum quod dicunt verbi *rarescunt* *Chattos* voc. esse existimat: Jenseits dieser beginnt der Anfang der Wohnsitze für die Chatten vom Hercynischen Waldgebirge; in nicht solchen ausgebreiteten und sumpfigen Gegenden, wie die übrigen Nationen des Germanischen flachen Landes — es dauern ja doch die Hügel fort — werden sie allmählich spärlicher cet. Halm controv. St. 32 sqq. hoc modo locum correxit, ut legeretur: *Ultra hos Chatti* (sc. sunt): *initium incohatur, non ita — DURANS, siquidem cet.*, cum eoque facit Wölfflin. Sed tanti aestimare quae in cod. B. leguntur quanti aestimare videtur H., nos quidem non possumus. Ceterum bene fecit, cum locos Tacitinos attulit complures, quibus eodem modo verba sunt cumulata, quo hic *initium — incohatur* coniunguntur; de qua re cf. etiam *Weidner*, Comm. zu V. Aeneide p. 161. — *rarescunt*] Est Vergilianum illud Aen. 3, 411: *Angusti rarescent claustra Pelori*; ergo „laxantur, aperiuntur, longius iam inter se distant quam colles priores“. — *Chattos suos*] „quasi caros alumnos“. — *deponit*] In his omnibus προσωποποιίαις *suos* - - *prosequitur* - - *deponit* cernas singularem ornatum rhetoricum, quo antiqui in descriptionibus sine eo nimis languidis libenter utebantur, ut cum Pomp. Mela 1, 1, 4. dicit: *mare* - - *longe lateque diffusum a b i g i t vaste cedentia litora.* Nihil opus esse videtur Bergkii v. cl. coniectura: *et Chattos suus s. prosequitur, simul atque d. Herc.*, De verbis *simul atque* s. *simul ac* cf. Halm l. l. pag. 34. Idem ille vir cl. suspicatus est pro verbo *durant* esse legendum *superant*. — *stricti*] torosi ac robusti, *straff, nerveux*; opponuntur flaccidis. Inde versus illi: *das Hessenvolk ist hart und rauh — und lebt wie eine wilde Sau.* — *ut inter Germanos*] „quantum quidem a barbaris exspectari ac requiri potest“; non sine quadam despicientia. Sic Hist. 4, 13: *Civilis ultra quam barbaris solitum ingenio sollers.* Velleii. 2, 118 de Arminio: *ultra barbarum promptus ingenio.* — *praeponere — audire* cet.] Infinitivi sunt epexegetici, quibus, quid ratione et

tiae est. (31) et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. super sanguinem et spolia revelant frontem, seque tum demum pretia nascendi rettulisse dignosque patria ac parentibus ferunt. ignavis et imbellibus manet squalor. fortissimus quisque ferreum insuper anulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat. plurimis Chattorum hic placet habitus; iamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum; haec prima semper acies, visu nova. nam ne in

1. *rara*[ꝛo] A. — 2. *chattos* A. *cattos*[⊢] C. *cattos* A. — 5. *noscendi*[ꝛa] A. *noscendi* B C. — *retulisse* libri. — 8. *absoluerit* superscr. *at* et litt. *eri* punctis subnot. B. — *chattorum* A C. *cattorum* B. — 9. *et* om. pr. B.

sollertia contineatur, appareat. — *electos*] principes, *Häuptlinge*; reges enim non habebant Chatti. Gr. *R. A.* p. 231. ORELLI. Potius hoc loco eos dicit Tacitus praeponere, quos summa diligentia ex principibus elegerint. — *nosse ordines*] Livius 23, 35, 6: *ut tirones — assuescerent — in acie agnoscere ordines suos.* De *ordinis* vocabulo cf. Weissenborn ad Liv. 8, 8, 4. — *disponere diem*] „sua cuivis diei parti munia assignare". Similes sunt loci Sen. cons. ad Pol. 6 (25), 4; Plin. ep. 9, 36, 1; Suet. Tib. 11. — *vallare noctem*] pro vulgari „noctu castra vallare, noctem vallis munire", ut in his omnibus singula fere verba non sine artificio delecta sunt. — *Romanae disciplinae*] Haec in mentem mihi revocant similem Ciceronis de Romanis gloriationem Phil. 3, 11: *libertatem propriam Romani et generis et nominis.* Phil. 4, 13: *virtus, quae propria est Romani generis et seminis;* quasi vero alii populi nec libertatem nec virtutem nossent. Ceterum quod dicit Passovius alteram lectionem *ratione disciplinae* defendens, „omni omnium gentium disciplinae hoc fuisse proprium *plus reponere in duce quam in exercitu*, nec tantum Romanae", in se ex parte verum est, sed si Taciti aetatem memineris, facile intelleges tunc temporis, cum Romanis tantummodo cum barbaris, artis militaris plerumque ignaris, sed fortitudine dumtaxat et impetu valentibus, non cum Pyrrho aliquo vel Hannibale, bella essent gerenda, hoc tamquam Romanorum proprium institutum merito laudari potuisse. Scitius sane lect. *ratione* defendit S: „Omni", inquit, „loci contextui convenientius esse videtur, causam aliquam addi quam languidam rerum Romanorum comparationem. Disciplina vero sana viaque et ratione incedente bene iudicat effici, ut honorificentius de ducis gravitate sentiatur". Verum nescio quid ἄκυρον habet *ratione* hoc conceditur pro *efficitur*, *obtinetur* nec, languidam cur hanc comparationem dixerit S., intellego. — *ferramentis*] securibus, ligonibus, rastris, similibus. Caesar B. G. 5, 42: *nulla ferramentorum copia.* — *copiis*] utensilibus, id est, cibariis, ut Romanus *miles cibum et arma portabat.* Sall. Iug. 45. — *ad proelium*] Prorsus ut Hist. 2, 40: *non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti.* — *cito cedere*] sive suppleas *victoriam* cum Ernestio sive *hosti*, hoc dicit: „opportuno tempore pugnare desinere, antequam superante hoste ad internecionem caedantur". — *iuxta formidinem*] „parum abest a formidine". Hand. Turs. III. p. 538.

31. *et aliis G. p.*] Nihil est cur cum Reifferscheidio aut deleamus h. l. *et*, aut ante v. *raro* cet. particulam adversativam inseramus, cum *et* h. l. haudquaquam particulae *etiam* vicem sustineat. — *audentia*] prorsus eadem sententia qua *audacia* legitur etiam Ann. 15, 53 et apud Plinium ac Quintilianum. — *cr. b. submittere*] *submittendi* verbo pro eo, quod est *promittere*, non raro serioris Latinitatis auctores utuntur, ut Sueton. Caligula 47 *comam subm.*, Sen. cons. ad P. 36: *barbam et capillum subm.* — *votivum - - oris habitum*] Similiter *Civilis barbaro voto post coepta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum posuit.* Paulus Diac. Hist. 3, 7: *Sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos rasuros, nisi se de Suebis hostibus ulciscerentur.* Traditur idem de Haraldo illo, cui postea *Harfagr* cognomen inditum est, h. e. pulcro capillo, cum ante votum solutum *lufa*, h. e. hirsutus, esset dictus; cf. Maurer, Rechtsgesch. des G. Nordens I 17 sqq. His Germanicis cum exemplis cf. quae Suetonius de Caesare (c. 67) memoriae prodidit: *Diligebat quoque (milites) adeo, ut audita clade Tituriana barbam capillumque summiserit nec ante dempserit quam vindicasset.* Adde, quae

pace quidem vultu mitiore mansuescunt. nulli domus aut ager aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam durae virtuti impares faciat.

(32) Proximi Chattis certum iam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipi ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinae arte praecellunt; nec maior apud Chattos

1. *cultu* C. — 2. *rura* superscr. *c.* B. — 3. *exangues* B. — 4. *Chattis* A C. *Cattis* B. — 6. *cattos* B.

docuit Müllenhoff Z. D. A. X in inf. pag. 562. — *super - - spolia*] ipsius hostis caesi tonso crine aperiunt frontem, quae antea illo quasi velabatur. Perperam quidam Tacitum haec parum accurate tradere putant. Sane omnibus Germanis liberis et puberibus mos fuit capillum promittere, sed eosdem novimus magna diligentia illum compsisse et subinde coercuisse, cum h. l. Tacitus de *squalore* referat. — *squalor*] neglecti neque unquam tonsi capilli. ORELLI. Ut amoveatur difficultas, quam non temere movit Gerlach p. 181, necessarium erit vel cum Nipperdeyo (Rh. Mus. 344 sq.) statuere imbellibus in omni vita fuisse retinendum habitum, quem ferocissimus quisque ultro ac sponte retinuisset, vel quod veri similius est, cum Halmio contr. St. p. 26 Tacitum his verbis quae ipse ex proxime narratis effici putaret addidisse parum curantem, quo modo cum eis, quae modo dicturus erat, congruerent. — *ferreum anulum*] Wölfflin, Philol. 27, 128 plurali huius vocabuli numero de solo anulo aureo, insigni equitum, uti Tacitum videri docet. De re cf. Grimm, G. D. S. 571, Wackernagel, Z. D. A. IX, 540, ann. 54, Müllenhoff, Z. D. A. X, 561 sqq., Grimm, R. A. 710, 718. Monet Grimm de φορβειᾷ illa, qua ex lege quadam Macedonum vetere cingi debebat, qui nondum hostem vicerat. (Aristoteles polit., VII, 2, 6) et de circulis ferreis aliisque eius generis poenis medio aevo exerceri solitis. Wackernagel ex vita Si. Galli 2, 34 exemplum monachi homicidium luentis profert, qui anulis ferreis onerabatur ac Promethei de anulo mentionem facit; maxime vero ad declarandam Taciti narrationem conferunt, quae Müllenhoff attulit de anulo ferreo servitutis insigni. Haud dubie recte v. d. anulo sumpto Chattos deo cuipiam, ut Tivo, se devovisse statuit. — *ignominiosum id*] supple „alioqui per se, nisi quis dedita opera anulum istum votivum gestat". — *plurimis*] Nihil opus est Nipperdeyi coniectura *ferocissimis*, cum, quod Halm l. l. suo iure dicit, nihil prorsus obstet, quominus eadem fere esse sententia voc. *plurimi* statuamus qua *multi*. Praecipua vero vis est verbi *placet*. Müllenh. l. l. 561. — *iamque canent*] breviter dici videntur pro: *suntque qui iam caneant*. Rectius Tacitus orationis membra hoc modo collocavisset: *suntque (ita) insignes iam canentes;* sed ita scribere noluit, quum alterum quod dicimus praedicatum adderet. Halm l. l. 24. — *monstrati*] tamquam exemplaria virtutis. DUEBN. — *visu nova*] *überraschend.* „C. 34: *nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum*. Nemo horridae eorum speciei adsuescit; quamquam saepe visorum semper novus est horror". 8. — *vultu mitiore*] „assumpto nunquam mansuetiores apparent"; quae vulgaris ratio fuisset pro hac ornatiore. — *prodigi alieni cet.*] Cf. Wölfflin, Phil. 26, 122 sq., Sall. Catil. 5, 4: *alieni appetens, sui profusus.* — *exsanguis senectus*] Lucan. 1, 343. — De re cf. Grimm, G. D. S. 571 sqq. Horum virorum ferocium similes quodammodo describuntur boreales illi *Berserker*. Operae pretium est etiam conferre quae Grimm, Myth. 818. narrat de fatis, quibus herois, cui Starkadhr erat nomen, vita a deis est constituta.

32. *certum iam*] non iam vagum et diffusum, qualis est inter oppida *Breisach* et *Bingen*. DUEBN. Alii, ut Bredow, explicant „minus se effundentem aut lacus efficientem, ut apud Batavos". Sed haud conveniunt seqq. *terminus esse*, quoniam lacus illi terminum nunquam constituerunt. OR. Rursus nuper Hennings (N. Jahrb. 99, 288 sq.) pro certo dicit *certum iam alveo Rhenum* opponi Rheno inferiori, atque adeo inde Tacitum diutius ad inferiorem Rhenum versatum esse efficit. Nihil obstat, quominus eundem ordinem Tacitum secutum esse statuamus, quem P. Melam 3, 2 atque ipsorum eius verborum meminisse, quae sunt: *certo alveo lapsus.* — *terminus esse sufficiat*] „quia angustior ideoque profundior est Rheni alveus nec Transrhenanis transire volentibus vada offert, efficit, ut limitibus munitis Romanus non indigeat". 5. — *Usipi*] De nominis forma cf. Müllenhoff in Verzeichniss der Römischen Provinzen, ed. Mommsen, p. 529. In libris Taciti Usipi (gr. Οὔσιποι) scribitur, sed apud Martialem 6, 60 est *genus Usipiorum*. Forma quae est *Usipetes* (apud Caesarem, Florum, Tacit. Ann. 1, 51) terminationem assumpsit Celticam. Taciti aetate tres arte inter se coniuncti populi Usiporum, Tencterorum, Tubantum ad Ruram ac Sigiam ha-

peditum laus quam Tencteris equitum. sic instituere maiores: posteri imitantur. hi lusus infantium, haec iuvenum aemulatio; perseverant senes. inter familiam et penates et iura successionum equi traduntur: excipit filius non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

(33) Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis vici-

5. *iusta* B. — *t*[h]*encteros* C. — *chamavos* A C. *chamanos* B. *chama*[n]*ui* margo B. — 6. *angrivarios* A. *angri*[v]*uarios* B. *angrivar*[i]*os* C. — *bructeriis* A.

bitabant; de sedum eorum mutatione accuratissime disseruit Müllenhoff l. l. Praeterea cf. Zeuss D. p. 88 sqq., Ukert, p. 355, Grimm, G. D. S. 534 sqq. Postremo in Alamannos transisse videntur Zeussio, in Francones Grimmio. — *Tencteri*] Sic Schneider nunc etiam apud Caesarem, apud quem antea edebant *Tenchteri*. Ubique comparent ut Usiporum vicini ac perpetui socii. Ceterum Hist. 4, 64: *Tencteri* (ab Ubiis) *Rheno discreta gens*, ergo e regione Coloniae Agrippinensis. De Tencterorum nomine cf. Grimm, G. D. S. 532 sq. Tantum constare videtur priorem nominis partem ad radicem, quae subest verbo *getingan*, esse referendam et *Tencteros* esse *propinquos* sive *cognatos*. — *equestris disciplinae*] Confirmat hoc Caesar B. G. 4, 2. — *hi lusus infantium*] Mire Thudichum et Kritz ita interpretantur, ut eculeis ex ligno factis insederint eosque exercuerint infantes. — *iura successionum*] „Gegenstände rechtlicher Erbfolge". Ex Taciti narratione apud Tencteros equi tanquam res singularis quaedam praeter ceteras res, quae eius partis sunt hereditatis, quam *hergewaete* dicunt, traduntur. Abhorrebat id a more solito. Cf. Grimm R. A. 569 sq. — *ut cetera, maximus natu*] Hunc singularem ac proprium Tencterorum morem fuisse, non commune Germanorum ius hereditarium, ut nonnullis visum, docet Sybel *D. K.* p. 12. Fortasse h. l. Germanici illius moris facit mentionem, quo filii maximi erat hereditatem acceptam in partes certas quasdam dividere, minorum ex partibus factis eligere. Wackernagel, Z. D. A. II. 542 sqq. Sed equos aperte T. a ceteris, quae hereditate transeunt, separat. — *ferox bello et melior*] Acidalius probante Ernestio volebat *ferox et bello melior*; sed illud exquisitius; sic Alcaeus Horatio 1, 32, 6: *ferox bello*.

33. *Bructeri*] Hos novit iam Strabo 7, p. 290, distinguens Bructeros minores et maiores, quos fortasse Lupia fl. separabat. Tacitum fugit haec populi divisio. Ann. 1, 60: *ultimos Bructerorum quantumque Amisiam et Lupiam inter*. Cfr. v. Ledebur *das Land und Volk der Brukterer. Berlin* 1827. Zeuss *D.* p. 92, Ukert *G.* p. 379, Grimm G. D. S. 531 sq., de divisis maioribus et minoribus p. 676 sq., Müllenhoff Z. D. A. IX, 230, 238, qui satis recte suspicatur Bructeros, quos maiores dicunt scriptores Graeci, esse Chamavos. Wislicenus quidem, *Elbgermanen* 40 sqq., homini doctissimo non assentitur et probare studet Bructeros maiores eosdem esse atque Ampsivarios, Chamavos vero ad minores potius pertinere Bructeros. Bructerorum nomen Zeuss et Grimm ad stirpem referunt, quae Theotisce est *përaht*, splendidus; etiam de aliis cogitare licet. — *Chamavos*] Zeuss *D.* 91, 326, 334, 582. Ukert *G.* p. 390, qui eos primum ad Rhenum, deinde ad Lupiam habitasse statuit; Grimm G. D. S. 530, Müllenhoff l. l. 227 sq., 251, apud Mommsenium Verz. d. R. Prov. 520, 521, 530. Hic a Zeussio dissentiens locum eis ab Angrivariis in occidentem versus assignat et suo iure addit Tacitum recenti alicuius hominis militaris nuntio in errorem inductum esse. Medio quoque aevo Chamavorum nomen manet in nomine pagi *Hamalant*. Nominis alteram partem haud recte esse interpretatum Grimmium docet Müllenhoff Z. D. A. IX, 251. Prior pars ad radicem, quae subest vocabulo *hamo*, tegens vestis, referenda esse videtur. — *Angrivarios*] ad utramque Visurgis ripam. Zeuss *D.* p. 108, Ukert *G.* p. 388 eos collocant a Visurgi Orientem versus ad flumina *Hunte* et *Aller*. Memorantur Ann. 2, 24: *Angrivarii nuper in fidem accepti*. ORELLI. Cfr. etiam Grimm G. D. S. 618, Müllenhoff Z. D. A. IX, 227 sq., Mommsen, R. Pr. 521, 530. De Angrivariorum nomine non dubitandum quin Grimm recte existimaverit, quum compositum esse diceret ex substantivo *angar*, arvum, pratum, et adiectivo quodam-*varja*-, quod proprie defendentem, tum possidentem, incolentem significat (Müllenhoff apud Momms. l. l. p. 529.) Idem M. acute vidit Ampsivarios partem fuisse certam quandam Angrivariorum, haudquaquam ita nominatam, quod Amisiam accolerent; nec persuasit nobis Wislicenus l. c., qui Ampsivarios, id quod modo annotavimus, Bructerorum partem esse dicit, a Tacito *Chaulcorum* h. e. Angrivariorum nomen cum *Chaucorum* nomine esse confusum affirmat itaque effici opinatur, quae Tacitus h. l. narret, eadem esse ac quae memoret Ann. XIII. 55. — *Bructeris — penitus excisis*] Cladem eam acceperunt incerto tempore, sub Flaviis impe-

narum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem proelii invidere. super sexaginta milia non armis telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. maneat, quaeso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.

(34) Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgubnii et Chasuarii cludunt

3. *milia* A C. *milia* (l) B. — 4. *urgentibus iam* A B. *in urgentibus* C. — 7. *discordia* C. 8. *angriuarios* A. *angrinarios* B. *angivarios* C. — *chamavos* A. *chamanos* B. *chammatos* C. — *Dulgubnii* J. Grimm. *dulgibini* (l *dulgicubini*) A. *dulgibini* C. *dulgitubini* B. — *thasuarii* A. *tasuarii* B. *occasuarii* C. — *cludunl* A C. *cludunt* (a) B.

ratoribus puto, sane post Civilis defectionem a Romanis: nam tunc maxima auctoritate apud rebelles erât Veleda, virgo Bructera. Hist. 5, 22. Ceterum ut in re haud prorsus certa prudenter sane usus est v. *narratur*, ac re vera exaggeratum esse rumoribus illud excidium, apparet ex Plin. 2, 7: *Spurinna Bructerorum regem vi et armis induxit in regnum ostentatoque bello ferocissimam gentem terrore perdomuit*, quibus ex vv. sane colligas debilitatas admodum tunc fuisse Bructerorum vires, quoniam cum Spurinna dimicare non sunt ausi. [Sed nescio, an haec regis inductio cladis illius causa fuerit.] Praeterea multo postea memorantur ab Eumenio in Paneg. Constantino dicto 12: *ut tamen omnibus modis barbarorum immanitas frangeretur – –, etiam immissa Bructeris vastatione fecisti.* Item a Nazario in Paneg. Constantino dicto 18: *Quid memorem Bructeros? quid Chamavos? quid Cheruscos, Vangiones, Alamannos, Tubantes? – – Innumerae simul gentes ad bellum coactae, sed uno impetu tuo fusae, dum collativam vim comparant, compendiosam victoriam praestiterunt.* Medio etiam aevo *terra Boractra* in Lupiae fluminis ripa, quae in meridiem vergit, sita occurrit. — *ne spectaculo qu., inv.*] „sie missgönnten uns nicht". De verbi *invidendi* structura cf. Nipperdey ad Ann. 1, 22. — *oblectationi*] Quibus prope inhumana visa haec est sententia, non satis cogitarunt, quantam oblectationem populo Romano praebuerint ludi gladiatorii, — *maneat, quaeso*] Claudius Mamert. Genethl. Maxim. 16: *tanta est imperii vestri felicitas, ut undique se barbarae nationes vicissim lacerent et excidant, alternis dimicationibus et insidiis clades suas duplicent et instaurent.* — *urgentibus imperii fatis*] Veram interpretationem hanc reor: „Cum fatalis quaedam necessitas cogat imperium Romanum fines suos latius semper extendere; id quod ipse cum maxime hanc curam in manibus habens fieri vidit sub Traiano, sub quo ex communi opinione longe florentissimum erat imperium Romanum neque ulli discrimini etiam futuro tempore expositum videbatur praeterquam uni fortasse Tacito. Verum ex hoc continuo potentiae augmento ipse satis perspiciebat fore, ut summa tandem inde pericula orerentur imperio, nisi barbarae nationes, ut nuper Germani, semet ipsae laceraturae essent." Hanc autem anxiam praesensionem mirabili cum euphemismo expressit, quo omne malum omen a verbis suis abesset. Male nonnulli explicarunt de fatis imperium Romanum ad exitium iamiam pellentibus, sive, ut Ledebur *Bructerer* p. 241: *bei des Reichs bedrangter Lage.* Quod autem Lipsii liber *vergentibus*, Cod. Arundel. *in vergentibus* praebent, probante Iac. Gronovio, mihi nescio quid infausti praesagii habere videtur, ut fere A. 12, 44: *vergentibus iam annis suis*; id quod non inest in v. *urgentibus*, quod etsi satis grave, ut Lucani 10, 29: *fatis urgentibus actus*, non tamen senii atque infirmitatis continet notionem, sed dumtaxat necessitatis, cui resisti nequit, qualis apud Lucanum l. l. Alexandrum M. *per Asiae populos* agit. Quod libri optimi praebent *urgentibus iam* i. cet. defendere temptat Halm contr. St. p. 30, sed frustra. Cf. quae scite de hoc loco disseruit Wölfflin, Phil. 26, p. 182.

34. *Dulgubnii*] Langobardos hi separabant a Cheruscis. Sedes eorum parum certae. Zeuss *D.* p. 112 eos collocat prope *Aller* fl. et oppidum *Celle*, Ukert *G.* p. 391 ad saltum Teutoburgiensem et in Hassia. OBELLI. De *Dulgubniorum* nomine in eandem sententiam disseruerunt I. Grimm G. D. S. 623 et Müllenhoff Z. D. A. IX, 243. Nomen *-ubnia*- terminatione derivatum est a subst. Anglos. *dolg*, Theot. *tolc*, vulnus, et significat *vulneratores* vel *bellicosos*. — *Cha*

aliaeque gentes haud perinde memoratae; a fronte Frisii excipiunt. maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est ex modo virium. utraeque nationes usque ad Oceanum Rheno praetexuntur, ambiuntque immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. ipsum quin etiam Oceanum illa temptavimus. et superesse adhuc Herculis columnas fama volgavit, sive adiit Hercules, seu quicquid ubique magnificum est in claritatem eius referre consensimus. nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. mox nemo temptavit, sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.

1. *frisii* A. *frisii* B. *frisci* C. — 2. *frisiis* B. *frisis* A. *friscis* C. — 5. *tẽtavimus* A B. *tentavimus* C. — *volgavit* A C. *vulgavit* B. — 6. *quicquid* A. — *magnificum* B C. *magnum* margo B. *magnus* A. — 9. *temptavit* A. *tentavit* B C.

suarii] pone Bructeros ad *Hunte* et *Hase* flumina. Zeuss *D.* p. 113, Ukert *G.* p. 390. Strabo 7, p. 292 *Χαττουαρίους* memorat inter eos populos, de quibus Germanicus triumphavit. Hos pro iisdem habet atque Taciti Chasuarios Ukert l. l., ab iis suo iure distinguit Zeus *D.* p. 100. ORELLI. De *Chasuariis* cf. etiam I. Grimm G. D. S. 623 et Müllenhoff Z. D. A. IX, 232. Num satis accurate eorum nomen ita explicetur, ut significet *Hasam fluvium accolentes*, si ea, quae Müllenhoff l. l. 240 exposuit, reputaveris, forsitan dubites. — *haud perinde memoratae*] *(nicht sonderlich)*. ORELLI. Cf. Müllenhoff Z. D. A. IX, 233 qui dicit has gentes occupasse *ἐν βάθει χώραν*, quo Sugambrorum coniunctione a Romanis dissoluta Strabone auctore populi reliquiae *καθάπερ Μαρσοὶ* se receperint. Haud dubie hae gentes erant Istuaeones. — *a fronte*] Rhenum versus, quo usque ad Oceanum praetexuntur Frisii: unde sequitur Romano scriptori *a tergo* esse Visurgim sive Orientem versus. Bach. — *Frisii*] De his silent Caesar et Strabo, sed post Plinium 4, 15 Tacitus in Annalibus aliquoties et Hist. 4, 15 eorum mentionem facit. In Iulii Africani Cestis inter Mathematicos vett. a Rigaltio vulgatis C. 3. p. 290: *ἐσεμνύνοντο Φαρισαῖοί ποτε Ῥωμαίων ἀποκτείναντες φάλαγγα* Hemsterhusius legendum vidit *Φρισαῖοι*. Atque idem etiamnunc nomen retinent. De divisione inter *maiores minoresque* nemo praeter Tacitum tradit. ORELLI. Zeuss D. 136, cet. Ukert Germ. 367, I. Grimm G. D. S. 669, 679, 775. De *Frisiorum* nominis vi sumus incerti ac taedet quae varie suspicati sunt de eo V. D. accuratius exponere. Cf. sis praeter locos citatos Grimm, thes. Theot. s. v., atque Ettmülleri gloss. Anglosax. s. v.. Ad distributionem in maiores minoresque factam nominum varietatem *Frisiorum* et *Frisiabonum (Frisiavonum)* sive *Frisaevonum* spectare putant Zeuss et Grimm. Frisios ac Chaucos Inguaeonum esse constat. — *lacus*] Melae 3, 2: *Flevo*. Plin. 4, 15: *Rhenus ab septentrione in lacus se spargit*, nunc collectos in *Zuyderzee*. Cfr. Ann. 1, 60, Ann. 2, 8. Respicit autem ad expeditiones et Drusi et Germanici. — *Oceanum illa temptavimus*] Referuntur haec ad Drusi aut Tiberii expeditionem, de qua v. C. 1. — *Herculis columnas*] Fuerunt quidem, qui hoc quoque loco de heroe aliquo Germanorum cogitarent, Grimm G. D. S. 591 de Hugilaico facit mentionem, cuius ossa in Rheni fluminis insula — reservata — de longinquo venientibus pro miraculo ostenta sint, et deinde quaerit: hätten schon die Römer bei den Friesen von diesem helden gehört, was sie auf Hercules und dessen seulen im Oceanus anwandten? Rieger Z. D. A. XI, 183 sq. de Irmini cogitat columnis. Multo veri similius est famam vel temere hic quoque Herculis columnas collocasse, vel originem ducere a rupibus e mari exstantibus aut promunturiis e longinquo dispectis. — *sive-seu*] De Taciti usu particularum *sive - sive* et *sive - seu* cf. Wölfflin, Phil. 25, 123. — *obstitit Oceanus* cet.] Facile in his agnoscas rhetoricum colorem, quo in toto h. l. abundanter utitur. Simile illud Cestii declamatoris ad Alexandrum apud Senecam Suasor. 1, p. 9 Ed. 1672: *Fremit Oceanus, quasi indignetur quod terras relinquas.* — *Druso Germanico*] Raro ei *Germanici* cognomen tribuitur, quamquam ei datum est a senatu. Flor. 4, 12, 28, Strabo 7, p. 291, sed hic ad ornatum pertinet, quasi dixisset „alioqui domitori Germaniae“, ut eum vocat Florus. Perperam nonnulli distraxerunt ita *Druso, Germanico*, ut significaretur etiam Drusi filius. — *mox nemo temptavit*] „His ipsius Taciti de expeditionibus Germanici narrationes repugnant. Ann. 2, 6. 23“. Passow. Verum hae erant mere militares, Drusiana illa

(35) Hactenus in occidentem Germaniam novimus. in septentrionem ingenti flexu redit. ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores agant non per iniurias assequuntur. prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama.

(36) In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac mar-

3. *frisis* A B C. — 4. *obtenditur* A. *optenditur* B. *obtendere* C. — *cattos* B. — *tam* C. *tam nam* B. *nam* A. — 5. *cauci* C. — 6. *malit* C. *maluit* A et pr. B, *malint* et hinc *malit* corr. B. — 7. *quietius* C. — 8. *lociniis* C. — 9. *assequantur* C. — 10. *ac* A C. *et* B. — 12. *Chaucorum* om. A. — *cattorum* B.

potius curiositatis et Oceani accuratius *inquirendi* causa suscepta. Cf. ad c. 1.

35. *ingenti flexu*] Eundem *sinum* dicit C. 37 et C. 1 *latos sinus* — *redit*] a Rheno Oceanum versus. — *Chaucorum*] Plin. 16, 1: *Chaucorum, qui maiores minoresque appellantur*, separante eos Visurgi amne. Toto autem h. l. Plinius, testis oculatus, tristissimam eorum vitam rhetorice describit. Cfr. Ann. 11, 19: *missis, qui maiores Chaucos ad deditionem pellicerent*, id est, Frisiis vicinos, occidentem versus habitantes. ORELLI Zeuss *D.* 138 sqq., Ukert *G.* 374, Grimm G. D. S. 574, 672. De eorum nomine disseruerunt l. c. Grimm et Haupt Z. D. A. III, 189 sq. Grimmio assentitur Müllenhoff, Z. D. A. IX, 236, ut sint *hauhai*, die hohen, sed incertum est, utrum hoc cognomen ad corporis magnitudinem an ad animi indolem sit referendum. Reicienda igitur Wackernagelii nostri coniectura, qui (Spr. der Burgunder 14) Chaucorum nomen idem esse suspicatur quod Theot. *gouch*, Gauch. — *quanquam-incipiat*] *qu.* semper fere apud Tacitum cum coniunctivo struitur. Draeger Synt. des T. §. 201. — *lateribus*] orientalibus, usque ad Albim. — *sinuetur*] meridiem versus. ORELLI. Hoc ita esse suo iure negant Zeuss l. l. et Müllenhoff Z. D. A. IX, 228. Prorsus aliter hunc locum explicat l. c. p. 42 Wislicenus, qui, quod supra diximus, *Chaucos* cum *Chaulcis* sive Angrivariis confudisse Tacitum docet et *Chattos* dici existimat Cheruscos a Chattis subiectos. — *sed et implent*] Velleius 2, 106: *omnis Chaucorum iuventus, infinita numero, immensa corporibus, ante imperatoris tribunal procubuit.* — *ac, si res poscat, exercitus, plurimum*] Vv. *plurimum virorum equorumque* per appositionem subiciuntur, quasi scripsisset: „et quidem permagnus numerus peditatus equitatusque". In nonnullis Edd. etiam recentioribus locus falsa distinctione obscuratur: *ac, si res poscat exercitus, plurimum virorum equorumque.* Sed formula *si res poscat* ubique sic absolute ponitur. Cfr. Hist. 1, 79; 2, 5. Suet. Tib. 65. Plin. Epp. 7, 12; 10, 33. Melior nec tamen necessaria S. ratio: *ac, si res poscat, exercitus* (genit.) *plurimum, virorum equorumque.* Cf. etiam Wölfflin, Phil. 26, 165. Cum aliis Halm contr. St. p. 30 *exercitus* vocabulum ut glossema inducendum censet. Quod num recte faciant dubito, ac nescio an verum attigerit *Reifferscheid*, qui legendum esse censet: *exercitus - plurimum ENIM* cet.

36. *Cherusci*] inter Visurgim et Albim, noti iam Caesari 6, 10: *referunt* – – –, *silvam esse ibi infinita magnitudine, quae appellatur Bacenis, hanc longe introrsus pertinere et pro nativo muro obiectam Cheruscos ab Suebis Suebosque a Cheruscis iniuriis incursionibusque prohibere.* Silva Bacenis, ut statuit Ukert *G.* p. 392., nunc est *Spessart, Rhon, Harz.* Strabo 7. p. 291: *οἱ Χηροῦσκοι καὶ οἱ τούτων ὑπήκοοι, παρ' οἷς τὰ τρία τάγματα Ῥωμαίων μετὰ τοῦ στρατηγοῦ Οὐάρου Κουιντιλίου ἀπώλετο.* Memorantur adhuc a Claudiano de IV. Cons. Honor. 450: *Venit accola silvae Bructerus Hercyniae, latisque paludibus exit Cimber et ingentes Albin liquere Cherusci.* Cfr. Zeuss *D.* p. 105, Ukert G 391 sqq., Grimm G. D, S. 612 sqq., Wislicenus l. l. 34. sqq. De posteriore Cheruscorum memoria Müllenhoff apud Mommsen. l. l. 520: die erwähnungen bei panegyrikern und poeten (Z. D. 483 f.) scheinen blosse phrase zu sein. Gentis nomen originem ducere

centem diu pacem inlacessiti nutrierunt. idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Chattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. tracti ruina Cheruscorum et Fosi, contermina gens: adversarum rerum ex aequo socii sunt, cum in secundis minores fuissent.

(37) Eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens, veterisque famae lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis et tam magni exitus fidem. sescentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum

1. *iocundius* A C. — 2. *ĩpotentes* A. *inpotentes* B C. — 3. *nomina* Puteolanus. *nomine* A B C. — 4. *inhertes* C. — *cattis* B. — 5. *tacti* A B C. — *cheruscorum* B. *cheruschorum* A.
u *o* *aduersariis*
eleuscorum C. — *fosi* C. *fusi* B. *fusi* A. — *aduersarum rerum* A B. *aduersarium rerum* C. — 7. *sinum* A C. *situm* B. — *cimbri* A C. *cymbri* B. — 9. *ambitum* A C. — 10. *sescentesimum* A B. *secentesimum* C.

a subst. *hëru* (got. *haíru*) pro certo statuere licet, quod non solum ensem, sed deum quoque vel heroem gladio ornatum significasse Grimm l. l. probare studet. — *marcentem pacem*] „Pax marcet, sicubi ex otio honesto in desidiam et inertiam transierit, marcore quasi infecta." PASSOW. De *marcendi* verbo cf. Draeger, S. d. T, pag. 96. — *impotentes*] „bellico furore abreptos et propter levissimas causas vicinos minus validos ab ipsisque spretos aggredientes." — *idque iucundius quam tutius*] Quam rationem T. in comparandis duabus eiusdem rei qualitatibus sit secutus docet Wölfflin Phil. 26, 118. — *falso quiescas*] „*Falso* adverbium non *modum* quiescendi, *sed iudicium* de quiescendo continet." KRITZ. — *modestia* cet.] „ubi armis dimicatur, victor semper modesti ac probi laudem nanciscitur, incusatur et despicitur victus". — *olim*] dum rebus secundis in alta pace fruuntur et ferociam dediscunt; unde per aliquod tempus a vicinis his laudibus extollebantur". ORELLI. Falso putamus Wackernagelium Z. D. A. 6, 256 statuisse Germanicum quoddam inde Cheruscorum cognomen esse ortum. Cf. etiam Grimm G. D. S. 597, qui eorum sententiam refellit, qui Thuringos ortos a Cheruscis rati in ipsorum nomine vocabulum Theot., quod est *tor*, stultus, inesse statuebant. Adde Grimm G. D. S. 779. — *Chattis*] Ann. 12. 28: *Cherusci, cum quis aeternum discordant Chatti.* Ceterum commode huc referas locum Dionis 67, 5. ad a. post Chr. 85: *Χαριόμηρος, ὁ τῶν Χερούσκων βασιλεύς, ὑπὸ Χάττων ἐκ τῆς ἀρχῆς διὰ τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν ἐκπεσών, τὸ μὲν πρῶτον ἑταίρους τινὰς παρέλαβε καὶ κρείττων ἐν τῇ καθόδῳ ἐγένετο. ἔπειτα ἐγκαταλειφθεὶς ὑπ' αὐτῶν, ἐπειδὴ ὁμήρους τοῖς Ῥωμαίοις ἔπεμψε, τὸν Δομιτιανὸν ἱκέτευσε· καὶ συμμαχίας μὲν οὐκ ἔτυχε, χρήματα δὲ ἔλαβε.* Apud Tacitum autem haec quoque fama aliquantum exaggerata videtur, ut quae C. 33 narrat de Bructeris *penitus excisis.* Cfr. Zeuss l. l. ORELLI. Cf. Grimm G. D. S. 577. Ceterum ipse nos docet Tacitus Cheruscos potius bellis perpetuis intestinis quam nimia ac marcenti diu pace perisse Ann. 11, 16. Chattorum principes intestinis illis bellis iamdudum favisse suspicari licet ex Ann. 2, 88. — *tracti*] sic, ut volebant Burmannus et Cortius ad Luc. 7, 655, atque Ernestius, Codd. H. et corr. St. Sic plane Ann. 6, 26: *traxit eam pernicies Agrippinae.* Vulgatum olim *tacti* rem non exaequat, et nimis tenue videtur, etsi S hoc defendens: „ruit, quem ruina tangit". — *Fosi*] Vestigium horum nominis superesse visum est quibusdam in *Fūsa* i. e. funsa „cita", flumine Hildesiensi, quod prope Cellas Allerae miscetur. J. Grimm G. D. S. 782. ipsos *citos* vel *promtos* dici existimat. — *ex aequo*] De hac ratione formandi adverbia diligentissime disseruit Wölfflin, Phil. 26, p. 146.

37. *sinum*] quem c. 35: *ingentem flexum* dixerat. Sic C. 1: *latos sinus;* C., 29: *sinus imperii* Est Chersonesus Cimbrica (Ptol. 2, 11.), de qua Plin. 4, 13: *Promunturium Cimbrorum excurrens in maria longe peninsulam efficit, quae Cartris appellatur.* — *Cimbri*] Post magnam illam cladem, qua eos in campis Raudiis contudit Marius (a. u. c. 653.), rara eorum remanent vestigia in historia Romana, veluti in Monum. Ancyr. p. 35. Ed. Franz: *Cimbrique et Charudes et Semnones et eiusdem tractus alii Germanorum populi per*

audita sunt arma, Caecilio Metello et Papirio Carbone consulibus. ex quo si ad alterum imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni colliguntur. tamdiu Germania vincitur. medio tam longi aevi spatio multa invicem damna. non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. quid enim aliud nobis quam

1. *et* A B. *ac* C. — *papirio* (l. *r.* simili *n* litterae) C. *sapyrio* (p superscr.) B. *sapirio* A. — 3. *tam̄* pr. B.

legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt. Strabo 7. p. 293: *Κίμβροι καὶ νῦν ἔχουσι τὴν χώραν, ἣν εἶχον πρότερον, καὶ ἔπεμψαν τῷ Σεβάστῳ δῶρον, τὸν ἱερώτατον παρ' αὐτοῖς λέβητα, αἰτούμενοι φιλίαν καὶ ἀμνηστίαν τῶν ὑπηργμένων· τυχόντες δὲ ὧν ἠξίουν ἀπῆραν.* ORELLI. De Cimbris praeclare egit Zeuss D. p. 141 sqq. Cf. etiam Ukert G. p. 321, Grimm G. D. S. II, 632, 637, 779, Mommsen R. G. II[4], p. 173 sqq., Gisi, Quellenbuch der Schweizergesch. I, 208 sqq. Germanos fuisse Cimbros, quanquam in itineribus suis longinquis Gallis varie mixtos, hodie plerique homines docti suo iure censent. Qui inde Celticam eorum originem deduxerunt, quod hodie quoque Cimbrorum cognomines *Cymri* Celtici exstarent, perperam neglexere quae Zeuss gr. celt. I, 226 docuit vetustissimam eius nominis formam *Combroges* futuram fuisse. De vera Cimbrorum nominis vi parum certi sumus. J. Grimm l. l. arte cohaerere putat cum vocabulo Theot. *chempho* h. e. pugnator, in eandemque fere sententiam abit Zeuss; uterque enim eorum *λῃστὰς* et *latrones* veram nominis interpretationem esse existimat. Caute tamen Zeuss addit: ausserdem waere man gezwungen etwa aus der verlorenen W. KIMBAN zu erklaeren, nach der Art der Rüstung der Cimbern, Plut. Mar. c. 23. Nescio an recte. Ceterum bene Müllenhoff über die weltkarte und chorogr. des A. p. 12: die deutschen namen weisen sämmtlich auf eine alte zeit zurück, die *Teutonen u. Cimbern* aber direct auf August; denn nur durch den officiellen sprachgebrauch (mon. Ancyr. 5, 14. ff., cf. Strabo 293, Plin. 2, 67, 4, 27, 28) erhielten sich die schon verschollenen namen für die völker unserer halbinsel auch noch bei den schriftstellern des ersten jahrhunderts. — *gloria*] ablativus. Cf. Ann. 11, 10: *Vardanes regreditur ingens gloria.* Wölfflin, Phil. 26, p. 165. — *lata*] Rhenani *late*, etsi haud displicet, tamen prorsus necessarium non videtur. — *utraque ripa*] Rheni, id quod accuratius quam alii docuit Wölfflin l. modo l. — *castra ac spatia*] Figurae, quae *ἓν διὰ δυοῖν* dicitur, apud T. exempla congessit Draeger l. l. p. 90. — *manusque*] „quam ingens bellatorum numerus castra ea fecerit". Sic Ann. 1, 61: *Vari castra trium legionum manus ostentabant.* — *exitus*] „Constans omnium Codd. lectio; Lipsius vim vocabuli non assequens *exercitus* emendavit; sed illud vel unus locus Ciceronis Parad. 4, 1: *reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum gloriosum* satis defendit". GERLACH. Caesar B. C. 3, 69: *Equites Caesaris salutem et exitum sibi pariunt.* Suet. Caes. 84: *hos frustra per omnes moras exitu prohibere conatus.* Et alios locos sat multos suppeditant Lexica. Contra S interpretatur: „tantam fuisse multitudinem eorum, qui caederentur, qui caperentur (Liv. Epit. 63.), ut credas, persuadet magnitudo castrorum". — *sescentesimum et quadragesimum*] Accuratius si loqui voluisset noster, sescentesimum quadragesimum primum annum dicere debebat. Cf. Mommsen C. J. I, 534.; Fischer R. Zeitt. 155; sed artis ratione habita pari numero uti maluit. — *alterum imperatoris Traiani*] a. u. c. 851, post Chr. 98, quo Nerva decessit die 27 mensis Ianuarii. Manifesto autem indicat annum, quo hunc librum composuerit. ORELLI. Cf. etiam Dierauer, Beitrag zu einer krit. Geschichte Traians p. 34. — *ducenti ferme*] *ferme* particula, non *fere*, usum esse semper Tacitum in libris suis ad historiam pertinentibus probare studuit Wölfflin, Philol. 25, 102 sq. — *tamdiu Germania vincitur*] „tamdiu in eo elaboramus, ut Germaniam devincamus, sed quamquam crebro nostras victorias extollentes nunquam eo pervenimus, ut dometur". Et quomodo ante Varum victa sit Germania, perbene exponit Dio 56, 18: *Εἶχόν τινα οἱ Ῥωμαῖοι τῆς Κελτικῆς, οὐκ ἀθρόα, ἀλλ' ὥς που καὶ ἔτυχε χειρωθέντα, καὶ στρατιῶταί τε αὐτῶν ἐκεῖ ἐχείμαζον, καὶ πόλεις ᾠκίζοντο· ἔς τε τὸν κόσμον σφῶν οἱ βάρβαροι μετερυθμίζοντο καὶ ἀγορὰς ἐνόμιζον συνόδους τε εἰρηνικὰς ἐποιοῦντο. οὐ μέντοι καὶ τῶν πατρίων ἐθῶν τῶν τε συμφύτων τρόπων καὶ τῆς αὐτονόμου διαίτης τῆς τε ἐκ τῶν ὅπλων ἐξουσίας ἐκλελησμένοι ἦσαν.* Atque similiter brevius Florus 4, 12, 30: *Germani victi magis quam domiti erant.* Ipse Tacitus mox etiam clarius: *triumphati magis quam victi sunt.* — *Samnis - Poeni*] Hist. 3, 59: *Samnis Paelignusque et Marsi.* De hac pluralis singularisque numeri varia-

caedem Crassi amisso et ipse Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? at Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Cn. quoque Manlio fusis vel captis quinque simul consulares exercitus populo Romano, Varum trisque cum eo legiones etiam Caesari abstulerunt, nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus

1. *amiso et ipso et ipse pacoro* A B C. — 2. *et L. Cassio* Ritter. — 3. *Cn.* Ernesti. *Marco* A B C. — 4. *populi romani* A C, pr. B. *populo romani* corr. B. — *trisque* B. *tresque* A C. — *caesaris* A C. *caesari* B.

tione apud Tacitum haudquaquam rara cf. Draeger 95. — *admonuere*] non *sui*, ut vult Passovius, sed *nos* cladibus, quas nobis inflixere. Cfr. Gronov. Diatr. p. 499. Fr.: „*Admonere* dicitur, quidquid aliquo cum aculeo teloque in memoriam redit. Virg. Aen. 9, 108: *Cum Turni iniuria matrem Admonuit*"; et p. 501. h. l. explicat: „*admonuere*, scilicet nos oblitos hostes, aut ne oblivisceremur." Adde Tibull. 4, 1, 189: *Cum memor ante actos semper dolor admonet annos.* Sic interdum nos usurpamus de calamitate aliqua v. *mahnen*. — *regno Arsacis*] dominatione arbitraria, δεσποτείας βαρβαρικῆς. ORELLI. Is anno 256 a. Chr. Parthorum regnum constituit et, quo se legitimum Persarum regni heredem simularet, genus suum ab Artaxerxe II., cui, antequam regnum iniret, idem Arsacis nomen fuerat, deduxit. Persica nominis forma est *Arsaka* (Spiegel Keilinschr. 185), quod nomen eadem fere sententia videtur, qua Romanorum *Nero*; Pott, Wurzelwb. 2, 1, p. 49, qui recte addit Strabonem XV, 702 ita esse interpretandum, ut omnium Parthorum regum a regni conditore factum sit cognomen eodem fere modo, quo Romanorum Caesar. — *Crassi*] cum exercitu deleti in Mesopotamia a. u. 701. — *amisso et ipse Pacoro*] „ita tamen ut et ipse Oriens vicissim postea amiserit Pacorum Orodis regis Parthorum filium et ducem." Etenim a. u. 716 (Clinton *Fasti Hell.* III p. 218), ut ait Orosius 6, 18: *Ventidius - - regem Parthorum Pacorum in acie interfecit ea scilicet die, qua Crassus a Parthis fuerat occisus;* ubi *rex* vocatur prorsus ut a Tacito ipso Hist. 5, 9 pro regis filio. „Altera lectione *et ipso Pacoro* (praelata a Passovio aliisque) significaretur etiam alios duces praeter Pacorum occisos fuisse, quod contra se habet." GERL. De singulari hoc historicorum vocabulorum *quisque* et *ipse* cum ablativis absolutis iunctorum usu cf. Naegelsbach Stilistik § 97, 2. b. — *infra Ventidium*] P. Ventidium Bassum, qui fuit Picens in bello sociali cum matre captus et in triumpho ductus, dein mulio. Cum Caesare, qui eius fortitudinem perspexerat in Galliam profectus mox in eius amicitiam receptus tribunus pl. et praetor factus est; hostis quidem cum Antonio iudicatus, sed postea pontifex, consul, victor Parthorum, de quibus triumphavit; publico tandem funere elatus. Plin. 7, 44. Gell. N. A. 15, 4: *vulgo per vias urbis versiculi proscribebantur: Concurrite omnes augures, haruspices: Portentum inusitatum conflatum est recens; Nam mulos qui fricabat, consul factus est.* Et virulenta in eum exstat parodia Catulliana in Vergilii Catal. 8. Ad totum h. l. cfr. Florus 4, 9 et 10. — *deiectus*] depressus, cum summae ignominiae notione, *herabgewürdigt*. — *Carbone*] Liv. Epit. 63: *Cimbri gens vaga populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est.* — *Cassio*] Liv. 65: *L. Cassius Longinus consul* (a. u. 647) *a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est.* Ibi sane Tigurini soli devicerunt Cassium; sed Tacitus propter temporum seriem eos pro Cimbrorum sociis habuisse videtur, ut sane Orosius 5, 16 in Caepionis et Manlii clade iungit *Cimbros et Teutonas* (sic etiam Cod. Sangall. Saec. IX.) *et Tigurinos et Ambronas, Gallorum Germanorumque gentes.* Cfr. Io. de Müller Hist. Helv. L. 1, C. 3. Opp. omn. Vol. XIX p. 12. — *Scauro Aurelio*] Liv. 67: *M. Aurelius Scaurus, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu captus est; et cum in consilium ab iis evocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci non posse, a Boiorige, feroci iuvene, occisus est.* (a. u. 648. Consul is fuerat a. u. 646.) — *Servilio Caepione*] cos. a. u. 648, devictus anno insequenti. Liv. l. l.: *Ab iisdem Cimbris Cn. Manlius consul et Q. Servilius Caepio proconsul victi proelio castrisque binis exuti sunt; militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta, secundum Arausionem* (h. *Orange*). — *Cn. quoque Manlio*] cos. a. u. 649. *Marci* praenomen ei datur etiam apud Sall. Iug. 114 in optimis libris, ac miro consensu apud Eutropium 5, 1 omnes libri *M. Manlius.* Sed Cic. Phil. 1, 13: *ut enim propter unius M. Manlii scelus decreto gentis Manliae neminem patricium Marcum Manlium vocari licet* cet. Liv. 6, 20: *Gentis Manliae decreto cautum est, ne quis deinde Marcus Manlius vocaretur.* Ut apud Livium l. l. aliosque, *Cn.* est

ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. mox ingentes C. Caesaris minae in ludibrium versae. inde otium, donec occasione discordiae nostrae et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere; ac rursus pulsi inde proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

(38) Nunc de Suebis dicendum est, quorum non una, ut Chattorum Tencterorumve gens: maiorem enim Germaniae partem obtinent, pro-

1. *absperculerunt* ex praeced. *abstulerunt* B. — 2. *C. Caesaris–nostrae* om. C. — 4. *ac*
ł nam
rursus pulsi inde proximis A. ac rursus inde pulsi in proximis B. *ac et expulsi inde proximis* C. — 6. *suevis* A B C.

in Inscr. Grut. p. 207, apud Or. Inscr. Lat. N. 3697, Corp. I. L. (Mommsen) I, p. 168, in celebratissima illa lege parieti faciundo Puteolana *P. RVTILIO . CN. MALLIO* (sic) *COS.* Nummum Goltzianum subditicium apud Morell. Thesaur. I p. 523: *CN. MANLIVS . CN. F. MAXIM.*, quem certatim hic afferunt interpretes, equidem nihil moror. — *Drusus*] qui *per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit.* Flor. 4, 12, 26. — *Nero*] qui postea Tiberius imperator, de cuius expeditionibus in Germaniam vide Vellei. Pat. 2, 97; 104. sqq. — *Germanicus*] Ann. 1, 49; 2, 5.— *C. Caesaris*] Caligulae. Cfr. Hist. 4, 15: *Caianarum expeditionum ludibrium;* ubi vide. — *otium*] sub Claudio ac Nerone. Quamquam sub Claudio non prorsus quiescebant arma contra Romanos. Cfr. Suet. Cl. 24, Dio 60, 8, Tac. Ann. 11, 18; 12, 29; 13, 53. Walth. Sed nec Germani neque Romani maiorem aliquam cladem perpessi erant. — *occasiōne discordiae nostrae*] Respicit Tacitus ad bella civilia inter Othonem et Vitellium, mox inter hunc et Vespasianum gesta: etenim occasione certaminis inter duos posteriores orti Batavi aliis cum populis etiam Transrhenanis in Gallias irrupere et Civilis de imperio Galliarum condendo iamiam cogitabat. Hist. 4, 12; 5, 14. — *proximis temporibus*] sub Domitiano, cuius falsus triumphus de Chattis derisui fuit. Suet. Dom. 6, 13, Tac. Agr. 39, Plin. Pan. 16, Dio Cass. 67, 4. Hess. — *triumphati - sunt*] Poĕtarum modo *triumphandi* verbo sensu quem dicunt transitivo utitur Tacitus, sed in solo participio perfecto. Minus accurate hac de re disseruit Draeger l. l. p. 9, cum *triumpharetur* Ann. 12, 19, ita intellegi haudquaquam necesse sit. —

38. *De Suebis*] Facile si, quos populos in Sueborum numerum referat Tacitus, diligentius reputaveris, intellegas, nimis longe eum nomen extendisse. Si, quod Tacitus c. 2. auctoribus quidem historicis quibusdam Romanis tradidit, respexerimus, haud longe aberrabimus statuentes Suebos mediam praecipue Germaniam tenuisse oppositos ab altera parte Rheni accolis sive Istvaeonibus, ab altera Vandiliis. Maxime igitur Herminonum erant, fortasse etiam Inguaeonum. Cf. etiam Waitz D. V. 1, 14, Wislicenus l. l. — *Chattorum*] quos ipsos Caesar Suebos dicit. — *propriis adhuc*] „His nationibus in commune quidem Sueborum nomen inditur; nondum tamen ita in unum populum coaluerunt, ut non singulae maneant discretae atque propria nomina retineant;“ prope ut Helvetii in XXII pagos discreti. Cfr. Hand Turs. I. p. 163. — *in commune Suebi vocantur*] Ducunt a v. inusitato *SWIBAN*, in prisca lingua Germanica *suipan*, hodie *schweben*, huc illuc ferri. Zeuss *D.* p. 55. Itaque significaret gentes vagam vitam agentes, quo cum sensu satis congruere videtur illustris ille Caesaris locus B. G. 4, 1: *Sueborum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus educunt*; ubi cogitandum imprimis non de bellicis expeditionibus iustis atque certo consilio susceptis, sed de incursionibus huc illuc in vicinorum fines vagis et tumultariis ac brevi tempore sine magno effectu rursus intermissis, ut *Usipetes et Tencteri complures annos Sueborum vim sustinuerunt.* Ibid. C. 4. (Sed cf. ad c. 2, ubi significavimus nullam adhuc eius nominis interpretationem esse inventam, quae pro certa existimari posset). Multas autem fuisse Sueborum gentes (inter quas praecipua Semnonum natio), testatur etiam Strabo 7, p. 290: *τά γε τῶν Σουήβων ἔθνη, τὰ μὲν ἐντὸς ᾤκει, τὰ δὲ ἐκτὸς τοῦ δρυμοῦ (Ἑρκυνίου) ὅμορα τοῖς Γέταις. Μέγιστον μὲν τὸ τῶν Σουήβων ἔθνος· διήκει γὰρ ἀπὸ τοῦ Ῥήνου μέχρι τοῦ Ἄλβιος· μέρος δέ τι αὐτῶν καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται.* Dio Cass. 51, 22. Ukert *G.* p. 341 - 348. — *obliquare crinem*] id est „ex dextra et ex sinistra parte frontis oblique in verticem crinem flectere, ut ibi totus angulatim colligatur.“ Grimm *R. A.* p. 284: *die freien Sueven kämmten ihr haar seitwärts und banden es in knoten. Die knechte trugen folglich kurzgeschnittenes.* (Accuratius etiam Ukert *G.* p. 347 vv. *nodo substringere* vertit: *mit einem Knoten zu*

priis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suebi vocentur. insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. sic Suebi a ceteris Germanis, sic Sueborum ingenui a servis separantur. in aliis gentibus, seu cognatione aliqua Sueborum seu, quod saepe accidit, imitatione, rarum et intra iuventae spatium, apud Suebos usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur: ac saepe in ipso solo vertici

1. *quamquam* A C. *quam*[vis] B. — 2. *suevi* A. B C. — 4. *suevorum* A B C. — 5. *suevos* A B C. — 6. *retro sequuntur* A B. *retro sequentem* C. *retrosum agunt* Haupt. *recurvant* Lachmann. Alii alia. — *in solo* [t ipso] *vertice* A. *in ipso* [solo] *vertice* B. *in ipsa vertice* C. *vertici* Lachmann.

unterbinden.) On les reconnaît à la mode de retrousser leur chevelure et de l'attacher par un noeud. Louandre. Cfr. Claudian. IV Cons. Honor. 655: *Crinitus - - Suebus.* ORELLI. Halm controv. St. p. 38.: Was zuerst die Worte *insigne gentis obliquare crinem nodoque substr.* betrifft, so scheint damit die am häufigsten übliche Art der Haartracht bezeichnet zu sein, nach der das Haar seitwärts gestrichen und am *Hinterkopf* mit einem Knoten unterbunden, d. h. in einen *Zopf* gefasst wurde. Vir doctissimus si recte statuit, occipitii potius crinem oblique flexum nodo substrictum esse putemus necesse est itaque alium quendam morem proximis verbis describi. Vereor, ne nimis subtiliter; certe quod de *saepe* particula l. l. dixit, facile refelli potest. *rarum*] apud eos tantum hoc usitatum erat, qui ceteris fortiores ac ferociores videri vellent. Totum hunc locum de Sueborum capillo illustrat aliquatenus, etsi non omnia prorsus respondent, Sidonius Apoll. Theodoricum, Visigotorum regem, describens 1, 2: *Capitis apex rotundus, in quo paululum a planitie frontis in verticem caesaries refuga crispatur. - - Aurium legulae, sicut mos gentis est, crinium superiacentium flagellis operiuntur.* Scriptores Romanos alios similem capilli habitum omnium Germanorum communem putasse docent Iuvenalis et Senecae loci a J. Grimmio R. A. l. c. allati. Cf. etiam, quae Lipsius ad hunc locum congessit. De Langobardis vero recentioris quidem aetatis P. Diac. 4, 22: cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, *capillos* a facie usque ad os *dimissos* habentes, quos in utramque partem in frontis discrimine dividebant. Ceterum Haupt hoc modo interpungit: *spatium, apud Suebos usque ad canitiem, horr.* cet., ut appareat eum vv. *rarum* — *canitiem* appositionem esse statuere verborum *capillum r. s.* cui sententiae ne, quod Draeger ad Ann. 1, 39, 16 annotavit, obstet, non veremur. — *horrentem capillum retro sequuntur*] In his studio humilia ac sordida verba devitandi totique rei rhetoricum quendam ornatum adhibendi nobis obscurior est factus. V. *horrentem* equidem cum v. *canitiem*, ut nonnulli faciunt, iungere nequeo; nam vel propter ipsos numeros (ῥυθμὸν) pertinet ad *capillum* qui, nunquam tonsus, horridus fit; neque vero v. *retro* aut Walthero auctore cum v. *horrentem (rückwärts gesträubtes Haar)* nec cum v. *capillum* coniungendum reor, ut significare possit *capillum retro flexum;* sed cum v. *sequuntur;* quam ad constructionem sane conferre non licet Vergiliana illa Aen. 2, 753 et 9, 392: *simul et vestigia retro Observata legit,* ubi *retro* pertinet non ad v. *legit*, sed ad v. *observata.* Sed in hoc ipso, quod caret exemplo iunctura *retro sequi*, singularis totius φράσεως habitus continetur; contra, si distrahas, v. *sequuntur* sic nude positum languidissimum fit. At quomodo interpretabimur? Quodsi acceperis pro „crinem semper intonsum promittere, ut retro in tergum descendat," repugnant sane sequentia *in - - ligant.* Ergo explico: „capillum promittunt, semper crescere sinunt, sed eum a cervice et umeris retro in verticem flectunt nodo ligatum." Et ad hanc ipsam sententiam perbene Louandre: *Les Suèves, lors même que leurs cheveux ont blanchi, les ramènent, tout hérissés, de la partie postérieure de la nuque, et les rattachent souvent* (seulement) *au sommet de la tête.* Necessario autem v. *sequuntur* claram aliquam atque aspectabilem imaginem mentis aciei praebere debet, neque cum Walthero explicari potest „servant, retinent cum quodam studio usque ad canitiem *(sie bleiben bei dieser Haartracht)*." Ne quid desit, addo etiam Bachii interpretationem: „Suebi usque ad canitiem amant capillum a fronte retroactum, ita ut horreat. Cfr. Quintil. 11, 3, 1: *capillos a fronte contra naturam retroagere, ut sit horror ille terribilis.*" Contra Burnouf: *Ils suivent avec la main cette chevelure tombante et négligée, ils vont la chercher derrière leur tête pour la ramener au sommet et l'y attacher.* ORELLI. Sed suo iure nuper vv. dd. Lachmann, Haupt, Halm alii verbo *sequendi* hic locum esse negarunt. Coniecit igitur Lachmann legendum esse *recurvant*, nescio an ita ut *retro* inducendum esse putaverit — nam certe, si Wölfflinum, Phil. 25, 126, audimus, *retro recurvare* a Taciti

religatur. principes et ornatiorem habent. ea cura formae, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella comptius hostium oculis ornantur. (39) vetustissimos se nobilissimosque Sueborum Semnones memorant. fides antiquitatis religione firmatur. stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coëunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia. est et alia luco

1. *religatur* A B. *ligant* C. — *innoxia* Muretus; *innoxie* A B C. — 3. *comptius* Lachmann.
orn
compti ut A B C. — *ornantur* C. *armantur* A. *armantur* B. — *vetustissimo* C. — 4. *sueuorum*
m *ł señones*
A B C. — *senones* B. *semones* A. — *semones* C. — 5. *augurii* C. — *patrum* corr. B. *patrium* A C et pr. B. — *sacram* B. *sacrum* A C. — 6. *omnes* supra adscripto *ł nominis ł numinis* A.

sermone alienum est —; Haupt legendum esse suspicatur *retrosum agunt*, cui lectioni admodum favet locus Quintiliani ab Orellio allatus; ceterum Wölfflin l. c. pag. 103 in eo merito offendit, quod H. *retrorsum* pro *retrorsus* scripserit. Similiter ac Haupt legendum ponit Halm vel *retro agere suetum* vel *Suebos suetum — retrorsum agere*. Haec non satis habens Drohsin, Jahrbb. für Phil. u. Paed. 95, 283 collatis Ovid. Fast. II, 558 et Quint. II., 5, 12 corrigendum censet: *capillum retrorsum comunt*. — *in ipso solo vertice*] „hoc uno nodo contenti sunt neque vero alios quoque cincinnos nectunt.“ Alterum utrum voc. cur omissum aut consulto deletum fuerit, facile est intellectu, non item, cur quis hoc vel illud inculcarit. Comparat Gerlachius Cic. pro Sulla 28: *valeat ad poenam et ad salutem vita plurimum, quam solam videtis ipsam ex vi sua naturaque facillime perspici.* Recte addit: „*Es heisst* in ipso solo vertice *nichts anders als: nur unmittelbar auf dem Scheitel, so dass der Begriff von* ipso *dadurch nur geschärft und vor jedem Missverständniss bewahrt wird. Also nicht, auch sonst binden sie die Haare, oder flechten sie in Zöpfe oder thürmen sie auf zu Hörnern* (cornua, *κέρατα*), *sondern das blosse Aufbinden auf dem Scheitel allein genügt.*“ Seneca de Ira 3: *crinis rufus et in nodum coactus apud Germanos virum non dedecet.* Ceterum in Fabretti Col. Traiana p. 16 habes capita duo, capillitium sic Sueborum more in nodum summo vertice collectum gestantia, ubi huius loci meminit interpres. ORELLI. Scripsit vero Lachmanno auctore Haupt *in ipso solo vertici*, h. e. *es wird nur in sich selbst auf den Scheitel geknotet.* Ac sane quid sibi velint vulgatae lectionis interpretes, non intellegimus; an unde novimus adulescentes Suēbos plures saepe cirros nexuisse? Opponuntur ei, a quibus in ipso solo vertici religatur capillus aliis, qui aliter faciunt ac praecipue illis, qui et ornatiorem habent. — *in altitudinem*] „ut aliquanto proceriores videantur, quam per se sunt.“ — *comptius*] Luculenter emendavit Lachmann. Romani quidam adulescentes similia muliercularum oculis faciunt (Cic Cat. 2, 10); Suebi comptius hostium oculis ornantur.

39. *Semnones*] Strabo 7. p. 290: *τὸ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος, Σέμνωνας* (sic). Ann. 2, 45: *e regno etiam Marobodui Suebae gentes, Semnones ac Langobardi, defecerunt ad Arminium.* Dio 67, 5 eorum regis Masyi, qui sub Domitiano Romam venit, mentionem facit. Ultimum commemorantur tempore belli Marcomannici. Dio 71, 20: *οἱ Κουάδοι μὴ φέροντες τὸν ἐπιτειχισμόν, μεταναστῆναι πανδημεὶ πρὸς Σεμνόνας* (sic) *ἐπεχείρησαν*. Sed Antoninus eos impedivit. Ab his autem Iuthungi, posteriores Suabi, originem ducere videntur. Zeuss *D.* p. 130. Ukert *G.* p. 404. ORELLI. Grimm G. D. S. 492 sqq. De eorum nomine cf. praeterea Wackernagel Z. D. A. 6, 260, Müllenhoff ib. 7, 383 sq., 10, 562. Müllenhoff acute de Gotico verbo* *simnan*, se vincire, vinctum esse, cogitat et nomen esse censet hieraticum inditum populo a more se vinciendi in eius dei honorem, qui in ipso hoc capite describitur. — *stato tempore*] h. e. *certo quodam sollemni anni tempore.* Müllenhoff in docta sua de Tuistone eiusque posteris commentatione (Schmidt, Zeitschr. f. Geschichtsw. VIII) collatis eis, quae J. Grimm Mythol. 275 disseruit, hoc tempus in duodetrigesimum mensis Septembris diem incidere suspicatur. Tantum constare videtur Semnonum sollemnia autumno celebrata esse. — *in silvam*] Gr. *R. A.* p. 793, ubi affert ex Hucbaldi Vita Lebuini apud Surium Novembr. p. 282 de Saxonibus: *statuto tempore anni semel ex singulis pagis atque ex iisdem ordinibus tripartitis* (nobilibus, ingenuis, litis Gr. p. 226.) *singillatim viri duodecim electi et in unum collecti in media Saxonia secus flumen Wiseram et locum Marclo nuncupatum exercebant generale concilium. Placitum in eadem silva* cet. Cfr. Gr. *M.* p. 61. — *auguriis - - sacram*] hexameter utique melior illo, qui exstat C. 32: *praecellunt: nec maior apud Chattos peditum laus*, nec tamen e poëta desumptus; undeviginti tales in Taciti scriptis Bambanius observavit apud Fabric. Bibl. Lat. II. p. 389. Hic

reverentia. nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et potestatem numinis prae se ferens. si forte prolapsus est, attolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur. eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. adicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitant; magnoque corpore efficitur ut se Sueborum caput credant. (40) contra

2. *plapsus.* — 5. *parentia* superscr. *t*, ut sit *patentia* B. — *adiicit* B C. *adijcis* A. —
m *ꝉ sennonum*
semnonum C. *senonum* B. *semonum* A. — *habitant* Ernesti, *habitantur* A B C. — 6. *corpore*
temp *ꝉ tempore*
C. *corpore* B. *corpore* A. — *officitur* B. — *suevorum* A B C.

autem habet colorem prorsus Vergilianum. Aen. 7, 172: *tectum Horrendum silvis et religione parentum*; 8, 598: *(lucus) Religione patrum late sacer*; Ge. 4, 468: *Et caligantem nigra formidine lucum.* ORELLI. De eiusmodi locis rhythmicis cf. etiam Draeger S. u. St. des T. § 255. Ceterum et J. Grimm G. D. S. p. 493 et Müllenhoff Z. D. A. VII, 384 hic de ea silva cogitant, quam *Semanam* dicit Ptolem. 2, 11, 7. — *primordia*] Homo, sine dubio captivus aliquis vel servus, barbaro atque horrendo ritu immolatur, antequam Sueborum legati de rebus communibus inter se consultare incipiant. OR. *primordia* vocabulum h. l. eadem fere est sententia qua *initia*, *τελεταί*. — *minor*] viribus ac dignitate quam deus. ORELLI. Numen vero, quod Tacitus dicit, *Irminum* sive *Tivum* fuisse docet Müllenhoff apud Schmidtium et Z. D. A. X, 562. — *prae se ferens*] ultro agnoscens et testans. — *attolli — evolvuntur*] potestate formae mediae *sese attollere — evolvunt:* vix monuissem, nisi plerique interpretes passiva significatione accepissent, „ab aliis attollitur — evolvuntur.“ Tu cfr. Ann. 1, 13: *cum Tiberii genua advolveretur.* Ipsum ritum sic explicat Gr. *M.* p. 61: *wer in heiliger sache begriffen ist, in gegenwart und auf dem gebiet des gottes steht, der soll nicht straucheln und wird, wenn er zu boden sinkt, seines rechts verlustig.* — *superstitio*] Kritz ad T. Agric. IX, 4: *superstitiones* in universum dicuntur externarum gentium religiones a Romanorum more abhorrentes. — *initia gentis*] C. 3: *Tuistonem, deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque.* Eundem esse cum Wodano in Semnonum luco cultum putat Zeuss *D.* p. 22. Certe perquam similiter in vita S. Rentigerni, episcopi Scoti Saec. VI, apud Bolland. Ian. 1, 820: *Woden, quem principalem deum crediderunt et Angli, de quo originem duxerant — —, hominem fuisse mortalem asseruit et regem Saxonum, a quo plures gentes genus duxerant.* ORELLI. Sed vide quae modo de numine a Semnonibus culto diximus, quorum posteros *Ziuwarios* h. e. *Tivi cultores* fuisse pro certo novimus, et hodie quoque apud nos Tivi die (*Zīstig*) nuptiae celebrari solent. Ex eis, quae T. hic narrat, Müllenhoff loco laudato nomen *Iuthungorum* repetit, quod postea est Semnonum, cum dicit *Iuthungum* (Theot. *Eodunc*) prorsus congruere cum vocabulo Germanorum bor., quod est *iodhūngr*, proles, a vocab. *iodh* patronymica derivatum terminatione. Addit v. d. Z. D. A. X, p. 564 Caesaris *Eudosios* idem fere esse nomen ad eosdem Semnones referendum; *Iuthungos* igitur et *Eudosios* hoc nomine magni dei prolem se significasse. Operae pretium est de radice, quae subest his vocabulis, conferre, quae Wackernagel die Spr. der Burgunder p. 56 et 73 disseruit. Equidem crediderim eius vim propriam fuisse *crescendi.* Ceterum de Iuthungis cf. etiam Müllenhoff Verz. der R. Provinzen 523. — *regnator omnium deus*] Recte inde conicias Tivum, qui idem est, qui Indorum *Dyāus*, Graecorum *Ζεύς*, etiam inter Germanos olim altiorem tenuisse locum. Satis notum est, quae vis fuerit Graecorum Iovis; de Indorum deo cognomine cf. sis Muir in the Journal of the R. Asiatic Society, New series, 1, p. 54 sq., cuius commentationis partem in linguam vernaculam convertit Benfey, Orient u. Occident III, 450, et Müller, Vorlesungen über die Wissensch. der Spr. II, 396 ff. Nec Romanorum Mars soli bello praefuit. — *centum pagis*] Primo aspectu haec desumpta videntur ex eo, quod Caesar B. G. 4, 1 de Suebis universis dicit: *Hi centum pagos habere dicuntur;* sed utrumque scriptorem eam populorum divisionem, quam nos vocamus *Gaue*, *cantons*, confudisse cum Germanorum *huntari (Hundertschaften)*, *centenis* temporum Carolingicorum statuunt Gr. *R. A.* p. 252 Z. *D.* p. 131 Waitz *D. V.* I[2], p. 158, Sybel *D. K.* p. 37. ORELLI. Sed de pagis Tacitinis supra aliter existimandum esse putavimus ac verisimile est nostrum in hac re Semnones cum universis Suebis confudisse. — *magnoque corpore*] Noli explicare cum nonnullis de statura, *Leibesgrösse*, sed de magno numero hominum suae civitatis et de agro, quem possident. Sic Liv. 1, 18: *coalescere in populi unius*

Langobardos paucitas nobilitat. plurimis ac valentissimis nationibus cincti non per obsequium, sed proeliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varini et Eudoses et Suardones et Nuitones fluminibus aut silvis muniuntur. nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Nerthum, id est Terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. est in insula Oceani

1. *largobardos* A. *longobardos* [i] B. *longobardos* C. — *nobilitas* A B C. — 2. *et* A C. *ac* B. — 2. *reusdigni* [r] B. *reusdigni* A. *reusdigi* C. — 3. *auiones* A C. *aniones* [r] B. — [u]*armi* C. — *suarines* [dones] B. *suarines* A C. — *nuithones* A C. *nurtones* [i] B. — 5. *neithum* [r] B. *neithum* A. *ne thum* [u] C. — 6. *populis* A B. *propriis* C.

corpus; 26, 16: *corpus nullum civitatis, keine Gesammtheit.* Et sic Tacitus ipse Hist. 4, 64: *corpus nomenque Germaniae.* — *caput*] *Hauptstamm*, prope ut Helvetiorum *Vorort.*

40. *Langobardos*] Zeuss D. 109 sqq., Grimm G. D. S. p. 682 sqq., 781. 822. Wislicenus l. l. p. 47. Ad occidentem finitimi erant Chaucorum, ad meridiem Cheruscorum, ad orientem Albim accolentes Semnonum. De pago *Bardangā (Bardengawici)* in agro Lunaeburgico sito et de *Bardanwīc* vico Grimm l. c. 683. De nominis vi non satis constat. Auctore Paulo D. I, 8 de longis barbis cogitari licet, nec prorsus repugnat huic sententiae, quod *Bardi* quoque et ab Anglosaxonibus *Headhobeardan* appellantur (Grimm l. l. 689). — *paucitas nobilitat*] cum Semnonum multitudine comparatos. At cum primum e patriis sedibus emigrarunt, in immensum creverant teste Paulo Diacono H. L. 1, 2: *dum in tantam multitudinem pullulassent, ut iam simul habitare non valerent, in tres, ut fertur, omnem catervam partes dividentes, quae ex illis pars patriam relinquere, novasque deberet sedes exquirere, sorte disquirunt.* Cfr. Lupi Cod. diplom. Bergom. I, p. 119. Ad quartum circiter post Chr. saeculum hanc emigrationem refert Bianchi-Giovini *Storia de' Langobardi. Milano* 1846. p. 85. Primum memorantur a Velleio 2, 106: *Fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior.* — *Reudigni*] Hos nusquam praeterea memoratos Zeuss *D.* p. 150. pro iisdem habet, qui apud alios rectius *Iutingi* sive *Iuthungi* (Amm. Marc. 17, 6) vocentur. Cfr. ibid. p. 312 Ukert *G.* p. 417. eos collocat in Pomerania et ducatu Meklenburgensi, ut omnes populos h. l. a Tacito memoratos. ORELLI. Grimm G. D. S. 716 sq., Müllenhoff ap. Schmid. 8, 226. 227; Z. D. A. IX, 257. Uterque nomen refert ad adj. Got. *rinds* σεμνός, ut — *igni* more Romano sit scriptum pro — *ingi*. Id quoque nomen Müllenhoff hieraticum putat et Reudignos Ingvaconum sacra procurasse. Viro doctissimo auctore statuendum eos ad Albis ostium sedisse eo loco, quem Saxonibus tribuit Ptolemaeus. — *Aviones*] Hos eosdem putat Zeuss *D.* p. 152 cum *Cavionibus* sive *Chaibonibus*, de quibus Mamertinus Genethl. 7: *gens Cavionum Erulorumque deleta Transrhenana victoria.* Paneg. 2: *Chaibones Erulique viribus primi barbarorum, locis ultimi, praecipiti impetu in has provincias irruerunt.* ORELLI. Cf. Grimm G. D. S. 472 sqq., 716, Müllenhoff Nordalb. Stud. 1, 118 et Z. D. A. XI, 281. Nomine constat significari *insularum incolas*. Si Reudignos ad Albis ostium habitasse statuimus, Aviones in insulis, quae proxime Alb. ostium sunt sitae, collocabimus. Plinius IV, 27 extr. Aliter de Reudignis et Avionibus existimat Maak Germania IV, 401 sqq. — *Anglii*] qui postea in Britanniam traiecerunt a. p. Chr. 449 ducibus Hengist et Horsa, a quibus domita deinde Anglia denominata est. Sedes ab iis Taciti temporibus occupatas ita describit Zeuss *D.* p. 153: *Die Stammsitze dieses Volkes lagen (nach Ptolemaeus 2, 10) um die untere Saale langs der Elbe etwa bis über die Ohre hinab.* OR. Grimm G. D. S. 494, 604, 605, Müllenhoff N. St. l. l. et XI, 278. Quod hoc loco legitur nomen fluminis *Fifeldor. Egidoram.* hodie *Eider.* significat (Ettmüller lex. Anglos. s. v.). Sleswicensis igitur agri partem Anglii obtinebant. Cf. etiam Maak l. c. 388. De pago Thuringensi *Engilin* sive *Englide*, sito inter Unstrotam et Salam fluvios cf. Zeuss *D.* l. 52 sq., annot. — *Varini*] ut pars Vindilorum memorati iam a Plinio 4, 28. Procop. Gotth. 2, 15. Z. *D.* p. 133: *Das Volk hat sich an der Nordseite der Semnonen und neben den Teutonen von der Elbe, etwa über das Havelland, nach Osten erstreckt.* ORELLI. Grimm G. D. S. 604 sq., 699, 716. Müllenhoff N. St. l. l. et Z. D. A. XI, p. 281, 286. Num Plinius recte Vandilis Varinos adnumeraverit, dubitare licet. Hoc loco Varinos in interiore Germania habitantes dicere T. non potest, dicere debet de Varinis borealibus etiam Anglosaxonibus notis. Eam gentem cum Angliis semper fuisse coniunctam constat, sed accurate definire, quae hic eorum fuerit sedes, non licet. Maak l. l. eos in eius loci regione collocat, qui hodie *Warnemünde* dicitur. Aliter de his rebus existimat Wislicenus p. 29. — *Eudoses*] a nullo praeterea memorati: neque vero eosdem esse cum Caesaris B. G. 1, 1 *Sedusiis*, ut ratus est Duncker Origg. Germ.

castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum. attingere uni sacerdoti concessum. is adesse penetrali deam intellegit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. laeti tunc dies, festa loca, quaecunque adventu hospitioque dignatur. non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum; pax et quies tunc tantum immota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum et vestes et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. servi ministrant, quos statim idem

1. *castrum* C. — *eo* Rhenanus. *ea* A B C. — 2. *intelligit* libri. — 5. *immota* Freudenberg. *nota tunc* (*item* C.) *t. a.* A B C. — 8. *nomen* B.

p. 103, recte notat Ukert *G.* p. 338. OR. Cf. Grimm G. D. S. 496, 716, 738, 741, 783; Müllenhoff Z. D. A. X, 564. Constare videtur apud Caesarem pro nomine, quod est *Sedusii*, *Eudusios* esse scribendum. *Eudoses* nomen gentis, quam recte in paeninsula Cimbrica collocamus, quo modo sit formatum, Grimm et Müllenhoff luculenter docent. *Eudoses* posteriores sunt *Iutae;* cf. Maack, Germ. IV, 398. — *Suardones*] Hos postea Herulos appellatos esse contendit Zeuss p. 476. „Herulorum autem natio inter omnes Germanicas quam maxime vaga fuit; comparent enim ad Tyram sive Danastrum et ad Rhenum, et Graeciam et Hispaniam incursionibus suis vexarunt, in Italiam et in Scandinaviam immigrarunt". OR. Cf. Grimm G. D. S. 470 sq. 472, 613, 716. Müllenhoff Z. D. A. XI, 286 sq.; Maack l. l. 398. Müllenhoff l. l.: daraus, dass Cherusci, Saxones, Sveordveras dasselbe aussagen, etwas für die ausbreitung des Sachsennamens zu schliessen, halte ich jetzt für eine spielerei - -. Eher könnte man die *Sveordveras* und die *Suardones* zusammenbringen, wenn man die namen durch *eidgenossen* erklärte. — *Nuitones*] Hos esse posteriores *Teutones* Melae 3, 3, Plin. 4, 14, Ptolemaei 2, 10 arbitratur Zeuss *D.* p. 149. Res tamen est incerta. OR. Grimm G. D. S. 500, 716; Müllenhoff Z. D. A. IX, 256. Is haec dicit: uns scheint jeder herstellungsversuch vergeblich, aber auch überflüssig, weil der name historisch von keiner bedeutung ist. — *Nerthum*] Zeuss p. 26 litteram *N* habet pro *prosthetica*, ut sit proprie *Erthus*, *Erde.* Contra W. Müller *Deutsche Religion* p. 47 deducit a voce Celtica *nerth*, robur, potentia, *nerthus*, robustus, potens, atque huic numini originem Celticam sive Gallicam tribuit. Ceterum vide Gr. *M.* Ed. I p. 153. Ed. II p. 230., qui non quidem in Ed. Germaniae, sed in *Mythologia* hanc deam vocat *Nirdu.* OR. Praeter viros doctos, quos Orelli nominat, non pauci alii de Nerthu dea disseruerunt. Praecipue cf. Müllenhoff in Schmidts Zeitschrift VIII, 227, Z. D. A. VII, 440 sq, Leo Z. D. A. III, 226, Weinhold, ib. VII 50, Maack l. l. et Zeitschrift von Neumann VIII, 1, Kętrzynski, die Lygier 92 sqq. cet. Weinhold deae nomen compositum esse censet ex vocabulo, quod est sanscrite *nīra*, Graece *νηρός* ac radice *dhā*, ut maxime ad mare sit referendum. Kętr. Slavicae esse originis opinatur et ipsum numen proprie Slavorum esse. Maack apud Neumannum Celto-Gotica dicit haec sacra. Haud prorsus alienum existimo cogitare de Vedico vocabulo *nṛitū*, mobilis, saltatrix, quum mari sive oceano Nerthus gaudeat; ac quis obstinate negaverit oceanum illum primum caelestem fuisse? Ceterum post Grimmium et Müllenhoffium de huius numinis apud veteres Germanos vi ac cultu de eisque deis, quibuscum arte coniuncta est Ingvaeonum dea vetustissima, longius disserere facile supersedemus. Hoc solum addere liceat miram esse coniugii dei deaeque borealium cum Yami et Yamiae similitudinem. — *Terram matrem*] interpretationem esse Romanam apparet, nec prorsus falsam esse satis docet Müllenhoff apud Schmidtium. Adde Grimm, Myth. 233. — *invehi populis*] Sic quotannis vere per populos sollemni ritu vehebatur *Freyr* sive Theotisce *Frô*, Scandinavorum deus. Gr. *M.* p. 1202. Eandem caerimoniam reperimus apud Gallos. Gregor. Tur. de glor. conf. C. 77: *ferunt etiam Augustoduni simulacrum fuisse Berecyntiae: - - hanc in carpento pro salvatione agrorum et vinearum suarum misero gentilitatis more deferebant* cet. Vita S. Martini C. 9, apud Surium VI, p. 252: *erat haec Gallorum rusticis consuetudo, simulacra daemonum candido tecta velamine misera per agros suos circumferre dementia.* — *insula Oceani*] Plerisque est Rugia, in qua media etiamnunc est lacus *der schwarze See* sive *Burgsee* appellatus. Memorabile tamen est, Georgium Christoph. Lemmium Rugianum in sua de Rugia disputatione (Wittebergae 1687. 4.) quamvis et lacus illius nigri et Nerthus mentionem faciat, nusquam commemorare avitas incolarum de arcano huius numinis cultu narrationes, quas, si tunc iam exstitissent, uti nunc a viris eruditis cum Rugianis communicatae sunt, ille vix praeterisset, praesertim cum eo ipso loco, ubi de lacu agit, ex Micraelio anilem quandam fabulam inseruerit. Alii cogitarunt de Seelandia; sed pari iure

lacus haurit. arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident.

(41) Et haec quidem pars Sueborum in secretiora Garmaniae porrigitur. propior, ut quomodo paulo ante Rhenum, sic nunc Danuvium sequar, Hermundurorum civitas, fida Romanis; eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae

3. *Sueboruum* Emendavit Rhenanns. *verborum* A B C. — 4. *danurium* A C. *danubium* B. — 5. *hermondurorum* C. — *rhetię* B.

quamcunque Danorum insulam intellegi posse censet Gr. *M.* p. 234. OR. Insulam sacram non Rugiam fuisse hodie constat; sed quae fuerit ex insulis Chersonesum Cimbricam circumiacentibus, num Helgolandia, an Fimbria, an alia, certant. — *castum nemus*] Sine causa Cluverius *sacrum*, Freinshemius *vastum*: immo exquisitius est quam *sacrum*, et quidem imprimis apposite dictum, quoniam dea ibi colebatur. Atque exemplum praebebat Tacito vel Horatius 1, 12, 60: *Tu parum castis inimica mittes Fulmina lucis.* — *veste*] veste stragula, tapete. Cfr. Gr. *M.* p. 96. Utrum velatum sit deae aliquod symbolum, an vacuum fuerit vehiculum, non constat. — *sacerdoti*] Mirari subit huic cultui non praefuisse sacerdotem feminam. OR. Sed cf. Grimm, l. l. pag. 86 et 194, ubi v. d. docet Frohonis currum virginem esse prosecutam. Si praeterea conferas, quae disseruit olim Preller (Demeter und Persephone p. 390) de ritu illo sollemni, quo archontis regis coniux cum Dionyso, Venetiae dux cum mari conjugium inire soliti sint, simile aliquid h. l. statuere nobis licebit. — *penetrali*] Intellege de vehiculo illo arcano, non de luco, quem mox vocat *templum*, „quoniam Latinis *templum* omnis locus sacer; sic et Graecis *ἱερόν*, aliud *aedes*, *ναός*“. Ern. Cfr. Gr. *M.* p. 69. Cogitare licet de parte luci maxime sacrata medio in nemore. — *bubus feminis*] ex sollemni in sacris formula; etenim *bubus maribus*, *bubus feminis* rem divinam factam esse passim memoratur in Actis fratrum arvalium. Cfr. Marini p. 46. OR. Cf. Grimm Myth. 630 et quem ibi locum affert, *R. A.* 262 sq. — *non bella ineunt*] Simile institutum pacis sollemnis (Gothlandice *Aldra manna frith*, id est *All-Manns Frieden*) etiam post Christianam religionem receptam invenitur in Gothlandia (v. Guta-Lagh C. 8, 9). Bis quotannis denos per dies pax servabatur. OR. De hac re cf. praeter ceteros Wilda, Strafr. p. 233 sqq. — *tunc tantum nota*] Coniecit Lachmann apud Hauptium *pax et qu. tunc tantum amata, tunc tantum nota*, qua de coniectura Nipperdey disseruit in m. Rhen. 18, 346; ipse potius ita legendum suspicatur: *p. et q. tantum tunc nota, tunc tantum amata*, ut T. dicat, eo tempore, quo dea Suebos conveniat, pacem tantum eis esse notam, eo solo tempore pacem etiam amatam. Halm, qui hanc Nipperdeyi sententiam c. St. p. 18 satis refellit, ipse Freudenbergio, prof. Bonnensi, assensit, qui Tacitum scripsisse putat *inmota*, quod verum esse Wölfflin Phil. 26, 158 ex sermonis Tacitini indole probat. — *vestes*] rursus pro vestibus stragulis; variationis autem causa h. l. usus est num. plurali. — *abluitur*] „Putabant Germani ipsam deam, quae accessisset mortales, velut sordibus inde susceptis purgari“. Ern. De deae simulacro cogitat W. Müller *Deutsche Religion* p. 42. Similis autem erat apud Romanos lavatio matris deum a. d. VI. Kal. Apr. OR. Cf. etiam Grimm, Mythol. 234 et 246. — *servi –, quos lacus haurit*] Gr. M. p. 230 comparat Iornandis C. 30 narrationem de Alarici sepultura: *Alaricum nimia dilectione lugentes Barentinum amnem iuxta Consentinam civitatem de alveo suo derivant. Huius ergo medio in alveo collecto captivorum agmine sepulturae locum effodiunt, in cuius foveae gremio Alaricoum cum multis opibus obruunt, rursusque aquam in suum alveum reducentes, ne a quoquam quandoque locus cognosceretur, fossores omnes interemerunt.*

41. *quomodo*] Soni causa Tacitum in enuntiatis finalibus vel consecutivis nunquam particula *ut* comparativa usum esse docet Wölfflin, Philol. 26, 101. — *Hermundurorum*] Horum fines ita definit Zeuss *D.* p. 103: '*Von der Werra, Elbe, dem Harze und dem Walde Bacenis war das weite Land der Hermunduren umschlossen.* Ukert *G.* p. 395: *Wir haben sie ungefähr von der Altmühl bis in den Böhmerwald zu suchen, im Süden war der Danubius die Gränze.* Vellei. 2, 106: *ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit.* Cfr. Gerlach p. 178 et 239. ORELLI. Grimm G. D. S. pag. 596 sqq., Müllenhoff apud Mommsen. l. l. 524, Wislicenus l. l. p. 49 sqq. Nomen compositum est ex *Irman*, *Erman* dei nomine et *dura* —, audax. Utrum pars prior hanc gentem significet Dei prolem, an magnitudinis sententiam addat, dubitant. — *non in ripa*] non ita ut *sola* ripa contineatur. — *colonia*] De nulla alia colonia cogitare licet quam de Augusta Vindelicorum, etsi Roschmannus edito de Veldidena opusculo, Ulmae 1744, probare annisus est, hanc ipsam Veldidenam (*Wilten im Tirol*) hic intellegendam esse. Hadriani tempore illa *Aelia Augusta* vocabatur. Inscr. Lat. Or. N.

provinciae colonia. passim sine custode transeunt; et cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus. in Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

(42) Iuxta Hermunduros Varisti, ac deinde Marcomani et Quadi agunt.

1. *passim sine* A B: *passim et sine* C. — 2. *ostendamus* B. *ōndamus* A. *offedamus* C. — 5. *iusta* B. — *hermumduros* C. — *Varisti* Müllenhoff. *naristi* A B. *maristi* C. *narisci* margo A. — *marcomani* A C. *marcomāni* pr. B. *marcománi* corr. B.

493. ORELLI. Quando colonia sit deducta, parum constat. Ceterum cf. Christ in commentatione sua „über ein bei Weissenburg (in Mittelfranken) gefundenes Militärdiplom", de qua iam ad c. 1 fecimus mentionem. — *passim*] „ubi ipsis placet"; neque enim certus aliquis traiectus eis assignatus erat. — *sine custode*] Contra *Tencteri inermes ac prope nudi sub custode et pretio coibant cum Agrippinensibus.* Hist. 4, 64. Quin etiam Italiae fluvii suos habebant custodes maxime ad retrahendos servos fugitivos. Fabrett. p. 675, 20: *DORVS · LARO · HVIVS · FLVMINIS · CVSTOS*: in cippo reperto prope praedium *la Casaccia*, adiacens fluvio exeunti a lacu Sabate, qui fluvius hodie *Larone* appellatur. — *non concupiscentibus*] ideoque eas compilare nunquam conantibus. — *Albis*] „Id flumen oritur in finibus Bohemiae et Silesiae, ad quos pertinere Hermunduros multi dubitant. Cogitant igitur de Egra *(Eger)* in Franconia emergente et in Albim delabente." Duebn. Vide tamen statim quae dicentur de Hermundurorum emigratione. Cfr. etiam Tzschuck. ad Melam 3, 3, 3. p. 96. — *notum olim*] Drusus a. u. 745 cum legionibus Romanis ad Albim progressus non transiit tropaeisque statutis recessit. Dio 55, 1. Liv. Epit. 140. Postea L. Domitius Ahenobarbus, Neronis avus, *exercitu Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum.* Ann. 4, 44. Post Tiberii expeditionem a. u. 758 Romanorum nullus ad Albim usque processit. Vellei. 2, 106; Dio 55, 28. Hess. Egregie autem hunc de Hermunduris locum illustrat Dio 54, 10, in Fragmento Morelliano, post principem editionem Venetam p. 32 repetito in Ed. Sturziana III. p. 362: *Ταῦτα δὲ οὖν ἅμα καὶ τὰ τῶν Κελτῶν* (Germanorum) *ἐκαινώθη. ὁ γὰρ Δομίτιος πρότερον μέν, ἕως ἔτι τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρίων ἦρχε, τούς τε Ἑρμουνδούρους ἐκ τῆς οἰκείας οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἐξαναστάντας καὶ κατὰ ζήτησιν ἑτέρας γῆς πλανωμένους ὑπολαβών, ἐν μέρει τῆς Μαρκομαννίδος κατῴκισε· καὶ τὸν Ἀλβίαν μηδενός οἱ ἐναντιουμένου διαβάς, φιλίαν τε τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις συνέθετο, καὶ βωμὸν ἐπ᾽ αὐτὸν τῷ Αὐγούστῳ ἱδρύσατο. τότε δὲ πρὸς τὸν Ῥῆνον μετελθὼν καὶ ἐκπεσόντας τινὰς Χερούσκων καταγαγεῖν δι᾽ ἑτέρων ἐθελήσας, ἐδυστύχησε καὶ καταφρονῆσαι σφῶν καὶ τοὺς ἄλλους βαρβάρους ἐποίησεν.* Pertinent haec ad a. u. c. 754. His igitur Hermunduris ad Danuvium habitantibus, qui e Suebia, quam Tacitus dicit C. 43 et 45, emigrarant, ibi agros assignaverant Romani in Marcomanorum finibus; hinc horum amicitia cum Romanis, separatio ab iis Hermunduris, quorum sedes ad fontes Albis fluminis. Quae de Cheruscorum turbis tradit, aeque obscura remanent atque illa in Segestis oratione Ann. 1, 58: *et inieci catenas Arminio et a factione eius iniectas perpessus sum.* Neque enim temporum ratione habita, collato Ann. 2 capite 88, haec ad easdem Cheruscorum inter se contentiones referri possunt. ORELLI. Sed dubito, an perperam Orelli hoc statuerit, erraverit quoque Wislicenus in commentatione sua die Geschichte der Elbgermanen; an quis nos pro certo docet *τὴν Μαρκομαννίδα* esse Bohemiam ac non priorem Marcomanorum sedem significari? Multo verisimilius est, postquam Marcomani emigrarunt, Hermunduros ad Danuvium versus esse profectos Domitiumque ibi fines inter Hermunduros et Romanos constituisse. Quod Tacitus de Albis fontibus dicit, recte interpretatur J. Grimm G. D. S. p. 599. De fluvii nomine cf. Grimm, thes. Theot. s. v. *Elbe* et *alb.*

42. *Varisti*] Dioni 71, 21: *Ναρισταί*, Ptolemaeo 2, 11: *Οὐαριστοί.* Post bellum Marcomanicum non iam memorantur. Zeuss *D.* p. 117, 584; Ukert *G.* p. 401: *Man sucht sie im Voigtland und im Baireuthischen.* ORELLI Cf. Grimm G. D. S. 505. Müllenhoff Z. D. A. IX, 131 sq., qui luculenter probat *Varistos* sive *Varistas* veram nominis esse formam, quam superlativi esse dicit adiectivi *vars* (stirp. *vara* —) et *bellicosos* significare. Cf. *Varinorum* et *Vinilonum* (rad. sscr. *van*) nomen. — *Marcomani*] iam a Caesare memorati inter Ariovisti socios B. G. 1, 51. Vellei. 2, 108: *Nihil erat iam in Germania, quod vinci posset, praeter gentem Marcomannorum* (sic in C. Amerb. - Ed. pr. *Marcomanorum*, sed eadem Ed. 2, 109 nomen duplici *n* scriptum exhibet; simplici contra *n* Schneider in Caesaris l. l., brevisque est penultima apud Stat. Silv. 3, 3, 170: (tua clementia, Domitiane,) *Quae modo Marcomanos post horrida bella, vagosque Sauromatas Latio non est dignata triumpho.)* *quae Maroboduo duce excita sedibus suis*

praecipua Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes pulsis olim Boiis virtute parta. nec Varisti Quadive degenerant. eaque Germaniae velut frons est, quatenus Danuvio praecingitur. Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: iam et externos patiuntur. sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.

(43) Retro Marsigni, Cotini, Osi, Buri terga Marcomanorum Qua-

1. *marcomanorum* A B C. — *ipsa etiam* A C. *etiam ipsa* B. — 2. *boiis* B. *bois* A C. — *parta* C. *parata* A B. — 3. *danuuio* A C. *danubio* B. — *praecingitur* Tagmann. *peragitur* A B C. — *marcomanis* A C. corr. B. *marcomānis* pr. B. — *quadis ue* C. — 4. *manserunt* B C. *mansere* A. — 5. *iam eī* teste Massm. B. — *marobodui* B. *marabodui* A. *marobodtui* C. — 8. *gotini* A B C. — *burii* C. — *marcomanorum* A et corr. B. *marcomānorum* pr. A. *marchomanorum* C.

atque in interiora refugiens incinctos Hercynia silva campos incolebat. ORELLI. Cf. Grimm G. D. S. 502. Quod Baiovarios solorum Marcomanorum putat esse posteros Zeuss D. 366 sq., non satis accuratum videtur. Cf. Müllenhoff apud Mommsenium p. 519: Vielleicht waren die Heruler, Rugen und Sciren, nachdem die Semnonen-Sueben und Burgundionen von der mittlern Oder gegen die obere Donau und den Rhein vorgedrungen, schon mit dem *vierten jahrhundert in die von jenen verlassenen sitze eingerückt, um dann im lauf des fünften das ehemalige gebiet der Marcomannen und Quaden an der Donau zu erreichen. Baiuvariorum* nomen primum auditur ineunte saeculo octavo. Cfr. ibidem p. 538. Ipsorum Marcomanorum nomen haud dubie est compositum ex *marca*, margo, fines, et *man* stirpibus. — *Quadi*] Marcomanorum vicini in Orientem versus, ad flumina March et Taya. Uterque populus postea a. u. 919, p. Chr. 166 sqq. celebratus bello gesto cum M. Antonino, qui eos *Εἰς ἑαυτόν* 1 extr. *πρὸς τῷ Γρανούᾳ* (h. *Gran)* collocat. De iis cfr. Amm. Marc. 17, 12, 1: *Sarmatae et Quadi vicinitate et similitudine morum armaturaeque concordes. Quibus ad latrocinia magis quam aperto habilibus Marti hastae sunt longiores et loricae ex cornibus rasis, plumarum specie linteis indumentis innexae, equorumque plurimi ex usu castrati* cet. Cfr. Zeuss *D.* p. 117, 462 sqq. et passim. Ukert *G.* p. 402. ORELLI. Cf. Grimm G. D. S. p. 505 sqq. Quadorum nomen Grimm ita interpretatur, ut significet *turpes* (cf. Wackernagel Z. D. A. VI, 254); sed ipse quoque post Zeussium mentionem facit de verbo *quithan*, unde nomen derivari possit. — *atque ipsa e. s.*] De Cod. B lectione cf. Wölfflin, Phil. 25, 109, ann. 3. — *frons*] „ea Germaniae pars, quae e regione sita est Romano imperio.“ Ipse scilicet scriptor Romae degens hos populos sibi ex adverso habitare mentis oculis conspiciebat, cum Transrhenani eidem a latere essent. — *peragitur*] proprie *bis zum Ende durchgeführt, beendet wird;* satis artificiose dictum pro „perficitur, porrigitur, extenditur iuxta Danuvium,“ donec Germania in Pannoniam et Iazygum fines transeat. Subiectum nullum aliud esse potest quam *frons*, ex quo v. facile elicias *pars Germaniae. Porrigitur* recta est explicatio, sed tamen gloss. ORELLI. Bene hunc locum emendavit Tagmann, qui legendum esse vidit *praecingitur.* — *Marobodui*] Cfr. Ann. 2, 62. De *Tudro* autem nihil omnino comperimus. De *Marobodui* nomine cf. Grimm G. D. S. 504; Müllenhoff Z. D. A. VII, 528, qui luculenter statuit esse Goterum *Marabathum*, Theot. *Meripatonem*, h. e. *Ἱππόμαχον.* Ad *Tudri* nomen confert Grimm R. A. 231 v. Anglos. *tudor*, suboles, prosupia. Idem est nomen, quod apud Theotiscos *Zutter*, Graff. thesaur. l. Th. v. V, 640. — *iam et externos*] Referunt ad Vannium, *Suebis a Druso Caesare*, minore, *impositum* et ad Vibillium Ann. 2, 63; 12, 29. Verum part. *iam* non tam diu ante hanc curam compositam, sed potius sub Flaviis imperatoribus iis reges externos fuisse arguere videtur, praesertim cum Vannius ad Romanos perfugere coactus sit. A. 12, 30. — *saepius pecunia*] Mos hic barbaris munera mittendi invaluit sub Domitiano, de quo Dio 67, 7: *συχνὰ μὲν καὶ αὐτίκα χρήματα - - τῷ Δεκεβάλῳ* (Dacorum regi) *δούς, συχνὰ δὲ καὶ ἀεὶ δώσειν ὑποσχόμενος.* Sed hic propter timorem; Traianus Marcomanorum fidem firmare simulque eorum opes augere voluisse videtur, quo aliorum barbarorum incursiones ac latrocinia arcerent. — *nec minus valent*] „quam si armis nostris iuvarentur: etenim munera nostra eorum opes atque auctoritatem et apud populares et apud externos augent.“ Satis absurde ante Mannertum Geogr. III. p. 476 et Passovium distinguebant: *iuvantur.* C. 43. *Nec minus valent retro Marsigni.* Sed recte iam interpunxerat Ed. Vindobonensis a. 1515.

43. Has gentes post montes, qui Vandalici dicebantur, et saltum, qui *Ἀσκιβούργιον ὄρος* a Ptolemaeo appellatur, habitasse constat. — *Marsigni* cet.] Exiguorum horum populorum nulla certa memoria superest. Cfr. Zeuss *D.* p. 122; Ukert *G.* p. 407. ORELLI. De voc. formatione

dorumque claudunt. e quibus Marsigni et Buri sermone cultuque Suebos referunt: Cotinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, et quod tributa patiuntur. partem tributorum Sarmatae, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Cotini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices insederunt. dirimit enim scinditque Suebiam continuum montium iugum, ultra quod plurimae gentes agunt. ex quibus latissime patet Lugiorum

1. *suevos* A B C. — 2. *gotinos* A B C. — 4. *cotini* C. *gotini* A B. — 5. **iugumque** delendum esse censuit Acidalius et suo iure Reifferscheid tria verba *montium iugumque* adnotationem fuisse marginalem. — 6. **sueviam** A B C. — 7. *Lugiorum* Müllenhoff. *legiorum* [i] B. *legiorum* [ly] A. *leugiorum* C.

cf. Grimm G. D. S. 775, Müllenhoff Z. D. A. VII, 419 de Skiöldungis, ib. XII, 347 de Hasdingis et Ynglingis; apud Mommsenium p. 525 de Turcilingis: *die Turcilinge sind nur die königliche phyle der Sciren, wie die Astinge oder Hasdinge der Vandalen.* — *Cotini*] Hos Zeuss l. l. habet pro reliquiis Volcarum Tectosagum, *qui Germaniae loca circum Hercyniam silvam occupaverant.* Caesar B. G. 6, 24; sed res est prorsus incerta. Cfr. etiam Schafarik *slawische Alterthümer.* Leipzig 1843. I. p. 391. Dioni 71, 12 sunt *Κοτινοί.* ORELLI. Grimm G. D. S. 722 de Gotorum parte cogitat, quae dudum in Germaniam progressa Celticis gentibus sit permixta; sed Müllenhoff Z. D. A. IX, 243 sq. suo iure *Cotini* esse scribendum contendit neque ullam huic genti esse coniunctionem cum Gotis. — *Osi*] ab uno Tacito memorantur. ORELLI. Sed cf. Müllenhoff Z. D. A. IX, 134, qui apud Capitolinum in vita M. Ant. c. 22, 1 legendum esse *Victualis Osi Bessi* cet. luculenter probavit. Addit: *es ergeben sich die Osi, deren lage im rücken der Quaden durch die erwähnten eisengruben, deren auch Ptolemäus 2. 11, 26 gedenkt, an den vordern oder kleinen karpaten mit vollkommener sicherheit bestimmt wird.* Wislicenus p. 32 sq. Ptolemaei *Οὐιςβουργίους* *Osos Buros* esse suspicatur. — *Buri*] Dioni 68, 8; 71, 18; 72, 2 *Βοῦῤῥοι* in bellis adversus Dacos et Marcomanos Romanorum sunt socii. Cfr. Iul. Capitol. in M. Anton. Phil. 22. Grimm G. D. S. 713 sq. — *Suebos*] Rectius has gentes Vandiliorum existimes. — *Sarmatae*] Iazyges. Cf. ad c. 1. — *quo magis pudeat*] „Cotini summa cum ignominia tributa pendent, quamvis suis ex ferrifodinis arma sibi parare ac, nisi ignavi essent, iugum excutere possent, cum dominis contra *ne ferrum quidem supersit,*“ ut ex C. 6 supplere licet. Ita et apud Aestyos rarus ferri usus. C. 45. De his fodinis Zeuss D. 118. Aliter atque Orelli, sed vereor ne perperam, de hac re statuit Wackernagel Z. D. A. IX, p. 553, n. 122. — *iugumque*] Acidalio, qui *iugumque* verba uncis inclusit, assenserunt Halm contr. St. p. 15 et Reifferscheid l. l. 624, qui haec addit: (in his) *iure Acidalius* *iugumque* *delendum esse censuit, sed cum non minus moleste „montium“ repetitum sit, utrumque id est „montium iugum“ pro una eademque annotatione marginali habeo.* Recte existimare videtur v. d. — *Suebiam*] nomen fortasse a Tacito primum conformatum ad Germaniae vocabulum. — *continuum montium iugum*] *das Riesengebirge,* ultra quod Septentrionem versus habitabant. — *Lugiorum*] Ann. 12, 29. Dioni 67, 5 sunt *Λύγιοι.* V. Zeuss *D.* p. 124 et imprimis Ukert *G.* p. 408, qui refutat eos, qui Lugios pro Slavis habuerunt. Eorum sedes hodiernam esse Silesiam arbitrantur. ORELLI. Grimm G. D. S. 710 sqq., 803, 832, Müllenhoff Z. D. A. IX, 253 sq., qui docet unam veram eius nominis formam esse *Lugii,* Müllenhoff apud Mommsenium p. 524. — *Harios*] Zeuss l. l. Ukert *G.* p. 410. ORELLI. Grimm Mythol. 902, G. D. S. 714, Müllenhoff IX, 245; Pictet, beiträge zur vergl. sprachf. 2, 93; Wackernagel, Sprache der Burgunder p. 37. *Hariorum* nomen *bellatores* significare videtur. — *Helveconas*] Hos Lugiis ideo fortasse adnumerat Tacitus, quia Burgundiones non noverat, etsi eos memorat Plinius 4, 28. Cfr. Zeuss *D.* p. 155. Ptolemaeo 2, 11 sunt *Αἰλουαίωνες.* Müllenhoff Z. D. A. IX, 248 *Helvaeonas* legendum existimat. — *Manimos*] videntur *Omani* Ptolemaei l. l. Grimm G. D. S. 714, — *Helisios*] De his nihil compertum habemus. Scriptura *Elysios* accommodata videtur ad Homeri *Ἠλύσιον.* Müllenhoff Z. D. A. 9, 245, qui eiusdem stirpis complura affert nomina Theotisca. — *Nahanarvalos*] Hanc formam breviori *Naharvalos* praefert etiam Grimm *Iornandes* p. 54: *Der sacerdos muliebri ornatu bei den Nahanarvalen lässt uns einen in binde und hut bei den Gothen ahnen.* ORELLI. Grimm G. D. S. p. 715, Müllenhoff Z. D. A. 9, 254 sqq., qui hieraticum statuit esse nomen. — *muliebri ornatu*] Luculenter his de rebus disseruit Müllenhoff Z. D. A. XII, 346 sqq., qui ideo sacerdotem muliebri ornatu fuisse docet, quod ex *Hasdingorum* gente regia unus erat. *Hasdingi ist bekanntlich der name*

nomen in plures civitates diffusum. valentissimas nominasse sufficiet, Harios, Helveconas, Manimos, Helisios, Nahanarvalos. apud Nahanarvalos antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. ea vis numini: nomen Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium. ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. ceterum Harii super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces, insitae feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora.

2. *Helveconas* B. *helvetonas* (c) A. *eluheconas* C. — *elisios* B. *helysios* C. *helysios* (*l halisionas*) A. — *nahanarvalos* C. *nahanarvalos* (*l naharvalos*) A. *naharralos* B. — *naharralos* A B C. — 3. *regionis* C. — 4. *memorant* A C. *nominat memorat* B. — 5. *alcis* A C. *aleis* B. — 6. *alii* A B C. — 7. *truces* Beroaldus *trucis* A C. *trucis* B.

des vandalischen königsgeschlechtes. got. Hazdiggōs, altn. Haddingjar aber bedeutet männer mit frauenhaar. Hazdingi sind also viri muliebri ornatu, und der schluss ist nicht abzuweisen, dass das vandalische königsgeschlecht ehemals zu dem cultus des stammes in demselben verhältnisse stand etc. Paullo supra idem dicit: *der cultus der Naharnavalen war ehemals in eben dem Sinne, wie der der Nerthus bei den Nordseevölkern und der des regnator omnium bei denen des mittlern Deutschlands, dem ganzen östlichen stamm gemeinsam.* — *Castorem Pollucemque*] quam apta haec sit interpretatio docet Müllenhoff l. l. et rectissime addit Dioscuros Indogermanorum omnium fuisse numen. — *Alcis*] nomen nondum e lingua Germanica explicatum, ac nescimus, utrum nomin. sing. fuerit *Alcus*, an *Alx*; illud tamen probabilius. Cfr. Sall. Iug. 79: *quibus nomen Philaenis erat.* ORELLI. (Negari non potest, quod Nipperdey ad Taciti Ann. 2, 15 dixit Tacitum in formula *nomen est*, si ab *adiectivis* discesseris, plerumque nominis proprii casu primo, raro uti genetivo, nunquam dativo. Quod si hoc quoque loco observandum statuamus, *Alcis* aut nominativus pluralis est putandus, aut genetivus singularis. Genetivum ne putemus res ipsa vehementer obstare videtur, cum Tacito auctore *duo* hi sunt dei, quibus unum aliquod nomen numeri sing., sive abstractum quod dicunt, sive ita ut unus potior deus amborum loco appelletur, inditum esse vix credas. Si nominativum esse *Alcis* stirpis in *i* vocalem exeuntis obstinate negaveris, statuendum est Germaniam in hac quoque re a posterioribus Taciti curis differre.) „Ceterum haec numina intellegere videtur Timaeus Siculus apud Diodor. Sic. 4, 56 de Tyndaridis narrans, eos in praecipuo apud Celtas ad Oceanum honore fuisse." PASSOW. Zeussii *D.* p. 29 opinionem *fratres* hos fuisse *Freyr* et *Freyja* memorasse sufficiet. Gr. *M.* p. 57 cogitat de v. Gotico *alhs*, *ναός*, *ἱερόν*, templum; p. 339 de Othini nomine *lâlkr* et de dialecti Vermlandicae v. *jolk*, puer, ipse tamen confessus rem esse obscurissimam; neque nomen ullo modo explicare temptavit Müller *altdeutsche Religion* p. 47. ORELLI. Postea quoque hoc de nomine disseruerunt Grimm G. D. S. 1, 118, 232, 319, Müllenhoff Nordalbing, St. 1, 30 sqq., Zacher in sua de runis commentatione, qui *Alcīs* nominativum esse et derivatum a radice, quae est *al*, lucere, censet. Equidem auserim de rad. *arj* cogitare, quae subest Indorum voc. *arjuna*, Graec. *ἀργός*, Lat. *argentum*, Got. aìrknis. — *tempore*] per atras noctes pugnantes. — *lenocinantur*] rhetorico posterioris Latinitatis usu, pro adiuvare, augere. Plin. Epp. 1, 8. 2, 19: *ut libro isti novitas lenocinetur*, fautores paret. — *tincta corpora*] variis coloribus (*tätowiert*), non nigro dumtaxat, id quod post vv. *nigra scuta* sane aliter expressisset. — *umbra feralis exercitus*] Cf. Halm controv St. p. 21 sqq.: *Dass dem feralis exercitus wie formido (furchterweckende Erscheinung), so auch umbra beigelegt wird, ist klar, aber das nicht deutlich, ob mit umbra das dunkle Aussehen oder das Schattenhafte des Heeres bezeichnet sein soll.* Ceterum accuratius quam Kritz et Halm hunc locum interpretatus est Wölfflin, Phil. 26, 166: *Offenbar muss der zweite mit velut entschuldigte Ausdruck infernum adspectum eine Steigerung des ersten, noch kühner als umbra feralis sein, und zwar machen die schwarzen Schilde zunächst den Eindruck eines Leichenzuges, ein Bild, welches dem T. nicht ungewohnt ist. — Erst mit dem infernus kommt ein geisterhafter Zug in die Schilderung, es sei als wenn sie aus der Unterwelt kämen cet.* — *nullo hostium*] De genetivo Halm contr. St. 25, n. 21. — *Gotones*] Alii esse nequeunt quam Goti. Gotones autem sive Gotos eosdem prorsus esse atque antiquiores Getas contra vulgarem opinionem defensam ab Adelungio (*Mithridates* II. p. 357), Niebuhrio (*kl. Schriften* I p. 394.), Gervino (*Nationallit.* I p. 25) sagaciter, ut solet, atque doctissime comprobare temptavit Iac. Grimm *über Iornan-*

atras ad proelia noctes legunt, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum: nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.

Trans Lugios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii et erga reges obsequium.

(44) Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque

1. *pręliis* C. — 4. *Lugios* Müllenhoff. *lygios* A C. *ligios* B. — *gothones* A B C. — *regnan-*
ti *v* *e*
tur A C. *regnant* B. — 5. *protenus* A. — 6. *lemovii* A C. *lemonii* B. — 8. *ipso* C. *ipsę* B.
no
ipse A. — *oceano* A C. *oceanum* B.

des und die Geten, Berlin 1846. p. 35: *Tacitus redet uns von keinen Geten mehr, weil seine nachrichten insgemein aus deutschem bericht fliessen, den deutschen die namensform* Geta *fremd war.*“ Cf. Grimm G. D. S. Getae vero post Dionem Chrysost., qui Getica scripsit (Ed. Reiske I p. 74, 238, 378), et Philostratum in Dionis vita (Ed. Kayser p. 205: *ὡς δὲ καὶ ἱστορίαν ἱκανὸς ἦν ξυγγράφειν, δηλοῖ τά Γετικά·)* non iam memorantur. Goti autem sub *Ἀστίγγων*, Azdingorum, nobilis gentis Goticae nomine, primum comparent apud Dionem Cass. 71, 12 sub M. Aurelio Antonino a. post Chr. 166, 167. Inter utrumque igitur nomen vacuum est spatium annorum dumtaxat LX, quo Getae, diversi si fuissent a Gotis, nullo sui vestigio relicto interire non poterant. Poëticum autem nomen retinere maluit diu ante Iornandem etiam Claudianus *Bellum Geticum* describens cum *Alarico* gestum. Cfr. Procop. Gotth. 1, 24: *Γετικὸν γάρ ἔθνος φασὶ τοὺς Γότθους εἶναι.* Zeuss *D.* p. 401, Ukert *G.* p. 411, qui tamen *Gotones* a *Gotis* diversos putat; haec quidem forma demum post Ptolemaeum reperitur, qui 3, 5 eos vocat Gythones; ipsi sese appellabant *Gutthiuda.* V. in Calend. Got. Maii Ulphilae part. ined. specim. p. 26. ORELLI. Grimmii sententiam, qui *Getas* eosdem esse probare studuit ac *Gotos*, refellit etiam Müllenhoff in commentatione sua de *Getis*, inserta in Encycl. Halens. Ceterum h. l. revera *Goti* alia nominis forma *Gotones* appellantur. Habitabant ei ad Vistulam inferiorem. Cf. Grimm G. D. S. 722, de nominis scriptura Müllenhoff Z. D. A. IX, 244. — *regnantur paulo iam adductius*] ut Hist. 3, 7: *adductius imperitare*, severius, metaphora desumpta ab habenis adductis: similiter Ann. 15, 48: *imperium non restrictum nec perseverum.* ORELLI. Quid sit, quod Tacitus Gotones regnari adductius dicat, haud satis apparet. Quod Sybel DK. 116 affert, nihil ad rem declarandam pertinet. — *nondum tamen* cet.] „salva tamen libertate,“ vel „nondum tamen ita, ut libertas eorum nulla sit,“ ut olim in regnis orientalibus. — *Rugii*] Taciti tempore ad Viadri *(Oder)* ora habitabant. Postea in magna gentium Germanicarum migratione ipsi quoque in Italiam irrupere. Procop. Gotth. 2, 14: *Ἔρουλοι ἀφίκοντο ἐς χώραν, ᾗ δὴ Ῥογοὶ τὸ παλαιὸν ᾤκηντο, οἳ τῷ Γότθων στρατῷ ἀναμιχθέντες εἰς Ἰταλίαν ἐχώρησαν.* Iornand. de regn. success. Ed. Murat. p. 239: *Odovacer, genere Rugus, Turcilingorum, Scirorum Herulorumque turbis munitus Italiam invasit.* Zeuss *D.* p. 154, 486; Ukert *G.* p. 418. Grimm G. D. S. 468 sqq., 717; Müllenhoff apud Momms. p. 519, 525. — *Lemovii*] De his praeterea nihil constat. Cf. Grimm G. D. S. 469, 717; Müllenhoff Z. D. A. IX, 252, qui *Lemonios* fortasse legendum, utique vero nomen quod dicunt collectivum esse probare studet.

44. *Suionum*] H. l. generale nomen Germanorum Scandiorum sive Scandinavorum, non eorum tantummodo, quos nunc Suecos, *Schweden* vocamus. Zeuss *D.* p. 156 sqq., 513; Ukert *G.* p. 426. De Scandinaviae nomine disseruit Grimm G. D. S. 726 sq., de Suionibus 742 sqq. Ceterum si respexeris, quae Grimm, Zeuss alii nuper de Scandinaviae incolis docuerunt, vana iam videbitur opinio illa de *Scandinavia vagina gentium.* — *ipso in Oceano*] Ex Taciti ergo opinione insulas incolebant; idemque tradit etiam Adamus Brem. Hist. eccl. 1, 22: *omnis haec regio* (Sueonia) *passim in insulam dispertita est.* Atque ita opponuntur Rugiis aliisque, quorum sedes erant in Oceani litore. Altera autem lectio *ipsae* orta est ex mera accommodatione ad proximum voc. *civitates.* — *utrinque prora*] naves igitur *δίπρωροι*, *biprorae* Hygin. Fab. 168. Naves simili fere modo constructae a Germanico, Ann. 2, 6, a barbaris ad Pontum Hist. 3, 47., a Venetis, Caesar B. G. 3, 13. Wackernagel Z. D. A. IX, 572. Ibidem v. d. omnino de Germanorum navibus earumque nominibus Germanicis disseruit. — *ministrantur*] Est *φράσις* Vergiliana Aen. 6, 302: *Ipse ratem conto subigit velisque ministrat.* — *solutum*]

classibus valent. forma navium eo differt quod utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit. nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt: solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res poscit, hinc vel illinc remigium. est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, et quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt. enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.

(45) Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortum edurat adeo clarus ut sidera hebetet; sonum insuper

2. *fronte* C. — *ministrantur* Lipsius. *ministrant* libri. — *otiosae* Colerus, *ociosa* A B. *occiosa* C. — 11. *suionas* A C. *suiones* B. — 13. *ortum* A B. *ortus* C.

„remi scalmis non infixi, quo facilius transferri possint in quamcunque navis partem.“ — *opibus honor*] contra quam apud ceteros Germanos. C. 6. Hess. Wackernagel l. l. — *eoque unus*] is, qui maximas opes possidet. — *nullis iam exceptionibus*] „nullis, ut apud reliquas Germaniae nationes, condicionibus, quibus circumscripta sit regia potestas.“ — *non precario*] non ita, ut popularium obsequium semper pendeat ex ipsorum voluntate et a rege quasi precibus efflagitari debeat; sic Hist. 1, 52: *precarium imperium.* ORELLI. Tacitum his de rebus non satis accurate disserere, suo iure suspicatus est Gejer, Gesch. Schwedens I, 10, cuius ipsius verba ascribere operae pretium esse ducimus: *diess, so unähnlich allem, was uns sonst von den Sitten unserer Vorfahren bekannt geworden, scheint nur dadurch erklärbar, dass die Regierenden auch eine höhere, aus der Religion hervorgehende Macht ausübten, die nicht unumschränkt war, wohl aber aus der Ferne so erscheinen mochte. Wir werden daran erinnert, dass die Benennung Einwaldshöfting (Einwaldshöftinge Alleinherrscher), wie die ältesten schwedischen Herrscher genannt wurden, sich im Norden keineswegs auf den Besitz einer unumschränkten Macht bezog, sondern überhaupt den Inhaber der höchsten Gewalt über ein ganzes Volk bedeutete, welche hier durch geglaubten göttlichen Ursprung und ererbtes priesterliches Ansehen geheiligt war. Diese aus einer kriegerischen Religion entsprungene Gewalt war jedoch bei einheimischen Verhältnissen eine Friedensgewalt. Sie konnte den Gebrauch der Waffen untersagen, wie es auch innerhalb der unter den Frieden gestellten Opfer geschah. Die gemeinschaftliche Theilnahme an den grossen Opfern war sowohl ein Zeichen als eine Verpflichtung des Friedens zwischen den verschiedenen Völkerschaften des Suithiod.*“ — *in promiscuo*] „nec singulis arma habere eisque suo arbitratu uti licet.“ — *et quidem seruo*] Cf. Grimm G. D. S. p. 742. — *manus*] Orelli: collectivum, catervae, unde pluralis *lasciviunt;* sed Coleri *otiosae* praeferendum videtur, ut *manus* sint χεῖρες. — *ingenuum-libertinum*] Tres hic habes ordines apud Germanos, nobiles, ingenuos, litos, post quos servi. Cfr. de libertis C. 25. Gr. *R. A.* p. 227. — *enimvero*] „und allerdings.“ Hand Tursell. 2, p. 405 sqq.

45. *mare pigrum*] ubi nonnisi lente ac difficulter navigari potest. Sic circa Britanniam *mare pigrum et grave remigantibus.* Agr. 10. Rem magis etiam exaggerantes loquebantur de *mari concreto.* Plin. 4, 13, 27; 16, 30. ORELLI. De fabula hic memorata scite ac diligenter disseruerunt Müllenhoff et Scherer, denkmäler p. 348; Müllenhoff, deutsche Alterthumskunde, p. 400 sqq. Lingua Theotisca mare concretum *lĕbirmere* appellatum est, sive *mere geliberōt,* Z. D. A. VII, 294 sqq. — *terrarum orbem*] Hac verborum collocatione in posterioribus curis esse usum T. docet Wölfflin, Phil. 27, 126. — *solis fulgor in ortum*] Cfr. Agr. 12; Eumen. Paneg. Constantin. 9 de Britannia: *certe quidem, propter quod vita diligitur, longissimae dies et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam caeli et siderum transit aspectus, ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat praeterire.* Gr. M. p. 683: *Je hoher im norden hinauf, desto starkeren eindruck musste jedes solstitium hervorbringen: zur zeit des sommerlichen herrscht fast beständiger tag, zu der zeit des winterlichen beständige nacht.* — *sonum insuper cet.*] De hac φαντασίᾳ Gr. M. p. 707: *Bedeutsam sind die redensarten, welche mit tagesanbruch, mit morgenröthe die idee einer erschütte-*

emergentis audiri formasque deorum et radios capitis aspici persuasio adicit. illuc usque, et fama vera, tantum natura. ergo iam dextro Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur; quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior. matrem deum venerantur. insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omniumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. rarus ferri, frequens fustium usus. frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. nec quae natura quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve. diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria

1. *emergentis* om. C. — *formas* C. *formasque equorum* Colerus, T. Faber. *formaeque*
sueuicì *suevicì*
decorem Heinsius. — 2. *adiicit* A B C. — *s*^v^*euici* B. *saevici* A C. *suionici* margo A. — 3. *aestio*-
eflu
rum A C. *estiorum* B. — *adluuntur* C. *abluuntur* A B. — *suevorum* A B C. — 6. *ostis* B. *hostes* A C. — 9. *sucinum* A C. *succinum* B. — 10. *gignit* C.

rung, eines geräusches verbinden, das den schwingen des nahenden tagboten beigemessen werden darf, aber uns sogar zu dem höchsten gott führt, dessen walten die luft erschüttert. Inversa narratione de occidente sole inter Hispaniam et Africam Posidonius apud Strab. 3, 1: *μείζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι μετὰ ψόφου, παραπλησίως ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν.* Iuven. 14, 208: *Audiet Herculeo stridentem gurgite solem.* ORELLI. Sed non omittendum est, Tacitum h. l. non de sole tanquam globo igneo, verum de Sole tanquam deo loqui. — *formas deorum*] Si bene se haberet haec librorum lectio, poëtica statuenda esset paraphrasis, ut Ovid. Met. 1, 73. Sed recte jam Colerus, T. Faber, Heinsius viderunt de pluribus deis h. l. Tacitum cogitare non potuisse atque hic *formaeque decorem*, illi *formasque equorum* legendum censuerunt. Quid Heinsii sententiae abstaret, exposuit Nipperdey in mus. Rhen. l. l. Ut F. A. Wolff, ipse Nipperdey et Th. Bergk (mus. Rh.) cum Colero et Fabro faciunt, et revera parum intellegimus, cur Orelli arbitrariam hanc coniecturam dixerit, cum de *Solis equis* fabulam fictam esse admodum sit consentaneum. Ceterum Bergk pro *emergentis* sive *mergentis* sive *immergentis* legendum existimavit, quod cur probemus haud satis causae est. — *persuasio adicit*] Satis docent haec vv., Tacitum fabulis fidem non habere. — *radios capitis*] Sic in simulacris Prilwitzensibus Slavorum idola Perun, Podaga, Nemis radiata habent capita. Gr. *M.* p. 300. — *et fama vera*] „Loquitur ut physicus, sed illius aevi, qui censebant Oceanum finem rerum, neque ultra naturam (hanc inferam) esse.“ LIPS. Agr. 33. Britannia *terrarum ac naturae finis* dicitur. Avitus in Senec. Suasor. 1: *Ita est rerum natura: post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Ceterum Walther parenthesin haud agnoscens: *illuc usque et fama vera tantum natura* et vv. *fama vera* pro ablat. habens, ut sit *ex fama* vel „quantum scimus non solum certis auctoribus, sed etiam fama,“ pro certo erravit. Rectius Bachius: „Usque ad illum tantum finem (non amplius) pergit natura rerum. Iam vv. parenthesi inclusis *et fama vera* Tacitus suam super hac re opinionem pronuntiat, quippe qui ipse quidem illas regiones non perlustraverit, sed auditu cognoverit, ita ut famam veram habendam esse censeret, Agricolae soceri imprimis fide nisus, ut patet ex Agr. 33: *nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.*“ OR. Haud errasse nobis Walther videtur, modo hoc addas, *veram famam* opponi persuasioni proxime memoratae. Est: *illuc usque pertinet natura et famā verā tantum. (so viel, so weit) est n.* Cf. Müllenhoff D. A. p. 404: Ex virorum doctorum coniecturis, quibus hunc locum sanare temptarunt, unam Nipperdeyi proferimus: *fama, ultra tantum natura.* — *Ergo*] h. e.: quod naturae hic finis est, ideo redeamus. — *dextro - - litore*] ut Strabo, 1, 67, Ponti tractus orientales *τὰ δεξιὰ μέρη Πόντου* vocat. — *Aestiorum*] hodie *Aisten, Esthen.* Cfr. Zeuss *D.* p. 267 et p. 667 sqq.; Ukert *G.* p. 420. Schafarik *Slawische Alterthümer* I. p. 457. nomen explicat *die ostwärts Wohnenden.* OR. Cf Grimm, G. D. S. 632, 717, 859, Mythol. 194; Müllenhoff Z. D. A. IX, 225; Wackernagel ib. 565, n. 207. De nominis apud Tacitum forma accuratissime egit Müllenhoff. Et Zeuss et I. Grimm nomen proprie Germanicum esse existimant et *venerandos* significare, in ea autem re inter se dissentiunt, quod ille eosdem esse censet, qui postea Lithuani et veteres Borussi nominentur, hic summopere studet evincere gentem esse Germanorum. Diligenter

nostra dedit nomen. ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia cluduntur. fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim; quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. si naturam sucini admoto igne temptes, in

2. *sucum* A. *succum* B C. — *intelligas* A B C. — 4. *humore libri.* — 5. *sudantur* A C. *sudant* B. — 6. *radius* A B C. — 8. *exudant* C. — *sucini* A C. *succini* B. — *igne* A C. *igni* B. — *tẽtes* A C. *tentes* B.

si exegeris, quae pro sua uterque sent. vir doctus attulit, Zeussio assentiendum esse putaveris. — *lingua Britannicae propior*] quod ad sonum certe attinebat, Romanis, qui Britannos loqui audierant, horum linguae similior quam Germanicae videbatur. Cfr. Zeuss p. 268. — *matrem deum*] Schafarik l. l.: *die preussisch-lithauische Seewa oder Zemmea mahti, die der slawischen Ziwa entspricht.* — *formas aprorum*] probabiliter sigilla minora ex ligno sculpta et coloribus picta, symbola matris deum, cui apud hos aper sacratus erat. Cfr. Grimm, *M.* p. 94, 194 sqq. G. D. S. 124, 724, qui tamen vel ad Germanos vel ad Celtas formas aprorum pertinere probare studet. Alii cogitarunt de aprorum pellibus palea fartis, quas tamen circumgestare satis incommodum fuisset. Certe confundi non debent cum *effigiebus et signis detractis lucis.* C. 7 et Hist. 4, 22. — *omniumque tutela*] passive, quo se tueantur contra noxia omnia, quae impendere ipsis posse rebantur; eadem constructione C. 46: *ferarum suffugium.* Erant igitur hae formae pro amuletis, quibus freti venatus vel commerciorum causa etiam ad hostiles nationes accedebant. — *frumenta - - laborant*] „patientius tolerant laborem, quem pariunt frumenta.“ Walth. Est igitur: „diligentiorem dant operam agriculturae quam ceteri Germani, *sie bemühen sich um Getraide, sie arbeiten darauf hin.*“ — *mare scrutantur*] Cassiodor. Var. 5, 2: *Haestis* (Taciti *Aestiis*) *Theodoricus rex: - - Salutatione vos affectuosa requirentes, indicamus succinafuisse suscepta, quae ad vos Oceani unda descendens, hanc levissimam substantiam, sicut et vestrorum relatio continebat, exportat: sed unde veniat, incognitum vos habere dixerunt, quam ante omnes homines patria vestra offerente suscipitis.* Deinde excerpit hunc Taciti locum, ad quem totum cfr. Io. Math. Gesneri de electro veterum Praelectio in Comment. Soc. Gotting. III. p. 67. *Der Bernstein und die in ihm befindlichen Pflanzenreste der Vorwelt, bearbeitet von H. R. Goeppert und G. C. Berendt. Berlin* 1845. fol. OR. A. v. Humboldt, Kosmos II, p. 410 sqq., qui doctissimis hac in re auctoribus de *pluribus* Germaniae locis, ubi olim sucinum inventum sit, multa rectius constituit quam quae hodie vulgo leguntur. Verum non prorsus attigit Redslob in suo de *Thule* libro, Lips. 1855. Sed praeter omnia nunc cf. Müllenhoff D. A. — *sucinum*] Plin. 37, 3: *quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id sucinum appellantes.* — *glesum*] Apud Plinium l. l. scribitur *glessum.* OR. Eiusdem est radicis ac nostrum *glas*, quo ipso vocabulo sucinum quondam appellari potuit, Anglos *gläs*, cum sucinum ab Anglos. *glaere* vocaretur. Haud dubie hoc nomine materia pellucida significabatur, Hugo Weber, etymolog. Untersuchungen p. 89. Eandem vim Graeco ἤλεκτρον subesse hodie satis novimus, ib. p. 78. De aliis sucini nominibus cf. Wackernagel Z. D. A. IX, p. 566; J. Grimm, thes. Theot. s. v. *agstein* et *bernstein*, h. e. *brennstein.* Germani borealis *rafr* dicunt, Lithuani *gentaras*, Russi *jantar'*, Fenni *merikivi* — *Diu quin etiam*] Hac de anastrophe, qua Tacitus in dialogo nondum erat usus, cf. Draeger, S. u. Stil des T. § 227. — *eiectamenta*] Plinius 37, 2 vocat *concreti maris purgamentum.* — *donec dedit n.*] De *donec* coniunctionis apud T. structura cf. Wölfflin, Phil. XXVII, p. 127. — *in nullo usu*] nimirum ad luxuriam, sed Plinius l. l. narrat, *insulae Abali incolas pro ligno ad ignem uti proximisque Teutonis vendere.* — *rude l.*] De *rudis* adj. apud Tacitum v. Wölfflin, Phil. XXV, 97. — *informe perfertur*] ad nos, qui postea varias formas ei damus, v. c. monilium et globorum, quibus ad manus refrigerandas utebantur matronae luxuriosae. Iuven. 6, 573; 9, 50; Martial. 11, 8; Plin. 37, 3, 12: *Taxatio in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies vivorum hominum vigentiumque pretia superet.* — *pretiumque* cet.] Dio Chrysost. Or. 79, p. 774. Ed. Emperii: Τί δὲ χρὴ περὶ Κελτῶν λέγειν, ὅπου φασὶ ποταμόν τινα καταφέρειν τὸ ἤλεκτρον καὶ πολὺ πανταχοῦ κεῖσθαι παρὰ ταῖς ὄχθαις ἐκβεβρασμένον, ὥσπερ αἱ ψῆφοι παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῶν αἰγιαλῶν; καὶ πρότερον μὲν οἱ παῖδες † ἔπαιζον τάδε ἐρρίπτουν· νῦν δὲ κἀκεῖνοι συλλέγουσι καὶ φυλάττουσιν αὐτό, παρ' ἡμῶν μεμαθη-

modum taedae accenditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit.

Suionibus Sitonum gens continuatur. cetera similes uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

(46) Hic Suebiae finis. Peucinorum Venetorumque et Fennorum na-

3. *siuionibus* A. — *sitonum* A C. *sithonum* et in margine *sithones* B. — *gens* A. *gentes* C.
tes   *nerant*
gens B. — *continuatur* A. — *differuntur* C. — 5. *degenerant* A C. *degnātur* B. — 6. *htc suevie*
ł sueuę   *ł curo*   *curo*
(suevię A.*) fines* A C. *hi suevię fines* B. *finis* Puteolanus. — *peucinorum* C. *peucinorum* A. *peucinorum* et in margine *peucini* B. — *venethorumque* A. — *fomnorum* et in margine l. *fosinorum* C.

κότες, ὅτι εἰσὶν εὐδαίμονες, quo in loco id quoque animadvertendum Chrysostomum *νῦν* vocabulo uti. Humboldt l. c.: *die lebhaftere unmittelbare Verbindung mit der Samländischen Ostseeküste und mit den Aestyern mittelst des Landweges durch Pannonien über Carnuntum, den ein Römischer Ritter unter Nero einschlug, scheint mir in die spätere Periode der Römischen Caesaren zu fallen (Voigt, Gesch. Pr. 1, 85).* — *sucum tamen arborum*] Arbor est, quae a Goepperto et Berendtio p. 28 appellatur *pinites sucinifer*, et quidem antediluviana sive protogaea, ut dicunt. Eam describit Goeppert p. 61. — *cluduntur*] Talia canit Martialis 4, 32: *Et latet et lucet Phaëthontide condita gutta, Ut videatur apis nectare clusa suo. Dignum tantorum pretium tulit illa laborum: Credibile est ipsam sic voluisse mori.* Item ibid. 59 de vipera; 6, 15 de formica. De electro cfr. etiam Ukert *G.* p. 176, 181. — *tura b.*] „*tura* solis sunt Sabaeis, *balsamaque* uni terrarum Judaeae sunt concessa“. — *quae - - expressa*] Adeo singulari *βραχυλογίᾳ* pro: quorum nemorum suci expressi et liquefacti cet., ut vix liceat nobis locum sanum esse existimare. Alii alia suspicati sunt. Doederleinio pro *ac* particula *ea* pronomen legendum esse visum est, Lachmann proposuit *quae vicini s. r. expressa, ea regelantia* cet., Nipperdey *ac* ante *vi* deleri iussit, postremo Reifferscheid, (symbola phil. Bonn.), nescio an recte, sic scripsisse Tacitum arbitratur: *inesse crediderim; sucinaque* cet. Ceterum de sucini origine haec est Berendtii p. 8. sententia: „*In der Gegend des heutigen Samlandes tauchte eine Insel, oder eine Inselgruppe, ein Inselland oder ein Continent auf, — man bezeichne es wie man will, ich nenne es Inselland! — wuchs an Umfang und überzog sich, begünstigt von mildem Seeklima, mit Vegetation und Wald. Dieser Wald war die Geburtsstätte des Bernsteins, in ihm schwitzten gewisse Bäume ihr Harz in so unbeschreiblicher Menge aus, dass die versunkene Vorrathskammer, der ehemalige Waldboden, davon noch jetzt so erfüllt zu sein scheint, als wäre sie durch die später eingebrochenen Meeresfluthen und durch die unzähligen den Ocean Jahrtausende lang durchwühlenden Stürme erst eines geringen, kaum in Anschlag zu bringenden Theiles ihres Inhaltes beraubt. Der nordwestliche Rand dieses ehemaligen Insellandes erstreckte sich höher als die heutige Nordwest-Spitze Samlands. Neben und über ihr lag, meines Erachtens, jenes urweltlichen Waldes geographischer Mittelpunkt, der sich noch heute im Vorkommen des Bernsteins als solcher zu erkennen giebt. Ich stelle diesen Centralpunkt in den südöstlichen Theil des heutigen Ostsee-Beckens unter etwa* 55° *Lat. und* 37—38° *Long.*“ — *ut* [*in picem*] „consumptis igne iis partibus, quae cremari possunt, remanet materia *lenta (zähe)*, pici similis.“ — *Sitonum*] Zeuss *D.* p. 157 suo iure putat hoc nomen inditum esse a Germanis Scandinaviae nationibus non Germanicis. OR. Grimm G. D. S. 744 hos quoque Germanicae fuisse existimat originis. Nomen genti si a Germanis est inditum, a radice, quae subest verbo Got. *sitan*, sedere, derivari debet, cum, quod Grimm proposuit ducere originem a. v. *svīdh*, adurere, linguae quae tum erat legibus parum respondeat. Ceterum etiamsi Grimmii sententia valeret, nomen bene cum Fennorum moribus congrueret, de quibus Gejer, G. Schw. p. 91: *Das Schwenden, welches man eine Art nomadischen Ackerbaues nennen kann, scheint von Alters her bei ihnen (den Finnen) einheimisch.* — *quod femina dominatur*] Cf. Grimm G. D. S. 744, 828 et praecipue Zeuss D. 686 sq., Weinhold D. F. 42 sq. Revera fabula de hoc mulierum regno ex falsa nominis Fennici *kainalaiset (Niederländer)* interpretatione orta esse videtur, cum de vocabulo *quinō, γυνή*, cogitarent. Adam Bremensis saepe de hac *terra feminarum (kvenland)* mentionem fecit. — *a servitute*] „quatenus hi feminis, ceteri populi, qui sub regia dominatione sunt, viris tamen serviunt.“

46. *Peucinorum*] Ptol. 3, 17, ubi de Moesia inferiore agit: *τὰ δὲ στόματα (τοῦ Ἴστρου) κατέχουσι Πευκῖνοι.* Iornandes 16: *Peucini, ab insula Peuce, quae ostio Danubii Ponto*

tiones Germanis an Sarmatis ascribam dubito, quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor procerum: conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Veneti multum ex moribus traxerunt: nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum usu ac pernicitate gaudent; quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui

2—8. *domicilis* † † † *sunt in plaustro* C. — 3. *coñubijs* A. *connubis* B. — *mist[i]os* B. *mistos* an *mixtos* A. — 4. *venethi* A. — 5. *quicquid* B. — 7. *figunt* B. *fingunt* A. — *pedum*
e .i.
Lips. *pecudum* A. et pr. B. *peditum* corr. B. — 8. *tonis* C.

mergenti adiacet. Zeuss *D.* p. 70, p. 442; Ukert *G.* p. 428; Grimm G. D. S. 461 sq. — *Venetorumque*] Si Tacitus ipse per litt. *t* scripsit, nomen conformavit ad *Venetos* Gallos Caesaris B. G. 3, 8 et Ann. 11, 23, et ad *Venetos* ad Hadriaticum sinum, de quibus Polybius 2, 17. Rectius Plinius 4, 13 *Venedos*, Ptolemaeus *Οὐενέδας*, Iornandes 5 *Winidas* vocant, Theot. vet. *Winidā*, Anglos. *Veonedas*, hodie *Wenden*. Adde nummos Volusiani († 253) apud Eckhel D. N. VII p. 369, in quibus vocatur *V*Andalicus, *F.ΦΙΝνικος GA*Lindicus, *VEND. OΥENΔικος*. Cfr. Zeuss p. 67; Ukert p. 424; Schafarik *Slawische Alterthümer* I p. 72 sqq., qui Winidas pro Slavis habet. OR. Grimm G. D. S. 171, 322, 475 sq., 685. Rectius de nomine existimare videtur Zeuss, qui de Germanico *vinja*. Weide, cogitat, quam Grimm, qui *Venedos* ab eadem radice dictos esse censet qua *Vandilios*. Sunt igitur Venedi *νομάδες* sive ampla habentes pascua. — *Fennorum*] Ptolemaeo 3, 5 *Φίννοι*, ut et Iornandi *Finni*, nobis *Finnen*, accolae Oceani septentrionalis inde a Scandinavia usque ultra Uralem montem. Zeuss *D.* p. 272, 683 sq.; Ukert *G.* p. 425, atque imprimis Schafarik I p. 299, cui videntur *ein dürftiges, in den äussersten unfruchtbaren Norden verdrängtes, friedliches, nichts weniger als mächtiges und herrschendes Volk.* OR. Non abhorret a vero, quod Zeuss suspicatur, *Fennos* nomen accepisse a Germanico *fani* cet., stagnum. *Finni ist also Deutsche Bezeichnung des grossen Nordstammes nach seinen Sitzen an zahlreichen Sümpfen und Seen.* — *quos quidam Bastarnas vocant*] quia nimirum Peucini erant populus Bastarnarum. Strabo 7, p. 305: *πρὸς δὲ ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου μεγάλη νῆσός ἐστιν ἡ Πεύκη· κατασχόντες δ' αὐτὴν Βαστάρναι Πευκινοὶ προσηγορεύθησαν.* Et p. 306: *Βαστάρναι εἰς πλείω φῦλα διῃρημένοι*, in quibus rursus Peucinos memorat. Bastarnas autem haud dubie Germanis adnumerandos esse contendit Iac. Grimm *Iornandes* p. 51. Cfr. etiam Schafarik I p. 393; Zeuss D. 70 sq., 127, 442; Grimm G. D. S. 458, 781; Wormstall, über die Tungern und Bastarnen. Nomen gentis nondum satis explicatum videtur. — *sordes omnium cet.*] Varie hunc locum interpungunt et interpretantur. Aut post v. *torpor*, aut post *procerum* (Haupt quoque), aut omnino non incidunt. Nipperdey Mus. Rhen. l. c. legendum esse coniecit: *sordes omnium ac torpor: corporum procerum.* — *foedatur*, ut haec verba non ad solos Bastarnas, sed ad cunctos, de quibus modo T. mentionem fecerat, pertinerent, quam sententiam satis refellit Halm ctr. St. des T. 40 sqq. Ipse Halm partim Mützelium secutus scripserat: *Sordes omnium ac torpor: ora Peucinorum conubiis mixtis – foedantur.* Sed ne hac quidem coniectura opus est. Tacitus cum de Peucinis Venetisque et Fennis in commune esset locutus, jam ad singulas transit nationes, et *Peucini* quibus rebus a ceteris Germanis differant, exponit: sordidos esse *omnes*, cum alii Germani quotidie laventur, *procerum* esse torporem insignem, conubiis mixtis cet. Wormstall, qui Bastarnarum laudem servaret, legendum esse coniecit *Fortis animus ac corpora procera; conubiis* cet. Alios locum sanandi conatus, qui non pauci sunt, praeterimus. (*Habitum* equidem explico de corporis conformatione, non, ut in scholis solebat F. A. Wolfius, de moribus OR.). — *Sarmatarum*] Meminisse debemus Sarmatarum nomine h. l. non unam gentem contineri, sed praeter veros Sarmatas etiam Slavos a Romanis ita appellari. — *figunt*] „domos construunt stabiles nec *νομάδων* ritu vivunt ut Sarmatae." Atque sic prorsus Ann. 13, 54: *iam fixerant domos Frisii*, „non iam sub tentoriis degebant." Contra *fingere* dicitur potius de rebus fusilibus aut ex argilla factis, etiam de avium nidis Cic. de Or. 2, 6. Ovid. Fast. 1, 158: *hirundo et luteum celsa sub trabe fingit opus.* — *pedum*] Opponuntur Sarmatis fere semper equis utentibus. —

herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque venatus viros pariter ac feminas alit: passim enim comitantur, partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. securi adversus homines, securi adversus deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere; quod ego ut incompertum in medium relinquam.

4. *hymbriumque* A C. — 5. *hoc* [e] *senum* B. — 6. *illaborare* A C. *ab. inl.* B. — 7. *difficillimam* C. *difficilem* A B. — 9. *oxionas* [*etionas*] A B. *exionas* C. — *uoltusque* A. *uultusque* B. *ultusque* C. — *et corpora* C.

in sagittis] Cf. Weinhold, Nord. Leben p. 12, et p. 206: *Lehrmeister der Nordgermanen in Handhabung des Bogens wurden die Finnen cet.* — *ossibus*] spiculorum vice praefixis, ut teste Pausania Attic. 21, 5: *Σαυρομάται ἐπὶ τοῖς δόρασιν, αἰχμὰς ὀστεΐνας ἀντὶ σιδήρου φοροῦσιν*, atque sic faciunt etiamnunc Sibericae gentes quaedam. — *petunt*] non est „sagittis conficiunt," ut quidam voluerunt, sed „postulant ut sibi debitam." — *ingemere agris*] Est Vergilianum illud Ge. 1, 45: *Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro Ingemere.* — *metuque versare*] „velut praesertim negotiatores; ab negotiis etiam et commerciis alieni, ut ab omni re, quae de fortuitis et eventu pendet." Duebn. — *adversus deos*] „Ut quibus nec homines nec dii quidquam adimere possint." Id. — *fabulosa*] Qualia apud Melam 3, 6: *In his esse Oaeonas, qui ovis avium palustrium et avenis tantum alantur: esse equinis pedibus Hippopodas et Panotos, quibus magnae aures et ad ambiendum corpus omne patulae.* Eadem fere habet Plin. 4, 13. Zeuss *D.* p. 275: *Was Tacitus für Fabel hält, zeigt sich, recht verstanden, als Wirklichkeit in der Pelzkleidung der Finnen.* Cf. Müllenhoff D. A. s. f. — *Hellusios et Oxionas*] His de nominibus disseruit Müllenhoff Z. D. A. IX, 246, 256, 257; X, 565. Eiusdem stirpis nomen est Hellusiorum atque Plinii Hillaevionum. Utrumque derivandum est a subst. Germanico *hella*, petra. De terminatione — *usii* cf. Müllenhoff X, 264. Pro *Oxionas* M. vidit legendum *Etionas*, h. e. *itjans*, fortasse Borealium *iötnar.* In eadem fere regione Adam Bremensis 4, 19 collocat *crudelissimos ambrones* (ahd. *manezun*) *et antropofages, qui humanis vescuntur carnibus.* A nullo praeterea fabulosi hi populi memorantur. Ceterum notamus a Tacito XLV populos Germanicos enumerari, a Ptolemaeo LXVI; inter hos vero XXIV, eorum, quos apud Tacitum reperimus, praeteriri. — *in medium*] Gellius 17, 2: *Nos in medium relinquemus: vulgus in medio dicit; sed illud probabilius significantiusque dici videbitur, si quis ea verba non incuriose introspiciat,* — *relinquam*] „Deesse quaedam videntur, quibus quae nationes e Germania commigravissent, explicaverit. Cfr. C. 27 extr." S. Verum huic ipsi desiderato ex toto satisfecit statim Cap. sequente 28, ubi de Treveris, Nerviis, Ubiis aliisque Germanis, qui in Gallias immigraverant, agit. Ibi (C. 27) est *ὕστερον πρότερον*, quo artificio illius aetatis rhetores libenter utebantur.

EXCURSUS AD CAP. XIX.

Ex S. BONIFATII Epistola LXXII ad ETHIBALDUM regem Merciorum. Ed. Würdtwein. Magontiaci MDCCLXXXIX. p. 191.

Non solum a Christianis sed etiam ab ipsis paganis adulterium in opprobrium et verecundiam deputatur, quia ipsi pagani verum deum ignorantes, naturaliter, quae legis sunt, et quod ab initio deus constituit, custodiunt in hac re: quia propriis uxoribus matrimonii foedera servantes fornicatores et adulteros puniunt, Nam in antiqua Saxonia [1], si virgo paternam domum cum adulterio maculaverit, aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam vitam finire et super bustum illius incensae et concrematae corruptorem eius suspendunt: aliquando, congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis caedentes et vestimenta ei abscindentes iuxta cingulum, et cultellis suis totum corpus eius secantes et pungentes, minutis vulneribus cruentatam et laceratam de villa ad villam mittunt, et occurrunt semper novae flagellatrices, zelo pudicitiae adductae, usquedum eam aut mortuam aut vix vivam derelinquunt, ut ceterae timorem adulterandi et luxuriandi habeant; et Winedi, quod est foedissimum et deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonii amorem mutuum servant, ut mulier, viro proprio mortuo, vivere recuset; et laudabilis mulier inter illas esse iudicatur, quae propria manu sibi mortem intulit, ut in una strue pariter ardeat cum viro suo.

---

1) *Antiqua Saxonia* opponitur *Angliae Saxoniae.*

CORNELII TACITI

DIALOGUS DE ORATORIBUS.

AD FIDEM CODICUM OPTIMORUM

DENUO RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

GEORGIUS ANDRESEN.

BEROLINI

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.

MDCCCLXXVII.

Typis officinae aulicae Gerae.

PRAEFATIO.

Cum Orelliana Dialogi de oratoribus editio a. 1848 evulgata recognoscenda mihi commissa esset, ita hoc officio fungi visum est, ut recentissimo quoque adminiculo et optima quaque auctoritate nisus emendando mutando augendo conficerem opus, ex quo posset intellegi, quantum virorum doctorum studiis his duodetriginta annis in hoc libello consumptis profecissemus.

Et primum quidem varias librorum manu scriptorum lectiones ex ea editione deprompsi, quam AdolfusMichaelis a. 1868 Lipsiae in lucem edidit, adhibitis supplementis ab Halmio in editione tertia et a Meisero in programmate Eichstaettensi ('Kritische Studien zum Dialogus und zur Germania des Tacitus' 1871) prolatis. Collegi autem lectiones eorum tantum codicum, quos Michaelis litteris ABC notavit, easque integras, omissis tamen eis, ex quibus nihil discitur nisi qualis fuerit librariorum scribendi vocabula consuetudo. Deinde in recentioribus virorum doctorum coniecturis in apparatu critico colligendis maxime Halmii auctoritatem secutus sum; in recentissimis commemorandis cum id egerim, ut supplementum quoddam Halmiani commentarii critici efficerem, vereor ne nimius fuisse videar. Tum in constituendo textu ita versatus sum, ut saepius quam in priore editione a. 1872 apud Teubnerum in usum discipulorum a me edita proditam scripturam servarem, vel quia iustam causam dubitandi non esse intellexeram, vel quia non id mihi agendum erat hoc tempore, ut conficerem textum omni

offensa vacuum et ad discipulorum usum accommodatum. Ex commentario autem Orelliano, quem quanta maxima fide potui, servavi, ut nihil eorum eieci, quae ad explicanda verba scriptoris pertinere viderentur, ita fieri non poterat quin multa in illo ex eis repeterem, quae iam in editione Lipsiensi protuleram. De plerisque enim locis non habeo nunc quod melius dicam. Ex eis denique, qui recentiore aetate in explicandis Taciti libris versati sunt, multum in usum meum contulit Heraeus, historiarum editor, plus Nipperdeius, cuius commentarius documento est, quam fecundum laborem ille in omnibus Taciti libris consumpserit.

Berolini, Kal. Febr. MDCCCLXXVII.

Georgius Andresen.

CORRIGENDA SUNT ERRATA HAEC:

In adnotatione critica p. 92 ultima nota ad primum versum sequentis paginae referenda est.
p. 105 numerus 11 ante *et* ponendus est.
p. 106 v. 1 pro ABC lege AbC.
p. 115 v. 7 pro *ali* lege *alii*.

CORNELII TACITI
DE ORATORIBUS
DIALOGUS.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Postquam Iustus Fabius saepe ex auctore dialogi requisiverat, cur non amplius vigeret eloquentiae studium, hic non suam proferre sententiam statuit, sed repetere sermonem hominum disertissimorum, quos eandem quaestionem pertractantes admodum iuvenis audivisset. 2. 3. isti sunt Curiatius Maternus, ex oratore poeta, M. Aper Iulius Secundus, celeberrima tum fori ingenia, qui mirantur, quod Maternus fastiditis orationum causarumque studiis omne nunc tempus circa tragoedias consumat, quarum tamen recitatione offendisse potentium animos dicatur. 4. hic poesin a se nunc coli profitetur, quia sanctior haec et augustior sit eloquentia.

5—7. Hinc oritur disceptatio, utrum praestantior sit ars oratoria an poetica. Aper magnis laudibus praedicat oratoriae artis utilitatem, voluptatem, dignitatem, 8. ac provocat ad exempla Marcelli Eprii et Crispi Vibii. 9. 10. poetarum contra nullam esse dignitatem dicit aut utilitatem, voluptatem vero brevem, laudem inanem, infructuosam multisque recitationum molestiis ac sumptibus partam. iisdem esse in solitudinem secedendum, si modo dignum aliquid elaborare velint, et mediocres nemini notos, bonos paucis; studium denique illorum non minus obnoxium offensae, quam oratorum. itaque Materno, ad altiorem eloquentiam et ad summa nato, non subsistendum esse in levioribus, sed ab auditoriis et theatris in forum et ad causas veraque praelia redeundum.

11—13. Quae quum Aper dixisset acrius et intento ore, remissus et subridens respondet Maternus: poeticae studio maiorem parari securitatem et gloriam, quam forensi labore et strepitu litigantium aut salutantium frequentia; puriorem vero voluptatem securo et secreto secessu in nemora et lucos, quam lucrosa et sanguinante in foro eloquentia, quae non, ut poesis, aureo, sed ferreo saeculo et propter malos hominum mores in locum teli reperta sit. dulcem esse poetarum vitam et curarum expertem, anxiam vero oratorum, qui semper vel timeant vel timeantur.

14. Colloquio supervenit Vipstanus Messalla, admirator veterum temporum oratorumque, recentiorum contemptor. 15—17. hinc Aper, saeculi sui novorumque rhetorum patronus, accuratius definiendum censet, quinam oratores vocandi sint antiqui: utrum Ulixes tantum et Nestor et Menenius Agrippa, an etiam Demosthenes et Hyperides, inter quorum et hoc aevum non multo plures quam CCCC. anni intersint, aut Cicero, Caesar, Caelius, Calvus, Brutus, Asinius, Messalla, qui vix unius hominis aetate sint priores. 18. formas autem et genera dicendi cum temporibus ac diversitate aurium mutari monet, et vitio malignitatis humanae semper laudari vetera, praesentia fastidiri. 19. 20. Cassium Severum a multis velut terminum antiquitatis constitui primumque flexisse putari ab illa vetere atque directa dicendi via: non tamen id fecisse infirmitate ingenii nec inscitia litterarum, sed iudicio et intellectu. olim in honore fuisse longa principia et narrationes, divisionum argumentorumque multorum ostentationem et philosophica orationi inserta; nunc ab oratore laetitiam et pulchritudinem orationis poeticumque decorem exigi. 21. 22. in orationibus Calvi quoque, Caelii, Caesaris, Asinii, Corvini ipsiusque Ciceronis multa deprehendi antiquitatis vitia, sordes verborum, hiantem compositionem, sensus inconditos, quae tamen sola mirentur perversi imitatores. 23. iniquos igitur iudices esse, qui antiqua tantum efferant laudibus rhetorumque recentiorum commentarios fastidiant. postremo Messallae et Materni et Secundi virtutes praedicat eosque ad illustrandum saeculum suum pulcherrimo dicendi genere exhortatur, cum videat eos, quae vera sit eloquentiae ars, laetissima quaeque antiquorum imitari ac gravitati sensuum nitorem cultumque verborum miscere.

24. Tum Maternus admonet Messallam, ut, missa antiquorum laudatione, qui ea non indigeant, memor potius promissi causas expromat, cur in tantum ab eloquentia eorum recesserit aetas recentior. 25. hic primum docet, quinam antiqui sint appellandi; plures dicendi formas etiam isdem saeculis fuisse et singulares Calvi, Asinii aliorumque virtutes: quod vero invicem obtrectaverint, non esse oratorum vitium, sed hominum: 26. gravitatem denique et cultum oratorium impetumque veterum longe praeferendum esse verborum lasciviae, levitati sententiarum et compositionis licentiae, in quibus sibi placeant recentiores.

27—29. Materno iterum rogante Messalla transit ad explicandas causas corruptae eloquentiae primas vero et praecipuas putat desidiam iuventutis et neglegentiam parentum et inscientiam praecipientium et moris antiqui oblivionem. liberos enim non iam educari in gremio ac sinu castae matris aut a propinqua maiore natu, sed Graeculae ancillae delegari et servis, a quibus teneri eorum animi erroribus vitiisque imbuantur. 30—33. eorundem ingenium non, ut quondam, severa disciplina et infinito labore et quotidiana meditatione et in omni genere studiorum exercitationibus formari atque subigi, sed nec a pueris nec a iuvenibus quidquam disci, quod usum habeat. hinc antiquam eloquentiam ex omnium rerum scientia pluribusque artibus exundasse et oratorem potuisse de omni quaestione pulchre et ornate et varie et ad persuadendum apte dicere; horum vero temporum disertos aridis rhetorum praeceptis artificiisque sordidissimis contentos grammatices legum philosophiae ignaros esse.

34. 35. Materno deinde hortante Messalla progreditur ad aliam corruptae eloquentiae causam, ad eximiam antiquorum oratorum et perversam recentiorum exercitationem. iuvenes dicit, imbutos iam domestica disciplina, honestis studiis refertos ac bene praeparatos, a patre olim vel propinquis fuisse deductos ad principes oratorum, quos sectati in iudiciis, foro contionibusque pugnare in ipsa velut arena et acie didicissent; at nunc educatione depravatos, inscios ac torpentes transire in rhetorum scholas, in quibus duo materiarum genera, suasoriae et controversiae, tractentur: nec facile dici posse, utrumne locus ipse, an genus studiorum, an condiscipuli plus mali ingeniis afferant.

[Hic Messallae sermo mutilus est: idem internis corruptae eloquentiae causis externas videtur adiunxisse has:]

36. 37. *α*) Uberiorem ad dicendum materiam fuisse oratoribus antiquis, splendorem rerum et magnitudinem causarum, leges rogandas et populare nomen, contiones magistratuum, accusationes potentium reorum et assignatas etiam domibus inimicitias, procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. *β*) maiora iisdem praemia fuisse proposita, faciliores ad summos honores aditus eloquentia patefaciendos, plus apud principes et magistratus provinciales gratiae, apud patres auctoritatis, apud plebem notitiae ac nominis, clientelas exterarum nationum, praeturas et consulatus.

38—40. *γ*) formam et consuetudinem veterum iudiciorum oratoribus favisse, causas in foro, non in auditoriis tabulariisve explicatas, liberum et dicendi et comperendinandi tempus, clamorem et plausum et studia certantis populi, reos concursu totius civitatis et accusatos et defensos, contiones assiduas et datum ius potentissimum quemque vexandi. [Hic lacuna, ut videtur, statuenda est, intra quam Messallae sermonem exceperit Maternus, qui] 40. 41. non tamen laudandam censet valentiorem eloquentiam, quod licentiae, quam stulti libertatem vocent, alumna sit et comes seditionum et effrenati populi incitamentum. eam quidem vigere dicit in civitatibus, quae discordiis et partibus se ipsae conficiant, sed in quietis ac bene constitutis non opus esse tali eloquentia longisve in senatu sententiis et multis apud populum contionibus; multo minus in re publica, in qua non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus. melius esse, non queri quam vindicari et, si inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacaneum fore inter innocentes et mores bonos et in obsequium regentis paratos oratorem sicut inter sanos medicum. itaque non dolendum, quod minor nunc oratorum obscuriorque gloria sit, sed utendum potius sui cuique saeculi bonis citra obtrectationem alterius.

42. Dissolvitur colloquium. (Habitum fingitur anno p. Chr. 77.)

---

(1) Saepe ex me requiris, Iuste Fabi, cur, cum priora saecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque floruerint, nostra potissimum

Notis usus sum hisce:

A codex Vaticanus 1862.

B codex Leidensis Pontani sive Perizonianus.

C codex Farnesianus sive Neapolitanus.

abc litteris notatur, quidquid ab altera manu in ABC mutatum est.

Horum omnium codicum lectiones, quas notavi, debentur accuratae editioni, quam Adolfus Michaelis Lipsiae 1868 edidit.

CORNELI TACITI INCIPIT DIALOGVS DE ORATORIBVS **A**. — *CORNELII. TACITI. DIALOGVS. DE. ORATORIBVS. INCIPIT* **B**. — *C. CORNELII TACITI DIALOGVS DE ORATORIBVS FOELICITER ICIPIT* **C**.

1. *Iuste* superscr. *o* B (sic passim in vocativo casu) — *cum* om. C.

1. *Iuste Fabi*] L. Fabius Iustus, Plinii minoris amicus, ad quem datae 1, 11. 7, 2 cuiusque mentionem facit 1, 5, 8. Sub Traiano a. 111 in locum L. Rustici Iuniani Bolani consul suffectus est. Nomen gentile, omisso praenomine, cognomini argenteae latinitatis temporibus saepe postponitur, de quo usu cf. Mommsen, Röm. Forschungen I p. 41. — *priora saecula*] ante Augusti principatum, ut c. 19 *prior populus*.

aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat. neque enim ita appellamus nisi antiquos: horum autem temporum diserti causidici et advocati et patroni et quidvis potius quam oratores vocantur. cui percontationi tuae respondere et tam magnae quaestionis pondus excipere, ut aut de ingeniis nostris male existimandum *sit*, si idem assequi non possumus, aut de iudiciis, si nolumus, vix hercule auderem, si mihi mea sententia proferenda ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset, quos eandem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi. ita non ingenio, sed memoria et recordatione opus est, ut quae a praestantissimis viris et excogitata subtiliter et dicta graviter accepi, cum singuli† diversas vel easdem sed probabiles causas afferrent, dum formam sui quisque et animi et ingenii redderent, iisdem nunc numeris iisdemque rationibus persequar, servato ordine disputationis. neque enim defuit qui diversam quoque partem susciperet ac multum vexata et irrisa vetustate nostrorum

1. *eloquentia* B', corr. b. — 2. *appellamus] appellemus* ABC. — 4. *perconctationi* A *percunctationi* B. — 5. *sit* add. Lipsius. — 7. *mea mihi* Schurzfleisch et Maehly, observationes de Drusi atque Maecenatis epicediis deque Taciteo dialogo criticae. Basel 1873 p. 18. — 12. *[vel easdem]* Lipsius, Halm praeterea *sed probabiles* inclusit; ipse olim totum enuntiatum *singuli-dum* sustuli. — 13. *redderet* C. — *persequar* Puteolanus: *prosequar* ABC. —

deserta] scil. *oratorum ingeniis*, quasi ager incultus. — 3. *causidici]* Iam a Cicerone causidicus cum contemptu appellatur et opponitur perfecto oratori: de Or. 1, 46, 202: *Non enim causidicum nescio quem neque clamatorem aut rabulam hoc sermone conquirimus, sed eum virum, qui.* — Cf. Quint. 12, 1, 25. Hess. *Advocati* autem, quo nomine Ciceronis aetate significabantur amici, qui in iudicio in subselliis litigantium sedebant honoris causa, Quintiliani aetate vocantur patroni et causidici, omnino ei, qui causam orant. Waltherus. — His autem vocabulis omnibus iam hoc loco significatur, temporibus principum nullum superfuisse eloquentiae genus nisi iudiciale. — 4. *percontationi]* De hac scriptura, cf. Corssen, Krit. Beitr. p. 4. — 5. *de ingeniis nostris — de iudiciis]* cf. c. 21: *nec voluntatem ei — sed ingenium ac vires defuisse*: et 25: *esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem.* — 7. *mihi mea] mea mihi* transposuit Schurzfleisch idemque nuperrime suasit Mähly. Qua mutatione opus esse huius libri exemplis evinci non potest. — *ut nostris temporibus]* ex hoc loco Tacitum ipsum antiquos suorum temporum oratoribus anteposuisse apparet. — 8. *repetendus esset]* cf. Cic. de orat. 1, 6, 23: *repetamque — ea quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum — disputatione esse versata.* — 9. *iuvenis admodum]* Tacitus num anno 77, quo hic sermo habitus est (vide 17 med: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur)* cum annum aetatis circiter vicesimum quartum ageret, vel *iuvenis admodum* fuisse vel rhetoras sectatus esse credi possit, dubitari potest. — 11. *cum singuli* e. q. s.] Locus misere corruptus ac difficillimus ad sanandum. *Causae* enim quae collato huius libri principio non possunt non intellegi causae corruptae eloquentiae, neque diversae neque eaedem a singulis (i. e. a Messalla, Materno utque videtur Secundo) afferuntur, sed variae. Quamobrem non video, quid aut Lipsii aut Halmii mutatione proficiamus. De particula *dum* autem, in qua nulla est offensio, cf. A. Gerber, de coniunctionum temporis — usu Taciteo. Progr. Glueckstadt. 1874. p. 22. — 12. *et animi et ingenii]* suam utriusque horum vocabulorum vim esse et iterata *et* particula et locus simillimus ostendit, qui legitur c. 21 extr. *in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit.* — 13. *numeris] numeri*, id quod Bernhardy monuit, intellegendi sunt gradus et partes, quasi palaestrici certaminis (cf. Quint. 12, 2, 12: *et ut palaestrici doctores illos, quos numeros vocant, non idcirco discentibus tradunt*, ut e. q. s. 10, 1, 4: *athleta, qui omnes iam perdidicerit a praeceptore numeros*), quarum conexus et iuncturas appellat *rationes*. Itaque nihil novi adfertur verbis *servato ordine disputationis*, quae tamen addita sunt, quia scriptoris plurimi interest, ne quis de origine libri sui perperam iudicet. 14. *enim]* "Nihil eorum, quae in illo doctissimorum hominum sermone audivi, silentio me esse praetermissurum ideo opus fuit affirmare, quoniam ea quoque repetiturus sum, quae ad rem ipsam, i. e. ad causas corruptae eloquentiae, non pertinent." — *quoque* adnexum ei vocabulo, cuius summa in hac sententia vis est, iungendum est cum subiecto verbi *defuit*, quod continetur verbis *qui — susciperet*.

temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferret. (2) nam postero die quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat, cum offendisse potentium animos diceretur, tamquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset, eaque de re per urbem frequens sermo haberetur, venerunt ad eum M. Aper et Iulius Secundus, celeberrima tum ingenia fori nostri, quos ego in iudiciis non [utrosque] modo studiose audiebam, sed domi quoque et in publico assectabar mira studiorum cupiditate et quodam ardore iuvenili, ut fabulas quoque eorum et disputationes et arcana semotae dictionis penitus exciperem, quamvis maligne plerique opinarentur nec Secundo promptum esse sermonem, et Aprum ingenio potius et vi naturae quam institutione et litteris famam eloquentiae consecutum. nam et Secundo purus et pressus et, in quantum satis erat, profluens sermo non defuit, et Aper omni eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat, tamquam maiorem industriae et laboris gloriam habiturus, si ingenium eius nullis alienarum artium adminiculis inniti videretur.

1. *anteferrent* B. — 3. *tamquam non in* Sauppe. — 4. *habetur* C. — 6. *[utrosque]* Ritter (*ego utrosque in iudiciis non modo* Schopen). — 13. *omni* C: *cū* AB *communi* Rhenanus. — 15. *inniti* syll. *in* supercr. *ad* AB. —

1. *nam postero die quam]* imitatur Ciceronem, cuius haec sunt verba in simili exordio de orat. 2, 3, 12: *Postero igitur die quam illa erant acta.* — 2. *Curiatius Maternus]* De huius ingenio, scriptis, vita non aliunde quidquam constat quam ex hoc Dialogo, nisi quod Cassius Dio 67,12 ad a. 94, Domitiani XIV: *Μάτερνον δὲ σοφιστὴν ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι, ἀπέκτεινε.* Cum ex hoc loco tum ex partibus in hoc Dialogo Curiatio Materno assignatis quid collegerim, ex prooemio eius editionis intelleges, quam a. 1872 Lipsiae apud Teubnerum in lucem edidi. — *cum offendisse* e. q. s.] recitata Catone tragoedia eadem libertate (a qua suam aetatem degenerasse queritur c. 27. extr.) potentium animos offendit, qua brevi ante mortem suam Domitianum sibi inimicum fecit. — 3. *tantum Catonem*] "penitus se in Catonis Uticensis generosos ac liberrimos sensus insinuasset hosque fideliter expressisset, periculum, quod inde sibimet ipsi oriri poterat (vel sub Vespasiano) minime curans." (Plin. Ep. 4, 2, 2: *Incredibile; sed Regulum cogita,* id est, "Reguli mentem induo." Doed. Adde Frontonis Epist. ad. M. Caes. 2, 10 (ed Nab. p. 34) *merito unum hominem cogito.* — 5. *M. Aper]* Huius nusquam nisi in hoc Dialogo mentio fit. De ingenio, studiis, vita eius edocemur eis maxime quae liberrime profitetur c. 5—10. Huius acerrimo ingenio ac securae, ut ita dicam, temeritati contraria est *Iulii Secundi* insignis quaedam modestia ac sollicitudo, quae ubicumque verba facit (c. 3. 5. 14) conspicua est. De quo Quintilianus 10, 1, 120: *Iulio Secundo si longior contigisset aetas, clarissimum profecto nomen oratoris apud posteros foret. Adiecisset enim atque adiciebat ceteris virtutibus suis, quod desiderari potest. Id est autem, ut esset multo magis pugnax.* 10, 3, 12: — *Iulium Secundum illum, aequalem meum atque a me, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitae tamen curae* —. — 6. *utrosque,* quod, quo loco in codicibus legitur, ferri non potest, uncis inclusimus cum Rittero potius quam cum Schopeno transposuimus; nihil enim opus est illo vocabulo ad absolvendam sententiam. — Ceterum plurali similiter utitur Tacitus Ann. 11, 1, 4. 12, 15, 5. 15, 41, 13. 55, 21. 63, 11. 71, 17. 16, 7, 8. 11, 11. 21, 3. — 8. *fabulas]* quotidianos de rebus fere levioribus sermones; *disputationes* de rebus ad eloquentiam, philosophiam, litteras spectantibus (qualis hic de oratoribus dialogus); *arcana* autem *semotae dictionis* declamatorio studio (c. 14 med.) continentur, cui se ita dederunt illi oratores, ut coram paucissimis auditoribus iisque intimis amicis, antequam causas publice perorarent aut declamationes pluribus recitarent, velut in secreto eas cum his communicarent, ut perceptis familiarium iudiciis atque consiliis emendarent quae composuerant. 11. *nam]* ad verbum *maligne* refertur ac refutat falsam istam opinionem.—12. *purus]* sermo vere latinus, qui nihil peregrini ac barbari admixtum habet. (Cic. de orat. 3, 8, 29: *oratione Catuli, quae est pura sic, ut latine loqui paene solus videatur.)* — *pressus]* crebrior sententiis quam verbis: *is dicendi modus, ut nec quod desit in eo nec quod redundet invenias.* Quint 10, 1, 76. —*profluens]* copiosus atque expeditus, non sollicite et anxie verba quaerens. Hoc autem membro refutat maligni illius iudicii verba *nec — promptum* e. q. s., ita tamen ut verbis *in quantum satis erat* additis Secundo copiam verborum si non defuisse, attamen non superfuisse confiteatur. — 13. *omni eruditione]* cf. c. 10 a. m.: *omnem eloquentiam omnesque eius partes.* — *contemnebat potius* e. q. s.] Similia de Crasso et Antonio exponit Cic. de Orat. 2, 1, 4. — 14. *industriae et laboris]* in declamatorio studio consumpti. — 15. *alienarum — adminiculis*] horum vocabulorum utrumque ex Apri sententia expressum aliquantum habet contemptus (similiter *Graeculorum* c. 3 extr.). Nam si, quod ipse sensit, significare voluisset scriptor, *aliarum* potius quam *alienarum* scripsisset. —

(3) igitur ut intravimus cubiculum Materni, sedentem ipsumque quem pridie recitaverat librum inter manus habentem deprehendimus.

Tum Secundus 'Nihilne te' inquit', Materne, fabulae malignorum terrent, quo minus offensas Catonis tui ames? an ideo librum istum apprehendisti, ut diligentius rectractares, et sublatis si qua pravae interpretationi materiam dederunt, emitteres Catonem non quidem meliorem sed tamen securiorem?'

Tum ille 'Leges', inquit 'si libuerit, et agnosces quae audisti. quodsi qua omisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi. atque ideo maturare libri huius editionem festino, ut dimissa priore cura novae cogitationi toto pectore incumbam.'

'Adeo te tragoediae istae non satiant' inquit Aper 'quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix suffeceris, etiam si non novum tibi ipse negotium importasses, *ut* Domitium et Ca-

1. *ipsumque quem* Fa. Rs. Leipz. Lit. Ztg. 1833 p. 1898: *ipsum quem* ABC. — 2. *inter* Cuiacius: *intra* ABC. — 5. *retrectares* B. — 8. *inquit 'si libuerit* Nipperdey: *tu* (om. C) *quid Maternus sibi debuerit* ABC, *inquit 'quid Maternus sibi debuerit* Halm (*leges tu quae audisti, et agnosces, quid Maternus sibi debuerit* Aemilius Baehrens Mus. Rhen. 31, 309—312). — 9. *emisit* B suprascr. *o*; *misit* C. — 16. *sufficeres* Puteolanus. — 17. *imposuisses* (vel *imperasses*) Acidalius *inrogasses* Baehrens, Mus. Rhen. 31, 146—147. — *ut* add. Niebuhr.

1. *ipsumque quem*] Sic et verissime et facillime emendatum est. Nam et *ipsum* ad *librum* referendum esse nec asyndeton ferri posse manifestum est. — 2. *inter manus*] sic Tac. Ann. 3, 16, 1 *visum inter manus Pisonis libellum.* Plin. Ep. 2, 5, 2 *nihil enim adhuc inter manus habui.* 5, 5, 7. *intra manus*, quod Cuiacius emendavit, latinum non est. — 4. *quo minus*] De hac coniunctione verbo terrendi vel deterrendi adnexa cf. Heraeus ad Hist. 1, 40, 11. — *offensas* e. q. s.] "quamvis malignorum fabulis distrahare, qui te inanem laudem defensae libertatis captasse dicunt, tamen singulari amore liberas voces viri tanta laude a te celebrati amplecteris. — *ames*] Sic Ovid. Trist. 4, 1, 30: *et carmen demens, carmine laesus, amo.* Fronto epist. ad M. Caes. 2, 10: (ed. Nab. p. 34) *amo illos* (hexametros meos). — 7. *securiorem*] "minus iam periculosum nec pravis interpretationibus obnoxium". Hist. 1, 1: *uberiorem securioremque materiam.* — 8. *'leges' inquit 'si libuerit'*] sic Nipperdeius elegantissima emendatione. Qui nuperrime de hoc loco disputavit, Halmius (Mus. Rhen. 28, 499) nec *leges* idem esse quod 'legendo intelleges', nec verba *si libuerit* familiari amico indigna esse probavit. — 9. *Thyestes*] "huius tragoediae una alterave persona, quae in tyrannidem regumque scelera acriter invehetur." Nota simul et Senecam et Maternum in animum induxisse in Thyeste ipsi L. Vario et in Medea Ovidio aemulari. — 10. *intra me*] cf. Quint. 11, 3, 2: *neque tam refert, qualia sint, quae intra nosmet ipsos composuimus, quam quomodo efferantur.* — *maturare*] "perficere, ad finem perducere." Nulla igitur tantologia. Insolentius Ovidius ex P. 1, 5, 18: *mensque pati durum sustinet aegra nihil.* — 12. *incumbam*] *incumbere* cum dativo usitatum est scriptoribus argenteae aetatis. Quint. 9, 3, 1: *paene iam, quidquid loquimur, figura est, ut — incumbere illi, non in illum.* Ceterum similiter Ovidius ex P. 3, 1, 39: *pectore te toto cunctisque incumbere nervis.* Cic. ad. fam. 10, 10, 2. — 13. *quominus*] haec particula referenda est ad verbum *satiant*, in quo latet notio deterrendi; satietate enim ac taedio deterreri et prohiberi solemus, ne in eodem studio perseveremus. Poterat etiam *ut* scribi, nihil immutata sententia; praecedit enim *adeo* particula. — 14. *circa*] ex argenteae aetatis usu, cf. c. 28 med. — 17. *importasses*] pro vulgaribus *imposuisses*, *imperasses* (sic Acidalius), *iniunxisses.* Haud dissimiliter Cic. de off. 2. 5, 18: *importare alicui incommodum.* pro Sest. 69, 146: *importare alicui calamitatem.* Liv. 39, 14: *ne quid eae coniurationes — periculi importarent.* — *Domitium*] L. Domitium Ahenobarbam intellegere videtur, acerrimum Caesaris inimicum, qui in acie Pharsalica cecidit (Cic. ad Fam. 6, 21, 1); persona utique apta, quae in tyrannidem declamaret. De eo cf. Lucan. 2, 479. 7, 602: *victus toties a Caesare, salva Libertate perit.*

tonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina Graeculorum fabulis aggregares.'

(4) Et Maternus 'Perturbarer hac tua severitate, nisi frequens et assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset. nam nec tu agitare et insequi poetas intermittis, et ego, cui desidiam advocationum obiicis, quotidianum hoc patrocinium defendendae adversus te poeticae exerceo. quo laetor magis oblatum nobis iudicem, qui me vel in futurum vetet versus facere, vel, quod iam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat ut omissis forensium causarum angustiis, in quibus mihi satis superque sudatum est, sanctiorem illam et augustiorem eloquentiam colam.'

(5) 'Ego vero' inquit Secundus 'antequam me iudicem Aper recuset, faciam quod probi et moderati iudices solent, ut in iis cognitionibus *se* excusent, in quibus manifestum est alteram apud eos partem gratia praevalere. quis enim nescit neminem mihi coniunctiorem esse et usu amicitiae et assiduitate contubernii quam Saleium Bassum, cum optimum virum tum absolutissimum poetam? porro si poetica accusatur, non alium video reum locupletiorem.'

'Securus sit' inquit Aper 'et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae et carminum gloriam fovet, cum causas agere non possit. ego enim, quatenus arbitrum litis huius † inveniri, non patiar Maternum

1. *graecorum* B. — 10. *illam* C: *istam* AB. — *angustiorem* C. — 13. *modesti* C. — *his* AB. — *cognitionibus* Ab: *cogitationibus* BC. — *se* add. Pithoeus. — 16. *Saleium* C b in marg.: *Salerum* A *Galeriū* B suprascr. S. — 19. *Salerius* B. — *alium* C. — 20. *ego* Pithoeus: *et ego* ABC. — 21. *inveni* Pithoeus *nurat inveniri* Ribbeck (*nego enim arbitrum l. h. inveniri, quatenus non patiar* Baehrens) — *sotietate* C *solicite* b in marg.

3. *Et Maternus*] ut c. 16. 33. "In narratione transeunt Latini per *et* ad alteram partem, ubi Graeci ponunt *δέ*. Idque fit praesertim in colloquiorum expositione, ubi responsio per hanc particulam infertur." Hand Turs. II p. 490. — *hac tua*] frequenter invenitur in Dialogo pronomen *hic* cum possessivo aliquo pronomine coniunctum: c. 10. 13. 16 (ter). 21. 26. — 5. *agitare*] pro vulgari *exagitare*, ut Cic. pro Mur. 9, 21: *agitat rem militarem, insectatur totam hanc legationem.* Quint. 12, 8, 9 *agitandus omnibus modis* — (litigator). — 6. *defendendae poeticae*] genetivus gerundivi epexegeticus substantivo *patrocinium* additus. Similia exempla congessit Hoffmannus, Ann. philol. et paed. 109—110. p. 545—557. — 9. *compellat*] idque non optabat solum, sed etiam sperare licuit; Secundus enim, quem Maternus arbitrum studiorum suorum esse cupit, intimus fuit amicus Salei Bassi, clarissimi poetae. — 10. *sanctiorem illam et augustiorem*] Duo haec epitheta iungit aliquoties etiam Cicero: Nat. D. 1, 42, 119: *Eleusinem sanctam illam et augustam.* 2, 24, 62. 3, 21, 53. Tusc. 5, 13, 37. Walther. De pronomine *illam* vide quae disputavi in editione mea a. 1872. Krit. Anhang p. 70. — 13. *se excusent*] est locutio ex iuris consultorum sermone deprompta. Iudicis enim est, ob alterius partis gratiam iudicium oblatum ultro spernere. — 16. *Saleium Bassum*] cf. Quint. 10, 1, 90: *vehemens et poeticum ingenium Salei Bassi fuit nec ipsum senectute maturum.* Iuv. 7, 80: *tenuique Saleio.* Schol. Iuv. 1. 1.: *Serranus, Saleius, Statius nomina sunt poetarum pauperum.* A Vespasiano (c. 9. s. f.) quingentis sestertiis donatus est. — 17. *porro*] idem fere hoc loco quod *ceterum*: "Saleium Bassum ut familiarissimum mihi esse fateor, ita in hoc quidem iudicio reum esse cupio." — 18. *reum locupletiorem*] Liv. 9, 9, 18: *Samnitibus sponsores nos sumus rei satis locupletes in id, quod nostrum est* e. q. s. Formata est dictio ad analogiam v. *testis locuples* (Cic. Off. 3, 2, 10): "Saleius Bassus ut et optimus vir et absolutissimus poeta praeter ceteros videtur esse idoneus, qui tamquam omnium poetarum orator et ipsius poeticae propugnator accusationem poeticae intendendam in se suscipiat." — 21. *quatenus*] ut c. 19 in. particula causalis pro *quoniam, quandoquidem* iam apud Lucretium et Horatium Sat. 1, 1, 64. 3, 76; apud Tacitum Ann. 3, 16 (cf. Nipp.) — *inveniri*] Pithoei emendationem *inveni* a plerisque receptam propterea aspernatus sum, quoniam Aper credi non potest dicere eum se arbitrum litis illius invenisse, qui arbitrum se extiturum esse negaverit. cf. Emendationes meas p. 134. Conieci autem: *inveniri non puto.* — 1. *societate plurium defendi*] Ad sententiam cf. Hist. 2. 52: *inter multos societate culpae tutior*

societate plurium defendi, sed ipsum solum apud se coarguam, quod natus ad eloquentiam virilem et oratoriam, qua parere simul et tueri amicitias, adsciscere necessitudines, complecti provincias possit, omittit studium, quo non aliud in civitate nostra vel ad utilitatem fructuosius *vel ad voluptatem dulcius* vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest. nam si ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra dirigenda sunt, quid est tutius quam eam exercere artem, qua semper armatus praesidium amicis, opem alienis, salutem periclitantibus, invidis vero et inimicis metum et terrorem ultro feras, ipse securus et velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus? cuius vis et utilitas rebus prospere fluentibus aliorum perfugio et tutela intellegitur: sin proprium periculum increpuit, non hercule lorica et gladius in acie firmius munimentum quam reo et periclitanti eloquentia praesidium simul ac telum, quo propugnare pariter et incessere sive in iudicio

1. *plurium* Pithoeus: *plurimum* ABC. — *sed et ipsum* b. — *apud se coarguam* nos, emend. Tac. qui fertur dial. de orat: Acta soc. philol. Lips. ed. Fr. Ritschelius. Tom. I. p. 134 sq.: *apud eos arguam* ABC *apud vos arguam* Lipsius *apud eum arguam* Spengel *apud te coarguam* Weissenborn *apud te o Secunde arguam* Meiser *apud te Secunde arguam* Ribbeck. — 2. *quae* BC. — 3. *necessitates* AB *nationes* b. — *omittit* Rhenanus: *amitti* ABC. — 5. *vel ad voluptatem honestius* (*dulcius* Ritter *iucundius* vel *suavius* Classen) inseruit Schulting. — 7. *fataque* AC. — 8. *per nostra* AC. — *utilius* Acidalius. — 10. *feras* Lipsius: *ferat* ABC. — 11. *quadam velut* B. — 12. *profugio* AB *praesidio* b. — 13. *irrepat* b. — *lorica et* Seebode: *loricae* ABC *lorica aut* Rhenanus. — 15. *sive* Muretus: *vel* ABC. —

1. *apud se coarguam* "idem mihi et reus et iudex erit". Spengelii Weissenbornii Meiseri Ribbeckii coniecturae spernendae sunt, quia Secundus iudicis munus repudiavit. Nec qui intellegendi sint *vos* illi, quos Lipsius posuit, satis apparet. — 2. *virilem et oratoriam*] ceterae enim partes et genera eloquentiae (c. 10 med.) oratoris eloquentia longe sunt inferiores. — 3. *necessitudines*] Gell. 13, 3, 1: *necessitas vis quaepiam premens et cogens; necessitudo autem—ius quoddam et vinculum religiosae coniunctionis.* — *complecti*] "patrocinium suscipere provinciarum praesertim in repetundarum causis, etiam in principum munificentia post magnas calamitates, quibus afflictae sunt, imploranda." — 5. *vel ad voluptatem dulcius*] certissimum supplementum, nisi quod de adiectivo dubitari potest. Hoc enim loco quasi partitio quaedam laudum, quae secuntur, continetur. Nam de *utilitate* eloquentiae Aper usque ad c. 6, de *voluptate* usque ad c. 7 *gratia venit*, de *dignitate* et *fama* usque ad c. 9 disserit. — 8. *quid est tutius*] comparant Cic. de orat. 1, 8, 32: *Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium quam tenere semper arma quibus vel tectus ipse esse possis vel provocare improbos vel te ulcisci lacessitus?* — 10. *feras*] Hanc Lipsii emendationem (qua qui opus non esse putant, participium *armatus* subiectum verbi *ferat* esse dicunt, simili fere modo, quo Tacitus scripsit Ann. 1, 74: *dedit exemplum, quod secuti — perniciem aliis ac postremo sibi invenere*), commendat etiam Ciceronianus locus modo allatus. — 11. *velut quadam*) hanc collocationem omnes codices praebent c. 30 med., c. 39 med. — *potentia ac potestate*] Simillime c. 11 med. *notitiae ac nominis*. c. 17 extr: *coniungere et copulare*. Scite notat Klossmannus in Prolegg. in Dial. de or. Vratisl. 1819, in oratione Apri, viri in scholasticis controversiis exerciti, cumulari etiam magis quam in ceteris homonyma. Sic c. 5 *metum et terrorem. perfugio et tutela.* 6 *libero et ingenuo. novam et recentem.* 8 *tueri et defendere. numen et caelestis vis. divitiae et opes.* 9 *carmina et versus.* — 12. *rebus prospere fluentibus*] cf. Cic. Off. 1, 26, 90: *in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus.* Tac. Ann. 15, 5: *nec praesentia prospere fluebant.* Hist. 3, 48. — 15. *sive in iudicio* (i. e. in iudiciis centumviralibus. c. 7 p. in.) *sive — sive*] sic simplicius Muretus quam Nipperdeius (*vel — vel — sive*), qui, quod in libris sit, ferri non posse ostendit Mus. Rhen. vol XIX p. 271. —

sive in senatu sive apud principem possis. quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam suam opposuit? qua accinctus et minax disertam quidem sed inexercitatam et eiusmodi certaminum rudem Helvidii sapientiam elusit. plura de utilitate non dico, cui parti minime contradicturum Maternum meum arbitror. (6) ad voluptatem oratoriae eloquentiae transeo, cuius iucunditas non uno aliquo momento sed omnibus [prope] diebus ac prope omnibus horis contingit. quid enim dulcius libero et ingenuo animo et ad voluptates honestas nato quam videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum? idque scire non pecuniae, non orbitati, non officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari? ipsos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent. ullane tanta ingentium opum ac magnae potentiae voluptas quam spectare homines veteres et senes et totius orbis gratia subnixos in summa rerum omnium abundantia confitentes id quod optimum sit se non habere? iam vero qui togatorum comitatus et egressus! quae in publico species! quae in iudiciis veneratio! quod gaudium consurgendi adsistendique inter tacentes et in unum conversos! coire populum et circumfundi coronam et accipere affectum

1. *sive in] vel in* Nipperdey. — 2. *Eprius* b: *prius* A C *Eprius* suprascr. *pro* B. — *qua* Ursinus: *qui* ABC. — 4. *partim* A. — 6. *iocunditas* C: *iucunditatis (ioc.)* AB. — 7. *[prope]* nos. — *horis] locis* Baehrens. — 10. *neque officii* C. — 11. *'administrationis* A C. — *ipsos] istos* A B *illos* C. — 14. *veteres* del. Acidalius. — 15. *urbis* Pithoeus. — *sonixos* A. corr. a. — *suma* B. — 18. *quod* Puteolanus: *quod id* ABC *quod ibi* Ritter *quid? quod* nos olim. — 19. *coronam* Acidalius: *coram* ABC. —

2. *Eprius Marcellus*] Quae hoc loco de Eprii Marcelli et Helvidii Prisci certamine commemorantur, Tacitus narrat Hist. 4, 43. De Eprio Tac. Ann. 16, 22: *acri eloquentia*. 16, 29: *cum per haec atque talia, — ut erat torvus ac minax, voce, vultu, oculis ardesceret* Hist. 4, 6. — 4. *sapientiam*] Stoicus erat (Tac. Hist. 4, 5.) — *elusit*] "callide declinavit ac frustratus est;" imagine a gladiatore desumpta (cf. Heraeus ad Hist. 1, 26, 11). — 6. *non uno aliquo momento*] poetae enim carmina sua *gaudium* parant *volucre* (c. 9 p. m.). — 7. *prope*] ut per errorem bis scriptum hic seclusimus. Causas protulimus in Emendationibus p. 170. — 8. *ad voluptates honestas nato*] Similiter c. 5 a. m.: *natus ad eloquentiam virilem et oratoriam*. c. 10 med: *ad pugnam natos lacertos*. — 10. *non pecuniae*] oratores enim divites esse solent. Marcelli et Crispi quantae fuerint divitiae, c. 8 p. in. narratur. — non *orbitati*] orborum enim gratiam captabant, spe hereditatis. — *officii*] publici muneris, ut Ann. 3, 12: *officii terminos*. Agr. 14. 19: *officiis et administrationibus*. — 11. *quin immo*] secundum in enuntiato locum tenet, ut c 34. 39, ac saepe *quin etiam* in historicis Taciti libris. — 13. *tanta-quam*] pro *quanta*, sicut apud Ter. Hecyr. 3, 4, 3: *non-verbis-dici potest tantum quam re ipsa*. Liv. 26, 1, 3: *non ab ira tantum — quam quod urbs*. — 14. *spectare*] inest in hoc verbo voluptatis notio, qua perfunduntur qui suis virtutibus opes atque potentiam pepererunt. — *veteres et senes*] *veteres* i. e. multarum rerum usu corroborati, *senes* i. e. aetate et annis venerabiles. — 15. *orbis*] codicum scriptura satis defenditur c. 5: *vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius*. c. 8: *non minus illustres esse in extremis partibus terrarum*. — *gratia subnixos*] cf. Ann. 13, 6: *pecuniosum et gratia subnixum*. — *in summa rerum omnium abundantia*] cf. Cic. Brut. 93, 320: *in omnium rerum abundantia*. — 16. *togatorum*] *togati* h. l. tamquam honestiores opponuntur *tunicato populo* (c. 7 s. f.), i. e. tenui loco ortis atque vulgo adnumerandis homines igitur satis conspicui comitantur oratorem in forum vel usque ad curiam, rursusque eum domum deducunt e basilicis vel inde a limine curiae (*egressus*, cf. Ann. 11, 12. 12.). —

quemcunque orator voluerit! vulgaria dicentium gaudia et imperitorum quoque oculis exposita percenseo: illa secretiora et tantum ipsis orantibus nota maiora sunt. sive accuratam meditatamque profert orationem, est quoddam sicut ipsius dictionis, ita gaudii pondus et constantia; sive novam et recentem curam non sine aliqua trepidatione animi attulerit, ipsa sollicitudo commendat eventum et lenocinatur voluptati. sed extemporalis audaciae atque ipsius temeritatis vel praecipua iucunditas est. nam *in* ingenio quoque, sicut in agro, quamquam † alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur. (7) equidem, ut de me ipso fatear, non eum diem laetiorem egi quo mihi latus clavus oblatus est, vel quo homo novus et in civitate minime favorabili natus quaesturam aut tribunatum aut praeturam accepi, quam eos quibus mihi pro mediocritate huius quantulaecunque in dicendo facultatis aut *apud patres* reum prospere defendere aut apud centum-

1. *quemcunque* C: *quandocumque* AB (cf. p. 142, v. 7.) *quacumque* b in marg. — *voluerit* nos: *induerit* C *indueret* AB *induxerit* b *imbuerit* Halm. — *vulgaria* Halm: *vulgata* ABC. — 2. *ipsi oranti* b. — 3. *maiora sunt* del. Acidalius. — *perfert* C. — 5. *animi* Pichena: *animus* ABC. — 8. *in* (ante *ingenio*) add. b Pithoeus. — *alia* AB om. C: *potiora* (sine *diu*) Halm *utilia* (vel *utiliora*) *quae serantur* Ernesti *solidiora serantur diuque elaborentur* Hofmann-Peerlkamp *solidiora quae seruntur atque elaborantur* nos. — 10. *ipse* B. — 14. *apud patres* supplevit Michaelis (*aut apud patres-defendere* transponit Ribbeck post *feliciter orare* delens idem verba *et defendere* p. 96, 2). —

1. *voluerit*] De hac coniectura cf. Emend. meas p. 108. Cic. de orat. 1, 19, 87 *et ut ei qui audirent sic afficerentur animis, ut eos affici vellet orator.* Brut. 49, 185: *ut ei qui audiunt ita afficiantur ut orator velit.* Librorum scriptura parum defenditur eis quae Tacitus scripsit Hist. 4, 57: *Galbam et infracta tributa hostiles spiritus induisse.* — 2. *illa*] cf. Cic. ad fam. VI, 1, 7: *sed haec longiora fortasse fuerunt quam necesse fuit: illa quae maiora sunt brevius exponam.* VI, 3, 4: *sed haec consolatio levis est: illa gravior, qua te uti spero.* — 4. *pondus et constantia*] pro constanti et aequabili pondere. Doed. *Pondus* autem h. l. rhetorum sermone, in quo significat sententiarum ipsorumque verborum gravitatem, transfertur ad animi affectum, ut sit "gaudium solidum semperque durans." — 5. *novam et recentem*] Saepe haec adiectiva iunguntur, ut Hist. 4, 65, 15. Kritz ad Sall. Iug. 75, 8: "*Novum* dicitur, quod, cum antea non esset, nunc extitit atque est: *recens* nuper demum et ex brevi tempore esse coepit; illud rem designat inusitati et insoliti *generis* a prioribus et antea cognitis diversam, hoc tantummodo ad *tempus* pertinet et nihil aliud indicat quam non multum temporis effluxisse, ex quo aliquid factum sit." Hoc tamen loco (ut c. 8 in.) minus perspicuum est discrimen illud aliis exemplis sat confirmatum. — *curam*] Sic Taciti aetate vocabant orationem vel librum accurate elaboratum. Tac. Ann. 3, 24, 11. — *attulerit*] Fut. ex., nam coniunctivo nullus hic locus. Quamquam Nipperdeius (ad Ann. 2, 38, 9) *attulit* scribi mavult. — 6. *lenocinatur*] "gratiorem reddit et auget voluptatem." Similiter Germ. 43: *insitae feritati arte ac tempore lenocinantur.* — *extemporalis audaciae*] Sic Quint. 10, 6, 6: *alioqui vel extemporalem temeritatem malo.* — 8. *quamquam*] locus manifesto corruptus, de quo vide Emendat. meas p. 109. Equidem nec *alia* nec *diu* nec coniunctivos qui sequuntur, defendi posse ratus audaciore remedio opus esse putavi, ut cum perspicuitatem tum aequabilitatem sermonis restituerem. — 10. *de me ipso*] Cic. Cat. m. 9, 30: *nihil necesse est mihi de me ipso dicere.* Ibid. 23, 82. Off. 2, 19, 67: *ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri.* — 11. *latus clavus*] quo senator factus sum, cuius insigne *latus clavus*, tunica purpurâ late cincta. — 12. *favorabili*] quippe qui Gallus esset (c. 10). Galli autem exceptis primoribus Galliae Narbonensis ius honorum sub Claudio demum adepti sunt. Ann. 11, 23. Vides sane hinc vel sub Vespasiano difficilius fuisse honores obtinere hominibus Gallicae stirpis quam iis qui ab Italis descenderant. *Favorabilis* est "cui favetur, qui aliorum favore gaudet", ut ter praeterea apud Tacitum (Ann. 2, 36, 16. 12, 6, 1. Hist. 2, 97, 12. cf. Nipperdey ad Ann. 2, 36.) Spalding ad Quint. 4, 1, 21: "*Favorabilis* saepe apud Quintilianum aliosque sub Caesaribus dicitur idem fere qui *gratiosus* apud priores." (Doederlein transitive explicat: "qui favori conciliando idoneus est", quod nescio an verius sit). — 14. *apud patres*] huius supplementi fides cum re ipsa tum simillimo loco nititur, qui legitur c. 5 extr: *sive in iudicio sive in senatu sive apud principem.* — *apud centumviros*] in iudiciis centumviralibus, proprie CV iudicum, ternorum e singulis tribubus XXXV, qui de causis civilibus iudicabant, quales enumerat Cic. de Orat. 1, 38, 173. Sub imperatoribus autem, ut ait infra c 38, *causae centumvirales primum obtinebant locum.* —

viros causam aliquam feliciter orare aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur. tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor, tum habere quod † si non in alio oritur, nec codicillis datur nec cum gratia venit. quid? fama et laus cuius artis cum oratorum gloria comparanda est? quinam illustriores sunt in urbe non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud vacuos et adolescentes, quibus modo et recta indoles est et bona spes sui? quorum nomina prius parentes liberis suis ingerunt? quos saepius volgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et digito demonstrat? advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt. (8) ausim contendere Marcellum hunc Eprium, de quo modo locutus sum, et Crispum Vibium

1. *ipsum* Spengel. — 2. *procuratores principis* idem. — 3. *habere* Pithoeus: *abire* ABC. — 4. *in alio* ABC: *in animo* Freinsheim *in nobis* Schopen *intus* Usener *ingenio* Seebode (*in natali oboritur* Doederlein *quod sola indole oritur* Ribbeck) — *in codicillis* b. — *[cum]* Acidalius (*nec pecunia aut gratia venit* Ribbeck *nec opum gratia venit* Baehrens). — 5. *quinam illustriores* Orelli: *qui non illustres* ABC *qui tam illustres* Bötticher. — 6. *sunt* Schopen: *et* ABC. — 7. *vacuos* B: *iuvenes* AC. — *modo]* *morum* b. — *et recta* B (*et* B s. l. addidit): *recta et* AC. — *sit* Michaelis. — 8. *nomina* Cb: *nō* AB. — 10. *vocat* B, b supra versum add. *notat.* — 11. *coloniis et provinciis* Nipperdey. — 12. *vultus* Acidalius *vultu* Halm. — 13. *Eprium* b: *eproprium* ABC. — *bibium* B *Vibum* C. —

2. *procuratores*] concussionum, repetundarum reos. Sic apud Plin. Ep. 6, 31, 8 Eurythmus, *Caesaris libertus et procurator*, accusatur et defenditur coram Traiano — *tueri et defendere*] Homonyma haec, notante Wopkensio, iunguntur etiam a Cicerone ad Fam 13, 64, 1. de orat. 1, 38, 172 Tac. Germ. 14. — *datur*] Similiter Tac. Ann 3, 67. *neque refellere aut eludere dabatur* 4, 60: *neque Neroni defendere daretur.* — 3. *si non in alio*] Locus est corruptus needum ulla criticorum coniectura integritati restitutus. Sententiam hanc fere fuisse arbitror quod non natalibus paritur. Nam ne *si* quidem servari posse puto. — 4. *codicillis*] cf. Agr. 40: *codicillos, quibus ei Syria dabatur.* — *quid?*] hoc pronomine, quod interrogatio sequi solet, transitus paratur ad id quod vel maius vel summum est. — 5. *quinam illustriores*] sic rectius Orellius quam Boetticherus. Neque enim solum interrogationem sed etiam comparativum restitui concinnitas sermonis et sequentium interrogationum similitudo iubet. — 7. *apud vacuos*] *vacui* (i. e. *otiosi* cf. Hist. 1, 80, 4) opponuntur *negotiosis*. Qui autem hanc significationem haud norat, substituit *iuvenes* — 8. *ingerunt*] ut nos *beibringen*. cf. Heraeus ad Hist. 4, 78, 1. — 9. *tunicatus hic populus*] ut Hor. Epp. 1, 7, 65: *Volteium — vilia vendentem tunicato scruta popello*; sunt infimae sortis homines, tunica tantum, non toga induti; sic *pullatum circulum* opponit *erudito* Quint. 2, 12, 10. *sordidos pullatosque* iungit Plin. Ep. 7, 17, 9. Praeterea Tac. Agr. 43 *vulgus quoque et hic aliud agens populus.* — 10. *digito demonstrat*] Hor. Carm. 4, 3, 22: *monstror digito praetereuntium.* Pers. 1, 28: *At pulchrum est digito monstrari et dicier: hic est.* Sic item Graeci sensu honorifico δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ. Lucian. Somn. 11. Anach 36. — 11. *auditos*] cf. Ovid. met. 6, 170: *Quis furor auditos, inquit, praeponere visis Caelestes?* Nipperdey ad Ann 4, 23, 4. — 12 *agnoscere*] Ecksteinius: „peregrini effigiem aliquam oratorum ex rumoribus ad se perlatis sibi finxerunt, quam posteaquam in urbem advenerunt agnoscere student.“ — 13 *Crispum Vibium*] De hoc potentissimo delatore inspice infra c. 13. Ann. 14, 28. H 2, 10: *pecunia potentia ingenio inter claros magis quam inter bonos.* 4, 41. 43. Satis clementer de eo iudicat Iuv. 4, 81: *Venit et Crispi iucunda senectus, Cuius erant mores, qualis facundia, mite ingenium* e. q. s. De eius facundia Quint. 10, 1, 119: *Vibius Crispus compositus et iucundus et delectationi natus, privatis tamen causis quam publicis melior.*

(libentius enim novis et recentibus quam remotis et oblitteratis exemplis utor) non minus *illustres* esse in extremis partibus terrarum quam Capuae aut Vercellis, ubi nati dicuntur. nec hoc illis *alterius bis* alterius ter milies sestertium praestat, † quamquam ad has ipsas opes possunt videri eloquentiae beneficio venisse, † ipsa eloquentia; cuius numen et caelestis vis multa quidem omnibus saeculis exempla edidit, ad quam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint, sed haec, ut supra dixi, proxima et quae non auditu cognoscenda, sed oculis spectanda haberemus. nam quo sordidius et abiectius nati sunt quoque notabilior paupertas et angustiae rerum nascentes eos circumsteterunt, eo clariora et ad demonstrandam oratoriae eloquentiae utilitatem illustriora exempla sunt, quod sine commendatione natalium, sine substantia facultatum, neuter moribus egregius, alter habitu quoque corporis contemptus, per multos iam annos potentissimi sunt civitatis ac, donec libuit, principes fori, nunc principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta atque ab ipso principe cum quadam reverentia diliguntur, quia Vespasianus,

2. *non minus illustres esse* Ribbeck: *non minus esse* ABC *non minus notos esse* Ursinus *non minus esse notos* Lipsius *notos non minus esse* Sauppe. — 3. *alterius bis* add. Pichena. — 4. *quamquam] quin* nos *(quoniam ad-venisse)* Baehrens. — 5. ante *ipsa* Lipsius add. *sed;* verba *ipsa eloquentia* del. b. — 6. *hominibus* C. — *ad quantam* Acidalius. — 9. *habemus* b. — *quosque* AC. — 10. *angustiae rerum* Lipsius: *angustia ereptum* ABC *angustia parentum* b. — 11. *nobilitatem* Acidalius *dignitatem* Spengel. — 14. *ac* om. C. — 15. *principes* post *nunc* delet Helmreich, Blätter f. d. bayr. Gymn. X. — *geruntque* Moser *reguntque* Hofmann-Peerlkamp *vertuntque* Bursian. —

2. *illustres*] ut c. 7 med.: *quinam illustriores sunt.* — *Capuae*] Uter Capuae, uter Vercellis natus sit, non constat. — 3. *alterius bis*] De hoc supplemento satis certo cf. schol. Iuv. 4, 81. Friedländer Ind. lectt. Regim 1861/2 p. 4. Quam lucrosae autem sub Nerone fuerint delationes, monstrat Ann. 16, 33, ubi pro Thraseae condemnatione Eprium quinquagies sestertium accepisse narrat. — 4. *quamquam*] nullus hic, quantum video, particulae concessivae locus; aut augeri sententiam, ut videtur (*quin*) aut causam significari *(quoniam)* oportuit. — 5. *ipsa eloquentia*] haec verba, quae altera manus codicis Leidensis delevit, dubiae fidei sunt neque ad absolvendam sententiam necessaria. — 8. *spectanda haberemus*] ut c. 19 *expectandum habent.* 31 *dicendum habuerit.* 36 *respondendum haberent.* 37 *dicendum habeas.* — Coniunctivi autem, qui est *haberemus*, ea vis est, ut eloquentia quasi numine divino praedita, exemplis, quibus vim suam probat, propositis id agere dicatur, ut cum ceteris, tum obtrectatoribus suis persuadeat, quanti potentia sua facienda sit. — 10. *angustiae rerum*] cf. Ann. 4, 72: *tributum iis Drusus iusserat modicum, pro angustia rerum.* — *circumsteterunt*] Liv. 42, 65: *ancepsque terror circumstabat.* Ex Tacito ipso afferunt Hist 4, 79: *circumsteterat Civilem et alius metus.* Quomodo hunc ad usum progredi potuerint, optime demonstrat H. 1, 17: *circumsteterat interim Palatium publica expectatio,* i. e. "multitudo anxie expectans." — 11. *utilitatem*] neglecto ordine sententiarum c. 5 proposito hoc loco utilitatem eloquentiae c. 5 satis laudatam denuo laudibus effert, ratus scilicet *ad utilitatem vitae omnia consilia factaque nostra esse dirigenda* (c. 5). — 12. *sine commendatione natalium*] Cic. Brut. 25, 96: *sine ulla commendatione maiorum.* — *natalia* i. q. *genus* sive *origo.* De usu huius vocabuli cf. Heraeus ad Hist. 2, 86, 15. — *substantia facultatum*] hic usus v. *substantia* est posterioris latinitatis, in primis frequens apud iuris consultos. Displicuit iunctura *substantia facultatum* Hess confert Paul. Sent. 2, 28, 1: *substantia rei familiaris*; Wopkens affert ex Salviano adv. avarit. 3 (ed. Steph. Baluzius. Paris. 1669. p. 265): *quibus substantiam propriae facultatis addicant.* — 14. *donec*] de huius particulae usu cf. Gerber l. l. p. 23. — 15. *principes in Caesaris amicitia*] cf. Ann. 3, 30, 17. 4, 12, 17. 13, 45, 17. 14, 51, 16. 15, 50, 15. — *agunt feruntque*] Graeca locutio de praeda, ἄγειν καὶ φέρειν. Invidiosius dictum de causis pro aerario et fisco susceptis, quibus Vespasianus cupide prospiciebat. Duebn. Vide tamen, ne latior etiam significatio his verbis tribuenda sit: "prorsus suo pro lubitu in civitate versantur, dum hos deprimunt ac spoliant, illos locupletant atque extollunt" vel: "pro suo arbitratu iuste iniuste, clementer severe in omnibus rebus agunt;" fere ut Hist. 1, 2, 18: *agerent verterent.* Inverso ordine est aliquotiens apud Livium, ut 3, 37, 7: *ferre agere plebem plebisque res.* 22, 3, 7: *res sociorum — ferri agique vidit.* —

venerabilis senex et patientissimus veri, bene intellegit ceteros quidem amicos suos iis niti quae ab ipso acceperint quaeque ipsi accumulare et in alios congerere proptum sit, Marcellum autem et Crispum attulisse ad amicitiam suam quod non a principe acceperint nec accipi possit. minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines ac tituli et statuae, quae neque ipsa tamen negleguntur, tam hercule quam divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat. his igitur et honoribus et ornamentis et facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia causis forensibus et oratorio studio dederunt. (9) nam carmina et versus, quibus totam vitam Maternus insumere optat (inde enim omnis fluxit oratio), neque dignitatem ullam auctoribus suis conciliant neque utilitates alunt; voluptatem autem brevem, laudem inanem et infructuosam consequuntur. licet haec ipsa et quae deinceps dicturus sum aures tuae, Materne, respuant, cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur? quis ideo domum defensus et tibi obligatus redit? quis Saleium nostrum, egregium poetam vel, si hoc honorificentius est, praeclarissimum vatem, deducit aut salutat aut prosequitur? nempe si amicus eius, si propinquus, si denique ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te, Materne, non quia poeta es, neque ut pro eo versus facias; hi enim

1. *sapientissimus vir* Acidalius. — *ceteros* Puteolanus: *et ceteros* ABC. — 2. *iis* C: *[his]* suprascr. *iis* B *his* A. — *ipsi* Lipsius: *ipsis* ABC. — 3. *et in] aut in* Baehrens. — *sit* Halm: *est* ABC. — 5. *tot ac tantas res locum* Nipperdey. — 9. *adolescentia* AB: *aetate adolescentia* C *aetate* Heraeus. — 14. *deinde* C. — 16. *Caeleium* A *Coeleium* B. — 18. *eius* C: *est* AB. — 19. *decurret* Jo. Fr. Gronov.

1. *patientissimus veri*] "qui id quod verum est, quamvis ipsi minus gratum sit, ultro tamen agnoscit et comprobat." Rem testatur Suet. Vesp. 13: *amicorum libertatem, causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulit.* *Patiens veri* dixit etiam Seneca de ira 3, 36 extr. — 2. *acceperint nec accipi possit*] variatae huius constructionis, qua alterum *quod* accusativus, alterum, quod supplebis, nominativus habendus est, exempla praebent Sall. Iug. 14, 16: *Si omnia quae aut amisi aut ex necessariis adversa facta sunt, incolumia manerent.* Tac. Ann. 2, 83 *quaedam statim omissa sunt aut vetustas oblitteravit.* — 5. *inter tot ac tanta*] Usu, quantum scio, singulari *tot* h. l. idem valet quod *tam multa* vel *tot ac tanta* i. q. *tot ac tantas res*, quod Nipperdeius coniecit. Nisi, quod olim conieci, scribendum est *inter tot ac tanta praemia.* — *tituli*] inscriptiones honorificae basibus statuarum insculptae. — 6. *tam hercule quam*] ut c. 21. Plin. Ep. 6, 19, 6. Quint. 1, 2, 4. — 7. *his igitur* e. q. s.] hac sententia Aper laudationem eloquentiae concludit et inde a cap. 9 de poetica ad utilitatem vitae minus fructuosa disserere incipit. — Similis est sententia apud Quint. 12, 11, 29. — 10. *carmina et versus*] cf. Ann. 16, 19: *levia carmina et faciles versus.* — 11. *inde enim omnis fluxit oratio*] Cic. Brut. 55, 201: *a Cotta et Sulpicio haec omnis fluxit oratio.* — 12. *utilitates alunt*] quasi herbas vel fruges, fructus laborum. Quint. Prooem. 23: *alere facundiam, vires augere eloquentiae.* Plurali *utilitates* ipse Cicero utitur (Off. 2, 25, 88. 3, 10, 42), semel addens commoda (de Fin. 1, 10, 34: *nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent).* Pluralis item apud Tacitum Ann. 1, 10, 14. — 14. *cui bono est*] "cuinam utile est," formula iuris consultorum. cf. Cic. pro Rosc. Am. c. 5: *accusant ii quibus occidi patrem Sex. Roscii bono fuit.* pro Mil. 12, 32. — 15. *apud te*] in tragoediis tuis (Thyeste et Medea c. 3). — 17. *vatem*] usu in primis poetico. Quint. 10, 1, 48 *dearum quas praesidere vatibus creditum est.* Sic apud nos exquisitius *Sänger* quam *Dichter.* cf. Doederlein, Handbuch der lateinischen Synonymik. 1840. p. 34. 101. — *deducit*] in forum. *salutat*] domi. *prosequitur*] proficiscentem.

Basso domi nascuntur, pulchri quidem et iucundi, quorum tamen hic exitus est, ut, cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogatur, ut sint qui dignentur audire. et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur et auditorium exstruit et subsellia conducit et libellos dispergit. et ut beatissimus recitationem eius eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem; nec aut amicitiam inde refert aut clientelam aut mansurum in animo cuiusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre. laudavimus nuper ut miram et eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset. pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio mereri: quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere, suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem! adiice quod poetis, si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum et iucunditas urbis, deserenda cetera officia utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est in solitudinem secedendum est. (10) ne opinio quidem et fama, cui soli serviunt et quod

1. *tā* A. — 3. *extudit* A suprascr. *c*. — 7. *illa* C: *ista* AB. — *percepta* AB *praecerpta* Schele. — 14. *genium* Lipsius: *ingenium* ABC. — *liberalitatem* idem: *libertatem* ABC. — 16. *deferenda* C. — 17. *utque* (*quae* C) AC: *et ut* B. — *[id est in solitudinem]* Ad. G. Lange. — *secedendum* Schele: *recedendum* ABC. —

1. *domi nascuntur*] locutio Tulliana: ad Fam. 9, 3, 2. Acad. 2, 25, 80: *sed desine quaeso communibus locis, domi nobis ista nascuntur.* Cf. etiam Nipperdey ad Ann. 3, 70, 10. — 3. *excudit*] Cic. ad Att. 15, 27, 2: *excudam aliquid* Ἡρακλείδειον, *quod lateat in thesauris tuis.* Plin. Ep. 1, 3, 4 *effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum.* Est "magna cum cura ac meditatione librum componere", metaphora ab artificibus desumpta. Virg. Aen. 6, 847 *excudent alii spirantia-aera.* Additum autem verbum *elucubravit* auget sententiae vim, ut Cic. Brut. 90, 312: *multae* (orationes) *quas non minus diligenter elaboratas et tamquam elucubratas afferebamus.* — *ultro*] "quos nullius hortatu ad clarissimi poetae recitationem audiendam concurrere putes, ei ab ipso demum rogati venire dignantur". De hoc vocabulo cf. Heraeus ad Hist. 1, 7, 8. — 5. *subsellia conducit*] Iuven. 7, 45 *Nemo dabit regum, quanti subsellia constent, et quae conducto pendent anabathra tigillo, Quaeque reportandis posita est orchestra cathedris.* — *libellos*] quibus invitentur auditores. Plin. Ep. 3, 18, 4: *Cepi non mediocrem voluptatem, quod, hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed si commodum et si valde vacaret, admoniti — per biduum convenerunt.* — 7. *unum aut alterum*] ut c. 29 et 39. At c. 21 *unus et alter.* De discrimine cf. Nipperdey ad Ann. 3, 34, 18. — *praecepta*] velut spica ante maturitatem demessa, sine imagine: "irrita, ita ut nullum solidum commodum afferat." Simili imagine de Antonino usus est Fronto, Epist. ad Antoninum imper. 1, 5 (ed. Nab. p. 102): *Egone, qui indolem ingenii tui in germine etiamtum et in herba et in flore dilexerim, nunc frugem ipsam maturae virtutis nonne multo multoque amplius diligam?* — 8. *solidam*] cf. Hist. 5, 7: *seu solidam in speciem adolevere.* — 9. *mansurum*] Ann. 4, 38 *pulcherrimae effigies et mansurae.* Hist. 1, 78 *nova iura ostentata magis quam mansura.* 2, 49 *sepulchrum extructum est modicum et mansurum.* Sic infra c. 22 *firmus paries et duraturus.* c. 34 *magna et duratura eloquentiae fama.* — 13. *mereri*] Quint. 4, 2, 39: *ne minus gratiae — mereamur;* ubi Spalding: "*mereri* attende dictum pro consequendo. cf. § 77. 125. 5, 1, 1. 6, 1, 45. Dial. de Or. 9. Plin. Ep. 1, 8, 14 et passim." — *si ita res familiaris exigat*] Quint. 12, 7, 9: *at si res familiaris amplius aliquid — exiget.* — 14. *suum genium propitiare*] "sibi debere quae opus sunt, neque aliorum auxilio adiutum ad optima et summa quaeque tendere." Fuit enim suus cuique genius, cuius in tutela versabatur, quique una et nascebatur et moriebatur. — 17. *utque ipsi dicunt*] Sic. Hor. Epp. 2, 2, 77: *Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes.* carm. 1, 1, 30: *me gelidum nemus — secernunt populo.* Ov. Trist. 1, 1, 41: *carmina secessum scribentis et otia quaerunt.* Ad hunc autem Dialogi locum auctore Langio multi putaverunt respicere Plinium Ep. 9, 10, 2: *poemata quiescunt, quae tu inter nemora et lucos commodissime perfici putas.* Diversa est Quintiliani sententia 10, 3, 22. — *secedendum*] Hanc Schelii coniecturam confirmat vel unus locus c. 12: *sed secedit animus in loca pura.* —

unum esse pretium omnis laboris sui fatentur, aeque poetas quam oratores sequitur, quoniam mediocris poetas nemo novit, bonos pauci. quando enim † rarissimarum recitationum fama in totam urbem penetrat? nedum ut per tot provincias innotescat. quotus quisque, cum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquar, in urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset. neque hunc meum sermonem sic accipi volo, tamquam eos quibus natura sua oratorium ingenium denegavit deterream a carminibus, si modo in hac studiorum parte oblectare otium et nomen inserere possunt famae. ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem *et* epigrammatum lusus et quamcunque aliam speciem eloquentia habet, anteponendam ceteris † aliarum artium studiis credo. sed tecum mihi, Materne, res est, quod, cum natura *te* tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adepturus in levioribus subsistis. ut si in Graecia natus esses, ubi ludicras quoque artis exercere honestum est, ac tibi Nicostrati robur ac vires di dedissent, non paterer im-

1. *omnis* A: *omnes* C om. B. — *aeque* Puteolanus: *atque* A B C. — 2. *sequitur* C: *[in] sequitur* A *insequitur* B — 3. *enim*] *etiam* Baehrens. — *clarissimarum* Steiner *vel praeclarissimarum* Halm *rarissima harum* nos. — 4. *nedum* b: *medium* A B C. — 5. *Galliis* Schulting. — *Salerium* B *Saltim* C. — 6. *ut* Acidalius: *et* A B C. — 8. *[sua]* nos. — 13. *elegiorum* A B. — 14. *et* ante *epigrammatum* inser. Acidalius. — 15. *habet* Heumann: *habeat* A B C. — *aliarum]* *altiorum* nos *liberalium* Halm. — 16. *te* suppl. Halm (*te ferat* Acidalius). — *arcem]* *artem* A B C. — 17. *adepturus* Acidalius: *adeptus* A B C. —

1. *aeque — quam*] Sic etiam Ann. 2, 52, 17. 14, 38, 7. Hist. 2, 10, 13. 4, 54, 8 in enuntiatis negativis. Exempla ex Plauto ac Livio petita praebet Hand Turs. I p. 191. — 3. *rarissimarum*] Non aliter videtur servari posse superlativus (cuius ea vis erit, ut sit idem fere quod *optimarum, praestantissimarum*) nisi ita ut praecedat *vel* particula (ut Halmius voluit), qua praestantissimae recitationes opponantur vulgaribus, de quarum copia conqueruntur Persius (1, 15) et Plinius (Ep. 1, 13). Molestae erant tum maxime ubi adductis amicis audienda erant *grandia morituri verba Catonis* ab adulescentulo recitata (Pers. 3, 45). — 6. *ut semel vidit*] ut est in lepida narratione Plin. Ep. 2, 3, 8: *numquamne legisti Gaditanum quendam T. Livii nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse statimque ut viderat abisse?* — 8. *sua*] cur hanc vocem suspectam habeam, dixi in Emend. meis p. 171. — 10. *oblectare otium*] Ann. 12, 49, 8: *cum privatus olim conversatione scurrarum iners otium oblectaret.* — *nomen inserere famae*] etiam audacius dictum quam Ann. 6, 2, 7: *dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit.* Hist. 2, 61, 2: *inserere sese fortunae ausus est.* — 12. *sonum*] sublimitatem ac magnificentiam. Quint. 1, 8, 5 *interim et sublimitate heroi carminis animus assurgat.* — 15. *ceteris*] ne *ceterarum* dicendum fuisse putes, compara Cic. de or. 1, 49, 212: *atque ut iam ad leviora artium studia veniam.* — *aliarum*] frustra hanc librorum scripturam v. d. exemplis parum idoneis defenderunt. Vide Emend. meas p. 113. — 16. *te tua*] Halmii vel potius Acidalii supplemento carere non possumus; dissimilis enim eorum locorum ratio est, ubi verbum ferendi obiecto caret. Huic loco similia sunt quae leguntur apud Cic. Brut. 56, 204: *quo ferat natura sua quemque.* — *arcem*] Similiter Quint. 12, 11, 28: *iam Cicerone arcem tenente eloquentiae.* — 19. *ac tibi — ac vires*] ut c. 12: *Orphea ac Linum ac.* M. Aurelius in Frontonis Epist. ad M. Caesarem 2, 13 (ed. Nab. p. 36): *uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum atque unde putas? Ex ipso furor.* Ex eodem igitur fonte Catoniano fluxerunt illa Frontonis ad M. Caes. 4, 3 (ed Nab. p. 63) *inopinata verba, quae non nisi cum studio atque cura atque vigilia atque multa veterum carminum memoria indagantur.* Ecce autem Cato ipse huius cumulationis amator in Orat. pro Rhod. apud Meyerum p. 49: *Scio solere plerisque hominibus in rebus secundis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere.* — 19. *Nicostrati*] Paus. 5, 21, 11: *Νικοστράτῳ καὶ ἄλλαι νῖκαι καὶ Ὀλυμπίασιν ἐγένοντο*

manes illos et ad pugnam natos lacertos levitate iaculi aut [iactu] disci vanescere, sic nunc te ab auditoriis et theatris in forum et ad causas et ad vera proelia voco, cum praesertim ne ad illud quidem confugere possis, quod plerisque patrocinatur, tamquam minus obnoxium sit offensae poetarum quam oratorum studium. effervescit enim vis pulcherrimae naturae tuae; nec pro amico aliquo, sed, quod periculosius est, pro Catone offendis. nec excusatur offensa neccessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris † aut elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. sentio quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. ** tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem. nobis satis sit privatas et nostri saeculi controversias tueri, in quibus † expressis si quando necesse sit pro periclitante amico potentiorum aures offendere, et probata sit fides et libertas excusata.'

(11) Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, re-

1. *illos* C: *istos* AB. — *[iactu]* nos. — 4. *plerisque poetis* nos olim. — *offensae* Acidalius: *offendere* ABC. — 5. *effervescet* AC. — *tuae* corr. ex *suae* B. — 6. *offendes* AC. — 8. *et* AbC: *ac* B. — *aut]* om. Puteolanus *ultro* Schopen *hanc* Haase *ante* Thomas *tibi* Halm. — 9. *sentio* — 11 *ferri* del. Bernhardy. — 10. *hinc* b et Puteolanus: *hic* ABC. — *existere* Muretus: *ex his* ABC del. Gesner. — *haec* C: *hic* AB *hinc* b *haec et* nos. — 11. *hominum* Baehrens. — ante *tolle* quaedam deesse primus suspicatus est F. A. Wolf. — 14. *expressit* C om. Heumann et al. *(in quibus si quando ex re sit pro p. a.* Baehrens). —

παγκρατίου καὶ πάλης. Quint. 2. 8, 14: *si fuerit, qui docebitur, ille, quem adolescentes senem vidimus, Nicostratus, — efficiet — illum, qualis hic fuit, luctando pugnandoque (quorum utroque certamine iisdem diebus coronabatur) invictum.* Lucian. Hist. conscr. 9. — 1. *iactu*] seclusimus, ut quod, si comparetur cum substantivo quod praecedit, *levitate*, plane diversi sit generis. Cf. Emend. meas p. 169. — 2. *et ad vera proelia*] repetita praepositio ad augendam vim atque impetum hortationis accommodata est. — 8. *fortuitae et subitae*] ut Germ. 11: *nisi quid fortuitum et subitum incidit.* Cic. de orat. 1. 33. 150: *subitam et fortuitam orationem.* — *meditatus*] Hoc loco enuntiato, quod praecedit, negativo additur contrarium omissa particula adversativa, plane ut c. 37: *nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres* e. q. s. — *videris aut elegisse*] vocabuli *aut* manifesto corrupti emendationem certam nemo protulit. Tutissime Doederlein, qui hanc vocem suspicatur esse dittographiam superioris *aut.* — 10 *existere*] Sic Muretus probabiliter. Errant qui verba *ex his* in codicibus prodita verbo *hinc* explicandi gratia adscripta et ex contextu verborum delenda esse censent. Neque enim ut c. 36: *hinc leges assiduae* verbum finitum (cf. Heraeus ad Hist. 3, 68, 17) ita hoc loco infinitivus suppleri potest. — 11. *sermonibus ferri*] Hiare post haec sententiam primus perspexit F. A. Wolfius, Vermischte Schriften und Aufsätze p. 164. Neque enim, ut Doederleinii verbis utar, ratio ulla apparet, cur Aper id quod responderi posse sentiat, nullo verbo refellat et tamquam refutando impar silentio transmittat. Quae autem sequuntur: *tolle igitur* e. q. s., ita scripta sunt, ut non quae adversarii dicunt, sed quibus refutantur, proxime praecedere putes. Qualis sententia supplenda esse videatur, in Emend. meis p. 140 exposui. Non inepte, attamen temere Bernhardyus totum enuntiatum *sentio-ferri* tollendum censuit. — 13. *privatas*] 'ad summam rerum atque imperii arcana minime spectantes.' — *controversias tueri*] Similiter Cicero de orat. 1, 37, 169: *ut amicorum controversias causasque tueatur.* — 15. *expressis*] Hoc vocabulum unde irrepserit aut qua ratione emendari possit (nam corruptum esse nemo hodie est qui neget), nescio. Cf. Emend. meas p. 167. — 16. *intento ore*] opponitur *subridenti* Materno. Doed. — Cf. Heraeus ad Hist. 2, 68, 5. —

missus et subridens Maternus 'Parantem' inquit 'me non minus diu accusare oratores quam Aper laudaverat (fore enim arbitrabar ut a laudatione eorum digressus detrectaret poetas atque carminum studium prosterneret) arte quadam mitigavit, concedendo iis qui causas agere non possent, ut versus facerent. ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem † in Nerone improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi: *et* hodie si quid [in] nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum. ac iam me deiungere a forensi labore constitui, nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutantium concupisco, non magis quam aera et imagines, quae etiam me nolente in domum meam irruperunt. nam statum hucusque ac securitatem melius innocentia tueor quam eloquentia; nec vereor ne mihi unquam verba in senatu nisi pro alterius discrimine facienda sint. (12) nemora vero et

1. *'parantem' inquit 'me* Walther: *parant enim quid me* C *parant quid enim me* AB *'parantem me' inquit* Bekker. — 2. *laudavit* Acidalius. — 3. *[et]* suprascr. *atque* B. — 6. *tragoediarum mei ingeni famam aucupatus sum: olim quidem* Usener. — 7. *in Nerone* AC: *in Neronē* B *in Neroniis* Osann *inperante Nerone* Luc. Müller. — *improbam] importunam* Halm. — 8. *Vatinii* J. Fr. Gronov: *vaticinii* ABC. — *et* inser. Lipsius. — 9. *in* del. Acidalius. — *nominis* b: *numinis* ABC. — 11. *illos* Halm. — *salutantium* Schele: *salutationum* ABC. — 13. *irrumpunt* B. — *hucusque ac* Lipsius: *cuiusque ad* ABC *huius vitae ac* Baehrens. — 15. *nisi* om. C.

2. *laudaverat*] "accusationem oratorum tum parabam, cum Aper carminum studium prosterneret, quo tempore oratorum laudes absolverat". Nam oratoriae facultatis laudes usque ad c. 9 propositae modestam illam poetarum accusationem praecedunt. — 4. *mitigavit*] "Callida sua arte effecit, ut ego quoque mitiore oratione usurus sim, quam initio mihi proposueram." — 7. *et ingredi*] non sine causa suspecta fuit Ernestio haec similium verborum copulatio, qua primum hoc fuisse quasi rudimentum ac tirocinium famae suae dicit. Potestne credi haec duo verba orta esse ex litteris antecedentibus ETRAGOEDI per errorem bis scriptis? — *in Nerone*] locus difficultatum plenus. Fuerunt qui hoc nomine eandem tragoediam Materni significari putarent, quae *Domitii* nomine inscripta c. 3 commemoratur. Verum primum nulla probabilis ratio excogitari potest, cur ita variaverit fabulae inscriptionem. Neque vero tragoedia poterat inscribi *Domitius Nero;* numquam enim imperatori Neroni utrumque horum nominum eodem tempore erat: nec tragoediae argumentum praebere potuit Domitius puer decem vel duodecim annorum. Accedit quod Vatinius anno demum 64 in tyranni familiaritatem pervenit. Nec conficitur res Osanni coniectura. Neque enim probabile est in Neroneo agone certatum esse tragoediis neque foedum illum scurram composuisse tragoediam, quam cum Materniana committeret. Tolluntur hae omnes difficultates Hauptii et Muelleri coniectura, nisi quod, qua ratione et quando a Materno fracta sit Vatinii potentia, omnino nescimus. De quo Tacitus Ann. 15, 34: *Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus: primo in contumelias adsumptus, dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit, ut gratia pecunia vi nocendi etiam malos praemineret.* — 8. *studiorum-sacra*] ut *sacra regni* Ann. 2, 65. *sacra legationis* 1, 42. *sacra mensae* 13, 17. 15, 52. — 10. *a forensi labore*] Cic. Brut. 67, 236: *laborem forensem diutius non tulit.* — 11. *salutantium*] Similiter Hist. 2, 92, 7: *immensis salutantium agminibus.* c. 13 *fremitus salutantium.* c. 6 *videre plenam semper et frequentem domum suam concursu splendidissimorum hominum.* — 13. *in domum meam irruperunt*] hoc verbum, nihil mutata significatione, in historicis Taciti libris cum simplici accusativo coniungi docent Nipperdey ad Ann. 2, 11, 17. Heraeus ad Hist. 1, 79, 3. — *statum-tueor*] Cic. ad fam. IX, 16, 16: *tueri meum statum sic posse.* — *hucusque*] Sane melius nihil adhuc excogitatum est post hanc Lipsii coniecturam. Verum exempla huius particulae usus, quo ad tempus refertur, Hand Turs. III p. 108 repperit demum in posteriorum imperatorum Panegyricis, adeo ut dubitare saltem liceat, num iam Tacito tribuendus sit. Inest autem in hoc vocabulo, ut videtur, vaticinium quoddam mortis Materni, de quo exposui in Prooemio editionis meae Lipsiensis p. 6. — 14. *innocentia quam eloquentia*] cf. Nep. Arist. 1: *quanto antestaret eloquentia innocentiae.* —

luci et secretum ipsum, quod Aper increpabat, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter praecipuos carminum fructus numerem quod non in strepitu nec sedente ante ostium litigatore nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. haec eloquentiae primordia, haec penetralia; hoc primum habitu cultuque commoda mortalibus in illa casta et nullis contacta vitiis pectora influxit; sic oracula loquebantur. nam lucrosae huius et sanguinantis eloquentiae usus recens et malis moribus natus, atque, ut tu dicebas, Aper, in locum teli repertus. ceterum felix illud et, ut more nostro loquar, aureum saeculum, et oratorum et criminum inops, poetis et vatibus abundabat, qui bene facta canerent, non qui male admissa defenderent. nec ullis aut gloria maior aut augustior honor, primum apud deos, quorum proferre responsa et interesse epulis ferebantur, deinde apud illos dis genitos sacrosque reges, inter quos neminem causidicum sed Orphea ac Linum ac, si introspicere altius velis, ipsum Apollinem accepimus. vel si haec fabulosa nimis et composita videntur, illud certe mihi concedes, Aper, non minorem honorem Homero quam Demostheni apud posteros, nec angustioribus terminis

1. *increpat* B. — 3. *in strepitu urbis* Schopen. — 4. *sedit* suprascripto *secedit* A. — 6. *penetralia hoc* om. C. — *commoda] commendata* Muretus *commodata* Lipsius. — *in* C: *et* AB. — *illa* b C: *ista* AB. — 8. *saginantis* ed. Junt. a. 1527 *sanguini inhiantis* Bezzenberger. — *et ex malis* C. — 12. *amissa* C. — *ullus* AB. — *maior* Lipsius: *more* . . . . A suprascr. *in ore; mor* . . . B *more* C (*in ore* suprascr. c) *maior erat* Ritter, *maior erat eo tempore* Ribbeck, *maior contingebat* Maehly. — 13. *angustior* C. — *praeferre* B. — 14. *epulis] oraculis* Haupt (*proferre responsa, deinde apud istos dis genitos sacrosque reges, quorum interesse epulis ferebantur* Ribbeck). — *illos* b C: *istos* AB. — 15. *causidicum* Heumann: *causidicorum* ABC. — *et Linum* C. — 17. *vide[a]ntur* B. — *istud* AB. — *concedes* Acidalius: *concedis* ABC.

1. *increpabat*] c. 9 extr. — 3. *in strepitu*] Bene et ad concludendam sententiam formamque orationis apte Schopenus: *in strepitu urbis*. — *sedente ante ostium litigatore*] cf. Hor. Epp. 1, 5, 31: *Atria servantem postico falle clientem*. Sat. 1, 1, 10: *Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat*. — 6. *commoda*] "opportuna et ad simplices animos mentesque hominum accommodata." — 7. *et nullis*] *et* haud raro Taciti temporibus cum negatione coniungitur. Sic c. 28: *et nullis pravitatibus detorta*. Agr. 16: *et nullis delictis invisus*. — 8. *huius*] "qua hodie utuntur." — *sanguinantis*] i. e. "sanguine manantis" vel "sanguini inhiantis" (quod Bezzenbergerus coniecit), ex delatorum more. Lipsius suspicabatur *saginantis*, praecedentis vocabuli homonymum. Cic. pro Sest. 36, 78: *rei publicae sanguine saginantur*. Verum sic absolute positum, cum additum non sit, qua esca saginentur delatores, vix placere potest. — 9. *ut tu dicebas*] c. 5. — *ceterum*] idem quod "contra". Neque enim novum, quasi data occasione, adnectitur, sed contrarium opponitur. — 10. *et oratorum et criminum inops*] nam quo pauciora crimina, eo minor oratorum numerus. cf. c. 41: *quodsi inveniretur aliqua civitas, in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus*. — 12. *male admissa*] cf. Hist. 4, 44: *ne — cunctis sub Nerone admissis data impunitas videretur*. Ann. 11, 4: *de admissis Poppaeae*. — *aut gloria maior aut augustior honor*] Similiter c. 41: *Sic minor oratorum honor obscuriorque gloria est*. — 15. *inter quos*] eadem fama, quae regum illorum dis genitorum fata et res gestas prodidit, etiam vatium illorum priscorum nomina servat, unde intellegitur, quanta familiaritate et necessitudine utrique fuerint coniuncti. — 16. *altius*] ut Ann. 3, 25, 9: *altius disseram, a primis initiis*. — 17. *illud certe mihi concedes*] Similiter c. 33 extr: *illud certe concedet*.

famam Euripidis aut Sophoclis quam Lysiae aut Hyperidis includi. plures hodie reperies qui Ciceronis gloriam quam qui Virgilii detrectent; nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes. (13) ac ne fortunam quidem vatum et illud felix contubernium comparare timuerim cum inquieta et anxia oratorum vita. licet illos certamina et pericula sua ad consulatus evexerint, malo securum et quietum Virgilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Virgilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum. ne nostris quidem temporibus Secundus Pomponius Afro Domitio vel dignitate vitae vel perpetuitate famae cesserit. nam Crispus iste et Marcellus, ad quorum exempla me vocas, quid habent in hac sua fortuna concupiscendum? quod timent,

2. *quam per Virgilii* C. — **3.** *aut Varii* om. C. — **4.** *illud* bC: *istud* AB. — **6.** *illos* bC: *istos* AB. — *ad* Lipsius: *et* ABC (*ad opes et* Ritter). — *consulatus* C: *cent'* A *coetus* B. — **10.** *[Virgilium]* Ernesti *[spectantemque Virgilium]* nos olim.

1. *plures — reperies qui—quam qui*] ut c. 8: *facilius invenies qui — quam qui.* — 3. *Asinii*] Pollionis et *Messallae* Corvini oratorias virtutes recenset Quintilianus 10, 1, 113. Nulla hoc loco, prorsus ut apud Quintilianum, mentio fit tragoediarum Asinii, quas summis tamen laudibus extollunt Virgilius Ecl. 3, 86. 8, 10: *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno*, et Horatius C. 2, 1. Ut videtur, iam Taciti temporibus non legebantur. Cf. c. 21 s. f. — *liber*] "oratio litteris mandata", ut c. 30: *itaque hercle eiusmodi libri extant* aliisque locis. — *Medea-Thyestes*] Quint. 10, 1, 98; *Jam Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset.* — 4. *ac ne fortunam quidem*] hanc enim Aper vel maximis laudibus extulerat c. 8. — 6. *evexerint*] cf. Vell. Pat. 2, 90, 1: *quem usque in tertium consulatum — amicitia principis evexerat.* — *securum et quietum*] c. 10: *quietis et securitatis excusationem.* — 7. *secessum*] Neapolitanum. Priscian. 10, 8, 43: *Caesar ad Virgilium: Excucurristi a Neapoli.* — 9. *Augusti epistolae*] cf. Imp. Caesaris Augusti scriptorum reliquiae ed. A. Weichert, Grimae 1846. I. p. 159. Eas memorat etiam Claudianus in Ep. ad Olybr. (41) 23: *Dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni.* — *Virgilii versibus*] Servius ad Virg. Ecl. 6, 11 hanc Eclogam a Cytheride mima cantatam esse in theatro tradit. Donatus Vita Virg. 11, 41: *Bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebra pronuntiatione recitarentur.* Cf. Langii Opuscula p. 56. Weichert Poet. Lat. Rel. p. 285. — 10. *Virgilium*] non sine causa suspectum Ernestio et Peerlkampio. Qui librorum scripturam tuentur, cum vi quadam summi poetae nomen iterari dicunt et comparant locum aliquatenus similem qui legitur Ann. 12, 64, 10: *perdita prius Domitia Lepida muliebribus causis, quia Lepida — parem sibi claritudinem credebat.* — 11. *sic quasi Augustum*] cf. Cic. ad fam. 9, 16, 2: *ut quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit.* Honorem vero illum principum fuisse docet Plin. Paneg. 54, 2: *quin etiam tanto maiore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent.* — *Secundus Pomponius*] cf. Ann. 5, 8. 11, 13. 12, 28. Quint. 10, 1, 98: *Eorum* (tragicorum), *quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes quidem parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.* Eius vitam Plinius maior scripsit *memoriae amici quasi debitum munus*, ut ait Plin. Ep. 3, 5, 3. — 12. *dignitate vitae*] Ann. 4, 52: *Claudia Pulchra, sobrina eius* (Agrippinae) *postulatur, accusante Domitio Afro. Is — modicus dignationis et quoquo facinore properus clarescere e. q. s. prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit.* — 14, 19. Plin. Ep. 8, 18, 5. Quint. 10, 1, 118: *Eorum, quos viderim, Domitius Afer et Julius Africanus longe praestantissimi. Arte ille et toto genere dicendi praeferendus, et quem in numero veterum habere non timeas.* cf. 12, 11, 3. — *perpetuitate famae*] Quint. 12, 11, 3: *Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit summum oratorem Domitium Afrum valde senem quotidie aliquid ex ea quam meruerat auctoritate perdentem: cum agente illo, quem principem fuisse quondam fori non erat dubium, alii, quod indignum videatur, riderent, alii erubescerent: quae occasio fuit dicendi, malle eum deficere quam desinere.* — 13. *ad quorum exempla me vocas*] plane ut Plin. Ep. 9, 1, 2: *ad cuius exemplum nos vocas.* — 14. *habent — concupiscendum*] verbi *habere* cum gerundivo iuncti hoc loco propria vis est, quae nulla est c. 8 *cognoscenda haberemus.*

an quod timentur? quod, cum quotidie aliquid rogentur, ii quibus praestant indignantur? quod adligati † cum adulatione nec imperantibus unquam satis servi videntur nec nobis satis liberi? quae haec summa eorum potentia est? tantum posse liberti solent. me vero dulces, ut Virgilius ait, Musae, remotum a sollicitudinibus et curis et necessitate quotidie aliquid contra animum faciendi in illa sacra illosque *ad* fontis ferant; nec insanum ultra et lubricum forum famamque pallentem trepidus experiar. non me fremitus salutantium nec anhelans libertus excitet, nec incertus futuri testamentum pro pignore scribam, nec plus habeam quam quod possim, cui velim, relinquere (quandoque enim fatalis et meus dies veniet); statuarque tumulo non maestus et atrox,

1. *aliqui* ABC. — *quibus non praestant* Lipsius *quibus praestant perinde et quibus non praestant* Michaelis *quibus praesto non sunt* (vel *quibus opem nullam praestant*) Halm. — 2. *alligat* B *alligati* bC. — *cum*] *omni* Walther *communi* C. G. Th. Schneider *humili* Schulting. — 6. *illa* bC: *ista* AB. — *illosque* bC: *istosque* AB. — *ad* add. Ritter (*illasque frondis* Haupt). — 7. *pallentem* b: *pallantem* AC *palantem* B. — 10. *quandocumque* (om. *enim*) Puteolanus *quandoque olim* Steiner. — *et* om. Pithoeus. — 11. *veniet* b: *veniat* ABC *venerit* Ernesti.

1. *quod timent*] principem. *quod timentur*] a ceteris omnibus. — *ii quibus praestant indignantur*]. Interpretantur vulgo: "qui eos rogant aliquid idque impetrant, eidem tamen praepotentes illos oderunt," coll. Flor. de Caes. 4, 2, 92: *gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.* Quam sententiam qui probaverit, is ante ii *vel* particulam desiderabit, qua *ei, quibus praestant,* opponantur eis *quibus non praestant*, quos etiam magis indignari consentaneum est. Inde Lipsii, Michaelis, Halmii coniecturae ortae sunt. Ipse in editione mea Lipsiensi aliam librorum scripturae explicationem proposui, de qua nunc nescio an possit dubitari. — 2. *alligati (cum) adulatione*] "tamquam servi catenis vincti coguntur perseverare in adulatione ac ne per breve quidem tempus liberius sibimet ipsis vivere possunt." Vocabulo *cum* quid fiat, incertum: nam ex coniecturis, quas v. d. hoc loco temptarunt, nulla omnino probabilis est. — 4. *liberti*] principis, cum contemptu h. l. commemorati, scilicet quorum apud principem defensionem summa se cum voluptate suscepisse Aper c. 7 dixisset. — *ut Virgilius ait*] Georg. 2, 475: *Me vero primum dulces ante omnia Musae — Accipiant.* — 6. *illosque ad fontis*] quos poetae sibi in primis gratos esse testantur, ut Lucret. 1, 927: *iuvat integros accedere fontis.* Hor. c. 1, 26, 6: *o quae fontibus integris gaudes — Pimplei dulcis.* — 7. *insanum — forum*] ex eodem Virgilio depromptum, qui Georg. 2, 501 de agricola: *nec ferrea iura Insanumque forum aut populi tabularia vidit.* — *famamque pallentem*] vel "pro qua cum pallore, i. e. anxie timetur" vel "quam qui expetunt, eos captandi trepidatio et immoderata cupiditas pallore obducit". — *famam — experiar*] similiter *fortunam experiri* Hist. 2, 31 extr. — 8. *non me*] negatio cum pronomine ita coniungenda est, ut oppositum sit: "alii inquietam et anxiam oratorum vitam praeferant." Eadem vi pronomen positum est in initio supra: *me vero dulces* e. q. s. — *anhelans libertus*] "qui, ut studium suum demonstret, et ne quis alius se praevertat celerrime ad aedes meas accurrat et primo mane me expergefaciat." — 9. *incertus futuri*] Alia exempla huius adiectivi cum genetivo iuncti ex Taciti libris collegit Nipperdey ad Ann. 13, 66, 13. Heraeus ad Hist. 2, 46, 2. — *testamentum pro pignore*] "in quo princeps heres ex parte scriptus sit, ut ratum esse sinat neque rescindat aut patrimonium meum in fiscum cogat." cf. Agr. 43. — 11. *fatalis et meus dies*] Similiter in Inscr. Lat. ed. Orelli, 3023: HIC TVVS FATALIS DIES. Plaut. Poen. 4, 2, 82: *adoptavit hunc, cum diem obiit suum.* 5, 2, 110. Fronto (ed. Nab. p. 167) Epist. ad Anton. Pium 4, 1: *Niger Censorius diem suum obiit.* — *statuarque tumulo*] intellegit statuam in sepulchro collocatam. Verbo *statuere* sic usus est Ovidius Her. 2, 67: *Inter et Aegidas media statuaris in urbe.* Cic. pro Arch. 9, 22: *itaque etiam in sepulchro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore* (Ennius). Tac. Hist. 3, 74: *seque* (i. e. imaginem suam in marmore expressam) *in sinu dei sacravit.* De ablativo loci, omissa praepositione *in*, cf. Nipperdey ad Ann. 3, 61, 14. et Ann. 14, 10: *planctusque tumulo matris audiri.* — Alius quidem generis sed non minus honesta est Frontonis professio (ed. Nab. p. 235. Epist. de nepote amisso 2): *me autem consolatur aetas mea prope iam edita et morti proxima. Quae cum aderit, si noctis, si lucis id tempus erit, caelum quidem consalutabo discedens et quae mihi conscius sum protestabor: nihil in longo vitae meae spatio a me admissum, quod dedecori aut probro aut flagitio foret.*

sed hilaris et coronatus; et pro memoria mei nec consulat quisquam nec roget.'

(14) Vixdum finierat Maternus, concitatus et velut instinctus, cum Vipstanus Messalla cubiculum [eius] ingressus est, suspicatusque ex ipsa intentione singulorum altiorem inter eos esse sermonem 'Num parum tempestivus' inquit 'interveni secretum consilium aut causae alicuius meditationem tractantibus?'

'Minime, minime' inquit Secundus, 'atque adeo vellem maturius intervenisses; delectasset enim te et Apri nostri accuratissimus sermo, cum Maternum ut omne ingenium ac studium suum ad causas agendas converteret exhortatus est, et Materni pro carminibus suis laeta utque poetas defendi decebat, audentior et poetarum quam oratorum similior oratio.'

'Me vero' inquit 'et sermo iste infinita voluptate affecisset, atque id ipsum delectat, quod vos, viri optimi et temporum nostrorum oratores, non forensibus tantum negotiis et declamatorio studio ingenia vestra exercetis, sed eiusmodi etiam disputationes assumitis, quae et ingenium alunt et eruditionis ac litterarum iucundissimum oblectamentum cum vobis, qui ista disputatis, afferunt, tum etiam iis ad quorum

1. *mei* ABC: *mea* B. — 3. *cum*] *tum* ABC. — 4. *Vipstanus* C. A. Rupertus: *Vibanius* AC *Libanius* B *Urbanus* b. — [*eius*] Ernesti. — *est* del. Acidalius. — 6. *aut* Halm: *et* ABC. — 8. alterum *minime* om. A. — 11. *exhortatus* b et Puteolanus: *et hortatus* ABC. — *ut*[*ri*]*que* A. — 14. *vere* AC. — *et* del. Halm. — *iste* idem: *ipse* ABC (*et sermo iste et oratio* nos). — 18. *eruditiones* AC. — 19. *cum* om. C. — *ista* AB: *illa* b *iam* C.

1. *coronatus*] lauro, utpote poeta. — *consulat*] utrum statuae inscriptionesque mihi positae conservandae sint an abolendae; *roget* pro earum conservatione principem. Institt. l. IV, tit. 18, § 3: *Publica autem sunt haec: lex Julia maiestatis, quae in eos, qui contra imperatorem vel rem publicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit. Huius poena animae amissionem sustinet, et memoria rei etiam post mortem damnatur.* Supersunt haud paucae inscriptiones, in quibus saltem nomen damnati vel principis tyrannici occisi erasum est. — 3. *instinctus*] "quasi divino spiritu afflatus", ita ut quae scriptor de morte sua Maternum dicentem facit in fine orationis, ea quasi vaticinium quoddam post eventum proferre videatur. — 4. *Vipstanus Messalla*] orator celebratissimus, de quo v. Hist. 3, 9. 11. 18. 25. 4, 42 et prooemium editionis meae Lipsiensis p. 5. — 5. *altiorem*] "graviorem admodumque serium." — 6. *secretum consilium*] cf. *arcana semotae dictionis* c. 2. — 8. *inquit Secundus*] hunc enim Messallae respondere par est, cum utriusque sermonem silentio audierit nec verbum ipse immiscuerit. — 9. *Apri sermo* —, *Materni* — *oratio*] Secundus, qua est, ut ait Quintilianus, *infinita cura*, Apri sermonem, remissiorem illum quidem et quotidiano dicendi generi propiorem, distinguit a Materni oratione, quae est sublimior et spiritu ac magnificentia elatior. — 11. *pro carminibus suis*] non "ab ipso compositis", sed "quae defendit quaeque oratoriae eloquentiae longe praefert." Sic c. 27: *maiores tuos* "quos tantopere praedicas." — *laeta*] cf. c. 21: *laetitiam nitoremque nostrorum temporum.* Quint. 12, 10, 80: *laeta, non luxuriosa.* Seneca Contr. 2. praef. de Fabiano: *oratio — magis lasciva quam laeta.* — 14. *et sermo iste*] locus corruptissimus. *ipse*, quod ferri non posse vel quae secuntur: *atque id ipsum* ostendunt, Halmius certa emendatione mutavit in *iste; et* — *atque* idem valere quod *et* — *et* certis exemplis probatum non est, nec *sermo* utrum intellegendus sit Apri ille *accuratissimus sermo* an tota inter Aprum et Maternum orta disputatio, satis apparet. Hae difficultates omnes coniectura mea, quam audaciorem esse fateor, tolluntur. — 15. *temporum nostrorum oratores*] qui honorifico hoc nomine digniores estis quam causidicorum turba. cf. c. 15: *cum neminem hoc tempore oratorem esse contenderes.* c. 32: *ut denique oratorem esse fateatur.* Et c. 1 *oratores* opponuntur *causidicis, patronis, advocatis.* — 18. *ingenium alunt*] cf. c. 33: *confirmare et alere ingenia sua.* Cic. Brut. 33, 126: *non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.*

aures pervenerint. itaque hercle non minus probari video in te, Secunde, quod Iulii Africani vitam componendo spem hominibus fecisti plurium eiusmodi librorum, quam *improbari* in Apro, quod nondum ab scholasticis controversiis recessit et otium suum mavult novorum rhetorum more quam veterum oratorum consumere.'

(15) Tum Aper 'Non desinis, Messalla, vetera tantum et antiqua mirari, nostrorum autem temporum studia irridere atque contemnere. nam hunc tuum sermonem saepe excepi, cum oblitus et tuae et fratris tui eloquentiae neminem hoc tempore oratorem esse contenderes; atque id eo, credo, audacius, quod malignitatis opinionem non verebaris, cum eam gloriam quam tibi alii concedunt ipse tibi denegares.'

'Neque illius' inquit 'sermonis mei paenitentiam ago, neque aut Secundum aut Maternum aut te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo. ac velim impetratum ab aliquo vestrum ut causas huius infinitae differentiae scrutetur ac reddat, quas mecum ipse plerumque conquiro. et quod quibusdam solacio est, mihi auget quaestionem, quia video etiam Graiis accidisse, ut

2. *Africani* Nipperdey: *asiatici* ABC. — 3. *improbari* nos inseruimus. — *a* C — 5. *consumere* corr. e *consuetudine* B *consuetudine consumere* Meiser. — 6. *non* B: *num* A C. — 9. *atque id* Lipsius: *antiquis* ABC *parem antiquis* idem Lipsius. — 10. *malignitatis* Rhenanus: *malignis iis* AB *maligni iniis* C *maligni iudicis* Acidalius. — 11. *ipsi* AC. — 13. *in* om. B. — 16. *conquiro* ABC, sed litteris *con* suprascr. *in*. — 17. *Graiis* Puteolanus: *gratis* ABC *Graecis* Dronke. —

2. *Julii Africani*] clarissimi oratoris, cui Quintilianus (10, 1, 118) unum Domitium Afrum ut parem adiungit. — Addit autem: *hic concitatior, sed in cura verborum nimius et compositione nonnumquam longior et translationibus parum modicus.* Adde Tac. Ann. 6, 7. — Hanc emendationem protulit et probavit Nipperdeius mus. Rhen. 19, 477. — 3. *improbari*] de hac voce a me inserta cf. Emendationes meas p. 143. Neque enim potest credi Messalla intra eiusdem enuntiati ambitum Secundum serio laudare, quod clari oratoris vitam composuerit, Apri autem studia per irrisionem (cuius quidem in ipsis verbis nullum est vestigium) probare, quod rhetoras suorum temporum imitetur. Nullum autem certius lacunae a me suppletae indicium est, quam collocatio vocabulorum. Neque enim praecedit; *non minus in te, Secunde, probari video*, sed: *non minus probari video in te, Secunde*, quibus verbis non possunt opponi nisi haec: *quam improbari in Apro.* — Probari autem Secundi studia Aprique improbari Messalla ab omnibus dicit, qui secum sentiant. — *scholasticis controversiis*] de his plura narrantur c. 35. — 8. *fratris tui*] M. Aquilii Reguli, de quo Hist. 4, 42. A Plinio aliquoties (1, 5. 2, 20. 4, 2. 7. 6, 2) tamquam flagitiosissimus delator vituperatur; contra Martialis 1, 12. 82. 111 eius virtutes magnopere praedicat et 4, 16, 5 eum Ciceroni prope aequiparat. — 10. *quod — non verebaris*] idem quod: "quod causa nulla erat, cur vererēris." — 12. *sermonis mei paenitentiam ago*] plane ut Petron. c. 132: *paenitentiam agere sermonis mei coepi.* — 13. *quamquam* c. coniunctivo item c. 21. 26. 34 ac saepissime apud Tacitum in libris historicis. cf. Gerber, l. l. p. 33. — 16. *solacio*] quia fatalis quaedam necessitas videtur, cui resistere nemo possit. — 17. *quaestionem*] quaestionis huius pondus ac dubitationes inde nascentes de causis huius differentiae. — *Graiis*] non spernenda haec forma, qua et alii scriptores utuntur, veluti Nepos praef. 3. Them. 9, 2. Alcib. 7, 4. Eumen. 1, 5 aliique. — Ceterum verba: *etiam Graiis — ut longius absit* ad severam cogitandi rationem accommodata non sunt. Nam qui hanc secutus erit, is particulam *etiam*, qua Graeci Romanis adiunguntur, eo valore dicet, ut etiam apud Romanos Sacerdos iste Nicetes ab Aeschine et Demosthene longius abesse dicatur quam e. q. s. — Accedit, quod *etiam* si non desiderari, attamen bene se habere videtur ante *longius.* Quae causae fuerunt, cur in Emend. meis p. 114 conicerem: '*quia video idem Graecis accidisse, ut etiam longius.* — 1. *Sacerdos iste Nicetes*] Fuit Smyrnaeus, rhetor et sophista satis clarus, sed genere dicendi inflato et dithyrambico a vetere eloquentia alienus. Reliquiae eius extant apud Sen. Contr. 1, 5 p. 108. 7 p. 124. 8 p. 130. 4, 25 p. 285. 29 p. 316. 6, 31 p. 338. 33 p. 352. 34 p. 363 Bip. Hess. Plin. Ep. 6, 6, 3: *Iulius Naso — prope quotidie ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quintilianum, Nicetem Sacerdotem ventitabat.* Philostr. Vit. Soph. 1, 19 (Op. ed. Kayser p. 216).

longius absit *ab* Aeschine et Demosthene Sacerdos iste Nicetes et si quis alius Ephesum vel Mytilenas concentu scholasticorum et clamoribus quatit, quam Afer aut Africanus aut vos ipsi a Cicerone aut Asinio recessistis.'

(16) 'Magnam' inquit Secundus 'et dignam tractatu quaestionem movisti. sed quis eam iustius explicabit quam tu, ad cuius summam eruditionem et praestantissimum ingenium cura quoque et meditatio accessit?'

Et Messalla 'Aperiam' inquit 'cogitationes meas, si illud a vobis ante impetravero, ut vos quoque sermonem hunc nostrum adiuvetis'.

'Pro duobus' inquit Maternus 'promitto. nam et ego et Secundus exsequemur eas partes, quas intellexerimus te non tam omisisse quam nobis reliquisse. Aprum enim solere dissentire et tu paulo ante dixisti, et ipse satis manifestus est iamdudum in contrarium accingi nec aequo animo perferre hanc nostram pro antiquorum laude concordiam'.

'Non enim' inquit Aper 'inauditum et indefensum saeculum nostrum patiar hac vestra conspiratione damnari. sed hoc primum interrogabo, quos vocetis antiquos, quam oratorum aetatem significatione ista determinetis. ego enim cum audio antiquos, quosdam veteres et olim natos intellego; ac mihi versantur ante oculos Ulixes ac Nestor, quorum aetas mille fere et trecentis annis saeculum nostrum antecedit; vos autem Demosthenem et Hyperidem profertis, quos satis constat Philippi et Alexandri temporibus floruisse, ita tamen ut utrique superstites essent. ex quo apparet non multo plures quam quadringentos annos

1. *absit* A B c: *abiisset* C. — *ab* additum in margine Francofurtanae a. 1542. — *iste*] *ille* Halm. — *Nicetes* Lipsius: *enitet* A B C. — 2. *Mitylenas* A. — *concentu* Orelli: *concentus* A B *contentus* C *contentionibus* Baehrens. — 3. *nos* C (*nos . . . recessimus nos olim*) — *aut ab Asinio* C. — 5. *movisti* Lipsius: *movistis* A B C. — 8. *si* om. A C. — *istud* A B. — 13. *ipsū* et *manifestū* B corr. — 19. *ac* A B: *et* C. — 21. *profer*[*i*]*tis* A *proferatis* B. — 23. *quadringentos* Lipsius: *trecentos* A B C.

2. *concentu*] sic bene Orellius, secutus illud Frontonis Epist. ad M. Caesarem 1, 8 (ed. Nab. p. 21): *quantas in oratione mea clamores concitarit quantoque concentu laudantium sit exceptum.* Simili hyperbola utitur Iuvenalis 1, 12. — 3. *vos recessistis*] conieci (Em. p. 114) *nos — recessimus* (coll. c. 32: *cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus*), ne Messalla se ipsum ex eorum numero excipere videretur, quos longe dicit a Cicerone aut Asinio recessisse. An ideo hoc loco suam ipsius eloquentiam silentio praetermisisse credi potest, quia laudem oratoriam ab aliis sibi concessam ipse sibi denegavit neque ipse se in oratorum numerum rettulit? — 8] *si illud a vobis ante impetravero*] (Cic. de orat. 2, 7, 27: *nisi prius a vobis impetraro*) cf. c. 18: *si illud ante praedixero.* c. 28: *si prius de — pauca praedixero*, quorum locorum utroque pleonasmus notandus est. (ut Ann. 11, 7, 8 *ante providerit.* Plin. Ep. 10, 67 (15), 2: *ut ante praedixi.* Cic. Phil. 6, 3, 5: *ante praedico*). — 13. *manifestus est — accingi*] Simili Graecismo Ann. 2, 57, 13: *atrox ac dissentire manifestus.* — 15. *non — inauditum — saeculum nostrum patiar — damnari*] similiter in eiusdem Apri oratione c. 5: *non patiar Maternum societate plurium defendi* et c. 10: *non paterer immanes istos — lacertos levitate iaculi — vanescere.* — *inauditum et indefensum*] eadem vocabula iungit Tac. Ann. 2, 77, 10. Hist. 1, 6, 6. 2, 10, 12. — 18. *audio antiquos*] similiter *auditos* c. 7. — 19. *Ulixes ac Nestor*] praestantissimi apud Homerum oratores (A 249). — 20. *mille fere et trecentis*] Ex Eratosthenis rationibus Troiae excidium incidit in annum a. Chr. 1183; additis iam post Chr. a. 77 conficiuntur anni 1260. — 23. *quadringentos*] Demosthenes veneno sumpto periit a. a. Chr. 322 et eodem fere tempore Hyperides ab Antipatro interfectus est. Cum autem *aetas* [Demosthenis morte eius aliquot annis superior fuerit, inter hanc aetatem et a. p. Chr. 77, quo hic Dialogus habitus est, paulio plures quam quadringenti anni conficiuntur.

interesse inter nostram et Demosthenis aetatem. quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur; si ad naturam saeculorum ac † respectum immensi huius aevi, perquam breve et in proximo est. nam si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum existet, isque annus horum quos nos vocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, † incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed etiam eodem mense extitisse. (17) sed transeo ad Latinos oratores, in quibus non Menenium, ut puto, Agrippam, qui potest videri antiquus, nostrorum temporum disertis anteponere soletis, sed Ciceronem et Caesarem et Caelium et Calvum et Brutum et Asinium et Messallam. quos quid antiquis temporibus potius adscribatis quam nostris, non video. nam ut de Cicerone ipso loquar, Hirtio nempe et Pansa consulibus, ut Tiro libertus eius

3. *videtur* C. — *si* om. C. — *saeculorum*] *siderum* Usener. — *ac respectu* Spengel *atque spatium* Maehly, observationes de Drusi atque Maecenatis epicediis deque Taciteo dialago criticae. Basel 1873 p. 23. — *huius*] *totius* Michaelis. — 5. [*ait*] *scribit* A. — 7. *nongentos* J. Nic. Loensis: *VIII* (C) B *dccc* (tos) C *VCC* (tos) A. — 8. *incipit*] *ille ipse* nos, del. Halm. — *vester* B (*este* in lit.) C: *videtur* A. — 9. post *fingitis* B add. *videturque*. — *etiam* Michaelis: *fama* AB (corr. *fere*) C. — *mense* AB: *modo* C. — 10. *me nimium* AC. — 11. *ut puta* Halm. — 12. *Coelium* B *alium* AC. — 13. *potius temporibus* B. — 14. *adscribitis* C. — 15. *ipse* C.

2. *fortasse — videatur*] de particula *fortasse* cum coniunctivo coniuncta cf. Hand Turs. II p 727. — 3. *ac respectum*] Plerique *ac respectu*, Spengelii coniecturam, receperunt. Mihi magis arridet *atque spatium*, quod Maehly excogitavit, quoniam accusativus ad eandem praepositionem *ad* referendus ad restituendam concinnitatem sermonis aptior videtur. — 4. *in Hortensio*] sive de philosophia. Vide Cic. ed. Orelli IV. p. 982, ubi idem locus affertur etiam ex Servio ad Virg. Aen. 1, 269. 3, 284. Sed Tacitus accuratius servavit ipsa Ciceronis verba, id quod apparet vel ex variatione, qua Servius utitur: *omnibus planetis* (voc. postremae latinitatis) *in eundem recurrentibus locum*. Cf. etiam Cic. in Somn. Scip. 22: *ille vere vertens annus* e. q. s. — 8. *incipit*] De hac corruptela vide Emend. meas p. 116 et Halmii comm. crit. Cum infinitivo *extitisse* non *incipit* (inepte enim ad defendendam coniunctionem verborum *incipit — extitisse* comparant quae leguntur c. 11: *ingredi famam auspicatus sum*), sed *videtur*, quod in A et B servatum est, esse coniungendum et ego et Halmius perspexit. Nos *vester* servavimus et codicem Leidensem secuti (in quo est *fingitis, videturque*) scripsimus: *fingitis, videtur*. Verius, ut videtur, Halmius, qui codicis Vaticani scriptura usus, in locum pronominis *vester* substituit *videtur*. *Incipit* autem Halmius inclusit, quod vocabulum lectione *videtur* in *vester* corrupta additum esse arbitratur, ne enuntiatum verbo suo careret; ego ex *incipit* effeci *ille ipse*. Harum sententiarum utra vera sit, non diiudico. — 11. *antiquus*] annis ante hunc Dialogum habitum 571. (Liv. 2, 32). — 12. *Caesarem*] De huius eloquentia Atticus apud Cic. Brut. 72, 252: *illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime*. — *Caelium*] M. Caelius Rufus, cuius extant epistulae apud Cic. ad Fam. VIII, Caesaris adversarius, Ciceronis amicus ab eoque defensus, interfectus est a. 48. De eloquentia eius Cic. Brut. 79, 273 et Quint. 10, 1, 115: *multum ingenii in Caelio, et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset*. — 13. *Calvum*] C. Licinius Calvus, epigrammatum scriptor et amicus Catulli, Ciceronis tamquam parum Attici in arte dicendi obtrectator, mortuus est eodem quo Caelius anno. De hoc Cic. Brut. 82, 283. — *Brutum*] M. Iunius Brutus, is qui Caesarem interfecit, Ciceroni familiarissimus. Quod de eloquentia eius c. 21 iudicatur, confirmat Quintilianus, cum dicit 10, 1, 123 eum in philosophia *egregium — multoque quam in orationibus praestantiorem fuisse*. — *Asinium*] C. Asinius Pollio, amicus Augusti, orator, rerum gestarum scriptor idemque poeta. Scripsit tragoedias et civilium bellorum historiam. — *Messallam*] De Valerii Messallae, item Augusto amicissimi et Asinii eloquentia vide c. 21. — 15. *Tiro*] M. Tullius Tiro, doctissimus ille Ciceronis libertus, vitam patroni scripsit.

scribit, septimo Idus *Decembres* occisus est, quo anno divus Augustus in locum Pansae et Hirtii se et Q. Pedium consules suffecit. statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit; adiice Tiberii tres et viginti, et prope quadriennium Gai, ac bis quaternos denos Claudii et Neronis annos, atque illum Galbae et Othonis et Vitellii longum et unum annum, ac sextam iam felicis huius principatus stationem, qua Vespasianus rem publicam fovet: centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas. nam ipse ego in Britannia vidi senem, qui se fateretur ei pugnae interfuisse qua Caesarem inferentem arma Britanni arcere litoribus et pellere aggressi sunt. ita si eum, qui armatus C. Caesari restitit, vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset, aeque idem et Caesarem ipsum et Ciceronem audire potuit et nostris quoque actionibus interesse. proximo quidem congiario ipsi vidistis plerosque senes, qui se a divo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant. ex quo colligi potest et Corvinum ab illis et Asinium audiri potuisse: nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit. ne dividatis

1. *scribit* nos: *scripsit* ABC. — *septimum* A. — *Decembres* add. Lipsius: lacunam indicant bC. — *divus* om. C. — 3. *sex* Lipsius: *novem* ABC *septem* Steiner. — 5. *illum*] *istum* AB *ipsum* C. — 6. *sexennem iam* Meiser [*sextam iam*] Nipperdey. — 7. *centum et decem* AB. — 9. *fatebatur* C. — *ei* Muretus: *et* ABC. — 10. *Britanni* Ernesti: *britanniae* ABC *Britannis* Bipontini. — 13. *aeque idem* Spengel: *et quidem* ABC. — *et* (ante *Caesarem*) om. B. — 15. [*quoque*] nos, eandem particulam post *ipsi* v. 14 transponit Helmreich, Blätter f. d. bayr. Gymn. X. — 17. *Corvinus—Asinius*] *Asinius—Corvinus* Borghesi. — *medium*] *extremum* Nipperdey.

1. *scribit*] ut supra c. 16: *ut Cicero in Hortensio scribit.* — 6. *longum*] "multitudine, varietate, atrocitate casuum multos unus annus aequiparare videbatur et taedium sui movebat viventibus." — *sextam iam*] Singulari usu hoc loco Tacitus singulos imperii annos *stationes* vocasse videtur. Aliis enim locis *statio* susceptum imperium ipsum significat. Sic Ovid. Trist. 2, 219: *scilicet imperii, princeps, statione relicta.* Vell. 2, 131, 2. Plin. Pan. 7, 3. Anton. Pius in Epistulis Frontonis ad Anton. P. 6 (ed. Nab. p. 168): *hunc diem, quo me suscipere hanc stationem* (principatus) *placuit.* Haec significatio sic poterit h. l. servari, ut Meiserum secuti scribamus: *sexennem iam stationem.* Nam sextam Vespasiani stationem intelligere eam, quae quinque illas Augusti, Tiberii reliquorum secuta sit, non licet, quoniam numerus deesse non potest eorum annorum, qui ex quo Vespasianus rerum potitus est, praeterierunt. — Postremo singulorum imperiorum annis computatis conficiuntur anni 118, non 120. Quae differentia utrum emendatione tollenda an nulla sit habenda, in incerto est: hoc constat, hunc Dialogum 120 annis (legimus enim: *ab interitu Ciceronis in hunc diem*) post Ciceronis obitum, i. e. a. p. Chr. 77 habitum esse. — 8. *colliguntur*] Sic etiam Germ. 37. Plin. H. N. 13, 27: *ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXXV.* — 9. *fateretur*] infra in enuntiato simillimo legitur indicativus (*qui — narrabant*). — *ei pugnae*] bis in Britanniam traiecit Caesar a. 55 et 54. Ergo senex ille, quem Aper in Britannia vidit, solitum modum vitae humanae longe transiit. — 14. *proximo — congiario*] quod quidem Titi nomine datum est, ut ex nummis constat, a. 73; duo ultima autem Augusti congiaria incidunt in a. 24 et 12. Cf. Broterium in Taciti Ed. minore Vol. VI. p. 361. — 15. *quoque*] de hac particula, quae suspicionem movet, cf. Emendat. meas p. 171. — 17. *Corvinus*] De Borghesii et Nipperdei coniecturis, quibus uterque depravatam, ut videtur, temporum rationem hoc loco emendare aggressi sunt, vide doctissimam et copiosissimam Nipperdei disputationem Mus. Rhen. vol. XIX p. 280 sq. — 18. *ad extremum duravit*] ut Ann. 3, 16: *qui nostram ad iuventam duraverunt.*

saeculum, et antiquos ac veteres vocitetis oratores quos eorundem hominum aures agnoscere ac velut coniungere et copulare potuerunt. (18) haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eam docerem in medio sitam et propiorem nobis quam Servio Galbae aut C. *Laelio aut C.* Carboni quosque alios merito antiquos vocaverimus. sunt enim horridi et impoliti et rudes et informes et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut Caelius aut ipse Cicero. agere enim fortius iam et audentius volo, si illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera dicendi. sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis elaboratus. nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi; nec statim deterius esse quod diversum est; vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. num dubitamus inventos qui pro Catone Appium Caecum [magis] mirarentur? satis

1. *antiquos ac recentes* Eckstein. — *vocitetis* C: *vocetis* A B. — 4. *eam* Halm: *eandem* ABC. — 5. *Laelio aut C* suppl. Ritter. — 7. *in ulla* C *ne in illa* Muretus *ne illa* Halm. — 9. *istud* AB. — 12. *mitior*] *nitidior* Michaelis. — 14. *in* B supra versum add., om. A C. — 18. *prae* Groslotius. — [*magis*] Schurzfleisch, servans *pro*.

1. *antiquos ac veteres*] Speciosa sane Ecksteinii coniectura et, ut videtur, ad relativum, quod sequitur, enuntiatum aptissima, nec tamen recipienda. Nam illius relativi enuntiati sententia haec est: "quos una hominum aetas, qui memoria sua totum vitae spatium amplectuntur, agnoscere ac velut coniungere potuit cum eis, quos ad ultimam iam senectutem provecta nostris temporibus vidit." — 4. *temporibus*] dativum intellege, ut haec sit sententia: "si hi oratores totam aetatem suam illustrant." — *eam*] rectissime Halmius; neque enim duae quaedam res, sed una tantum laudis illius propria esse dicitur. Possis etiam: *eam laudem*. — 5. *Galbae*] Ser. Sulpicio Galbae, consuli a. 144. Duas orationes eius, quae extabant, memorat Liv. Perioch. 49. De eodem Cic. Brut. 21, 82: *et nimirum is princeps ex latinis illa oratorum propria et quasi legituma opera tractavit, ut egrederetur a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret. Sed nescio quo modo huius — exiliores orationes sunt — quam aut Laeli aut Scipionis aut etiam ipsius Catonis; itaque evanuerunt, vix iam ut appareant.* — *Laelio aut C.* certa emendatione supplevit Ritterus ex eis, quae Messalla respondet c. 25 extr. — De C. Laelio, amico Scipionis minoris, cui cognomen erat Sapienti, Cic. Brut. 21, 84: *ingenii, litterarum, eloquentiae, sapientiae denique, etsi utrique* (Scipioni et Laelio) *primas, priores tamen lubenter deferunt Laelio.* — *C. Carboni*] C. Papirius Carbo, trib. pl. seditiosus, a. 131 Gracchorum socius, consul a. 120. Cic. de or. 1, 10, 40. Brut. 27, 105. Ceterum de his omnibus consulendi sunt notissimi Ellendtii, Meyeri, Westermanni libri. — 6. *rudes et informes* ut c. 20: *rudi caemento et informibus tegulis.* Ann. 12, 35 *rudes et informes saxorum conpages.* — 8. *agere — fortius — et audentius*] Similia huius verbi exempla congessit Heraeus ad Hist. 3, 2, 5. — 10. *C. Gracchus*] de hoc Cic. Brut. 33, 125: *noli enim putare quemquam — pleniorem aut uberiorem ad dicendum fuisse.* — 11. *Crassus*] L. Licinius Crassus, mortuus a. 91, M. Antonii aemulus ac celeberrimus illius aetatis orator, cum multarum aliarum rerum, tum iuris civilis scientia praestabat. — *distinctior*] cf. Quint. 5, 14, 33: *sermone puro et dilucido et distincto.* — 12. *altior*] idem fere quod *elatus* apud Quint. 12, 10, 39: *et non supra modum elatus M. Tullius?* — *mitior Corvinus*] Quint. 10 1, 113: *Messalla nitidus et candidus et quodam modo praeferens in dicendo nobilitatem suam;* de seqq. *in — elaboratus* Sen. Controv. 2, 12 (p. 171 Bip.): *latini utique sermonis observator diligentissimus.* Walth. — 17. *praesentia*] Sic Vell. 2, 92, 4: *praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur, et his nos obrui, illis instrui credimus.* Fronto, principia historiae (ed. Nab. p. 204): *fortia facinora viventium gravatius, mortuorum gratius accipi: faveri praeteritis, invideri praesentibus.* Agr. 1 in. Ann. 2, 88 extr. Hor. Carm. 3, 24, 31. Soph. Ai. 964. — *num dubitamus*]. Sequitur acc. c. inf., non *quin* particula, ut Ann. 2, 26, 4. 43, 18. 4, 70, 18. 6, 19, 3. 12, 61, 10. 15, 73, 6. — 18. *inventos*] scilicet Catonis temporibus. — *Appium Caecum*] eius oratio de foedere Pyrrhi habita (a. 279) exstabat adhuc Ciceronis temporibus (Brut. 16, 61). — De *magis* a Schurzfleischio deleto v. Emend. meas p. 172 et c. 23: *qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt.*

constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum Atticus videretur. legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistulas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam f r a c t u m a t q u e e l u m b e m. si me interroges, omnes mihi videntur verum dixisse. sed mox ad singulos veniam: nunc mihi cum universis negotium est. (19) nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, [qui usque ad] Cassium Severum, [faciunt] quem primum affirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad aliud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. facile perferebat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum orationum

3. *Atticus* Ursinus: *antiquus* A B C. — *videtur* C. — 5. *aridum* Schulting: *attritum* A B C. — 6. *deiunctum* B *discinctum* Rutgersius et Lipsius. — "*quidem a Calvo*" B. — 7. *quidem autem* A B, sed B *quidem* del. — 8. *interrogas* C. — 9. *venias* A *veniā* * B. — 11. *solent qui usque ad cassium quem reum* (*Cassium Severum* Puteolanus) *faciunt quem primum* libri, nisi quod in B est an [*qui*]. locum interpolationibus liberaverunt Michaelis et Peerlkamp. — 12. *ista* A B. — *dicendi directa* B. — 14. *aliud* nos: *illud* A B C. — 15. *et] ex* nos. — 16. *et speciem* B. — 17. *iste* A B. — *imperitissimarum* A B C, emend. Muretus.

1. *ne Ciceroni quidem*] Quint. 12, 10, 12: *quem* (M. Tullium) *tamen et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem et Asianum et redundantem et in repetitionibus nimium et in salibus aliquando frigidum et in compositione fractum, exultantem, acpaene, quod procul absit, viro molliorem* (coll. 12, 1, 22). — 3. *parum Atticus*] "non satis pressus". Quint. 12, 10, 14: *praecipue vero presserunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupierant.* Cic. Brut. 82-87. de opt. gen. orat. 2 seqq. — 5. *exsanguem et aridum*] Auctor ad Her. 4, 11, 16: *veniunt ad aridum et exsangue genus orationis, quod non alienum est exile nominari.* Hess. Cic. Brut. 83, 283: *Calvus . . . metuens, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata* c. q. s. Quint. 10, 1, 115. — *otiosum*] de *lentitudine* et *tepore* Bruti Aper disserit c. 21. — 6. *diiunctum*] "in minutas sententias divisum et periodorum ambitu carentem". — *rursusque*] cf. Hist. 5, 4: *profana illic omnia, quae apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quae nobis incesta.* — *tamquam*] Haec particula, ut c. 32 extr., alienam (i. e. Calvi) sententiam ita a scriptore proferri significat, ut nullum insit de veritate eius sententiae iudicium. Taciteа exempla congessit Nipperdey ad Ann. 3, 72, 9. — 7. *tamquam fractum atque elumbem*] idem fere quod *solutum et enervem.* Quint. 12, 10, 12 refert Ciceronem multis aequalibus visum esse *in compositione fractum ac paene viro molliorem.* — 10. *hunc*] scilicet Cassium Severum. De huius procaci eloquentia ac fatis v. Ann. 1, 72. 4, 21. Clinton F. R. I p. 19. Mortuus est a. p. Chr. 33. — 12. *flexisse*] Huius verbi, ut videtur, non inveniuntur exempla ita comparata, ut desit vocabulo significatio finis, ad quem quid flectatur. — *directa*] sine ambagibus et quaesitis artificiis. Comparant Cic. Cael. 17, 41: *directum iter ad laudem.* Fin. 1, 18, 57. — 14. *aliud*] de hac coniectura mea vide Emend. meas p. 119. — *intellectu*] i. e. *prudentia*, Kunstverstand (Orat. 8, 24), vel *intellegentia* (Off. 2, 9, 34). Vell. 1, 13, 5 *rudem Corinthiorum intellectum.* — 15. *cum condicione temporum* c. q. s.] "ad exemplum atque normam condicionis temporum, quae semper mutatur, et diversitatis aurium qualibet aetate conspicuae". — *aurium*] Ann. 13, 3: *Senecae ingenium — temporis eius auribus accommodatum;* et sic persaepe Quintilianus de auditorum iudicio. — 17. *impeditissimarum*] de hoc vitio Quint. 8, 6, 42: *oratio longa et impedita, ut in quaestionibus eam iudices similem agmini totidem lixas habenti quot milites, in quo et numerus est duplex nec duplum virium.*

spatia, atque id ipsum laudabat, si dicendo quis diem eximeret. iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quodsi quis odoratus philosophiam videretur et ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. nec mirum: erant enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. at hercule pervulgatis iam omnibus, cum vix in cortina quisquam adsistat, quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices qui vi et potestate, non iure aut legibus cognoscunt, nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec exspectandum habent oratorem dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur. (20) quis nunc

1. *laudi dabatur* C. — 4. *et* om. C. — 5. *quodsi*] *quin si* Baehrens. — *adoratus* AC. — *videretur* B: *videtur* AC. — 6. *inserere* B. — *ferebantur* A. — 7. *erant* B: *erat* AC. — 9. *pervulgatis his iam* Baehrens. — *corona* Ursinus *contione* Helmreich, Blätter f. d. bayr. Gymn. X. (*cum vix quisquam in corona* vel *cum in corona vix quisquam* Baehrens). — 10. *quin* Muretus: *qui* ABC. —
iti
etsi] *si* Acidalius. — *et certe* C. — 11. [*ge*]*neribus* B. — 13. *vi* om. A, supra versum add. B. — *aut*] *et* C. — 14. *expectantem* AB.

1. *diem eximeret*] perorans usque ad solis occasum, ne, dimisso senatu, ceteri senatores suas sententias dicere possent. Idem fiebat in iudiciis. Quam quidem artem callebat Cato Uticensis. Cf. Schol. Bob. pro Planc. ed. Orell. p. 259. Hinc a Pompeio clepsydra instituta. cf. c. 38. — Coniunctivus autem, qui sequitur particulam *si* (similiter infra: *quodsi quis — videretur*) rem saepius repetitam significat. Cf. Hist. 2, 5: *ac, si res posceret, manu hostibus obniti.* Cf. Heraeus ad Hist. 1, 49, 13. — 2. *alte*] cf. Hist. 4, 12: *altius expediam.* Ann. 3, 25: *altius disseram.* Virg. Georg. 4, 285: *altius omnem Expediam prima repetens ab origine famam.* Tac. Hist. 2, 27: *quam altiore initio — repetam.* — 4. *Hermagorae*] Qui hic memoratur, distinguendus est a maiore, aequali Ciceronis, qui eum memorat de inv. 1, 6, 8. Brut. 76, 263. Hermagoras minor Temno oriundus, Theodori Gadareni discipulus, Carion dictus, qui sub Augusto Romae vixit ibique aetate provectior mortuus est. Hess. Inter eius libros Suidas in v. ed. Bernhardy Ib. p. 522 commemorat τέχνας ῥητορικὰς ἐν βιβλίοις ἕξ, — περὶ φράσεως, περὶ σχημάτων κ. τ. λ. — *Apollodori*] Pergamenus hic praeceptor Caesaris Octaviani Apolloniae fuit (Suet. Octav. 89. Quint. 3, 1, 17), cuius sectam qui sequebantur, Apollodorei sunt appellati. Strab. 13, 4, 3. Hess. — 5. *odoratus*] *odorari* aliquid eam vim, ut sit idem atque: *libare* aliquid, apud alios scriptores non habet. Cf. Schaubach, de vocum quarundam, quae in Taciti Dialogo leguntur, vi ac potestate. Progr. Meiningen. 1857. p. 11. — 9. *cortina*] videtur ἀψὶς basilicarum, in quibus iudicia centumviralia habebantur, significari. Halmius. Dissimilis locus Severi Aetna v. 293: *magni cortina theatri.* Sententiam autem particula *vix* apposita hanc esse ostendit: "cum vel homines illi de vulgo qui in cortina assistunt, iam elementis saltem studiorum imbuti sint." — 10. *adsistat*] de eo qui audit item c. 20: *vulgus quoque adsistentium*, de eo qui dicit, c. 6: *assistendique inter tacentes.* — 11. *itineribus*] Non prorsus similia sunt Ciceroniana illa quae comparant: *itinere disputationis* (de orat. 2, 57, 234) et *iter huius sermonis* (de leg. 1, 13, 37). Recte tamen hanc vocem convenire dicunt cum verbo, quod sequitur, *effugiat.* Nec dissimiliter Tac. Ann. 2, 5: *tractare proeliorum vias.* Thuc. 1, 122: ὁδοὶ πολέμου, quem locum affert Nipperdey. — 15. *saepe ultro admonent*] cf. c. 39: *quia saepe interrogat iudex, quando incipias.* — 16. *festinare*] Quint. 4, 5, 10: *festinat enim iudex ad id quod potentissimum est, et velut obligatum promisso patronum, si est patientior, tacitus appellat; si vel occupatus vel in aliqua potestate, vel etiam sic moribus compositus, cum convicio efflagitat.* Hess. 4, 1, 72.

feret oratorem de infirmitate valitudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. quis quinque in Verrem libros exspectabit? quis de exceptione et formula perpetietur illa immensa volumina quae pro M. Tullio aut Aulo Caecina legimus? praecurrit hoc tempore iudex dicentem, et nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur [dicentem]. volgus quoque assistentium et affluens et vagus auditor assuevit iam exigere laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis tristem et impexam antiquitatem quam si quis in scaena Roscii aut Turpionis Ambivii exprimere gestus velit. iam vero iuvenes et in ipsa studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non solum audire sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt; traduntque in vicem ac saepe in colonias et provincias

3. *de* supra versum add. B, om. A C. — *illa* b C: *ista* A B. — 4. *aut*] *et* B. — 5. *dicentes* A B, sed B corr. — 6. *adversatur* C. — [*dicentem*] Schele. — 7. "*et vagus* "*et affluens* B. — 9. *imperam* C. — *scenam* A B C. — *Q. Roscii* Boetticher. — 10. *Ambivii* Lipsius: *aut ambivii* A B C. — 12. *nec solum* A B. — *adire* C. — 13. *et provincias* B C: *ac provincias* A.

2. *principia Corvini*] Aliter Quintilianus 4, 1, 8: *quaedam in his quoque commendatio tacita, si nos infirmos, imparatos, impares agentium contra ingeniis dixerimus, qualia sunt pleraque Messallae prooemia. Est enim naturalis favor pro laborantibus, et iudex religiosus libentissime patronum audit, quem iustitiae suae minime timet.* Hess. — *expectabit*] "quis nunc tolerabit et ad finem usque audiet eiusmodi orationes, quales sunt quinque illae Actionis secundae in Verrem, quas patienter vix legimus?" Cic. de or. 1, 36, 166: *Potes — oratores putare eos, quos multas horas expectavit?* — 3. *de exceptione*] Ulpianus Dig. 44, 1, 2: *Exceptio dicta est quasi quaedam exclusio, quae opponi actioni cuiusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum est.* Erant exceptiones aut peremptoriae, quae litem finiebant, aut dilatoriae, quae eam differebant. Reus autem contra actionem ita se tueri poterat, ut aut factum negaret, aut iure factum contenderet, aut novum aliquid afferret, quo actionem eliderct, quae ratio proprie *exceptio* appellabatur. *Formula* in re forensi est modus, norma, ratio lege praescripta, sive in verbis sive in factis servanda, ut ritus et ratio testamentorum, certa et concepta verba in actionibus, stipulationibus, iudiciis cet. Forcell. In iudiciis vero, ut adnotavit Ecksteinius, saepissime de eo agebatur, utrum recta formula electa sit ab actore necne, et, si quidem recta, an ad rem, qua de agebatur, apte concepta. H. — 4. *pro M. Tullio*] fragmenta huius orationis ab A. Maio et Amad. Peyronio in palimpsestis bibliothecae Mediolanensis et Taurinensis inventa edita sunt una cum fragm. orationum pro Scauro et Flacco a Cramer et Heinrich. Kil. 1816. 4. Exstant etiam in Analect. litter. cur. Huschke. — *Aulo Caecina*] Orat. 29, 102: *tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus.* — 5. *cursu argumentorum*] Quint. 9, 4, 138: *in prooemiis plerumque submissi —, in argumentis citati atque ipso etiam motu celeres sumus.* — 6. *descriptionum*] Cic. Top. 22, 83: *descriptio, quam χαρακτῆρα Graeci vocant, — qualis sit avarus, qualis assentator ceteraque eiusdem generis, in quibus natura et vita describitur.* Herenn. 4, 51, 65. H.—9. *impexam*] huius vocabuli translata significatio apud alios scriptores non reperitur. Cf. Schaubach l. l. p. 10. Coniectura tamen probabili restitutum est Ann. 16, 10: *vidua impexa luctu.* — *Roscii*] Q. Roscius, L. Sullae carissimus, amores et deliciae Ciceronis, qui eum declamandi praeceptorem habuit et oratione quae extat defendit, summus fuit aetatis suae comoedus. Cic. de orat. 1, 28, 130: *hoc — est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.* — 10. *Turpionis Ambivii*] L. Ambivius Turpio (in Didascaliis Terentianis) fuit histrio comicus aetate Terentii, cuius plerasque fabulas egit, nobilissimus. — Cum tota sententia comparanda sunt, quae leguntur apud Frontonem ad M. Caes. de eloqu. 1. (ed. Nab. p. 146): *ut si quis histrioniae studiosus Tasurci gestu potius quam Roscii uteretur.* — 11. *incude*] Ut in *incude* metalla ad iustam formam rediguntur, ita in foro adulescentium rudia ingenia; hinc metaphora, ut Sidon. Apoll. Ep. 4, 1: *philosophica incude formatus.* Poetae Graeci eandem usurpant de versibus bene tornatis. Cf. Pind. Pyth. 1, 87. Antip. Thessal. Anth. Graeca ed. Jacobs II p. 101. Epigr. 24, v. 3: *στίχον — Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ᾽ ἄκμοσιν.* (Hor. A. P. 441).

suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. horum igitur auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatior extitit. neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad aures iudicantium cum voluptate perveniunt. quid enim, si infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus tegulis extruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur? (21) equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. nec unum de populo † Canuti aut Atti ** de Furnio et Toranio quique alii in eodem

1. *suis* Halm. — *sensus* Muretus: *in suis* ABC. — *effulxit* B, sed eadem manus correxit. — 2. *exigitur* Lipsius: *exigetur* C *exercitur* A (litterae *i* suprascr. *e*) *exercetur* B. — 3. *inquinandus* Halm. — 7. *quid enim? an* (*num* Baehrens) *infirm.* Oberlin. — 9. *radiant* Lat. Latinius. — 12. *Ganuti* AC *canuti* b ex *sanuti* B. Lacunam ita supplevimus, ut ante *de Furnio* insereremus: *memorabo nec dicam;* Nipperdey scripsit: *nec unum de populo nominabo, Canutium aut Arrium vel Furnios et Toranios.* — *Toranio* B: *Coranio* AC. — *quique ali* Lipsius: *quīque* (om. C) *alios* ABC.

1. *sensus — sententia*] *Sensus* plerumque in hoc libro est *verborum ambitus* (Cic. Brut. 44, 162). Sic et hoc loco et c. 22: *pauci sensus — terminantur. nulli sensus — componantur.* c. 21: *inconditi sensus.* c. 23: *tertio quoque sensu.* — c. 31 *sensus communes* sunt *loci communes.* — Alio loco (c. 23) *sensus* sunt *mente concepta* (Quint. 8, 5, 1): *vos — gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis;* at eandem vim habet *sententia* c. 26: *lascivia verborum et levitate sententiarum,* c. 21: *verbis ornata et sententiis,* c. 23: *ea sententiarum planitas est.* Ceteris locis omnibus *sententiae* sunt *lumina praecipue in clausulis posita, quae feriunt animos* (Quint. 12, 10, 48). Sic et hoc loco et c. 22: *et quasdam sententias invenit,* c. 23: *et illud — pro sententia positum* "*esse videatur*", c. 32: *angustas sententias.* — 3. *Accii aut Pacuvii*] H. l. inverso temporum ordine, recto c. 21 hi duo praestantissimi tragicorum antiquorum componuntur ut apud Hor. Epp. 2, 1, 56. Pers. 1, 76. Mart. 11, 90, 6. — *veterno inquinatus*] comparant Sidon. Apoll. Ep. 1, 1: *Iulius Titianus — cur veternosum dicendi genus imitaretur.* Locus tamen plenus est dubitationis. Neque enim poeticus decor, sed ipsa oratio dicenda erat veterno esse inquinata nec apte opponuntur verba *e — sacrario prolatus.* Vide Emend. meas p. 133. — 7. *quid — si*] sequente coniunctivo praesentis, ut Hist. 4, 42 *quid, si floreat vigeatque?* (in orat. obl. Hist. 4, 17. Ann. 4, 40. 11, 23). — 9. *radiantur*] forma media, non passiva. Apud poetas aureae et scriptores argenteae aetatis v. *radiare* homonymum est v. *fulgere.* Doederlein, Handbuch der lateinischen Synonymik p. 131. Ovid. ex Ponto 3, 4, 103: *Scuta sed et galeae gemmis radientur et auro.* — 10. *in quibusdam* (neutrum genus intellige) — *vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere*] Cic. Brut. 85, 293: *equidem in quibusdam risum vix tenebam.* 80, 278: *somnum isto loco vix tenebamus.* — 11. *nec unum de populo* c. q. s.] locus misere corruptus neque a quoquam probabiliter correctus. De personis ex Hessio haec tenenda: duo memorantur *Canutii: P. Canutius*, accusator Oppianici in causa Cluentiana, ut homo eloquentissimus et in primis ingeniosus laudatur a Cic. Brut. 56, 205. Cluent. 18, 50. Eius aequalis fuit *Ti. Canutius*, acerrimus M. Antonii adversarius, quem trib. pl. continua rabie lacerabat, Cic. Phil. 3, 9, 23. ad Fam. 12, 3, ab Octaviano postea necatus. Vell. 2, 64. Iam uter intellegendus sit, non liquet. *Attius* cum inter oratores nusquam memoretur, Gronovius substituit *Arrium*, ut sit praetor a. 72 a Spartaco victus et a. 59 in petitione consulatus a Caesare destitutus, de quo Cic. Brut. 69, 242. — *C. Furnium* Gronovius putavit fuisse C. F., amicum Ciceronis, a quo ad eum extant scriptae Ep. ad Fam. 10, 25. 26, cuius posterioris ep. verba eum patronum nobilem fuisse demonstrant. De *Toranio* oratore nihil constat. Apri sententia utique haec fere fuit: "Se non a mediocri aliquo de vulgo oratorum antiquorum, velut a Canutio cet., exemplum esse sumpturum, sed a Calvo, oratore satis probabili, qui tamen ipse non in omnibus orationibus suis hominibus nunc viventibus satisfacere queat." — 12. *in eodem valitudinario*] proverbium ut apud Sen. ep. 27, 1: *tamquam in eodem valitudinario iaceam, de communi tecum malo colloquor et remedia communico.*

valitudinario haec ossa et hanc maciem produnt: ipse mihi Calvus, cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera oratiuncula satisfacit. nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video: quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercle in omnium studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio. est enim verbis ornata et sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quo *minus* sublimius et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. quid? ex Caelianis orationibus nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. sordes autem hercule verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est. concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercle quam Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores

1. *produnt* Acidalius: *probant* A B C (*quosque alios* — *haec macies probant* Gronov, quibus verbis aut post *alios* aut post *valetudinario* inserit *esse* Halm. — 4. *Calvi ista in* Schulting, Brotier *accusationes* ex v. sequenti huc transposuit. — *Asinium* Lipsius. — 5. *omnium* Acidalius: *hominum* A B C. — 6. *inscribuntur* Lipsius: *scribuntur* C *conscribuntur* A B. — *iis* B. — *et verbis* nos. — 8. *quo minus* Halm: *quo* A B C *quin* Puteolanus. — 10. *nonne* Heumann. — *sive universae sive partes earum* Pithoeus: *sive universa parte serum* A B C *si non universae at partes earum* Acidalius. — 12. *hercule* Ribbeck: *regulae* A B (b del.) *illae* C; Halm adiectivum aliquod desiderat, velut *foetidae, putidae.* — 13. *reddent* C. — 16. *minus* om. C. — *quae* C.

1. *ossa — maciem*] Iisdem metaphoris de exili atque arido genere dicendi utitur etiam Quintilianus Prooem. 24: *nudae illae artes — ossa detegunt.* 2, 4, 9: *macies illis pro sanitate est.* — Ceterum et *alii* a Lipsio et *produnt* ab Acidalio restitutum incertum est. — *Calvus*] Cic. Brut. 82, 284: *Atticum se Calvus noster dici oratorem volebat: inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur.* — 4. *Asitium*] P. Asitius ob interfectum legatum Aegyptium a Calvo accusatus, sed a Cicerone defensus absolutus est. — *Drusum*] "Suspicor fuisse illum, quem a Lucretio reum de praevaricatione factum Cicero a se defensum scribit Attico 4, 16. — Hic Drusus familiaris Pompei fuit, ad Att. 2, 7, ubi Pisaurensis nominatur." Weichert Poet. Lat. rel. p. 112. — 5. *in Vatinium*] Calvus P. Vatinium ter accusavit a. 58, 56, 54. De prima actione v. c. 34; tertia instituta est de sodaliciis; defendit Cicero; idemque in quarta actione, de cuius tempore non liquet. Harum actionum quam tertiam posui celeberrima fuit. Quint. 6, 1, 13: *egregie in Vatinium Calvus: factum, inquit, ambitum scitis omnes, et hoc vos scire omnes sciunt.* — 6. *verbis*] conieci *et verbis.* cf. Emend. meas p. 139. — 7. *auribus — acommodata*] cf. Cic. de orat. 2, 38, 159: *haec enim nostra oratio multitudinis est auribus acommodanda.* — 12. *sordes*] Sen. ep. 114, 14: *quidam contra, dum nihil nisi tritum et usitatum volunt, in sordes incidunt,* i. e., in verba ignobilia atque abiecta. Fronto, ad M. Antoninum de orationibus (ed. Nab. p. 158): *verborum sordes et illuvies.* — 15. *C. Caesari*] Quint. 10, 1, 114: *C. Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur.* — *magnitudinem cogitationum*] Vell. 2, 41 de eodem Caesare: *magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro — simillimus.* — 16. *effecerit*] Aliter ipse Tac. Ann. 13, 3: *Dictator Caesar summis oratoribus aemulus.* — 17. *Brutum*] Ex eius libro de Virtute servavit nonnulla Seneca in Cons. ad Helv. 9. Librum περὶ καθήκοντος memorat idem Ep. 95, 45. Quint. 10, 1, 123: (in scriptis ad philosophiam pertinentibus) *egregius multoque quam in orationibus praestantior Brutus suffecit ponderi rerum; scias eum sentire quae dicit.*

eius fatentur. nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina et in bybliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est. oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat. nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit quo minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret et videmus, in quantum iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit. (22) ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit quae mihi vobiscum est. illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis oratores aetatis eiusdem praecurrit quam iudicio. primus enim excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit et compositioni artem; locos quoque laetiores attentavit et quasdam sententias invenit, utique in iis orationibus quas senior iam et iuxta finem vitae composuit, id est postquam magis

1. *num forte* Classen *nec fere* Gronov. — 2. *teporis* Lipsius: *temporis* ABC. — 3. *mirantur* B. — 4. *bybliothecas*] sic B. — 5. *qui* AB, corr. b. — *illos* b C: *istos* AB. — 7. *in tragoediis* Ritter. — 11. *rubore* AC *robur* b. — *tingit* Schulting. — 12. *nec* AB: *non* C. — 13. *et videmus in quantum* Acidalius: *viderimus inquam* ABC. — 14. *vis* om. C. — 17. *eiusdem aetatis oratores* C *ceteros e. aet. oratores* nos. — 18. *ex* B. — 19. *dilectum* Halm. — *locosque* B. — *lectiores* b *latiores* supra versum corr. aut B aut b. — 21. *iam senior* AB, corr. b (cf. c. 33: *iuvenes iam et forum ingressuri*).

1. *pro Decio*] Cic. Cluent. 59, 161: *Cn. Decio Samniti, ei qui proscriptus est* a Sulla cet. Ergo ut recuperaret bona publicata acciperetque et ipse cum ceteris sociis post Marsicum bellum civitatem Romanam, defensus esse videtur a Caesare iuvene. — 2. *pro Deiotaro*] coram Caesare Nicaeae a. 47 habita. cf. Cic. ad Att. 14, 1. — *lentitudinis*] Cic. Brut. 48, 178: *T. Iuventius, nimis ille quidem lentus in dicendo et paene frigidus.* — *teporis*] qui inest in ea oratione, quae *raro incalescit* (c. 22) neque quemquam commovet. Ov. Rem. Am. 629: *quid iuvat admonitu tepidam recalescere mentem?* — 4. *in bybliothecas*] Nisi hoc merum ipsius Taciti σφάλμα μνημονικόν, explicandum erit: "propter oratorias virtutes illud quoque obtinuerunt, ut carmina quae composuerant (Weichert P. L. Rel. p. 126) quamvis mediocria ab ipsorum aequalibus in privatis bybliothecis reponerentur." Enimvero prima bybliotheca publica Romae demum ab Asinio Pollione post triumphum de Parthis a. 39 actum condita est. — Ceterum caesaris poemata ab Augusto repressa sunt; de Ciceronis carminibus, quae neque aequalibus neque posteris probata sunt, vide Quint. 11, 1, 24. — 5. *Asinius*] De eodem Quint. 10, 1, 113: *a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior.* Idem Senecae iudicium Ep. 100, 6. — 7. *studuisse*] ut c. 32: *legitime studuisse.* c. 34: *in media luce studentibus*, ac saepe apud Quintilianum (velut 2, 7, 1. 12, 11, 19) ex posterioris aetatis usu. — Ad rem cf. Sen. Ep. 114, 13: *multi ex alieno saeculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur: Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt: ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt.* — 12. *nec per ipsum stetit*] quoniam nostrum laetum ac nitens dicendi genus tunc nondum vigebat. — 13. *et videmus*] incerta haec Acidalii emendatio; nec tamen melius adhuc quidquam excogitatum est. — 14. *vis aut animi aut ingenii*] cf. c. 1. Simile Quintiliani iudicium 10, 1, 113: *At Messalla nitidus et candidus et quodam modo praeferens in dicendo nobilitatem suam, viribus minor* (quam Asinius). — 19. *laetiores*] Quint. 11, 1, 34: *illa laetiora, qualia a Cicerone dicuntur.* 11, 1, 49: *an quisquam tulerit reum — quam laetissimis locis sententiisque dicentem?* — 21. *senior*] ut pro Milone, pro Ligario, Philippicas.

profecerat usuque et experimentis didicerat, quod optimum dicendi genus esset. nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis; et velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet; non ea solum instrui supellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. quaedam vero procul arceantur ut iam oblitterata et olentia; nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur, fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo determinet. (23) nolo irridere r o t a m F o r t u n a e et i u s v e r r i n u m et illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum e s s e v i d e a t u r. nam et haec invitus rettuli et plura omisi, quae tamen

2. *esset*] *est* A B C. — 4. *opt. et* A *opt. . . . . . et* B *optet* C *apte cadunt et* Michaelis. — 5. *limine* B, corr. b. — *set velut* Michaelis. — 7. *lautum* Lipsius: *laudatum* A B C. — 8. *tantum eo* B. — *ventum*] *tectum* B, sed corr. *ventum.* — 9. *supellectili* C. — 11. *et aspicere*] *ut aspicere* C. — *libeat* Rud. Agricola: *liceat* A B C. — 12. *arceantur* Lipsius: *arcentur* A B C. — *et exoleta* Acidalius *et antiquitatem olentia* nos. — 13. *velut* Rhenanus: *vel* A C *quod* B sed corr. — 14. *fugiet* C. — 15. *terminet* Lipsius. — 16. *Vetrinum* A B. — *illud* B C: *istud* A. — 18. *invitus* B corr. ex *invitatus*: *invitatus* A C.

1. *profecerat*] Plusqpf. particulam *postquam* sequitur etiam c. 38: *postquam — pacaverat*, ac saepissime in libris historicis. — 2. *priores*] ut pro Roscio Amerino, in Verrem cet. — 3. *lentus est in principiis, longus in narrationibus*] cf. c. 19: *iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series.* — *excessus*] noli intellegere de peroratione, quae h. v. opponatur *principiis*; sed ex usu loquendi est διέξοδος, παρέκβασις. Quint. 3, 9, 4: *egressio — vel (quod usitatius esse coepit) excessus.* Cic. Orat. 68, 227: *sententia — apte exposita atque absolute.* — 4. *cum quodam lumine*] insigni sententia. Quint. 8, 5, 13: *sed nunc aliud volunt, ut omnis sensus in fine sermonis feriat aurem.* — 5. *nihil excerpere*] cuius moris luculentum praebet exemplum tota Senecae patris cura. — *referre*] cf. c. 20: *referre domum aliquid illustre et dignum memoria volunt.* — 12. *olentia*] Non sine causa et Acidalius et ego de integritate huius scripturae dubitavimus. Singularis enim est, quae hoc loco requiritur, illius participii significatio. Cf. Schaubach l. l. p. 12. — 13. *in morem annalium*] dicendi genus tenue atque siccum intellegit, quale erat Catonis in Originibus, Fabii Pictoris cet. Cf. Cic. de Orat. 2, 12, 51. — 14. *insulsam scurrilitatem*] Cic. de orat. 2, 59, 239: *in quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam, si quid perridicule possis, vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit aut mimicus.* — 15. *nec omnes clausulas*] idem praecipit ipse Cicero de orat. 3, 50, 192: *quae* (i. e. *postrema* sive *clausulae*) *quoniam apparent et intelleguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur aut aurium satietate.* — 16. *rotam Fortunae*] Cic. Pison. 10, 22: *in quo cum illum saltatorium versaret orbem, ne tum quidem Fortunae rotam pertimescebat*; quod quidem alii quoque scriptores imitati sunt, ut Tibull. 1, 5, 70. — *ius verrinum*] Cic. in Verr. 1, 46, 121: *hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. Quorum alii, id quod saepe audistis, negabant mirandum esse ius tam nequam esse verrinum,* ubi Cicero ipse iocum prope inficetum aliis tribuit. — 17. *esse videatur*] Quint. 10, 2, 18: *noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent: 'esse videatur.'* Id autem Aper dicit apud Ciceronem *pro sententia positum esse.* Ex Apri enim praeceptis singuli sensus arguta aliqua sententia tamquam lumine quodam terminandi erant. Talium sententiarum loco Cicero satis habebat soni quadam et numerorum quam putabat dulcedine terminare sensus. — 18. *invitus*] "vereor enim, ne molestum ac putidum sit repetere quae in Cicerone ab obtrectatoribus eius totiens reprehensa sunt."

sola mirantur atque exprimunt ii qui se antiquos oratores vocant. neminem nominabo, genus hominum significasse contentus: sed vobis utique versantur ante oculos illi qui Lucilium pro Horatio et Lucretium pro Virgilio legunt; quibus eloquentia Aufidi Bassi aut Servilii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet; qui rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, Calvi mirantur. quos more prisco apud iudicem fabulantes non auditores sequuntur, non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo maesti et inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate sed ieiunio consequuntur. porro ne in corpore quidem valitudinem medici probant quae animi anxietate contingit; parum est aegrum non esse: fortem et laetum et alacrem volo. prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. vos vero, *viri* disertissimi, ut potestis, ut facitis, illustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi. nam et te, Messalla, video laetissima quaeque antiquorum imitantem; et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea, quotiens causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittit,

1. *vocant* Lipsius: *vocabant* ABC *vocitant* Schurzfleisch. — 3. *illi* Halm: *isti* ABC del. bC. — 4. *Aufidi] tui fidi* ABC. — *Noviani ex* corr. ex *Noniani et* B. — 6. *fastidiunt* Heumann: *fastidiunt oderunt* A C *fastidiunt et oderunt* B (*et* B supra versum add.) — *L. Aelii* Nipperdey. — 8. *illam* bC: *istam* AB. — 9. *non firmitate* Acidalius: *infirmitatem* C *infirmitatemque* AB. — 10. *valetudinem* C. — *nimia* J. H. A. Schulze *cum* Michaelis. — 11. *proprie* C. — 12. *solo* B. — *viri* add. Acidalius. — 14. *lectissima* b Rhenanus. — 17. *ea* (post *rerum*) Wopkens: *et* ABC. — *permittit] permittitur* ABC.

2. *significasse contentus*] ut c. 18: *probasse contentus sum.* c. 26: *detrectasse — contentus.* — 4. *Aufidi Bassi*] qui aequalis Augusti et Tiberii libros de bello Germanico scripsit. De hoc Quint. 10, 1, 103. — *Servilii Noniani*] Ann. 14, 19: *Servilius diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae, quam clariorem* (quam suam Domitius Afer eodem anno mortuus) *effecit, ut par ingenio, ita morum diversus.* Plin. H. N. 28, 2 extr. Plin. Ep. 1, 13, 3. Quint. 10, 1, 102: *elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus, quam historiae auctoritas postulat.* — 5. *Sisennae*] Cic. Brut. 64, 228: *Inferioris autem aetatis erat proximus L. Sisenna, doctus vir et studiis optimis deditus, bene latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis, sed neque laboris multi nec satis versatus in causis —. Huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest: quae cum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis latinis litteris illustratum.* Sall. Jug. 95: *L. Sisenna optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus parum mihi libero ore locutus videtur.* Cfr. Cornelii Sisennae vit. conscr. a C. L. Roth. Basileae 1834. — *Varronis*] Cogita potissimum de libris *de vita populi Romani* et *de antiquitatibus rerum humanarum et divinarum*, item de *Satiris.* Quint. 10, 1, 95: *Varro — plus tamen scientiae collaturus quam eloquentiae.* — 6. *commentarios*] intellige locos ac sententias illustres ita fere collectas a rhetoribus ut videmus apud Senecam patrem. — *quos more prisco* c. q. s.] idem Ciceronis iudicium de Atticis qui dicebantur suae aetatis oratoribus Brut. 84, 289: *at cum isti Attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis relinquuntur.* — 8. *quam iactant sanitatem*] de similibus ingeniis Quint. 12, 10, 14: *unde nunc quoque aridi et exsuci et exsangues. Hi sunt enim, qui suae imbecillitati sanitatis appellationem, quae est maxime contraria, obtendunt.* — 9. *non firmitate*] "falsam sanitatis speciem non corporis robore veraque valitudine (i. e. vera eloquentiae vi), sed ieiunio (i. e. aridis orationibus et inopia pressis) consequuntur." Walth. — 10. *animi anxietate*] "qua fugiunt veterum isti imitatores quidquid ab illis alienum est, sicut ei qui infirmo corpore utuntur, insolitos labores." — 12. *viri*] de hoc vocabulo probabiliter ab Acidalio suppleto cf. Emend. meas p. 120.

brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posteri nostri.'

(24) Quae cum Aper dixisset, 'Agnoscitisne' inquit Maternus 'vim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu saeculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos! quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est per quae mox ipsos incesseret! tuum tamen, Messalla, promissum immutasse non debet. neque enim defensorem antiquorum exigimus, nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis quos insectatus est Aper comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed more veteri et a [vestris] philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contradicendi partes. igitur exprome nobis non laudationem antiquorum (satis enim illos fama sua laudat), sed causas, cur tantum ab eloquentia eorum recesserimus, cum praesertim centum et viginti annos ab interitu Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit.'

1. *planitas* B: *sanitas* Lipsius *gravitas* Schulting. — 7. *ab illis* Halm. — 10. *nostrum* Acidalius: *nostrorum* ABC *nostrorum temporum* Halm. — *quos modo insectatus* C. — 11. *vetere* Ritter. — 12. *[vestris]* Muretus *nostris* AB *veteribus* Nipperdey. — 13. *illos* bC: *istos* AB. — 14. *in tantum* C. — *recessimus* AB. — 15. *praesertim tantum centum* Halm. — 16. *[effici]* Roersch. — *ratione* Schulting. — *colligitur* C.

1. *planitas*] lectio manifesto vera, quam Doederlein [recte ita interpretatur: "significantur sententiae, quae in summa proprietate et novitate tamen faciles eodem intellectu sint. Crebra enim luminum affectatio aufert orationi lucem, et qui exquisiti aliquid proferre cupiunt, eodem nisu obscuri fiunt." Cic. Top. 26, 97: *efficiendum est, — narrationes ut — planae sint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut cum dignitate.* Aliter Duebner: "quae ita efficitur, si nihil in composita oratione nimis praeter cetera emineat, sed sit cum iudicio temperata luminum continuitas et aequus tenor." — Ceterum *planitas* est *ἅπαξ εἰρημένον.* — 4. *agnoscitisne*] *vis* enim illa et *ardor* Apri proprius est. Cf. c. 11: *quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore.* — 5. *torrente*] eadem metaphora orationem vehementem et concitatam significant etiam Cic. Fin. 2, 1, 3: *cum — fertur quasi torrens oratio.* Sen. Ep. 40, 8: (philosophi oratio) *habeat vires magnas, moderatas tamen; perennis sit unda, non torrens;* Quint. 10, 7, 23: *inani verborum torrenti.* — 7. *ingenio ac spiritu*] scil. *locutus est.* Utique est zeugma quoddam. Neque enim *spiritu* uti potuit ad *mutuandum.* Quippe *spiritus* idem fere est quod *ardor* et *impetus*; ut Quint. 10, 1, 27. 3, 22. 7, 13. D. — *sed etiam eruditione et arte*] "quarum quidem contemptorem se esse Aper profitetur" (c. 2). — 9. *immutasse*] errant qui huic perfecto aoristi quam dicunt significationem attribuunt. Nam praesentis temporis ne locus quidem fuit in hac sententia, quoniam Apri oratio, qua veretur Maternus ne Messalla a solvendo promisso suo deterritus sit, iam ad finem est perducta. — 11. *ac ne ipse quidem ita sentit*] Repetit Maternus quasi per iocum, quae de eodem Apro dixit Messalla c. 15: *neque — te ipsum, Aper, quamquam interdum in contrarium disputes, aliter sentire credo;* scilicet ut hanc disputationem ex Apri dissensione ortam absolvat. Ceterum cf. Cic. de orat. 1, 62, 263: *atque haud scio an aliter sentias et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, — cuius — facultatis exercitatio — iam in philosophorum contuetudine versatur.* Idem locus docebit, quo iure Muretus *vestris* deleverit. — 15. *cum praesertim*] ante haec verba supplenda est haec vel similis sententia: "id quod permirum videtur." Similiter his particulis utitur Cicero Or. 9, 32: *nec vero, si historiam non scripsisset, nomen eius extaret, cum praesertim fuisset honoratus et nobilis* et pro Rosc. Am. 24, 66: *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, cum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent Furiae* e. q. s. — *centum et viginti*] excidisse videtur *tantum* vel *vix*, quoniam in *paucitate* annorum tota sententiae vis posita est. Nisi hoc quoque loco eiusmodi particula deesse potest, sicuti deest Liv. 21, 22, 4: *classis praeterea data ad tuendam maritumam oram — quinquaginta quinqueremes, quadriremes duae, triremes quinque; sed aptae instructaeque remigio triginta et duae quinqueremes erant et triremes quinque.* — 16. *effici*] Haec vox miro abundat, id quod patet comparato simillimo loco c. 17. — *ratio temporum collegerit*] singularis hic usus, quo *ratio* subiectum quod grammatici dicunt, verbi *collegerit* intelligendum est. Non inepte tamen Helmreich Blätt. f. d. bayr. Gymn. X (p. 252—260) contulit Colum. 3, 10, 13: *disputatio nostra colligebat.*

(25) Tum Messalla' Sequar praescriptam a te, Materne, formam. neque enim diu contradicendum est Apro, qui primum, ut opinor, nominis controversiam movit, tamquam parum proprie antiqui vocarentur quos satis constat ante centum annos fuisse. mihi autem de vocabulo pugna non est; sive illos antiquos sive maiores sive quo alio mavult nomine appellet, dummodo in confesso sit eminentiorem illorum temporum eloquentiam fuisse. ne illi quidem parti sermonis eius repugno † si cominus fatetur plures formas dicendi etiam iisdem saeculis, nedum diversis extitisse. sed quomodo inter Atticos oratores primae Demostheni tribuuntur, proximum [autem] locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem concessu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant. adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae *prae se* ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. nam quod invicem

1. *praescriptam a te* AB: *perscriptam et* C. — 4. *constaret* C. — 5. *illos* C: *istos* AB. — *alio quo* C. — 6. *illorum* bC: *istorum* AB. — 8. *si cominus]* *si quo minus* b *qua quasi convictus* Halm *qua in commune* Boetticher *qua non sine convitiis* Haase *qua scilicet cominus acturus* R. Schoell. in edit. Nipperd. — 10. *[autem]* Ritter. — *[et Lysias]* Usener. — 11. *consensu* Puteolanus. — 12. *sic* b: *sicut* ABC. — 14. *iure* b *si vere* ABC *suo iure* Lipsius. — 15. *differunt* Halm: *differant* ABC. — *adstrictior* Acidalius: *at strictior* ABC *sit strictior* Meiser. — 18. *sanitatem* Rhenanus: *sanctitatem* ABC. — *prae se* nos addidimus. — *ferunt* b: *serunt* ABC *praeferunt* Acidalius. — 19. *sciam* AC. — 20. *cognationem* Beroaldus: *cogitationem* ABC.

2. *diu*] i. e. multis verbis, ut c. 11 in. Ann. 6, 27: *neque nobilitas diutius demonstranda est.* 4, 69. 6, 49. — 6. *appellet*] coniunctivus non ex *sive* pendet, sed suapte natura exhortativus est, ut *appellato.* Doed. — 8. *si cominus*] de hoc loco nulla adhuc certa emendatione sanato vide Emend. meas p. 148. Hoc constat, post *repugno* proxime sequi oportere pronomen relativum *qua*, ut pronomen demonstrativum *illi* habeat, quo nitatur. Cetera adhuc dubia, nisi quod emendatio huius loci accommodanda erit ad Apri verba, quae videntur hoc loco significari: *agere enim fortius iam et audentius volo* c. 18. Id et ego Emend. p. 148 et Schoellius spectavit. — 11. *concessu*] voc. Tullianum (Cael. 12, 28) et apud Tacitum Ann. 12, 44, 4. — *haec oratorum aetas*] aliter c. 20: *nostrorum oratorum aetas.* — 12. *ceteros eorundem temporum disertos*] omisit *ceteros* c. 22: *oratores aetatis eiusdem.* — 13. *Calvus autem* e. q. s.] Ex iis quos Aper c. 17 enumeravit, nulla hoc loco mentio fit Messallae Corvini, quem silentio praetermittit Messalla ut hominem eadem qua ipse gente prognatum et oratorem haud perinde celebrem. — 15. *adstrictior*] magis pressus, magis concisus breviumque incisorum amator. Voci *adstrictius* Plin. Ep. 1, 20, 20 opponit *effusius*, 8, 18, 10 *hilarius et quasi exultantius.* — 16. *amarior*] de eodem Quintilianus 10, 1, 115: *multum ingenii in Caelio et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.* — *gravior*] Etiam Quint. 12, 10, 11 *gravitatem* Bruto tribuit. — 18. *prae se ferunt*] vulgatam scripturam *ferunt* frustra defendunt eis quae Tacitus scribit Hist. 2, 65, 2: *laetitiam — voltu ferens.* 4, 85, 4: *quos spiritus gessisset, voltu ferebat.* Nam quod Tacitus significavit voce *voltu*, id ipsum nos hoc loco supplevimus inserto *prae se.* — 20. *iudicii ac voluntatis similitudinem*] cf. Plin. ep. 1, 20, 12: *varia sunt hominum iudicia, variae voluntates.* Cic. de orat. 2, 28, 94: *naturis differunt, voluntate autem similes sunt.*

[se] obtrectaverunt, (et sunt aliqua epistulis eorum inserta ex quibus mutua malignitas detegitur,) non est oratorum vitium sed hominum. nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos [et invidere] et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis affici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. an ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? quod ad Servium Galbam et C. Laelium attinet et si quos alios antiquiorum *Aper* agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc nec satis adultae defuisse. (26) ceterum si omisso optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercle C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis. adeo melius est orationem vel hirta toga induere quam fucatis

1. *[se]* Nipperdey. — 3. *[et invidere]* Nipperdey. — 4. *livore* Ritter. — 5. *Brutum* Puteolanus: *utrum* A C *verum* B. — 6. *decessisse* C. — 7. *Caelium* C *Carbonem* Classen. — 8. *antiquiorum* P. Voss: *antiquorum* A B C. — *Aper* add. idem. — *exigunt* Boetticher. — 9. *nec* om. C. — 10. *optimo* Puteolanus: *opimo* A B C. — 13. *orationem* nos: *oratorem* A B C.

1. *se*] hoc delendum esse probavit Nipperdey Mus. Rhen. XIX, p. 572. — *et sunt — detegitur*] haec in parenthesi posita neque vero ex particula *quod* apta esse perspexit Doederlein. — 3. *et invidere*] glossema esse perspexit Nipperdey simile ei, quod c. 23 sustulit Heumannus: *fastidiunt [oderunt]*. — 5. *non malignitate nec invidia*] ecce iterum zeugma haud dissimile ei quod c. 24 notavimus: *quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis mutuatus est* c. q. s. Neque enim profecto *malignitate* aut *invidia* impellimur, ut *iudicium animi detegamus*. Quae causa fuit, cur olim post *invidia* inserendum putarem *fuisse commotum;* nunc verbum loquendi mente ac cogitatione suppleri malo. — *iudicium animi sui*] ut c. 27: *iudicium animi*. Cic. de orat. 2, 89, 363: *gaudeo iudicium animi mei comprobari*. — 8. *alios*] Solum intellege C. Carbonem. — *antiquiorum Aper agitare*] de his emendationibus utique necessariis vide Emend. meas p. 152. — 11. *C. Gracchi impetum*] similiter Florus 3, 15: *non minore impetu incaluit C. Gracchus*. — 12. *maturitatem*] Macrob. Sat. 5, 1: *sunt — stili dicendi duo, dispari moralitate diversi. Unus est maturus et gravis, qualis Crasso assignatur, — alter huic contrarius, ardens et erectus et infensus, quali usus Antonius.* Plin. Ep. 4, 22, 2: *Trebonius — mature et graviter loquebatur.* Quint. 12, 10, 11 etiam Domitio Afro *maturitatem* tribuit. Compararim nostrum *gediegen*. — *calamistros*] Metaphora hac de genere dicendi nimis molli, affectato et supra modum ornato usus est iam Cicero Brut. 75, 262. Orat. 23, 78: *tum removebitur omnis insignis ornatus quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur.* Similiter Dion. Hal. de Comp. vv. 25 (p. 248): ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν. Nusquam est apud Quintilianum, quod mireris, nisi fortasse nimis iam usitata ei visa est haec figura. Nimiam autem hanc dictionis mollitiem in Maecenate fuisse testatur Suet. Oct. 86: *exagitabat nonnumquam in primis Maecenatem suum, cuius μυροβρεχεῖς, ut ait, cincinnos usque quaque persequitur et imitando per iocum irridet;* idem prope dicit Macrob. Sat. 2, 4. Sen. Ep. 114, 4: *Non oratio eius aeque soluta est quam ipse discinctus? Non tam insignita illius verba sunt, quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor?* Luculentum autem huius affectationis exemplum praebent vel eius hendecasyllabi ad Horatium in Meyeri Anth. Lat. I p. 20: *Lucentes, mea vita, nec smaragdos, Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes, Nec percandida margarita quaero, Nec quos Thynica lima perpolivit Anellos nec iaspios lapillos.* — *tinnitus*] strepitum aures implentem, sententiarum inanem. Quint. 2, 3, 9: *tumidos et corruptos et tinnulos et quocumque alio cacozeliae genere peccantes certum habeo non virium, sed infirmitatis vitio laborare. Tinnulas* Senecae *sententias* vituperat Fronto ad M. Antoninum Aug. de orationibus (ed. Nab. p. 156). Longin. 23, 4: τὸ πανταχοῦ κώδωνας ἐξῆφθαι λίαν σοφιστικόν, (Prorsus contrarium est iudicium Sidonii Apoll. 5, 10: *gravitas Gallionis*, scilicet pro saeculi sui ingenio). — 13. *Gallionis*] duo fuerunt rhetores L. Junii Galliones, pater et filius adoptivus, Seneca rhetore natus. (Ann. 15, 73) Significari hoc loco videtur pater (Quint. 3, 1, 21. 9, 2, 91) utpote clarior et vetustior, Maecenati suppar; de quo Seneca Controv. 3, prooem.: *Idiotismus est inter oratorias virtutes res quae raro procedit. — Hoc nemo praestitit umquam Gallione nostro decentius* c. q. s. De eodem Tac. Ann. 6, 3. — *orationem — induere*] ut Quint. 4, 1, 28: *fictam orationem induere personis.* Fronto, epist. ad M. Caes. 1, 8 (ed. Nab. p. 22): *eodem cultu nonnumquam oratio quoque est amicienda.* — *hirta toga*] Quint. 12, 10, 47: *de tempori, ne hirta toga sit, non serica.* Sic Catoni fuit *pretiosaque vestis Hirtam membra super Romani more Quiritis Induxisse togam.* Lucan. 2, 386. — *fucatis*] Quint. 8 prooem. 20: *illa translucida et versicolor quorundam elocutio res ipsas effeminat.*

et meretriciis vestibus insignire. neque enim oratorius iste, immo hercle ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionales modos exprimant. quodque vix auditu fas esse † debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens [sicut his clam et] exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte librorum suorum plus bilis habeat quam sanguinis. primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat sed rixatur. ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat; quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. ego autem exspectabam, ut incusato Asinio et Caelio et Calvo aliud

3. *actores* bC *autores* B *auctores* A *oratores* Ritter. — 5. *debebat* Muretus *credas* nos. — 7. uncos ego addidi: *quibusdam* Rhenanus *saeculo* Luc. Mueller *ut sic dixerim, clausula et* Schopen *(clausula et* iam Dryander). — 8. *tenere* Lipsius: *temere* ABC. — 10. *posse* C: *post se* A *pos. se* B. — 11. *bilis* Wopkens: *vis* ABC *viri* Lünemann *suci* Alfr. Schöne *salis* Ribbek *carnis* Meiser. — 14. *studiis* ABC. — *devectus* C *detectus* Lipsius. — 15. *[sequentibus comparatus]* nos. — 16. *multum* corr. ex *multos* B. — *ceteros] eos* Halm. — 17. *velut] vult* AB, sed B corr. — 18. *incurato* AB. —

3. *actores*] i. e. patroni vel causidici. Frequens haec vox apud Quintilianum; invenitur etiam apud Ciceronem Brut. 89, 307, addito tamen genetivo *causarum*. — 4. *histrionales*] Hoc vocabulum legitur etiam c. 29 et Ann. 1, 16, 11; alibi nusquam, ut videtur. — 5. *debeat*] sic codices, corrupte, ut videtur. Nam coniunctivi iam Muretus hoc loco rationem nullam esse intellexit. Neque *vix* particula notioni verbi *debeat*, in quo est sanctissimi praecepti significatio, accommodari potest. — 6. *cantari saltarique*] "modulata et cantillante voce declamari una cum gestibus mimicis." Duebn. Quint. 11, 3, 57: *sed quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi: quod inutilius sit an foedius nescio. Quid enim minus oratori convenit quam modulatio scaenica et nonnumquam ebriorum aut comissantium licentiae similis?* — 7. *sicut his clam et*] harum litterarum nulla adhuc probabilis emendatio inventa est. — 8. *tenere*] id quod saltatorum est. Cic. Pison. 36, 89: *cum tuis teneris saltatoribus*. Quint. 11, 3, 181: *non enim comoedum esse, sed oratorem volo* —. *Quare non immerito reprehenditur pronuntiatio et vultuosa et gesticulationibus molesta et vocis mutationibus resultans*. — 11. *plus bilis*] de eodem Quint. 10, 1, 116: *qui, si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret. Nam et ingenii plurimum est in eo et acerbitas mira et urbanitas eius summa; sed plus stomacho quam consilio dedit*. — 14. *deiectus*] metaphora a gladiatoribus petita, qui nimio feriendi studio de gradu demoventur: sic orator nimio ardore atque impetu in adversarium invectus se ipse de statu suo deicit et firmitatem amittit. Duebn. — Adde Cic. Orat. 37, 129: *saepe adversarios de statu omni deiecimus*. — 15. *sequentibus comparatus*] Haec verba, quae interpolatori tribuenda esse conieci, una cum eis quae secuntur: *ceteros superat* ferri non posse demonstravi Emend. p. 173. Eadem causa Halmium impulit, ut pro *ceteros* scribendum esse *eos* suspicaretur (i. e. *sequentes*). An ipse scriptor potius quam librarii a severa ratione hoc loco paullum aberrasse putandus erit? — 18. *Asinio et Caelio et Calvo*] parum erat, inquit Messalla, ex antiquis oratoribus eos potissimum acerrime incusasse, qui ut magna, ita non summa eloquentiae laude florent; immo oportebat cum his tum eis, qui illis potiores habentur, i. e. Ciceroni et Caesari opponi eos, qui nostra aetate summi oratores esse dicuntur. —

nobis agmen produceret plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus. nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset. quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum? (27) at ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia'.

'Parce' inquit Maternus' et potius exsolve promissum. neque enim hoc colligi desideramus, disertiores esse antiquos, quod apud me quidem in confesso est, sed causas exquirimus, quas te solitum tractare paulo ante ** plane mitior et eloquentiae temporum nostrorum minus iratus, antequam te Aper offenderet maiores tuos lacessendo.'

'Non sum' inquit' offensus Apri illa disputatione; nec vos offendi decebit, si quid forte aures vestras perstringat, cum sciatis hanc

1. *plerisque* C. — *certo* A. — 2. *Ciceroni, alium Bruto, alium Caesari* Spengel. — 3. *nunc* Rhenanus: *non* A B C. — 4. *inomne* C. — 5. *veritus* Lipsius: *veritum* ABC. — *offenderet* A C: *laederet* B. — *excerpisset* C *excepisset* Pithoeus. — 7. *sed] etsi* R. Schoell. — *plane] proxime* Halm. — 9. *fracta* B: *freta*
aparte
A C. — *diminuta* A *dimunuta* B. — 10. *Parce* nos: *Apparate* A C *Appara te* B *at parce iis* Michaelis *ah (a) parce* Usener *apparet* Meiser *At paret* Halm. — *et] tu* Halm. — 11. *hoc* C: *hec* AB. — *equidem* A C. — 13. Post *paullo ante* Lipsius inseruit *dixisti,* Haase *dixisti, tum quidem,* Schopen *dixisti, cum esses;* post *tractare* Halm *aiebas.* — *mitior et eloquentiae* Schele: *mitiore eloquentia et* A B C. — *minus iratus* Weissenborn: *miratus iratus* A B C. — 14. *incessendo* Heumann. — 15. *Apri illa* Sillig: *a prima* ABC *Aprina* Lipsius *Apri nostri* J. Fr. Gronov *Apri mei* Schurzfleisch. — *nec* Puteolanus: *nam et* AB *nam nec* C *nec iam* Halm *nec mea* nos. — 16. *perstringit* C *perstringet* Lipsius.

5. *veritus, credo, ne multos offenderet, si paucos excerpsisset*] cf. Cic. Brut. 65, 231: *Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic sermo tuus emanet et ei tibi succenseant, quos praeterieris.* — 6. *sua persuasione fruitur*] Quint. 11, 3, 11: *verum illi persuasione sua fruantur.* — 7. *ante Ciceronem*] cf. Hist. 2, 77: *nobis nihil ultro adrogabo, quam ne post Valentem et Caecinam numeremur.* Ann. 13, 54: *nullos mortalium — ante Germanos esse.* — *Gabinianum*] Hieron. Chronic. ad a. post Chr. 78, Vespasiano VIII (Eusebius, ed. Schoene I p. 159): *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.* Suet Ind. Rhet.: *Sextus Iulius Gabinianus.* Sententia haec videtur esse: "adeo sui ipsorum admiratores sunt scholastici nostri, ut, antiquos oratores cum despiciant recentioresque rhetoras iis anteponant, quivis eorum se ante Ciceronem numeret (id est, meliorem se opinetur Cicerone), minorem aliquanto Gabiniano, prorsus tamen huic vicinum.' Difficultatem tamen habet *plane*, in cuius locum Halmius dubitat an restituendum sit *proxime*, ut haec sit sententia: "iniuria se affectos putabunt scholasticorum illi, quos Aper non nominaverit, ac malignitate praetermissos: nemo enim eorum se non aut Cicerone superiorem iudicat aut proximum post Gabinianum locum sibi vindicat." An verum vidit Schoellius? cuius coniectura multum habet quo commendetur. — *at ego non verebor*] haec verba opposita sunt eis quae praecedunt: *veritus credo.* — 10. *Parce*] Deprecatur Maternus, ne Messalla digredi velit ad incessendos sui saeculi oratores, deterretque homo mitis natura et moderatus acerrimum virum a periculosae pleno opere aleae. Doed. Eodem imperativo omisso dativo usus est Ovidius met. 6, 264: *Dique o communiter omnes — Parcite!* — 14. *maiores tuos*] Noli intellegere Messallam Corvinum, cui vim et animi et ingenii suppetisse negat Aper c. 21 extr., sed ita interpretare: "maiores nostros, qui tibi praeter ceteros placent". Neque enim solum *antiqui*, verum etiam *maiores* vocantur illius aetatis oratores, cf. c. 25: *sive illos antiquos sive maiores sive quo alio mavult nomine appellet.* Pronominis possessivi eadem vis est c. 14: *pro carminibus suis.* — 16. *perstringat*] "quod vos minus comprobetis". Sic iam Cicero. Adde Hor. C. 2,1,17: *minaci murmure cornuum Perstringis aures.*

esse eiusmodi sermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.'

'Perge' inquit Maternus 'et cum de antiquis loquaris, utere antiqua libertate, a qua vel magis degeneravimus quam ab eloquentia.'

(28) Tum Messalla 'Non reconditas, Materne, causas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo vel huic Apro ignotas, † etiamsi mihi partes assignatis proferendi in medium quae omnes sentimus. quis enim ignorat et eloquentiam et ceteras artes descivisse ab illa vetere gloria non inopia hominum, sed desidia iuventutis et neglegentia parentum et inscientia praecipientium et oblivione moris antiqui? quae mala primum in urbe nata, mox per Italiam fusa, iam in provincias manant. quamquam vestra vobis notiora sunt. ego de urbe et huius propriis ac vernaculis vitiis loquar, quae natos statim excipiunt et per singulos aetatis gradus cumulantur, si prius de severitate ac disciplina maiorum circa educandos formandosque liberos pauca praedixero. nam pridem suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis sed *in* gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et inservire liberis. eligebatur autem maior aliqua

Tū

3. *et* om. AB. — 4. *a qua* b: *qua* ABC. — 5. *Tum] [Qui]* B *Qui* A *Et* C *Cu* Halm. — 6. *etiam si* AB: *Etenim iam si* C *sed tantum* Acidalius auctore Nipperdeio *sed tamen dicam si* Ritschl (*set edam, si* Baehrens). — 9. *hominum] ingeniorum* Fr. Jacob *praemiorum* Helmreich, Blätter f. d. bayr. Gymn. X. — 11. *in* (post *iam*) om. AC. — 12. *huius* Spengel: *his* AC *iis* B *eius* Meiser. — 14. *de* corr. B: *a* ABC. — 15. *nam pridem* Weissenborn: *Jam pridem* ABC *iam primum* Rhenanus *tum quidem* Meiser. — 16. *cella* Puteolanus: *cellam* ABC *cellula* Baehrens. — 17. *sed in* nos: *sed* ABC. — *educabatur* bC: *educabitur* AB. — 18. *erat* bC: *erit* AB. — post *liberis* posuit Bernhardy verba *ac non — accepimus* (p. 126 v. 3—7), Sauppe *sic — accepimus* (p. 126 v. 5—7). — *autem] saltem* Ribbeck, *etiam* Schoell. — post *autem* Michaelis excidisse suspicatur *volgo* vel *saepe*.

1. *citra damnum affectus*] "sine (sic *citra* etiam c. 41 extr. cf. Hand Turs. II p. 83) damno illo, quod afferre solet in disputationibus quivis animi motus". Agr. 1: *nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Affectus* est genetivus definitivus, ut Cic. ad Att. II, 16, 2: *qui mihi non modo praemiorum, sed ne sermonum quidem umquam fructum ullum aut gratiam rettulerunt.* Alia exempla affert Hofmannus in commentario. — 5. *non reconditas* e. q. s.] Similiter Cic. de orat. 3, 37, 148: *pervulgatas res requiris, inquit, et tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim* e. q. s. — 6. *aut — aut — vel*] Unus Maternus duplici *aut* particula opponitur Secundo et Apro, quorum nomina particula *vel* copulantur. Cf. Hist. 2, 76: *ne contra Gai quidem aut Claudii vel Neronis — domum.* — *etiamsi*] Huius particulae nullam hoc loco rationem esse ostendi Emend. p. 122. Neque enim hercule tali particula coniungi solent ea enuntiata, quorum eadem vis est. Sententiam quam requirimus, restituit Ritschelius; num ipsa scriptoris verba invenerit, dubitari potest. — 9. *inopia hominum*] malim *inopia ingeniorum* (i. e. quod desunt ingenia et vires) quod Fr. Jacob coniecit. Nam *inopiam* num liceat intellegere *infirmitatem ingenii* (c. 19) dubito. — De sententia cf. Quint. 1, 1, 1: *falsa enim est querella, paucissimis hominibus vim percipiendi, quae tradantur, esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere.* — 12. *ego de urbe*] ex eis, qui in hoc Dialogo colloquuntur, unus Messalla natione Romanus est. — 15. *circa educandos formandosque liberos*] cf. Fronto Epist. ad Anton. Pium 8: (ed. Nab. p. 169) *circa quaerendos et continendos latrones.* — 17. *sed in gremio*] de *in* praepositione a me inserta cf. Emend. p. 155; de re Agr. 4: *mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis: in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit.* Germ. 20: *sua quemque mater uberibus alit; nec ancillis aut nutricibus delegantur.* —

natu propinqua, cuius probatis spectatisque moribus omnis eiusdem familiae suboles committeretur; coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti [matrem] praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta unius cuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, et sive ad rem militarem sive ad iuris scientiam sive ad eloquentiae studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. (29) at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio accommodatus. horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat. quin etiam ipsi parentes nec probitati neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et dicacitati, per quae paulatim impudentia irrepit et sui

2. *soboles* ABC. — *discere* AC *di. cere* B. — 3. post *videretur* lacunam statuit Bernhardy. — 6. *Atiam* Ernesti: *Acciam* AC *actiam* B. — *[matrem]* Sauppe. — 8. *nullis* Rhenanus: *in nullis* ABC. — *pravitatibus* corr. ex *partibus* B. — 10. *rem* C om. AB (*militarem rem* Halm). — 14. *ministerio* corr. ex *ministro* A. — *moribus* discipulus Classeni *sermonibus* J. J. Cornelissen. — 15. *et virides teneri* AB, sed *et virides* del. b; *et viles teneri* C (*vires* c supra versum add.). — 16. *domino dicat* C. — 18. *dicacitati* B corr. ex *bibacitati*: *bibacitati* AC.

2. *coram qua*] scilicet coram subole, non coram propinqua. Itaque intellegendum est praeceptum non pueris datum, sed omnibus, qui praeter pueros in eadem domo erant. Hanc veram esse loci sententiam apparet ex eis quae c. 29 sequuntur: *quid coram infante domino aut dicat aut faciat.* — 3. *ac non studia modo*] haec de matre dicta sunt, non de propinqua, id quod patet ex eis quae secuntur. Neque est, cur haereas in mutatione subiecti. Nam propinquae illius, cui pueri custodiendi traduntur, obiter fit mentio, summa autem educationis matri curae fuit. Mutatur subiectum etiam c. 9: *nec aut amicitiam inde refert.* — 4. *curasque, sed remissiones*] cf. Agr. 9: *iam vero tempora curarum remissionumque divisa.* — 5. *Corneliam*] Vide praeter Plutarchum Cic. Brut. 27, 104. 58, 211. Quint. 1, 1, 6. — 6. *Aureliam*] Suet. Caes. 74. Plut. Caes. 9: *ἡ μήτηρ τοῦ Καίσαρος, Αὐρηλία, γυνὴ σώφρων.* Fuit M. Aurelii Cottae filia. — *Atiam*] Suet. Oct. 4: *Atia M. Atio Balbo et Iulia, sorore C. Caesaris, genita est.* — 7. *disciplina ac severitas*] similiter supra: *de severitate ac disciplina;* infra tamen: *severitate disciplinae* et c. 40: *severissima disciplina.*—8. *sincera et integra*] cf. Hist. 4, 64: *sincerus et integer et servitutis oblitus populus.* — 11. *inclinasset*] Coniunctivus non pendet ex coniunctionibus *sive* — *sive*, sed consilium eorum significat, qui educationi pueri praesunt. Cf. Nipperdey ad Ann. 2, 38, 9. — *hauriret*] "cupide arriperet et in intimam mentem demitteret". Sic Agr. 4: *studium philosophiae* — *hausisse acrius.* — 12. *delegatur*] onus significatur sive labor, quem alteri sustinendum tradimus. Sic in simili loco Germ. c. 20, quem ad cap. anteced. adscripsimus, et Germ. 15: *delegata domus et* — *agrorum cura feminis senibusque.* Diversa autem vis est verbi *committeretur*, quod supra legimus. — 14. *erroribus*] "pravis iudiciis et opinionibus temere captis". *Moribus* excogitavit discipulus Classeni, quae coniectura ut aliquam probabilitatem, ita necessitatem non habet. — 15. *et rudes*] horum verborum dittographiam esse *et virides* illud', quod in codicibus post *erroribus* legitur, facile, ut ait Halmius, apparet. — *in toto domo*] sic *in toto orbe terrarum* Hist. 1, 4. —16. *pensi habet*] *pensi habere* non invenitur nisi in enuntiato negativo, ut Ann. 13, 15. Hist. 1, 46. — 18. *dicacitati*] "studio alios petulanter irridendi"; nam *qui captat risus hominum famamque dicacis,* — *hic niger est,* indice Horatio Sat. 1, 4, 83. Similis est querella Quint. 1, 2, 7: *gaudemus, si quid licentius dixerint.* Doed. — *impudentia irrepit*] Plin. Ep. 3, 20, 8: *ne tacitis suffragiis impudentia irrepat.* — *sui alienique*] Sall. Cat. 5 *alieni appetens, sui profusus.* —

alienique contemptus. iam vero propria et peculiaria huius urbis vitia paene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemque invenies qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? ne praeceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent; colligunt enim discipulos non severitate disciplinae nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum et illecebris adulationis. (30) transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum laboratur, nec in auctoribus cognoscendis nec in evolvenda antiquitate nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum satis operae insumitur. sed expetuntur quos rhetoras vocant; quorum professio quando primum in hanc urbem introducta sit quamque nullam apud maiores nostros auctoritatem habuerit, statim dicturus referam necesse est animum ad eam disciplinam qua usos esse eos oratores accepimus, quorum infinitus labor et quotidiana meditatio et in omni genere studiorum assiduae exercitationes ipsorum etiam continentur libris. notus est vobis utique Ciceronis liber qui Brutus inscribitur; in cuius extrema parte (nam prior commemorationem veterum oratorum habet) sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quandam educationem refert: se apud Q. Mucium ius civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum

4. *relinquitur* C. — *invenies* bC: *invenires* AB. — 6. *ne]* *nec* ABC. — 7. *ullas quidem* B. — 11. *notitia* corr. B: *notitiam* ABC. — 12. *insumere* C. — 13. *vocant* C: *vocatis* (*vocant* superscr.) AB. — 14. *sit quamque]* *est, quam* Usener. — 15. *dicturus* J. Fr. Gronov: *de curiis* ABC *dicam. prius* Acidalius *iam non persecuturus* (omisso *statim)* Michaelis. — 16. *qua usos* B: *quo ausos* AC. — 17. *exercitationes* corr. B: *exercitationis* ABC. — 18. *vobis* Rhenanus: *nobis* ABC. — 21. *refert* corr. B: *referre* ABC. — 22. *Diodotum* C: *Diodorum* AB.

2. *histrionalis favor* (cf. *favore municipali* Hist. 3, 43) c. q. s.] Plin. Ep. 9, 6: *quo magis miror tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla: nunc favent panno, pannum amant; et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica!* — 3. *quibus occupatus — bonis artibus relinquit*] eandem sententiam similibus verbis significat Quint. 12, 1, 7. — 4. *quotum quemque invenies*] Scribendum esse: *quotum quemque iuvenum invenies*, ne scriptor nimium dixisse videretur, olim conieci, (Emend. p. 156); quam coniecturam ne nunc quidem mihi displicere fateor. — 13. *quos rhetoras vocant*] ut c. 35 *deducuntur in scholas istorum, qui rhetores vocantur.* Cic. de orat. 3, 14, 54: *horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum.* — 15. *statim dicturus*] Hoc promissum Messalla non exsolvit. Nam c. 32, exposita una corruptae eloquentiae causa, reliquas Materno ac Secundo aperiendas delegat memor eorum, quae Maternus c. 16 promisit. Dein rogatu Materni ad absolvendum sermonem ipse accingitur et *quasi rursus incipiens* (c. 33) cum de aliis, tum de rhetorum ludis Crasso et Domitio censoribus clausis c. 35 disserit. — An sic mutandum erit: *statim auditurus* vel *cum sit alius dicturus*, ut sibi constet oratio? — 20. *suos gradus*] de eadem re Cic. Brut. 65, 232: *gradus tuos et quasi processus dicendi studeo cognoscere.* — 21. *Mucium*] Scaevolam, pontificem maximum, iussu Marii iunioris trucidatum a L. Damasippo in curia Hostilia a. 82. — 22. *Philonem*] Larissaeum, principem Academiae quartae. Cic. Tusc. 2, 3, 9. Acad. Post. 1, 4, 13. — *Diodotum*] Hic Ciceronem puerum, qui eum admirabatur et diligebat, dialectica, geometria aliisque artibus instituit; oculis captus multos annos domi eius vixit et a. 59 mortuus est. Tusc. 5, 39, 113. ad Fam. 13, 16, 4. Attic. 2, 20, 6. —

omnes philosophiae partes penitus hausisse; neque iis doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achaiam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. itaque hercle in libris Ciceronis deprehendere licet non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius artis ingenuae scientiam ei defuisse. ille dialecticae subtilitatem, ille moralis partis utilitatem, ille rerum motus causasque cognoverat. ita est enim, optimi viri, ita: ex multa eruditione et plurimis artibus et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia; neque oratoris vis et facultas, sicut † ceterarum rerum angustis et brevibus terminis cluditur, sed is est orator qui de omni quaestione pulchre et ornate et ad persuadendum apte dicere pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit. (31) hoc sibi illi veteres persuaserant, ad hoc efficiendum intellegebant opus esse non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent, sed ut iis artibus pectus implerent in quibus de bonis ac malis, de honesto et turpi, de iusto et iniusto disputatur. haec enim est oratori subiecta ad dicendum materia. nam in iudiciis fere de aequitate, in deliberationibus *de utili-*

1. *neque]* i A. — *his* C. — 5. *ingenuae artis* C. — 6. *ille* B, sed *ll* in lit., *iste* A. — *ille* (post *subtilitatem)* B, sed *ll* in lit., *iste* A. — 7. *ille* C corr. B *iste* A. — *ortus* Hofman-Peerlkamp. — 9. *illa* C: *ista* AB. — 10. *sicut ceterae artes* (vel *ceterarum artium), certarum rerum* nos; *[sicut] certarum rerum* Schoell. — 13. *hoc* C: *hec* AB. — 16. *exercent* ABC (An in B est *exercerent?)* — *ut* Puteolanus: *ut in* ABC. — *iis* C: *his* AB. — 18. *est enim* C. — 19. *de utilitate, in laudationibus* suppl. Ursinus.

1. *neque iis doctoribus contentum]* de eadem re Cic. Brut. 91, 316: *quibus non contentus Rhodum veni;* et paullo ante: *post a₍ine Asia tota peragrata est.* — 3. *omnem omnium artium varietatem]* cf. Cic. de orat. 3, 19, 72: *omnem omnium rerum — cognitionem.* — 6. *dialecticae]* Servat hic solitam universae philosophiae divisionem in *rationalem, moralem, naturalem,* inverso tamen ordine eo, qui placuit Senecae Ep. 89, 8 et Quint. 12, 2, 10: *naturalem, moralem, rationalem.* — 8. *ex multa eruditione* e. q. s.] cf. Cic. de orat. 1, 6, 20: *etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio.* — 10. *sicut ceterarum rerum]* Haec ferri non posse demonstravi Emend. p. 157. Neque enim sana ratione *orator* opponitur *ceteris rebus.* In emendando adfuit locus Ciceronianus, qui legitur de orat. 1, 12, 52: *esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam.* De re cf. de orat. 1, 16, 70: *est enim finitimus oratori poeta—, in hoc — certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat ius suum, quominus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari qua velit.* 2, 2, 5: *bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta teneatur.* — 11. *pulchre — apte]* Ex Cic. de Orat. 1, 15, 64: *is orator — qui, quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicet, cum quadam actionis etiam dignitate.* — 12. *ad utilitatem temporum]* scilicet quam praebent tempora, si quis eis in dicendo callide et sapienter utatur. — 14. *opus esse — ut]* Haec coniuncta alibi non legi. — 16. *linguam — exercerent, — pectus implerent]* Cic. de orat. 3, 30, 121: *non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate.* — 18. *haec enim est oratori subiecta ad dicendum materia]* Cic. de orat. 2, 27, 116: *ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies.* 1, 46, 201. — 19. *in deliberationibus* e. q. s.] De Ursini supplemento dubitari non posse vel Quintilianus demonstrat, cuius haec sunt verba 3, 4, 16: *ne iis quidem accesserim, qui laudativam materiam honestorum, deliberativam utilium, iudicialem iustorum quaestione contineri putant, celeri magis ac rotunda usi distributione, quam vera. Stant enim quodam modo mutuis auxiliis omnia.*

tate, in laudationibus de honestate disserimus, ita *tamen* ut plerumque haec invicem misceantur, de quibus copiose et varie et ornate nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et *habet* intellectum eorum quae nec in virtutibus nec in vitiis numerantur. Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit quid *sit* ira, promptius ad miserationem impellat, qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus concitetur. in his artibus exercitationibusque versatus orator, sive apud infestos sive apud cupidos sive apud invidentes sive apud tristes sive apud timentes dicendum habuerit, tenebit venas animorum, et prout cuiusque *causae* natura postulabit, adhibebit manum et temperabit orationem, parato omni instrumento et ad omnem usum reposito. sunt apud quos adstrictum et collectum et singula statim argumenta concludens dicendi genus plus fidei meretur: apud hos dedisse operam dialecticae proficiet. alios fusa et aequabilis et ex communibus ducta sensibus oratio magis delectat: ad hos permovendos mutuabimur a Peripateticis aptos et in omnem disputationem paratos iam locos. dabunt Academici pugnacitatem, Plato alti-

1. *tamen* add. Acidalius.— *plerumque* om. C. — 2. *haec] haec ipsa* C. — 4. *habet* post *intellectum* inser. Schopen.—*neque—neque* C.—5. *in* (ante *vitiis*) om. B.—*[continentur] numerantur* B. — *illa* b C: *ista* AB. — 7. *sit* add. Pithoeus post *ira*. — *ira* Lipsius: *irae* A B C *ira et* F. Jacob. — *ad* C: *et* A B. — 9. *versatur* A B C. — 11. *causae* nos supplevimus. — 12. *postulaverit* C. — *omnem orationem* AB, corr. B. — 15. *fidei* Puteolanus: *fidem* A B C. — 16. *aequabilis* nos: *aequalis* A B C. — 17. *promovedos* AB. — *mutuabimus* A. — *apertos* C.

1. *ita tamen ut*] Similiter c. 16: *ita tamen ut utrique superstites essent.* c. 38: *ita tamen ut omnia in foro — gererentur.* — 3. *nisi qui cognovit naturam humanam* e. q. s.] Cic. de orat. 1, 12, 53: *nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis — penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit.* — 4. *quae nec in virtutibus* e. q. s.] intellegit Stoicorum illa ἀδιάφορα, quae ad disciplinam moralem non pertinent. Cf. Cic. de fin. 3, 15. 16. — 7. *sit*] hoc iure inseruit Pithoeus; neque enim prorsus similia sunt quae leguntur c. 18: *nec quaero, quis disertissimus.* — 9. *sive apud infestos* e. q. s.] horum adiectivorum delectus et ordo qua ratione teneatur non plane perspicuum est. Nam duo quae prima posuit, ea inter se sunt contraria; ceterorum trium quodque separatim positum est. — 11. *tenebit venas animorum*] cf. Cic. de orat. 1, 52, 223: *teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aliquid aget aut erit acturus, mentes sensusque degustet.* — *et prout cuiusque causae natura postulabit*] *causae* cur inseruerim, exposui Emend. p. 159. Quomodo sit adhibenda manus, quibus modis temperanda oratio, quo vertendi sint animi, id discit orator non ex naturae humanae cognitione nec ex propria eorum qui audiunt indole, sed ex causae cuiusque natura et condicione. Cf. c. 31: *prout res poscit.* 23: *quotiens causa poscit.* Cic. de orat. 2, 27, 115: *ut animos eorum ad quemcumque causa postulabit motum vocemus.* Orat. 36, 125: *ut causae natura et ratio temporum postulabit.* — 12. *adhibebit — reposito*] in his omnibus oratoris cum medico comparatio perspicua est. — 13. *adstrictum et collectum*] Inest orationis cum vestimento comparatio (c. 39: *paenulas istas, quibus adstricti et velut inclusi* —). Cic. Brut. 90, 309: *contracta et adstricta eloquentia.* — 15. *fusa et aequabilis*] sive *lenis*. Cf. Cic. de orat. 2, 15, 64: *genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens.* 2, 13, 54: *tractu orationis leni et aequabili.* Eidem autem loci causas emendationis meae, de qua dixi l. l. p. 124, aperient. — 18. *locos*] quales oratoribus subministrabant Aristotelis et Ciceronis Topica ad ea, de quibus agebatur, argumentis subtilioribus vel defendenda vel refutanda. *Disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam ratione et via perveniremus, ab Aristotele inventa.* Cic. Top. 1. Cf. Orat. 15, 47: *facile igitur hic noster* — (Aristotelis locos) *percurret omnes, utetur aptis cuique causae.* Quint. 12, 2, 25: *Peripatetici studio quoque se quodam oratorio iactant. Nam theses dicere exercitationis gratia fere est ab iis institutum.* — *pugnacitatem*] Cic. de orat. 1, 18, 84: *hic enim mos erat patrius Academiae adversari semper omnibus in disputando.* Quint. 12, 2, 25: *Academiam quidam utilissimam credunt, quod mos in utramque partem disserendi ad exercitationem forensium causarum proxime accedat.* — *Plato altitudinem*] Plin. Ep. 1, 10, 5: *frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit.* Quint. 10, 1, 81.

tudinem, Xenophon iucunditatem: ne Epicuri quidem et Metrodori honestas quasdam exclamationes assumere iisque prout res poscit uti alienum erit oratori. neque enim sapientem informamus neque Stoicorum † artem, sed eum qui quasdam artes haurire, omnes libare debet. ideoque et iuris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, et grammatica, musica [et] geometria imbuebantur. incidunt enim causae plurimae quidem ac paene omnes quibus iuris notitia desideratur, pleraeque autem in quibus haec scientia requiritur. (32) nec quisquam respondeat sufficere ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur. primum enim aliter utimur propriis, aliter commodatis, longeque interesse manifestum est, possideat quis quae profert, an mutuetur. deinde ipsa multarum artium

2. *declamationes* Halm. — *poscet* Pitheous. — 3. *nō* ante *erit* ins. B, sed del. vel B vel b. — *artē* B *cītem* A *civitatem* b in marg. C *civem* Doederlein *sectatorem* Jos. Fischer *aliquem* nos *(informamus Stoicorum, sed* Haupt *ne quem Stoicorum incitem* Röhl, Ann. philol. et paed. 109/110 p. 648). — 4. *haurire* Lipsius: *audire* A B C. — *libare* J. Bekker: *liberaliter* A B C *(libare literas* Thomas; *qui quas dicebam artes haurire omnes liberaliter debet* nos). — 5. *civilis* om. B. — *grammatice musice et geometrie (—ice* C et corr. A B) A B C, emend. Rhenanus et Wesenberg, quorum hic delevit *et.* — 6. *[incidunt—requiritur]* nos. — *et plurimae* Halm. — 7. *in quibus* Meiser. — *pleraeque* b Rhenanus: *plerumque* A B C. — 8. *haec quoque* C *haec aut illa* Meiser *harum quoque* Schurzfleisch. — *reperitur* B, sed supra versum *quiritur* add. vel B vel b. — *sufficeret* A B C. — 9. *enim* Rhenanus: *autem* A B C.

1. *Xenophon iucunditatem*] Quint. 10, 1, 82: *quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit? ut ipsae sermonem finxisse Gratiae videantur.* — *Metrodori*] hic princeps fuit discipulorum Epicuri et *paene alter Epicurus* (Cic. de fin. 2, 28, 92). Ceterum Cic. Tusc. 2, 3, 8: *Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit.* — 2. *exclamationes*] cuiusmodi aliquot leguntur apud Cic. de fin. 2, 27, 88: *ait — se, si uratur, quam hoc suave! dicturum.* — 89: *Fortunam exiguam intervenire sapienti.* 94: *Si gravis dolor, brevis —; si longus, levis.* Seneca Ep. 66, 17: *Epicurus — ait sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est et ad me nil pertinet.* — 3. *Stoicorum artem*] sententia huius loci, cuius certa emendatio nondum est inventa, haec videtur esse: "nec sapiens ille, qualem philosophi fingunt, nec quisquis vel Stoicorum vel aliam disciplinam perceptam habet, ad perfecti oratoris laudem, qualem nos intellegimus, perveniet." — 4. *omnes libare debet*] Huius quoque loci et scriptura et sententia dubia est. Qui Bekkeri coniecturam amplectuntur, afferunt Cic. de orat. 1, 50, 218: *ac si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat esse ieiuna atque nuda, sed adspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percucurrisse, neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse.* An haec sententia restituenda erit, ut perfectum oratorem non evadere dicatur nisi eum, qui non quasdam artes hauserit, ceteras libaverit, sed qui omnes penitus perceperit? Hanc sententiam, quae nescio an ad iudicium et huius scriptoris et Ciceronis propius accedat, effeci coniectura in adnot. crit. allata, auctore usus Acidalio, qui eandem sententiam secutus est scribendo: *qui non quasdam artes libare, sed omnes haurire liberaliter debet.* — 5. *grammatica* c. q. s.] latinas formas restituit Rhenanus ad similitudinem earum, quae leguntur c. 30 p. m. — 6. *incidunt — requiritur*] Totum hoc enuntiatum seclusi Emend. p. 177. Primum enim particula *enim* prorsus alia causa affertur atque ea quae supra particula *ideo* significata est; neque ulla particula posterior haec causa priori illi tamquam nova adnectitur, eademque ad Messallae sententiam minus accommodata est. Deinde inepte ea incidere dicuntur, quae plerumque et fere semper eveniunt. (Nec refert, utrum *plerasque* intellegas 'maximam partem' an 'permultas', quod praefert Nipperdey ad Ann. 3, 1, 5. cf. *plerosque senes* c. 17.) Postremo verbis *haec scientia* grammaticam musicam geometriam significari non satis apparet. — 8. *ad tempus*] Cic. de orat. 1, 16, 69: *ad certam causam tempusque.*

scientia etiam aliud agentes nos ornat atque ubi minime credas, eminet et excellit. idque non doctus modo et prudens auditor sed etiam populus intellegit ac statim ita laude prosequitur, ut legitime studuisse, ut per omnes eloquentiae numeros isse, ut denique oratorem esse fateatur; quem non posse aliter existere nec extitisse umquam confirmo, nisi eum, qui tamquam in aciem omnibus armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit. quod adeo neglegitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum † vis quoque quotidiani sermonis foeda ac pudenda vitia deprehendantur; ut ignorent leges, non teneant senatus consulta, ius civitatis ultro derideant, sapientiae vero studium et praecepta prudentium penitus reformident, in paucissimos sensus et angustas sententias detrudant eloquentiam velut expulsam regno suo, ut quae olim omnium artium domina pulcherrimo comitatu pectora implebat, nunc circumcisa et amputata, sine apparatu, sine honore, paene dixerim sine ingenuitate, quasi una ex sordidissimis

3. *ita]* *iã* B. — *ut* ex *aut* corr. et B et b: *aut* AC. — 4. *isse* C: *isse et* AB. — 5. *alium* nos. — *neque* C. — 8. *vis* Ab *ius* BC *ipsius* Michaelis, vel *huius* vel *ipsa* Halm (*quaevis quotidiani* nos). — 10. *non* C: *nec* AB. — 12. *detrudunt* cod. Vat. 1518; prob. Michaelis et Halm.

1. *aliud agentes*] "ubi non in actionibus forensibus vel in declamationibus occupati sumus, sed in disputationibus litterariis cum familiaribus versamur." — *eminet et excellit*] Solita tunc iunctura. Plin. Pan. 2, 4: *hoc magis excellit et eminet.* 24, 4: *emines, excellis.* — 4. *numeros*] eodem sensu sive athletico sive palaestrico ac supra c. 5. Cf. Iuven. 6, 247: *vel quis non vidit vulnera pali Quem cavat* (matrona) *assiduis sudibus scutoque lacessit Atque omnes implet numeros?* — *isse*] Locutio *ire per aliquid* inprimis frequens est apud Quintilianum: 1, 7, 35: *ire per disciplinas.* 10, 5, 21: *per totas ire materias.* 11, 1, 84: *per similes affectus eundum erit.* Pabst. Adde 12, 8, 13: *modo per omnes — argumentorum locos eat.* — *oratorem*] i. e. verum oratorem et tam praeclaro nomine dignum, ut c. 14: *et temporum nostrorum oratores.* — 5. *quem non posse* e. q. s.] cf. Cic. de orat. 1, 6, 20: *ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus.* — *aliter*] quae secuntur verba: *nisi eum qui* ad restituendam concinnitatem orationis suadere videntur, ut *aliter* mutetur in *alium.* Cf. Emend. meas p. 124. Nunc nescio an tutius sit suspicari scriptorem potius hoc loco, labante memoria eorum quae modo exaraverat, a severa ratione paullulum aberrasse quam librarios negligentiae accusare. — 7. *armatus*] fuit cum scribendum esse conicerem *ornatus*, ut legeretur vocabulum non militaris, sed oratorii muneris proprium utque totius imaginis concinnitati succurrerem (Emend. p. 125). Nunc in librorum scriptura acquiesco. — 8. *vis quoque*] horum verborum certa adhuc deest emendatio, quamvis probabiles prolatae sint coniecturae. Hoc constat *ἀσύνδετον* ferri non posse, quod ei defendunt, qui in locum vocabuli *vis* substituunt aliud substantivum. Ne hoc quidem verisimile est, duo hoc loco recentiorum oratorum vitia commemorata fuisse; immo quoniam genetivus *quotidiani sermonis* cum eis, quae secuntur, coniungendus est, in locum verborum *vis quoque* substituendum erit vel pronomen vel adverbium aliquod ita ut ea quae secuntur quasi una comprehensione teneantur. *Huius* commendatur eis quae Cicero dicit pro Rosc. Am. 22, 62: *his levioribus peccatis, quae magis crebra et iam prope cotidiana sunt.* — 10. *senatus consulta*] quae prope legum instar erant ex ICtorum doctrina. Cic. Top. 5: *ius civile — in legibus, senatus consultis, rebus iudicatis — consistat.* Gaius 1, § 4: *senatus consultum legis vicem obtinet, quamquam fuit quaesitum.* — *ius civitatis*] idem quod *ius civile* vel *ius civium*, rarissima significatione. Apud Ciceronem pro Caec. 34, 98 et pro Arch. 5, 11 *ius civitatis* intellegendum est ius, quo quis civitatem Romanam sibi vindicat. — 11. *praecepta prudentium*] philosophorum placita, ea in primis quae ad moralem partem pertinent. — 13. *domina*] Cic. de off. 2, 19, 66: *quid enim eloquentia praestabilius vel admiratione audientium vel spe indigentium vel eorum qui defensi sunt gratia? Huic quoque ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus.* — 15. *quasi una*] exquisito et raro attractionis quam dicunt genere femininum positum est pro neutro.

artificiis discatur. ego hanc primam et praecipuam causam arbitror cur in tantum ab eloquentia antiquorum oratorum recesserimus. si testes desiderantur, quos potiores nominabo quam apud Graecos Demosthenem, quem studiosissimum Platonis auditorem fuisse memoriae proditum est? et Cicero his, ut opinor, verbis refert, quicquid in eloquentia effecerit, id se non rhetorum *officinis* sed Academiae spatiis consecutum. sunt aliae causae, magnae et graves, quas a vobis aperiri aequum est, quoniam quidem ego iam meum munus explevi, et quod mihi in consuetudine est, satis multos offendi, quos, si forte haec audierint, certum habeo dicturos me, dum iuris et philosophiae scientiam tamquam oratori necessariam laudo, ineptiis meis plausisse.'

(33) Et Maternus 'Mihi quidem' inquit 'susceptum a te munus adeo peregisse nondum videris, ut inchoasse tantum et velut vestigia ac liniamenta quaedam ostendisse videaris. nam quibus *artibus* instrui veteres oratores soliti sint dixisti, differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti: cetera exspecto, ut quemadmodum ex te didici, quid aut illi scierint aut nos nesciamus, ita hoc quoque cognoscam, quibus exercitationibus iuvenes iam et forum ingressuri confirmare et alere ingenia sua soliti sint. neque enim solum arte et scientia sed longe

1. *ergo* C. — *arbitror cur* Puteolanus: *arbitratur* A *arbitratus* B *arbitror* C. — 2. *recessimus* B. — 4. *fuisse* B (fuit *profuisse*). — 5. *et apud nos Ciceronem qui his* nos. — 6. *non in* Acidalius. — *officinis* add. Haase. — 7. *a* add. b. — 9. *quos] quod* ABC. — *audiverint* B. — 13. *incohasse* AC. — 14. *artibus* inser. Schopen. — 15. *sint* corr. ex *sunt* B. — 16. *inscientiae* Rhenanus: *scientiae* ABC. — 18. *scierint* Schurzfleisch: *scirent* ABC *scirint* Heinrich. — 20. *sint* corr. ex *sunt* B. — *solum* Dronke: *dum* ABC *tantum* Ritter. — *inscientia* AB.

4. *memoriae proditum est*] Plut. Dem. 5: Ἕρμιππος δέ φησιν ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο τὸν Δημοσθένη συνεσχολακέναι Πλάτωνι καὶ πλεῖστον εἰς τοὺς λόγους ὠφελῆσθαι. Polemo apud. Diog. L. 3, 46. Cic. Brut. 31, 121. Orat. 4, 15: *quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistulis intellegi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor.* Quint. 12, 2, 22. — 5. *et Cicero*] coniecturae meae, quam in adnotatione critica posui, causas protuli in Emend. p. 160. Pluralis enim ille qui est *quos potiores*, me impulit, ut post verba *apud Graecos Demosthenem, quem* prorsus similia requirerem haec: *et apud nos Ciceronem, qui.* Sed quoniam plura insunt in hoc libello, quae ad concinnitatis leges non prorsus sint accommodata, librorum scripturam in textu servavi, veritus ne ipsum scriptorem corrigerem. — *his, ut opinor, verbis*] Cic. Orat. 3, 12: *et fateor me oratorem, si modo sim aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis extitisse.* coll. Quint. 12, 2, 23. — 9. *satis multos*] non tam Aprum, quem Messalla non decere dixit (c. 27) offendi, si quid forte aures eius perstrinxerit, quam rhetoras omnes et eorum sectatores. — 11. *ineptiis meis plausisse*] studia mea, quae istis hominibus parum utilia videntur, laudibus extulisse et perfecti oratoris omniumque artium varietate ornati imaginem proponendo mihi ipsi tamquam illius imaginis exemplo plausisse. — 14. *artibus*] hoc vocabulo a Schopeno inserto adeo opus est, ut omisso illo tota corruat sententia, quae hoc loco similiter ac paullo infra initio alterius sermonis Messallae, nititur in oppositione verborum: *artibus — exercitationibus.* — 16. *adversus*] cf. Liv. 24, 8, 7: *in annum creatus adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur.* Tac. Ann. 3, 20: *et privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adversum nepotem.* 15, 19: *ius naturae, labores educandi adversus fraudem et artes et brevitatem adoptionis enumerant.* Liv. 7, 33, 5. — 20. *solum*] hoc ex librorum scriptura, in quibus est *dum*, rectissime effecit Dronkius, addita una litterula s. Nam ex o et l litteris coniunctis saepissime in codicibus factum est d; velut c. 21 med. pro *redolent* in C scriptum est *reddent* et c. 6 med. ex *induerit* effecimus *voluerit.*

magis facultate et * eloquentiam contineri nec tu, puto, abnues, et hi significare vultu videntur.'

Deinde cum Aper quoque et Secundus idem annuissent, Messalla quasi rursus incipiens 'Quoniam initia et semina veteris eloquentiae satis demonstrasse videor, docendo quibus artibus antiqui oratores instituti erudirique soliti sint, persequar nunc exercitationes eorum. quamquam ipsis artibus inest exercitatio, nec quisquam percipere tot tam reconditas tamque varias res potest, nisi ut scientiae meditatio, meditationi facultas, facultati usus eloquentiae accedat. Per quae colligitur eandem esse rationem et percipiendi quod proferas et proferendi quae perceperis. sed si cui obscuriora haec videntur isque scientiam ab exercitatione separat, illud certe concedet, instructum et plenum his artibus animum longe paratiorem ad eas exercitationes venturum quae propriae esse oratorum videntur. (34) ergo apud maiores nostros iuvenis ille qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem qui principem in civitate locum obtinebat. hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse sive in iudiciis sive in contionibus assuescebat, ita ut altercatio-

1. *facultate et usu* Tyrwhitt. — *eloquentiam* Rhenanus: *eloquentia* ABC. — 2. *hi* Rhenanus: *ii* ABC. — 5. *videor* corr. B: *videtur* ABC. — 6. *persequar* corr. B: *persequor* ABC. — 7. *in ipsis* Halm. — 8. *tam reconditas* Muretus: *aut reconditas* AC *aut reconditas aut* B (alterum *aut* add. b) *(tot pariter ac tam reconditas* Helmreich). — *tamque* Halm: *tam* ABC *ac tam* Heumann. — *[ut]* Acidalius. — 9. *usus* idem: *vis* ABC. — *[eloquentiae]* Sauppe. — 11. *perceperis* C: *percipis* AB. — 12. *illud* bC: *istud* AB. — 13. *paratiorem* Lipsius: *parate* A *paratū* B, sed *ū* in lit., *aperte* C. — 14. *esse oratorum* Agricola: *et ornatorum* C *et ornaturum* AB *circa oratorium* b in marg. — 15. *praeparabatur* Ritter.

1. *facultate et* *] Ex supplementis adhuc propositis longe maxime arridet Tyrwhittii et Rauchensteinii *usu*, quod commendatur insuper eis quae infra leguntur: *facultati usus* (quod certa emendatione Acidalius restituit) *eloquentiae accedat.* — 2. *significare vultu*] nimirum *se non abnuere* sive *se idem sentire.* — 3. *Messalla quasi rursus incipiens: quoniam* e. q. s.] cf. Cic. Brut. 55, 201: *et ego tamquam de integro ordiens: quando igitur* e. q. s. — 4. *initia et semina*] latinis solita satis iunctura. Cic. Tusc. 5, 24, 69: *inde est indagatio nata initiorum et tamquam' seminum.* Quint. 2, 20, 6: *initia quaedam ac semina sunt concessa natura.* — 8. *nisi ut*] Sic Quint. 5, 10, 57: *numquam itaque tolletur a specie genus, nisi ut omnes species, quae sunt generi subiectae, removeantur.* Plin. Ep. 2, 11, 16: *neque enim iam inchoari poterat actio, nisi ut noctis interventu scinderetur.* — 10. *rationem — percipiendi*] est nostrum "das Insichaufnehmen", ut *ratio ignoscendi* Cic. pro Rosc. Am. 1, 3 et Tac. Hist. 4, 56: "das Verzeihen". Sententia autem haec est: "utraque ratione et artes continentur et exercitationes, quibus oratori opus est." — 13. *longe paratiorem ad eas exercitationes venturum*] Similiter Cic. Brut. 76, 263: *paratus ad causas veniens.* — 14. *videntur*] i. e. quas proprias esse oratorum *intellegimus* vel *consentimus.* Sic. c. 36: *quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur;* ac saepissime apud Ciceronem huius verbi amantissimum. — *ergo*] redit nimirum ad rem propositam, significatam illam quidem verbis: *persequar nunc exercitationes eorum.* — 16. *deducebatur*] Sic Ciceronem pater ad Scaevolam augurem iuris discendi causa deduxerat (Brut. 89, 306), sic Caelius Ciceronis discipulus fuit. (pro Cael. 4, 9. Quint. 12, 11, 6). — 18. *dictionibus*] etiam domesticis, quo sensu est c. 2. — 19. *altercationes*] *altercatio* est disputatio absolutis et perpetuis orationibus et probatione inter patronos litigantium instituta, quae constat interrogando et respondendo. Tac. Hist. 4, 7, 2. Cuius generis illustre exemplum praebet Cic. ad Att. 1, 16, 8: *Clodium praesentem fregi in senatu cum oratione perpetua plenissima gravitatis, tum altercatione* (amaris iocis referta). Altercationis rhetorica praecepta dat Quint. 6, 4.

nes quoque exciperet et iurgiis interesset, utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret. magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur; et quamquam unum sequerentur, tamen omnes eiusdem aetatis patronos in plurimis et causis et iudiciis cognoscebant; habebantque ipsius populi diversissimarum aurium copiam, ex qua facile deprehenderent, quid in quoque vel probaretur vel displiceret. ita nec praeceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret; nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes, nec auditorium semper plenum, semper novum ex invidis et faventibus, ut † nec bene dicta dissimularentur. scitis enim magnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam *in* suis; inde quin immo constantius

1. *excipere . . . interesse* ABC, emend. J. Bekker. — 2. *disceret* B, correctum, ut videtur, ex *discedent.* — *magnus* B (*u* corr. ex *o*): *magnos* AC. — *multumque* B, sed *que* 1 m. del. (*multumque constantiae ac plurimum* Sirker.) — 6. *incorrupta* corr. ex *corrupta* B. — 9. *ex quo* Meiser. — 10. *dis[ci]pliceret* B. — 11. *et optimus* Halm. — 13. *rudibus* P. Faber: *sudibus* ABC. — *nec* Schele: *sed* ABC. — *semper novum semper plenum* C. — 14. *mixtum ex* nos. — post *ut* Agricola add. *nec male; nec minus bene* nos post *bene;* Sauppe sic scripsit: *ut nec bene dicta ignorarentur nec male dicta dissimularentur.* — *bene] breviter* C. — *dissimularentur* B: *dissimularent* AC. — 16. *in* nos addidimus.

1. *utque sic dixerim*] similiter c. 40: *omnia, ut sic dixerim, omnes poterant.* Ann. 14, 53 (cf. Nipperdei adnotationem). — 2. *constantiae*] fortitudinis et fidentiae, quam qui tenet in orando haud facile perturbatur; nobis est *Fassung, Geistesgegenwart*, non *Dreistigkeit*, ut alii interpretantur. — 3. *in media luce*] i. e. *in hac fori luce*, ut ait Quint. 12, 2, 8 (cf. Cic. Brut. 8, 32: *forensi luce).* Opponitur *solitaria et velut umbratica vita* Quint. 1, 2, 18. — 4. *impune*] huic vocabulo qualis subsit sententia, exponitur verbis *quominus et iudex* c. q. s. *Quominus* autem idem valet quod *quin*, ut Agr. 27: *nihil ex arrogantia remittere, quo minus iuventutem armarent.* Plura exempla attulit Nipperdey Ann. 1, 21. — *contrarie*] cum sibimet ipse contradicit orator atque ita causae suae nocet. Sic c. 39: *ipsam quin immo curam ac diligentiae stili anxietatem contrariam experimur.* Quint. 8, 3, 57: *rerum vitia sunt stultum, commune, contrarium, supervacuum.* — 6. *advocati*] i. e. amici qui frequentes in iudicio litiganti adsunt. Sic saepissime Cicero, aliter huius libelli c. 1. — 9. *ipsius populi diversissimarum aurium*] alia duorum genetivorum, quorum alter ex altero pendet, exempla affert Nipperdey ad Ann. 5, 4, 5. — 12. *faciem*] "formam naturalem in iudiciis, non fictam similitudinem in rhetorum scholis." Duebn. Cf. Apul. Met. 10, 27: *mulier — fidei supprimens faciem, praetendens imaginem.* — 13. *rudibus*] imago iam Tulliana Opt. gen. 6, 17: *Non enim* (Isocrates) *in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus eius eludit oratio.* — 14. *ex*] conieci *mixtum ex* in Emend. p. 163, quod participium qui ratione grammatica efflagitari negant, eis certe mente et cogitatione supplendum erit. — *nec bene*] Alterum orationis membrum excidisse constat. Inter supplementa a viris doctis proposita vel maxime placet Sauppii coniectura etiam Halmio probata. Recte enim ea tantum non *dissimulata* (cf. Heraeus ad Hist. 1, 26, 8) esse dicuntur, quae *male* dicta sunt. Ceterum Liv. 23, 46, 1: *nec bene nec male dicta profuerunt ad confirmandos animos.* — 16. *in diversis subselliis*] "in subselliis adversariorum". Horum enim non solum castigationibus et iurgiis plerumque fit, ut orator suorum sibi errorum et vitiorum conscius fiat, sed eidem etiam sua auctoritate illum illustrant. Nam (c. 37 extr.) *quo maiores adversarios acrioresque pugnas* (eloquentia) *sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior* c. q. s.

surgere, ibi fidelius corroborari. atque hercule sub eiusmodi praeceptoribus iuvenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notae leges, non novi iudicum vultus, frequens in oculis consuetudo contionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem susceperat, sive defensionem, solus statim et unus cuicunque causae par erat. nono decimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, unoetvicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt quas hodie quoque cum admiratione legimus. (35) at nunc adolescentuli nostri deducuntur in scholas istorum, qui rhetores vocantur, quos paulo ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae iussi sunt: sed ut dicere institueram, deducuntur in scholas, *in* quibus non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli an genus studiorum plus mali ingeniis afferant. nam in loco nihil reverentiae, scilicet in quem nemo nisi aeque imperitus intret; in condiscipulis nihil profectus, cum pueri

2. *oratorum* — *iudiciorum* post *experimentis* v. 3 collocari iubet Classen. — 7. *uno et vicesimo* Nipperdey. — 8. *uno] tertio* Pichena. — 10. *hodieque* C. — 11. *scholas istorum* Haupt: *seni (sein* C *scenā* B, sed *cenā* b in lit.) *scholasticorum* ABC. — 12. *Cicero tempore extitisse* C. — 13. *Crasso* Schurzfleisch: *M. Crasso* ABC *a Crasso* Michaelis. — 15. *in* (ante *quibus*) add. Schurzfleisch. — 17. *scilicet* (vel *est)* Acidalius: *sed* ABC, del. Ernesti. — 18. *intret* Nipperdey: *intrat* ABC.

1. *fidelius*] ea significatione qua dicunt *fidelem navem, fidelem portum: zuverlässig, sicher.* — 5. *accusationem susceperat*] Cic. Cael. 30, 73: *Voluit* (Caelius) *vetere instituto eorum adulescentium exemplo, qui post incivitate summi viri et clarissimi cives extiterunt, industriam suam a populo Romano ex aliqua illustri accusatione cognosci.* — 7. *nono decimo*] At ipse Crassus apud Cic. de orat. 3, 20, 74: *qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim.* Et reapse Crassus anno 140 natus anno 119, quo Carbo postulatus est ob susceptam defensionem L. Opimii, interfectoris C. Gracchi, unum et vigesimum annum agebat; minime ergo apud Ciceronem scribi potest *undeviginti*, neque vero Tacito obtrudi verus numerus, quem gradatio ipsa respuit. Fatendum igitur, hunc merum errorem commisisse vel ab alio auctore deceptum esse. — 8. *uno et vicesimo*] en rursus error. Caesar enim anno aetatis vicesimo tertio (a. 77) tribus orationibus Cn. Cornelium Dolabellam, patrem P. Dolabellae, generi Ciceronis, repetundarum ex Macedonia postulavit, quo iudicio liberatus est patrocinio Hortensii et Cottae. Suet. Caes. 55: *Post accusationem Dolabellae haud dubie principibus patronis adnumeratus est.* — *Asinius Pollio*] C. Porcium Catonem, nullius consilii adulescentem, qui trib. pl. a. 56 Pompeio se vendiderat, Pollio accusavit lege Licinia et Fufia a. 54, sed absolutus est, a C. Licinio Calvo et M. Scauro defensus. Cic. ad Fam. 1, 2. 4. 5. ad Att. 4, 15. Natus autem erat Pollio a. 76 (Meyeri Fr. p. 211—218). — 9. *non multum aetate antecedens*] cf. Cic. Brut. 21, 82: *aetate paullum eis antecedens.* — *Calvus Vatinium*] cf. c. 21. Egit eam causam octavo et vicesimo aetatis anno; natus enim est a. 82 et Vatinium ambitus reum fecit a. 54. — 10. *insecuti sunt*] Sic Graeci de actore διώκειν, de reo φεύγειν usurpant. Hor. Epp. 2, 2, 19: *Insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua.* — 11. *at nunc*] plane ut c. 29 in.: *at nunc natus infans delegatur* e. q. s. — 13. *Crasso*] L. Licinius Crassus et Cn. Domitius Ahenobarbus censores fuerunt a. 92. — 14. *ut ait Cicero*] de or. 3, 24, 94: *Hoc cum unum traderetur et cum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere.* Verba huius censorii edicti servavit Suetonius Clar. Rhet. 1. De re cf. Cic. de or. 3, 24, 93, ubi Crassus in sermonem inducitur: *etiam Latini, si dis placet, hoc biennio magistri dicendi extiterunt, quos ego censor edicto meo sustuleram; non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adulescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam.* — 18. *aeque imperitus*] nimirum: "atque ei qui olim intraverunt". — *pueri inter pueros* e. q. s.] multa enim pueri a robustioribus discerent, si coram illis, illi autem coram pueris declamarent.

inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur; ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae. ex his suasoriae quidem tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controversiae robustioribus adsignantur, quales per fidem, et quam incredibiliter compositae! sequitur autem ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. sic fit ut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum, aut quicquid in schola quotidie agitur, in foro vel raro vel numquam, ingentibus verbis persequantur; cum ad veros iudices

3. *rhetores* B. — 4. *iis* C. — *quidem* B corr.: *quid etsi* AB *quidem etsi* C. — 5. *delegantur* b: *deleguntur* ABC. — 6. *per fidem* C: *perfidie* AB. — 8. post *quoque* Pithoeus supplevit *similis*; *par* Acidalius, *eadem* Spengel, *vana* Orelli, *adulterina* nos. — 10. *quidquid aliud* nos. — 11. *persequantur* Puteolanus: *persequuntur* C *prosequuntur* AB.

1. *pari securitate*] securi, ne vituperentur et rideantur a doctioribus, parata, quidquid effuderint, laude. Schulz. — 2. *contrariae*] "tantum abest ut prosint discentibus, ut eorum progressus retardent atque adeo impediant": zweckwidrig. — 3. *nempe enim*] perraro hae particulae iunguntur, quarum priore res minime dubia et inter omnes nota significatur. — *duo genera*] Quint. 2, 1, 2: *nam et illi* (rhetores) *declamare modo et scientiam declamandi ac facultatem tradere officii sui ducunt, idque intra deliberativas iudicialesque materias: nam cetera ut professione sua minora despiciunt.* genus demonstrativum (ἐπιδεικτικόν) neglegunt; suasoriae vero pertinent ad deliberativum, controversiae ad iudiciale genus. Walth. — 4. *suasoriae quidem*] Ubi *quidem* eandem vim habet atque Graecorum particula μέν (einerseits), qua duae notiones inter se opponi solent, vel nulla, ut hoc loco, adversativa particula, vel *autem* (i. e. δέ, andrerseits) sequi solet, ut c. 8 p. m., c. 18 s. f. bis. c. 25 a. m. Ubi autem in eadem particula inest vis concessiva, aut *tamen* sequitur, ut c. 9 s. f., aut *sed*, ut c. 5 s. f. et c. 8 p. i. — 6. *per fidem*] rarior utique obtestatio, sed proba et quae minime debebat in suspicionem vocari. Petron. 100, 5: *per fidem, inquam, pater, cuius haec navis est?* Apul. Met. 6, 4: *quam vellem, inquit, per fidem, nutum meum precibus tuis accommodare.* — 8. *declamatio quoque*] Ex additamentis a viris doctis hoc loco propositis ut parum probabilia secludenda sunt ea, quibus receptis particulae *quoque* nullus locus est, Pithoei dico et Acidalii et Spengelii coniecturas. Nisi forte in eis quae c. 37 leguntur: *nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest, nisi qui causam parem invenit* scribere licebat *causam quoque parem*. Reliqua sunt additamenta, qualia sunt *vana, adulterina, abhorrens a veritate*. An rectius Halmius, qui *declamationem* hic proprie dictam esse putat de oratione fucata, qualis sit abhorrens a veritate? — *tyrannicidarum* e. q. s.] singulorum fere horum inanium argumentorum exempla reperies apud Senecam rhetorem et in Quintiliani Declamationibus. Sed in primis appositus est locus Petronii 1: *Num alio genere furiarum declamatores inquietantur? qui clamant: "haec vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent." Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt, ut, cum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adulescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quae in usu habemus, aut audiunt aut vident: sed piratas cum catenis in litore stantes, sed tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa.* — 9. *vitiatarum electiones*] Quint. Declam. 309 stupratae datur optio eligendi mortem raptoris aut nuptias. — 10. *quicquid*] in Emend. p. 146 proposui *quicquid aliud*, fretus horum locorum similitudine: c. 19: *iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series — et quicquid aliud aridissimis Hermagorae — libris praecipitur* e. q. s.; c. 10 *et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habet.* c. 5: *et Saleius Bassus et quisquis alius studium poeticae — fovet.* Nec satis apte Halmius proditam scripturam defendere videtur collato c. 17: *si eum — vel captivitas vel voluntas vel fatum aliquod in urbem pertraxisset.* —

ventum * * * rem cogitant, nihil humile vel abiectum eloqui poterat. (36) magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur et motibus excitatur et urendo clarescit. eadem ratio in nostra quoque civitate antiquorum eloquentiam provexit. nam etsi horum quoque temporum oratores ea consecuti sunt quae composita et quieta et beata re publica tribui fas erat, tamen illa perturbatione ac licentia plura sibi assequi videbantur, cum mixtis omnibus et moderatore uno carentibus tantum quisque orator saperet quantum erranti populo persuadere poterat. hinc leges assiduae et populare nomen, hinc contiones magistratuum paene pernoc-

1. *ventum] Hic desunt sex pagelle* A in marg. *deerant in exemplari sex pagelle vetustate consumptae* B in marg. *Multum deficit in exemplaribus quae reperiuntur* C, in quo codice est lacuna 26 versuum. — *cogitare* C *cogitaret* Halm. — *vel] nihil* C. — 2. *motibus* corr. ex *moribus* B. — 5. *fas non* Schulting *nefas* nos. — 6. *illi* Gutmann. — *assequi potuisse videbuntur* nos. — 7. *mistis* B. — 8. *persuadere* Heumann: *persuaderi* ABC. — 9. *hic* A.

1. *ventum* * *] haec fere subiungenda est sententia: "tum vero nihil se profecisse intellegunt." De defectu autem, qui sequitur, varie disputatum est. Mihi lacuna illa conexus sententiarum non plane tolli videtur. Quae enim secuntur capita 36—40 ita eis quae praecedunt, (28—36) adiunguntur, ut, comparatis liberae rei publicae institutis, e quibus robora et vires sumpsit antiqua eloquentia, cum mutata posteriorum temporum condicione, tertiam causam corruptae eloquentiae contineant. (Cf. Lipsiensis editionis meae prooem. p. 2) Cui autem haec disputatio tribuenda sit, incertum est. Materni indolem in eis demum deprehendo, quae secuntur verba *non de otiosa* sq. c. 40. At Messallam, ut ceteras depravatae eloquentiae causas, ita etiam tertiam illam protulisse credibile est. Quamquam nihil est, cur Secundo tribuere vetemur capita illa 36—40, quippe quibus media quaedam inter Maternum ac Messallam sententia proferatur atque ob id ipsum Secundi ingenio digna, haec scilicet, ut extrema liberae rei publicae tempora sicut communem salutem pessumdedisse, ita magnam et admirabilem eloquentiam tulisse demonstretur. Ac nescio an verba: *ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur* (c. 39) Secundum potissimum prodant, hominem, ut Quintilianus ait, *infinitae curae.* Neque multum proficiunt, qui in fine Dialogi omnes, qui locuti sint, commemorari, Secundum ceterosque qui audierint, silentio transmitti dicunt. Neque enim illo loco quemquam commemorare aequum fuit, nisi aut eos, qui diversas sententias defenderant (i. e. Aprum et Messallam) aut eum, qui quasi quidam arbiter pacem quodammodo inter utrumque conciliaverat (i. e. Maternum). — *cogitant*] bene Halmius *cogitaret*, ut haec videatur fuisse sententia: "Cicero (vel quicumque alius orator eadem aetate floruit) ut nihil nisi magnas et graves res cogitabat, ita oratione quoque elata et sublimi utebatur." — *nihil humile vel abiectum*] iunctura Tulliana: de fin. 5, 20, 57: *nihil abiectum, nihil humile cogitant.* Orat. 57, 192: *humilem et abiectam orationem.* — 2. *motibus*] quales saepe in re publica Romana, dum libera fuit, licentia hominum turbidorum et rerum novarum cupidorum orti sunt. — 3. *et urendo clarescit*] sicut flamma eo clarius fulget, quo plura consumit, ita eloquentia tum maxime enitet atque excellit, cum quasi *alumna licentiae* et *comes seditionum* (c. 40) leges, mores, instituta maiorum evertit ac proruit. De verbo clarescendi cf. Heraeus ad Hist. 2, 53, 5. — 5. *fas erat*] De hoc loco difficillimo cf. Emend. meas p. 127 et appendicem criticam editioni Lipsiensi adnexam. Primum enim Messalla credi non potest suae aetatis rem publicam *compositam et quietam et beatam* appellasse, sed eam intellegit, quam in rerum natura nusquam invenimus et cogitando tantum tamquam beatissimam informamus, qua in re publica *supervacuus esset*, ut ait c. 41 Maternus, *inter innocentes orator, sicut inter sanos medicus.* Nam id quoque, quod sua aetate supersit ex antiquis oratoribus, Maternus non emendatae nec usque ad votum compositae civitatis argumentum esse eodem loco dicit. Quae causa fuit, cur *nefas erat* proponerem. Deinde cum *horum temporum oratores* etiam apodosis, quae a *tamen* particula incipit, subiectum esse necesse sit, ad quos, quod in praedicato legitur: *plura sibi assequi videbantur* referri nequit, sic hunc locum ad probabilem sententiam accommodavi, ut scriberem: *plura sibi assequi potuisse videbuntur.* — 8. *saperet*] ex populi opinione et fama. — *erranti*] inter varia ac saepe diversa iudicia fluctuanti, modo hunc modo illum admiranti. — 9. *pernoctantium*] Tullianum est *habitare in rostris* Brut. 89, 305, *in foro* Mur. 9, 21. Comparant Petron. 15: *advocati iam paene nocturni.* Seneca de brev. vitae 11, 3: *non est, quod me solos putes dicere* (occupatos), *quos a basilica immissi demum canes eiciunt.*

tantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum et assignatae etiam domibus inimicitiae, hinc procerum factiones et assidua senatus adversus plebem certamina. quae singula etsi distrahebant rem publicam, exercebant tamen illorum temporum eloquentiam et magnis cumulare praemiis videbantur, quia quanto quisque plus dicendo poterat, tanto facilius honores assequebatur, tanto magis in ipsis honoribus collegas suos anteibat, tanto plus apud principes gratiae, plus auctoritatis apud patres, plus notitiae ac nominis apud plebem parabat. hi clientelis etiam exterarum nationum redundabant; hos ituri in provincias magistratus reverebantur, hos reversi colebant; hos et praeturae et consulatus vocare ultro videbantur; hi ne privati quidem sine potestate erant, cum et populum et senatum consilio et auctoritate regerent; quin immo sibi ipsi persuaserant neminem sine eloquentia aut assequi posse in civitate aut tueri conspicuum et eminentem locum. nec mirum, cum etiam inviti ad populum producerentur; cum parum esset in senatu breviter censere, * * nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tuerentur; cum in aliquam invidiam aut crimen vocati sua voce respondendum haberent; cum testimonia quoque in iudiciis non absentes nec per tabellam dare, sed coram et praesentes dicere cogerentur. ita ad summa eloquentiae praemia magna etiam necessitas

1. *reorum* B: *rerum* AC, sed in C *o* 1m. add., *virorum* Walther. — 4. *stimulare* Cornelissen. — 8. *parabat* b Pithoeus: *probabat* ABC. — post *parabat* lacunam statui. — 11. *quidem qui* C. — 12. *cogerent* B. — 13. *ipsi* om. B; *quin omnes sibi persuaserant* Halm. — 16. *[breviter]* Schoell. — *censere, nec probaretur nisi qui* Ritschl. — *qui]* *quis* Lipsius. — 17. *tueretur* AC. — 18. *respondere* B, sed *ere* b in lit. — *iudiciis* Heumann: *publicis* ABC *iudiciis publicis* Rud. Agricola. — 20. *summa* corr. ex *summae* B.

1. *reorum*] Conieci *virorum* in Emend. p. 129 evitandae tautologiae causa. Apte tamen Halmius comparat Ann. 11, 5: *saevus accusandis reis.* — *assignatae*] ita ut et filii et nepotes rursus quasi pacto quodam devincti inimici manerent posteritatis hominum eorum, quibuscum patres avique inimicitias olim exercuerant. — 8. *hi clientelis*] ante hoc enuntiatum in Emend. p. 165 excidisse quaedam suspicatus sum, in quibus clarorum liberae rei publicae oratorum mentio fieret, sic demum pronomina *hi — hos — hos — hos — hi* explicari posse ratus. Nunc nihil muto, coll. pro Arch. poeta 7, 15: *Atque idem ego hoc contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere: ex hoc esse hunc numero, quem patres nostri viderunt,* — *Africanum* e. q. s., i. e., ut Halmius adnotat, ex numero horum, in quibus illud praeclarum existit. — 9. *exterarum nationum*] tangit huiusmodi necessitudines civium liberae rei publicae Ann. 3, 55. — 13. *quin immo sibi ipsi persuaserant*] bene Halmius: *quin omnes sibi persuaserant;* neque enim interest, quid oratores ipsi de eloquentiae suae utilitate, sed quid universa civitas indicaverit. — 15. *nec mirum, cum*] ut c. 19: *nec mirum, erant enim haec nova et incognita.* Ceterum hic est sententiarum ordo: "quam de dignitate et praemiis eloquentiae veteres habebant opinionem, eam iam iuvenes animis imbiberant urgente vel ipsa rerum necessitate ac certa institutorum consuetudine; nam in omni vitae genere cotidie ad dicendum aggredi cogebantur. — 16. * * *nisi qui*] Vulgata scriptura *censere, nisi quis — tueretur* perversissima haec efficitur sententia: "cum non sufficeret in senatu breviter sententiam suam proferre, nisi quod breviter censere tum satis erat, si quis ingenio et eloquentia sententiam suam tuebatur." Quare Emend. p. 161 lacunam statui, quam Ritschelius sat probabiliter supplevit. Nec quidquam Halmius proficit, cum *nisi quis* breviter dictum esse dicit pro illo: *sed deberet quisque — tueri.* — 19. *per tabellam*] Quint. 5, 7, 1: *ea* (testimonia) *dicuntur aut per tabulas aut a praesentibus.* — *coram*] de huius adverbii usu cf. Nipperdey ad Ann. 4, 54, 15. Heraeus ad Hist. 2, 76, 2. —

accedebat; et quomodo disertum haberi pulchrum et gloriosum, sic contra mutum et elinguem videri deforme habebatur. (37) ergo non minus rubore quam praemiis stimulabantur, ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur; ne traditae a maioribus necessitudines ad alios transirent; ne tamquam inertes et non suffecturi honoribus aut non impetrarent aut impetratos male tuerentur. nescio an venerint in manus vestras haec vetera, quae et in antiquariorum bybliothecis adhuc manent et cum maxime a Muciano contrahuntur, ac iam undecim, ut opinor, Actorum libris et tribus Epistularum composita et edita sunt. ex his intellegi potest Cn. Pompeium et M. Crassum non viribus modo et armis sed ingenio quoque et oratione valuisse; Lentulos et Metellos et Lucullos et Curiones et ceteram procerum manum multum in his studiis operae curaeque posuisse, nec quemquam illis temporibus magnam potentiam sine aliqua eloquentia consecutum. his accedebat splendor reorum et magnitudo causarum, quae et ipsa plurimum eloquentiae praestant. nam multum interest, utrumne de furto aut formula et interdicto dicendum habeas, an de ambitu comitiorum, expilatis sociis et civibus trucidatis. quae mala sicut non accidere melius est, isque optimus civitatis status habendus est, in quo

1. *quomodo* Acidalius: *commoda* ABC. — *sic* Acidalius: *sed* ABC. — 3. *stimulabantur* Rhenanus: *stipulabantur* ABC. — 5. *transirent* Lipsius: *transissent* ABC. — *honores* Schopen. — 7. *vetera volumina* nos. — *[et]* Heumann. — *in* om. B. — *antiquariorum* Schurzfleisch: *antiquoriorum* C *antiquorum* AB. — *bibliothecis* BC. — 8. *cum] nunc* b. — 10. *iis* C. — 12. *Metellos et* bC: *Metellos sed et* AB. *Sed et* B in marg., delevit b. — 15. *accedat* C. — *causarum* bC: *curarum* AB. — 16. *praesta[ba]nt* A. — 18. *de expilatis* C. — *civibus* Puteolanus: *comitibus* ABC. — 19. *habendus in quo* C.

1. *quomodo*] i. q. *quemadmodum*, cuius frequentior usus in comparationibus. Cf. Heraeus ad Hist. 3, 77, 22. — 2. *mutum et elinguem]* Sic Liv. 10, 19, 7: *quod ex muto atque elingui facundum etiam consulem haberent.* Suet. Vit. 6: *prope mutum et elinguem.* — 3. *clientulorum*] diminutivum hoc vocabulum, contemptionis plenum, ab hoc scriptore videtur inventum esse. Cf. Schaubach l. l. p. 6. — 5. Schopeni coniecturam *honores*, qua *suffecturi* absolute ponitur, commendat locus simillimus Ann. 1, 13: *quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent.* — 8. *cum maxime*] ut c. 16: *quae cum maxime est.* Alia exempla Tacitea collegit Heraeus ad Hist. 1, 29, 13. — *Muciano*] Est M. Licinius Crassus Mucianus, magnus ille adiutor Vespasiani in bello adversus Vitellium et in imperio acquirendo. Qualis forma fuerit *Actorum* ab eo collectorum, nos ignoramus; verum cogitare possumus de *eclogariis* (Cic. ad Att. 16, 2, 6), i. e. de selectis locis illustrioribus ex virorum insignium contionibus, orationibus forensibus, sententiis in senatu dictis. Contiones autem et orationes apud eorum posteros reperire poterat et in antiquariorum bybliothecis Mucianus; sententias in *Actis senatus.* Consentaneum sane est in talibus *Electis*, qualia fuerunt etiam Plinii maioris (Plin. Ep. 3, 5, 17) praemissa fuisse argumenta et exitus singularum orationum causarumque, quas ita contractas posteritati conservare statuerat. Pertinet huc etiam Frontonis illud Epist. ad Antonin. imper. 2, 5 (ed. Nab. p. 107) *memini me excerpsisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset aliqua de eloquentia vel philosophia vel de re publica disputatio; praeterea si quid eleganti aut verbo notabili dictum videretur, excerpsi.* — 12. *Lentulos* e. q. s.] ex his nominibus apparet Muciani illa Acta pertinuisse ad ultima liberae rei publicae tempora. De singulis cf. Orellii Onomasticum Tull. — 15. *magnitudo causarum*] similiter Cic. de orat. 1, 4, 16: *excitabat eos magnitudo, varietas multitudoque in omni genere causarum.* — 17 *formula*] cf. c. 20. De *interdicto* autem a praetore litigantibus interposito, quo quid fieri iubetur, si certa quaedam vera inveniantur, v. W. Rein, Röm. Privatrecht p. 506 sq. — *de ambitu comitiorum*] ut Cicero pro Murena. — 18. *expilatis*] in Verrem. Porro *civibus trucidatis*, itidem in Verrem. Etiam in oratione pro C. Rabirio, perduellionis reo, de civibus trucidatis verba facit.

nihil tale patimur, ita cum acciderent, ingentem eloquentiae materiam subministrabant. crescit enim cum amplitudine rerum vis ingenii, nec quisquam claram et illustrem orationem efficere potest nisi qui causam parem invenit. Non, opinor, Demosthenem orationes illustrant quas adversus tutores suos composuit; nec Ciceronem magnum oratorem P. Quintius defensus aut Licinius Archias faciunt: Catilina et Milo et Verres et Antonius hanc illi famam circumdederunt. non quia tanti fuerit rei publicae malos ferre cives, ut uberem ad dicendum materiam oratores haberent: sed, ut subinde admoneo, quaestionis meminerimus, sciamusque nos de ea re loqui quae facilius turbidis et inquietis temporibus existit. quis ignorat utilius ac melius esse frui pace quam bello vexari? plures tamen bonos proeliatores bella quam pax ferunt. similis eloquentiae condicio. nam quo saepius steterit tamquam in acie, quoque plures et intulerit ictus et exceperit, quoque maiores adversarios acrioresque pugnas sibi ipsa desumpserit, tanto altior et excelsior et illis nobilitata discriminibus in ore hominum agit, quorum ea natura est ut * * secura velint. (38) transeo ad formam et consuetudinem veterum iudiciorum, quae etsi nunc aptior est veritati, eloquentiam tamen illud forum magis exercebat, in quo nemo

8. *fuerit* Madvig: *fuit* ABC. — *rei publicae* Heumann: *rem (r.* B) *p.* ABC. — *ut* corr. ex *et* B. — 10. *nos* om. B. — 11. *existit* Lipsius: *extitit* ABC. — 13. *quo quis saepius* Michaelis. — 14. *plures intulerit* C. — *exceperit quoque* B, sed *que* 1m. delevit. — *maior adversarius et (ei* A, set a *et; eo* C) *acrior qui (per* C) *pugnas sibi ipsas (ipse* B) *desumpserit. tanto altior et excelsior et illis nobilitatus (nobilitatis* B 1 m.) *criminibus* ABC; *maiores adversarios acrioresque pugnas sibi ipsa* emendavit Boetticher, *nobilitata* Latinius, *discriminibus* Lipsius; de toto loco cf. Halmii disputationem Mus. Rhen. 28, 499—502. — 17. *secura nolint* Rhenanus *dubia laudent, secura nolint* R. Agricola *ancipitia, non secura velint* Schopen *secura sibi, aliis lubrica* velint P. Voss *secura laudent, dubia velint* Halm. — 18. *[veterum]* nos. — *est veritati* Agricola: *est ita erit* ABC *existimatur* Acidalius *extiterit* Walther. — 19. *eloquentiam* R. Agricola: *eloquentia* ABC.

5. *adversus tutores suos*] extant etiam nunc tres eius orationes adversus Aphobum. — *P. Quintius*] de recuperandis bonis; prima haec fuit Ciceronis oratio, cum esset natus annos XXVI. Archiam autem idem a. 62 civitatis contra leges sumptae reum defendit. — 7. *famam circumdederunt*] Sic Hist. 4, 11: *qui principatus inanem ei famam circumdarent.* Agr. 20: *egregiam famam paci circumdedit.* — *non quia tanti fuerit* c. q. s.] nam plus incommodi reipublicae attulerunt malorum civium conamina, quam commodi insignium oratorum eloquentia, quae ex illis robur ac vires hausit. — 13. *nam quo — agit* (16)] Sic hunc locum scribendum et subiectum eloquentiam intellegendam esse mihi persuasit Halmius Mus. Rhen. 28 (499—502) codicum vestigia accurate secutus. Nihil igitur opus est post *quo* inseri *quis*, quod et Michaelis et ego olim coniecimus. — Ceterum ad sententiam cf. Hist. 2, 53: *ut novus adhuc et in senatum nuper adscitus magnis inimicitiis claresceret.* — 16. *in ore*] cf. Hist. 3, 36 de Vitellio: *non in ore vulgi agere.* 2, 73: *erat — in ore famaque Vespasianus.* — 17. *ut * * secura velint*] loci corrupti haec sine dubio sententia fuit: "ut *secura*, i. e. quae extra pericula sunt, silentio transeant". Homines enim magnis periculis perfunctos mirari ac sermonibus trahere solent; at res secure peractae, quamvis laude dignae sint, nullius oculos in se convertunt. — 18. *veterum*] hoc vocabulum Emend. p. 174 ut spurium seclusi, quoniam inepte dicitur consuetudo veterum iudiciorum nunc aptior esse veritati. Nescio tamen an ex aliis locis, qui severae rationi similiter repugnant, huius loci integritati praesidium peti possit. Sic Nepos Paus. 3: *non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit,* ubi severa ratio *patrios* aeque deleri iubet ac Dialogi illo loco *veterem.* — *est veritati*] id est, iustitiae, ut Ann. 1, 75: *dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur.* Quamquam incertissima est scriptura.

intra paucissimas horas perorare cogebatur et liberae comperendinationes erant et modum dicendi sibi quisque sumebat et numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius adstrinxit, imposuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur; apud quos quanto maiora negotia olim exerceri solita sint, quod maius argumentum est quam quod causae centumvirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis neque Caesaris neque Bruti neque Caelii neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii quae pro heredibus Urbiniae inscribuntur, ab ipso tamen Pollione mediis divi Augusti temporibus habitae, postquam longa temporum quies et continuum populi otium et assidua senatus tranquillitas et maxime principis disciplina ipsam quoque eloquentiam sicut omnia alia pacaverat. (39) parvum et ridiculum fortasse videbitur quod dicturus sum: dicam tamen, vel ideo ut ridear. quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, qui-

1. *paucissimas horas* .s. C; *horas* om. AB, sed add. in A supra versum; *paucissimas perorare horas* Halm. — 2. *dicendo* ABC. — 3. *haec* C: *hic* AB. — 6. *quanta* B (sed corr.). — 8. *aliquorum* AB *illorum* H. Meyer. — 11. *Urbiniae* Lipsius: *urbine* B *Vruie* A *Vriue* C. — 14. *maxime* Haase: *maxima* AB *maximi* C. — 15. *alia* om. AB. — *depacaverat* A *deparaverat* (u supra) B. — 16. *videbitur* Ursinus: *videtur* ABC. — *rideatur* C. — 17. *pergulas* Maehly l. l. p. 25.

1. *intra paucissimas horas*] Plin. Ep. 6, 2, 6: *An nos sapientiores maioribus nostris? nos legibus ipis iustiores, quae tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi et supra modum tardi? nos apertius dicimus, celerius intellegimus, religiosius iudicamus, qui paucioribus clepsydris praecipitamus causas, quam diebus explicari solebant?* — 2. *et modum dicendi sibi quisque sumebat*] de his verbis non utique necessariis neque quidquam novi adferentibus idem iudico, quod de verbis *servato ordine disputationis* c. 1 dixi. — 3. *tertio consulatu*] a. 52, quo solus consulatum gessit. Cic. Brut. 94, 324: *lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis.* Dio 40, 52: *χρόνον τε τῷ μὲν διώκοντι δύο ὥρας, τῷ δὲ φεύγοντι τρεῖς δίδοσθαι ἐκέλευσεν.* — 5. *omnia in foro*] ac non in domibus principum, ut defensio Deiotari regis in domo Caesaris; *legibus* ac non arbitrio principis nec *vi et potestate iudicum* (c. 19); *apud praetores* ac non apud principem. Adde causas omnes graviores, velut maiestatis, actas tunc esse in senatu. — 7. *causae centumvirales*] cf. c. 7. Eas, quas Cicero egit, scriptione dignas non habuit. — 8. *obruebantur*] cf. Agr. 17: *et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset.* — 11. *pro heredibus Urbiniae*] Quint. 4, 1, 11. 7, 2, 4. 26. Clusinius Figulus vindicabat sibi Urbiniae cuiusdam hereditatem, cuius mortuae filium se esse dicebat, qui quidem iactatus variis casibus diu peregre abfuisset, sed tunc in Italiam ac patriam suam Marginos redisset. Asinius Pollio contra patronus pro heredibus contendebat hunc esse Sosipatrum servum, non verum filium. Hess. — 12. *ab ipso*] Hoc ita tantum recte dictum est, ut hoc loco non iam veterum oratorum orationes, ut antea, sed ipsos oratores inter se opponi putemus, quorum unus tantum apud centumviros causam dixerit. — 16. *vel ideo ut ridear*] ridendo enim ipsi confitebimini, quam putida ac molesta sit nostrorum iudiciorum consuetudo. — 17. *paenulas*] erat paenula vestimentum itinerarium arcendae pluviae accommodatum, toga brevius et adstrictius. Eo pro toga usos esse causidicos nemo sane memorat, ne Quintilianus quidem, ubi de vestitu oratorum agit, 11, 3, 137. Quid mirum? nempe abusus ille erat. Paenula pauci nonnumquam illo saeculo utebantur, commoditati cum damno dignitatis indulgentes. Tam deformis quorundam oratorum negligentia et ipsa iudicum audientiumque erga moris antiqui contemptum patientia gravitatem eloquentiae imminuebat. Nam sermocinatio privata paenulae conveniebat, non publica oratio. Doed. Dronke quidem et Heinrich ad Iuven. 5, 79 contendunt causidicos semper togatos, numquam paenulatos perorasse, ideoque verbum *paenulas* hoc loco per hyperbolam significare togas adstrictiores solitis. (Artemid. Oneirocr. 2, 3: *χλαμὺς δέ, ἣν ἔνιοι μανδύην, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βίῤῥον καλοῦσι, θλῖψιν καὶ στενοχωρίαν καὶ τοῖς δικαζομένοις καταδίκην μαντεύεται διὰ τὸ ἐμπεριέχειν τὸ σῶμα.* Bach.) —

bus adstricti et velut inclusi cum iudicibus fabulamur? quantum virium detraxisse orationi auditoria et tabularia credimus, in quibus iam fere plurimae causae explicantur? nam quomodo nobiles equos cursus et spatia probant, sic est aliquis oratorum campus, per quem nisi liberi et soluti ferantur, debilitatur ac frangitur eloquentia. ipsam quin immo curam et diligentis stili anxietatem contrariam experimur, quia saepe interrogat iudex, quando incipias, et ex interrogatione eius incipiendum est. frequenter probationibus et testibus silentium † patronus indicit. unus inter haec dicenti aut alter adsistit, et res velut in solitudine agitur. oratori autem clamore plausuque opus est et velut quodam theatro; qualia quotidie antiquis oratoribus contingebant, cum tot pariter ac tam nobiles forum coartarent, cum clientelae quoque ac tribus et municipiorum etiam legationes ac pars Italiae periclitantibus adsisteret, cum in plerisque iudiciis crederet populus Romanus sua interesse quid iudicaretur. satis constat C. Cornelium et M. Scaurum et T. Milonem et L. Bestiam et P. Vatinium concursu totius civitatis et accusatos et defensos, ut frigidissimos quoque oratores ipsa certantis populi studia excitare et incendere potuerint. itaque hercule eius-

5. *ipsa* C. — 7. *quando* [*quam*] AB *quam quando* [*,s. cam*] C (illud *scil. causam* add. c). — *ex interrogatione* — *est* possunt spuria videri. — 8. *patronus* ABC: *praetor* Orelli *importunus* Weissenborn *protinus* Halm. — 12. *nobiles homines* Orelli *nobiles auditores* nos. — 13. *et]* *ac* B.

1. *fabulamur*] cum contemptu dictum de sermonibus interrogationibus iudicis saepius interruptis et quotidianis fabulis propioribus. — 2. *auditoria*] in privatis aedibus ad recitationes declamationesque audiendas constructa opponuntur foro et basilicis. — *tabularia*] veluti senatus et censorum olim in atrio Libertatis (Liv. 43, 16). — 3. *explicantur*] "in talibus igitur tabulariis nonnumquam causae prolatis documentis" (tabulis publicis ibi asservatis) "explicabantur, ut eloquentia non esset opus." Dood. Simplicius tamen, nisi fallor, verbum *explicantur* interpretabere *aguntur*. — 4. *spatia*] Virg. Ge. 3, 202: *Hic* (equus) *vel ad Elei metas et maxima campi Sudabit spatia.* — *liberi et soluti*] multa huius iuncturae exempla affert Walther. Cic. Tusc. 1, 27, 66. Sall. Cat. 6 cet. — 5. *debilitatur ac frangitur*] sic Plin. Ep. 8, 16, 3: *debilitor et frangor eadem illa humanitate.* — 7. *interrogat*] "si nimis longum ac taediosum iudici videtur exordium, quod praemeditatus eras, te interrogat, quando tandem causam ipsam peroraturus sis; atque ita interpellatus eam aggrediare necesse est." — Ceterum verba: *ex interrogatione eius incipiendum est,* quibus nihil affertur nisi quod per se intellegitur, possunt videri interpolatione irrepsisse, qua de re v. Emend. meas p. 176. — 8. *patronus*] hoc vocabulum, cui nullus hic locus est (quoniam sicut ea quae praecedunt ita haec quoque de iudice dicta esse apparet), nescio an per errorem librariorum ex eo, quod paullo ante legitur, *probationibus* natum sit. — 10. *clamore plausuque opus est]* Cic. Brut. 51, 191: *poema enim reconditum paucorum approbationem, oratio popularis assensum vulgi debet movere.* — 12. *tam nobiles*] de substantivo, quod hoc loco deesse videtur, cf. Emend. meas p. 188. — 15. *C. Cornelium*] Fuit quaestor Cn. Pompei, trib. pl. a. 67; maiestatis reus defensus est a Cicerone, accusante P. Cominio Spoletino (Brut. 78, 271) a. 65. Duarum orationum reliquias collegit Orellius in Cic. op. IV. p. 932. — *M. Scaurum*] M. Aemilius Scaurus praetor a. 56 ex administratione Sardiniae repetundarum postulatus a Triario a. 54, et defensus a Cicerone absolutus est. Quae supersunt, habes in Cic. op. IV. p. 953 sq. — 16. *L. Bestiam*] L. Calpurnius Bestia, trib. pl. a. 62, aed. pl. a. 58, in Catilinariis a Sall. 17 nominatus, in petitione praeturae de ambitu accusatus a. 56. Cic. ad. Qu. Fr. 2, 3, 6: *A. d. III. Id. Febr. dixi pro Bestia de ambitu apud praetorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conventu.* Tota haec oratio deperdita est. — *P. Vatinium*] cf. c. 21. hic quoque intelleguntur potius accusationes Calvi in Vatinium, quam Ciceronis in eundem Interrogatio.

modi libri extant, ut ipsi quoque qui † egerunt non aliis magis orationibus censeantur. (40) iam vero contiones assiduae et datum ius potentissimum quemque vexandi atque ipsa inimicitiarum gloria, cum se plurimi disertorum ne a P. quidem Scipione aut *L.* Sulla aut Cn. Pompeio abstinerent, et ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi quoque † et histriones auribus uterentur, quantum ardorem ingeniis, quas oratoribus faces admovebant! * * non de otiosa et quieta re loquimur, et quae probitate et modestia gaudeat: sed est magna illa et notabilis eloquentia alumna licentiae, quam stulti libertatem vocant, comes seditionum, effrenati populi incitamentum,

1. *egerunt* corr. ex *egerint* B; *legerunt non a. m. o. accendantur* nos. — 4. *L.* add. Ritter. — *G.* A, *Gn.* B. — 6. *populi quoque ceu histriones auribus* Schurzfleisch *populi quoque ut histr. plausibus* Haase *populi quoque et plebis pronis auribus* Weissenborn *populi pronis ut histriones auribus* Halm *populi quoque vocibus* idem *histriones quoque populi auribus* Acidalius. — 7. *non enim* Muretus; ante *non* multa intercidisse primus suspicatus est Heumann. — 10. *vocant* Heumann: *vocabant* A B C.

1. *ut ipsi quoque, qui* e. q. s.] difficillimum hunc locum sic olim explicabant: "de oratorum eloquentia et meritis homines iudicant magis ex huiusmodi orationibus de rebus turbidis ac facinoribus, quam ex placidioris generis defensionibus vel ex causis civilibus ab illis tractatis." At conexus sententiarum is est, ut *eiusmodi libros* intellegi necesse sit eos, qui concursu totius civitatis, non possint intellegi ei, qui de rebus turbidis ac facinoribus habiti sunt. Sermo enim est de forma veterum iudiciorum, non de materia veterum orationibus subiecta, de qua dictum erat ante c. 38. Accedit quod *quoque* ratione caret; nam qui sunt illi, quibus tali particula adiunguntur *ipsi qui egerunt?* Itaque coniectura in adnot. crit. allata (de qua cf. Emend. meas p. 130) veram sententiam restituere conatus sum, quam hanc fuisse puto: "orationes veterum illorum oratorum totius civitatis concursu excitatorum eiusmodi sunt, ut ne ei quidem, qui eas legerunt, non audiverunt, ullis aliis orationibus vehementius inflammentur et accendantur. — 3. *ipsa inimicitiarum gloria*] cf. Tac. Hist. 2, 53: *ut — magnis inimicitiis claresceret.* — 6. *populi quoque*] ex omnibus emendationibus depravato huic loco adhibitis etiam nunc vel maxime mihi arridet Acidalii coniectura transponendo effecta. Exempla histrionum, id quod Naegelsbachius monuit, in theatro certamina et studia publica attrectantium praebet Val. Max. 6, 2, 9. Cic. Sest. 56. 57. *Quoque* autem eam vim habet, ut etiam multo saepius quam histriones, oratores, dicantur invidiae principibus viris conflandae causa populi auribus usi esse. — 7. *faces admovebant*] Tulliana iam imago pro magis solita stimulorum, calcarium: de orat. 2, 51, 205: *neque parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces.* 3, 1, 4: *hic cum homini — vehementi — Philippo quasi quasdam verborum faces admovisset.* Tac. Hist. 1, 24, 1. Metaphora repetita videtur a tormentis hominum consceleratorum atque in primis servorum. Lucret. 3, 1015: *Verbera, carnufices, robur, pix, lamina, taedae;* aeque usurpatur de corporis doloribus. Cic. de off. 2, 10, 37: *dolorum cum admoventur faces.* Tusc. 5, 27, 76: *is* (dolor) *ardentes faces intentat.* — *non de otiosa*] Hoc loco non pauca interciderunt, quibus Messallae orationis finis et Materni initium continebatur. Vulgo quae ante c. 36 leguntur, Messallae attribuunt, Materno autem, quaecumque ab initio c. 36 usque ad finem cap. 41 legimus. At per totum libellum haec est Messallae provincia, ut reddat causas depravatae eloquentiae, quarum una continetur c. 36—40; Materni autem, ut omnem eloquentiam in malis hominum moribus tamquam fundamento niti demonstret neque ullum illi locum in ea civitate concedat, quae ex optato composita sit. Cf. Emend. meas p. 163. — 9. *alumna licentiae* e. q. s.] his verbis Maternus ea perstringit, quae Cicero dicit Brut. 12, 45: *pacis est comes otique socia et iam bene constitutae civitatis quasi alumna quaedam eloquentia,* quibus contrarium dici videtur. At Cicero *paci otio*que non civiles discordias, sed externa bella, et *bene constitutae civitati* aut nascentem civitatem aut regum dominatione devinctam potius quam civitatem malorum civium licentia turbatam opponit. Quam tamen Cicero dicit *regum dominationem*, eam Maternus non sine laude quadam appellat *certum imperium.* — Ceterum idem Cicero de cladibus rei publicae oratorum opera allatis de or. 1, 9, 38: *ego vero si velim et nostrae civitatis exemplis uti et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus quam adiumenta per homines eloquentissimos importata.* Exemplo sunt Gracchi, qui *eloquentia rem publicam dissipaverunt.* —

sine obsequio, sine † servitute, contumax, temeraria, arrogans, quae in bene constitutis civitatibus non oritur. quem enim oratorem Lacedaemonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina et severissimae leges traduntur. ne Macedonum quidem ac Persarum aut ullius gentis, quae certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, plurimi Athenienses oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. nostra quoque civitas, donec erravit, donec se partibus et dissensionibus et discordiis confecit, donec nulla fuit in foro pax, nulla in senatu concordia, nulla in iudiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, tulit sine dubio valentiorem eloquentiam, sicut indomitus ager habet quasdam herbas laetiores. sed nec tanti rei publicae Gracchorum eloquentia fuit ut pateretur et leges, nec bene famam eloquentiae Cicero tali exitu pensavit. (41) sic quoque quod superest *ex* antiquis oratoribus, non emendatae nec us-

1. *servitute* ABC: *veritate* J. H. Nolte et Steiner *severitate* Pithoeus *virtute* Halm. — 3. *accepimus* C: *accipimus* AB. — 4. *sanctissimae leges* Schele. — *ne* A: *nec* BC. — 5. *ullius] illius* BC. — 6. *oratōres Athēnienses* B. — 12. *sicuti indomitus* Puteolanus: *sicuti domitus* ABC. — *laetiores* Rhenanus: *latiores* ABC. — 13. *tanti* idem: *tuta* ABC. — 14. *bone*[bene] A *bene* B (*bone* b supra versum add.) — *famam* Muretus: *formam* ABC. — 15. *ex antiquis oratoribus* nos: *antiquis oratoribus forum* ABC (nisi quod *horum* C); *antiqui oratoribus fori* Spengel *antiquis oratoribus honor* Helmreich, Blätt. f. d. bayr. Gymn. X. — *emendatae* Lipsius: *emendare* ABC.

1. *sine obsequio* e. q. s.] vi attributiva, ut Hist. 1, 9: *Hordeonium Flaccum spernebat senecta — invalidum, sine constantia, sine auctoritate.* — *sine servitute*] horum verborum sat probabiles emendationes aliquot nec tamen certa prolata est. Placet prae ceteris Pithoei *severitate*. — 2. *quem enim oratorem*] Cic. Brut. 13, 50: *Quis enim aut Argivum oratorem aut Corinthium aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem.* Vell. Pat. 1, 18. Quint. 2, 16, 4. — 3. *severissima disciplina et severissimae leges*] Similis est eiusdem adiectivi repetitio c. 41: *minimum usus minimumque profectus*, et paullo infra: *magnam famam et magnam quietem.* — 5. *certo imperio*] "ubi omnium consensu ac certis legibus penes unum regem erat imperium neque ambiguum habebatur, rex an senatus an populus imperaret." D. — 6. *Rhodii*] Intellegi vult praeter ceteros Apollonium Molonem, Ciceronis praeceptorem (Brut. 91, 316) et Hermagoram Temniten. Cic. Brut. 13, 51: *Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes: Rhodii saniores et Atticorum similiores.* Quint. 12, 10, 17. — 8. *erravit*] ut c. 36: *quantum erranti populo persuadere poterat.* — 10. *nulla superiorum reverentia*] i. e. nulla erga superiores oboedientia *(sine obsequio)* cf. Hist. 4, 80: *viri — superiorum intolerantis.* — 11. *nullus magistratuum modus*] malim interpretari de ipsorum magistratuum cum in re publica gerenda tum in dicendo intemperantia quam de effrenata oratorum licentia per magistratus non coercita. — 12. *sicut indomitus ager*] conferre iuvat Frontonem Epist. ad M. Caesarem 1, 3 (et Nab. p. 7): *Non aeque adolescunt in pomariis hortulisque arbusculae manu cultae rigataeque, ut illa in montibus aesculus et abies et alnus et cedrus et piceae, quae sponte natae, sine ratione ac sine ordine sitae, nullis cultorum laboribus neque officiis, sed ventis atque imbribus educantur.* — *laetiores*] ut Virg. Ge. 1, 339: *laetis operatus in herbis.* — *sed nec tanti rei publicae*] Apparet his verbis Maternum respondere eis quae Messalla dixit c. 37: *non quia tanti fuerit rei publicae* e. q. s., ut haec sit sententia: "non solum Catilina ferendus non erat, ut Cicero haberet contra quem diceret, sed ne Gracchorum quidem eloquentia tanta laude rem publicam auxit, ut illa leges eorum sanciendas esse putaret ipsosque salvos esse vellet; et miserrimus Cicero, cui perfectae eloquentiae laus tanti steterit, ut ob eam ipsam laudem miserandae morti occumberet." — 14. *sic quoque*] i. e. qualis hodie est rei publicae status, qui ut turbidis liberae rei publicae temporibus longe praeferendus est, ita summae felicitatis imagine multo inferior est.

que ad votum compositae civitatis argumentum est. quis enim nos advocat nisi aut nocens aut miser? quod municipium in clientelam nostram venit nisi quod aut vicinus populus aut domestica discordia agitat? quam provinciam tuemur nisi spoliatam vexatamque? atqui melius fuisset non queri quam vindicari. quodsi inveniretur aliqua civitas in qua nemo peccaret, supervacuus esset inter innocentes orator sicut inter sanos medicus. quomodo tamen minimum usus minimumque profectus ars medentis habet in iis gentibus, quae firmissima valitudine ac saluberrimis corporibus utuntur, sic minor oratorum honor obscuriorque gloria est inter bonos mores et in obsequium regentis paratos. quid enim opus est longis in senatu sententiis, cum optimi cito consentiant? quid multis apud populum contionibus, cum de re publica non imperiti et multi deliberent, sed sapientissimus et unus? quid voluntariis accusationibus, cum tam raro et tam parce peccetur? quid invidiosis et excedentibus modum defensionibus, cum clementia cognoscentis obviam periclitantibus eat? credite, optimi et

1. *quis enim* C: *quid enim quod nemo* B; *Quidem* [*quis enim*] *quod nemo* A. — 2. *clientelam* Pithoeus: *civitatem* ABC. — 5. *non fieri* Muretus. — 7. *tamen* C: *inde* AB *enim* Heumann *autem* Michaelis *igitur* Schoell. — 10. *honor* Orelli: *horum* ABC *nostrorum* Michaelis, om. Rhenanus. — *obscurior* C. — 12. *optimi* Rhenanus: *optima* ABC. — 15. *[orationibus] defensionibus* B.

1. *quis enim*] scite Maehly, l. l. p. 26 suspicatur depravatam librorum A et B scripturam (nam sequentium interrogationum forma simillima in C veram scripturam servatam esse evincit) natam esse ex glossemate *idem quod nemo* explicandi gratia pronomini *quis* suprascripto. — 2. *clientelam*] ut c. 3: *tot coloniarum et municipiorum clientelae.* De iunctura autem *in clientelam nostram venire* pro Tulliana *in clientelam alicuius se conferre* (pro S. Rosc. 37, 106) iniuria dubitavit Doederlein. — 5. *melius fuisset*] i. e. melius erat. Cf. Cic. Cato Maior 23, 82: *nonne melius multo fuisset.* Tac. Hist. 3, 40: *et si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam praevenire — potuisset.* coll. 4, 34. — *non queri*] i. e. melius erat provincias numquam *causam querendi* habuisse, numquam iniuriis vexatas esse. Similiter c. 15 *non verebaris* idem est quod: *causa nulla erat, cur vererere.* Tali interpretatione probata, Mureti coniectura supersedemus. — 7. *medicus*] etiam Messalla oratorem medico comparat c. 31: *adhibebit manum* e. q. s. — 10. *honor*] de hac egregia Orellii emendatione cf. c. 12. Sall. Cat. 11. Virg. Aen. 12, 135. — 11. *regentis*] vi intransitiva, ut Ann. 4, 33: *Tiberio regente* (cf. Nipperdey). Hist. 2, 81, 10. 12, 7. — *quid enim opus est*] quae secuntur usque ad *periclitantibus eat* dicta sunt de re publica usque ad votum composita, qualem cogitando optimam fingimus, non de re publica, qualis fuit Romana Vespasiani temporibus. Quamquam suorum temporum rem publicam Maternus non prorsus dissimilem putat perfectae illius rei publicae imagini, quam ipsam quoque ab uno (eodemque sapientissimo) regi oportere existimat, cui reliqui numquam obsequi nolint. — *longis in senatu sententiis*] his perstringit Maternus quae Messalla praedicavit c. 36: *cum parum esset in senatu breviter censere, nisi qui ingenio et eloquentia sententiam suam tueretur.* Eadem ratio intercedit inter ea quae secuntur: *quid multis apud populum contionibus* et haec Messallae verba c. 36: *hinc contiones magistratuum paene pernoctantium in rostris.* Postremo *invidiosas et excedentes modum defensiones* oppono veterum oratorum in dicendo libertati, quam Messalla c. 38 uberrima verborum copia extulit. — 12. *contionibus*] quarum tunc raro dabatur occasio, nisi cum in provinciae alicuius civitate seditio orta erat et in militia ante pugnas. — 14. *voluntariis accusationibus*] "quas quis non propria iniuria coactus vel principis iussu, ut interdum fiebat, sed sua sponte suscipit." His verbis Maternus etiam *accusationes potentium reorum* (c. 36) et *ius potentissimum quemque vexandi* alienum esse ostendit a composita et quieta et beata re publica. — Ad rem cf. Quint. 6, 1, 35: *quod genus* (loquitur in primis de difficilioribus defensionibus, qualis fuit Murenae) *nostris temporibus paene sublatum est, cum omnia curae tutelaeque unius innixa periclitari nullo iudicii exitu possint.* —

in quantum opus est disertissimi viri, si aut vos prioribus saeculis aut illi quos miramur his nati essent, ac deus aliquis vitas ac tempora vestra repente mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia neque illis modus et temperamentum defuisset. nunc, quoniam nemo eodem tempore assequi potest magnam famam et magnam quietem, bono saeculi sui quisque citra obtrectationem alterius utatur.'

(42) Finierat Maternus, cum Messalla 'Erant quibus contradicerem, erant de quibus plura dici vellem, nisi iam dies esset exactus.' 'Fiet' inquit Maternus 'postea arbitratu tuo, et si qua tibi obscura in hoc meo sermone visa sunt, de iis rursus conferemus.' ac simul assurgens et Aprum complexus 'Ego' inquit 'te poetis, Messalla autem antiquariis criminabimur.' 'At ego vos rhetoribus et scholasticis' inquit.

Cum adrisissent, discessimus.

1. *opus est] potest* Nipperdey olim. — 2. *illi* Halm: *isti* A B C. — *vitas ac tempora vestra* Haase: *vitas ac vestra tempora* A B C *vitas vestras ac tempora* Bekker *vitas ac tempora* Halm *vetera ac vestra tempora* nos olim. — 4. post *temperamentum* Acidalius excidisse susp. *in certaminibus.* — 11. *autem* Weissenborn: *cum* A B C, om. Puteolanus.

Ego tantum repperi et meliusculum feci. *CORNELI TACITI DE ORATORIBVS EXPLICIT FELICITER* A *FINIT FINIT FINIT* B τελώσ C.

1. *in quantum opus est*] laudat moderationem amicorum, qui ingenio suo mutatis temporibus coercito et angustioribus finibus circumscripto imperare quam indulgere malunt; neque enim iam licebat, quemadmodum liberae rei publicae temporibus, summa contentione atque libertate magnas causas agere, nec de bello et pace, de regibus per Orientem vel nominandis vel destituendis sententias in senatu dicere; neque contiones ad populum in foro habere. Idem prorsus est quod dicit c. 1: *disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum.* — 4. *nunc quoniam* c. q. s.] hac sententia Maternus disputationem absolvit et tamquam integerrimus arbiter inter Aprum et Messallam quasi pacem conciliat demonstrando sua cuique saeculo et bona esse et mala, quae perspici potius fas sit quam laudari et castigari, omnemque eloquentiam, et veterem et recentem, non plane beatae rei publicae argumentum esse. — 7. *erant quibus contradicerem*] ea nimirum intellegit, quibus Maternus antiquam libertatem a Messalla laudatam vel potius licentiam c. 41 prostravit. — 12. *criminabimur*] Similia pluralis exempla collegit Nipperdey ad Ann. 2, 42, 22.

CORNELII TACITI

DE VITA ET MORIBUS

IULII AGRICOLAE

LIBER.

AD FIDEM CODICUM VATICANORUM

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

GEORGIUS ANDRESEN.

BEROLINI

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.

MDCCCLXXX.

CORNELII TACITI
VITA
IULII AGRICOLAE.

BREVIARIUM.

Cap. 1. Scribendi clarorum virorum vitam mos antiquus, 2. sub Domitiano oppressus, 3. sub Traiano in honorem Agricolae repetitus a Tacito, qui non eloquentiam, sed pietatem pollicetur. 4. Agricolae stirps, educatio, studia. 5. positis in Britannia primis castrorum rudimentis, 6. uxorem ducit. fit quaestor, tribunus, praetor. recognoscendis templorum donis praefectus. 7. Othoniano bello matrem partemque patrimonii amittit. 8. in Vespasiani partes transgressus, legioni XX. in Britannia praepositus, alienae famae cura promovet suam. 9. redux inter patricios adscitus Aquitaniam regit. Consul factus Tacito filiam despondet. Britanniae praeficitur.

10. Britanniae descriptio. Thule cognita. mare pigrum. 11. Britannorum origo, habitus, sacra, sermo, mores, 12. militia, regimen, rarus conventus. caelum, solum, metalla, margarita. 14. victae gentis ingenium. Caesarum in Britanniam expeditiones. 14. consularium legatorum res gestae. 15. Britanniae rebellio, 16. Boudicca duce coepta, a Suetonio Paulino compressa. huic succedunt ignavi. 17. rem restituunt Petilius Cerialis et Iulius Frontinus; hic Silures, ille Brigantes vincit; 18. Agricola Ordovices et Monam. totam provinciam pacat et 19. 20. moderatione, prudentia, abstinentia, aequitate in obsequio retinet, 21. animosque artibus et voluptatibus mollit.

22. 23. Nova expeditio novas gentes aperit, quae praesidio firmantur. Agricolae candor in communicanda gloria. 24. Consilium de occupanda Hibernia. 25—27. civitates trans Bodotriam sitae explorantur. Caledonii, Romanos adgressi, consilio ductuque Agricolae pulsi, sacrificiis conspirationem civitatum sanciunt. Usiporum cohors miro casu Britanniam circumvecta. 29. Agricolae filius obit. bellum Britanni reparant Calgaco duce, cuius 30—32. oratio ad suos. 33. 34. Romanos quoque hortatur Agricola. 35—37. atrox et cruentum proelium. 38. Penes Romanos victoria. Agricola Britanniam circumvehi praecipit.

39. Domitianus, fronte laetus, pectore anxius, nuntium victoriae excipit. 40 honores tamen Agricolae decerni iubet, condito odio, donec provincia decedat Agricola. is redux modeste agit. 41. periculum ab accusatoribus et laudatoribus. 42. excusat se, ne provinciam sortiatur proconsul. 43. obit non sine veneni suspicione, a Domitiano dati. 44. eius aetas, habitus, honores, opes. 45. mortis opportunitas ante Domitiani atrocitates. 46. questus scriptoris et ex virtute solacia. fama Agricolae ad posteros transmissa.

A codex Vaticanus 3429.
B codex Vaticanus 4498.

Codicum lectiones omnes deprompsi ex libro Caroli Ludovici Urlichsii, Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae liber, ad codices Vaticanos in usum praelectionum edidit et recensuit. Wirceburgi. Impensis Adalberti Stuber. 8. 1875.

CORNELII TACITI DE VITA ET MORIBUS IULII AGRICOLAE A. — *CAI CORNELI TACITI DE VITA ET MORIBUS IULII AGRICOLAE PROHEMIUM* B.

(1) Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque

C. 1.

antiquitus usitatum]. Neutra adiectivorum vel participiorum perf. pass. nonnumquam apud Tacitum sunt pro appositione obiecti (sic et hoc loco et H. II. 92 *gratum primoribus civitatis etiam plebs approbavit, quod reversis ab exilio iura libertorum concessisset*) vel subiecti (sic Germ. 31 *Et aliis Germanorum populis usurpatum raro — apud Chattos in consensum vertit, — crinem barbamque summittere*).

quamquam] cum adiectivo (ut apud Ciceronem *quamvis*) saepe apud Tacitum coniungitur. Sic c. 16 *quamquam egregius*, c. 38 *quamquam laetum*. H. II. 68 *ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia eius dubitavit.* Nec minus cum participio, ut c. 22 *quamquam conflictatum*, c. 39 *quamquam — auctum*. 44 *quamquam — ereptus*.

incuriosa suorum]. Similis est querela his locis: Ann. II. 88 *dum vetera extollimus, recentium incuriosi*. Plin. ep. VIII. 20, 1 *sub oculis posita neglegimus, seu quia ita natura comparatum, ut proximorum incuriosi longinqua sectemur, seu quod* e. q. s. *Suorum* neutrum genus intellege.

aetas]. Melius et simplicius videtur scripturus fuisse: *ne nostra quidem quamquam incur. s. aetas omisit.* Sed quoniam *aetas* est societas eorum, qui isdem temporibus sunt, nihil est quod reprehendamus; accuratissime enim significat scriptor clarorum virorum res gestas ac merita ab eorundem temporum hominibus contemni ac dissimulari solere. Paullo aliud est iudicium de Prop. I. 4, 7 *et quascumque tulit formosi temporis aetas.* 7, 8 *aetatis tempora dura.*

aliqua — virtus]. Noli intellegere aliquod virtutis genus, sed exemplum virtutis in singulari aliquo homine conspicuum. Ann. III. 65 *quod praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur.* Cic. pro Mil. 37, 101 *et erit dignior locus ullus in terris, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit?*

vicit], quasi reluctantem, *supergressa* est, victum adversarium.

vitium — commune]. Haec appositionis collocatio, quae quidem creberrima est apud Tacitum, quasi moratur eam notionem, cui praemissa est eique noscendae quodammodo intentum facit lectorem.

parvis magnisque]. Atheniensis in primis et Romana civitas intellegendae sunt.

ignorantiam recti et invidiam]. Unum intellege vitium; nam *ignorantia recti* is est error, ea pravitas ingenii, unde oritur *invidia*. Vulgus enim, cum careat intellegentia virtutis, qualis in magnis viris elucet, rebus gestis eorum invidet, quas ut cernit, ita ex veris causis in animorum indole positis repetere nescit. — *Rectum* autem est honestum sive ὀρθόν, non illud quidem, quod, ut aiunt philosophi, omnes numeros habet nec praeter sapientem cadere in quemquam potest, sed illud, quod et ingenii bonitate multi assecuntur et progressione discendi. H III. 51 *quotiens res locusque exempla recti aut solacia mali poscet.* IV. 5 *recti pervicax.*

apud priores] idem valet quod supra *antiquitus*, i. e. liberae rei publicae temporibus.

digna memoratu]. H. II. 24 *crebra magis quam digna memoratu proelia.* Ann. VI. 8 *nobis pleraque digna cognitu obvenere.*

pronum magisque in aperto], homonyma rhetorici ornatus causa coniuncta, ut c. 33 *vota virtusque in aperto omniaque prona victoribus.* Ceterum conferendus simillimus locus H. III. 56 *cum transgredi Apenninum integro exercitus sui robore — in aperto foret.* *Magis* recte ad utrumque membrum refert Peerlkamp.

celeberrimus quisque ingenio], ei scriptores, qui et rerum traditarum fide et orationis elegantia summam sibi pepererunt famam. H. III. 51 *celeberrimos auctores habeo.*

virtutis], eadem vi qua supra legimus *magna aliqua ac nobilis virtus.*

sine gratia aut ambitione]. *Ambitio*, ut persaepe, de eo, qui pravis artibus aliorum favorem atque applausum aucupatur, h. l. eorum, qui posteri vel amici atque admiratores viri alicuius illustris erant: innocentior sane est *gratia*, merum aliis gratificandi studium. Ann. VI. 46 *Tiberio non perinde gratia praesentium quam in posteros ambitio.* IV. 64 *quia sine ambitione aut proximorum precibus, ignotos etiam et ultro accitos munificentia iuverat.*

conscientiae]. Rebantur enim conscientiam egregii facti, i. e. memoriae virtutis cum fide proditae satis magnum sibi suscepti laboris praemium fore. Ann. II. 22 *De se nihil addidit, metu invidiae an ratus conscientiam facti satis esse.*

Ac plerique] (i. e. permulti) e. q. s. Enuntiatum coartatum ex his duabus sententiis: Quin etiam (id enim valet *ac*) multi suam ipsi vitam narraverunt neque in ea re arrogantiam, sed fiduciam morum suorum cerni arbitrati sunt.

ipsi] per attractionem quandam in hoc pronomine usitatissimam, cum pars sit obiecti, nominativo casu subiecto adiungitur.

nec id] e. q. s. Hoc quoque enuntiatum ex duabus constat sententiis: Velut Rutilius et Scaurus suis ipsi meritis freti integre et libere suam ipsi vitam scribere non dubitaverunt eamque illorum ingenuitatem laus ac fides aequalium et posterorum secuta est.

Rutilio]. P. Rutilius Rufus, consul a. 105, *exemplum innocentiae, quo nemo neque inte-*

in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit: adeo virtutes iisdem temporibus optime aestiman-

grior erat in civitate neque sanctior (Cic. de or. I. 53, 229), *vir non sui saeculi, sed omnis aevi optimus* (Vell. II. 13, 2), Panaetii Stoici auditor (Cic. de off. III. 2, 10), anno 92 vel 93 ex Asia redux equitum studio repetundarum accusatus et immerito damnatus Zmyrnam se contulit (Tac. Ann. IV. 43), ubi totum litteris se dedidit.

et]. Scite monet Wexius Tacitum ideo *et* potius scripsisse quam *aut*, ut hos duos viros, qui etiam ab aliis scriptoribus una nominari solent, et morum famaeque similitudine et eo quod suam uterque vitam scripserat, inter se coniunctos artius in vicem copularet. Cic. Brut. 10, 40: *neque enim — tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset Homerus et Nestori —, nisi iam tum esset honos eloquentiae.*

Scauro]. M. Aemilius Scaurus, consul a. 115, censor a. 109, princeps senatus inde ab a. 115, a Cicerone ceterisque optimatibus summis laudibus ornatur, a Sallustio reprehenditur (Jug. 15, 4 *homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callide occultans*). Cic. Brut. 29, 112: *Huius* (Scauri) *— sunt tres ad L. Fufidium libri scripti de vita ipsius, lectu sane utiles, quos nemo legit.* Ceterum Rutilius et Scaurus inter se inimici erant (quae aemulatio nescio an alteri utri vitam suam item scribendi causa fuerit); nam *cum* a. 116) *una consulatum petiissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit.* Cic. Brut. 30, 113. cf. Tac. Ann. III. 66.

citra fidem] est, quod ad eam non pervenit, ab ea remotum quasi consistit. Post Augustum, maxime apud Quintilianum et Plinium maiorem *citra* exquisitiore usu ponitur pro *sine*.

aut obtrectationi] et latius patet quam quod praecedit, *citra fidem*, et minorem habet vim. Haec enim est sententia: Tantum afuit, ut homines eis fidem denegarent, ut ne id quidem dicerent, honestius eos facturos fuisse, si vitam suam non ipsi scripsissent, sed aliis scribendam permisissent.

adeo] e. q. s. Haec est primaria huius capitis sententia, ex eis, quae praecedunt, effecta. Cf. H. III. 51 *tanto acrior apud maiores sicut virtutibus gloria, ita flagitiis paenitentia fuit.*

aestimantur]. H. I. 16 *nos bello et ab aestimantibus* (id est: ab iis, qui, quanti simus quantumque valeamus, intellegunt) *adsciti cum invidia quamvis egregii erimus.* II. 23 *suspectum id Othonianis fuit omnium ducum facta prave aestimantibus.* III. 52 *ut non pro spe Antonii consilia factaque eius aestimarentur.* Ann. XIII. 17. XV. 2.

quibus facillime gignuntur], i. e. quibus agere digna memoratu pronum magisque in aperto est.

nunc], his temporibus, quae tantum recesserunt a priorum temporum similitudine.

defuncti] breviter dictum pro: *et alterius et defuncti.* Hoc enim dicit, se et quod alterius, non suam, et defuncti, (quem *mors odio aut gratiae exemisse* putanda est. Ann. IV. 35) non vivi hominis vitam narraturus sit, etiam digniorem esse venia illa, quam iam petiturus est.

venia]. Adeo, inquit, mutata sunt tempora pristina, quibus vel αὐτοβιογράφοι venia et excusatione adeo non egebant, ut nemo curae eorum fidem denegaret aut ipsis obtrectaret; nunc si agnoscimus merita virorum magnorum atque innocentium, reprehendimur ab iniquis virtutum aestimatoribus, quales sane exstabant etiam sub Nerva ac Traiano. Itaque paene excusatione nobis opus est, quoniam haec aetas non ea est, quae magni alicuius viri, ne defuncti quidem, laudes libenter audiat.

fuit]. Perfectum referendum est ad id tempus, quo huius libri scribendi consilium cepit Tacitus et quid scriberet, meditabatur. Ann. IV. 5 *sed persequi incertum fuit, cum ex usu temporis huc illuc mearent.*

incusaturus], i. e. si incusaturus essem. A. XIV. 54: *quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere vitae, — cum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto. Incusaturus* etsi absolute positum est, tamen Domitiani saeculum pro obiecto intellegendum. Itaque hoc dicit: si in Domitianorum temporum saevitiam invecturus essem, hoc lectorum vulgo admodum placeret, neque venia mihi opus fuisset. Nam *ambitionem scriptoris facile averseris, obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest* (H. I. 1).

Tam], idem quod *adeo*, quod paullo ante legimus.

tempora], i. e. haec tempora, pravitate hominum a cognoscenda praeclari viri virtute abhorrentium virtutibus infesta, et ad accusandum, quam ad laudandum proniora. Nec repugnat quod c. 3 in. suum *saeculum beatissimum* dicit; id enim debebatur Nervae et Traiani imperatorum beneficio nec ideo statim mutata sunt hominum ingenia. — Itaque Tacitus sibi in hoc libro scribendo id propositum fuisse negat, ut incusaret. Tamen et in hoc prooemio et in extrema huius libri parte in Domitianum vehementissime invehitur. At primum non hoc ei propositum fuit, ut Domitianum hoc libro incusaret, sed ut Agricolae laudem memoriae proderet, deinde, id quod iam supra significavimus, obiectum verbi *incusaturus* non Domitianus ipse intellegendus est, sed ministri saevitiae eius, quibus post mortem tyranni poena intendebatur. Plin.

tur, quibus facillime gignuntur. at nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit, quam non petissem incusaturus. tam saeva et infesta virtutibus tempora. (2) legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse, neque in ipsos modo auctores sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. scilicet illo igne vocem populi

2. *fuerit* Roth et Urlichs. — *incusaturus. tam saeva* Wex: *incusaturus tam saeva* vulgo; *ni incusaturus tam saeva* Lipsius (*incusaturus. tam saeva e. i. v. tempora exegimus* et v. 5 *fuit* Gantrelle) — *saevia et infaelicia* B. — 3. *Petus* A B; em. Rhenanus. — 4. *senetioni* A B; em. Rhenanus. — 5. *eorum*] *forum* B. — 6. *monimenta* B. — 7. *vocem* om. B.

ep. IX. 13, 2 *occiso Domitiano statui mecum ac deliberavi esse magnam pulchramque materiam insectandi nocentes, miseros vindicandi.* Idem patres *recenti Galbae principatu* (H. II. 10) consuerant, cf. H. IV. 42. Itaque propterea Tacitus sibi magnum virum eumque defunctum laudaturo venia opus fuisse dicit, quod suae aetatis homines virtutibus infesti sint, i. e. ei, quorum aures magnorum virorum laudes respuant et ad crimina, quam ad laudes audiendas proniores sint.

C. 2.

C. 1 eum, qui magni viri, etiamsi defunctus sit, vitam narraturus sit, nimio accusandi studio hominum suae aetatis proprio a consilio suo deterreri ostenditur. Quae secuntur capp. 2 et 3, eis alia insuper aperitur haud minus gravis difficultas, non in hominum ingeniis, sed in ipsius scriptoris animo posita, nec solum in Taciti Agricolae vitam narraturi, sed in omnium animis, qui historiam scribunt vel potius omnium, qui litterarum vel philosophiae studia fovent. Haec enim studia a Domitiano oppressa (nam haec est primaria capp. 2 et 3 sententia) Nervae et Traiani imperiis, quamvis felicia sint, renovari statim non possunt. Quare quamquam, inquit, ut ceteri optimarum artium studiosi, ego quoque dum robore aetatis vigebam, ea quae mihi proposueram, persequi non potui eaque re desidiae paene assuevi, tamen res gestas Flaviorum et Nervae ac Traiani componere non pigebit, cui maiori operi haec interim soceri mei vita viam aperiet. — Itaque quoniam his capp. de omnibus studiis a Domitiano oppressis in universum sermo est, Rustici et Senecionis libri, in quibus inerant Thraseae et Helvidii laudes, non possunt credi a Tacito esse ideo commemorati, ut cum hoc ipsius opere tamquam simili compararentur, sed ut essent pro exemplo omnis generis studiorum a Domitiano oppressorum.

legimus], ut videtur, in actis diurnis, quibus virorum insignium supplicia, addita necis causa, publice nuntiari solebant, quod in quibusdam prohibuit Domitianus (Dio LXVII. 11.). Nec tamen quidquam obstat, quo minus intellegamus etiam de senatorum nonnullorum commentariis epistolisque post tyranni interitum compositis. Est igitur: legimus certe omnes, etiam qui tunc ipsum Romae non adfuimus.

Aruleno Rustico]. L. Junius Rusticus Arulenus, trib. pl. a. 66, quo anno *cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto* adversus Thraseam facto (Ann. XVI. 26), praetor a. 69 (Hist. III. 80), stoicus, occisus est a. 94 a Domitiano, *quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros; cuius criminis occasione philosophos omnes urbe Italiaque summovit* (Suet. Dom. 10, qui nonnullis videtur errasse Aruleno utriusque laudes tribuens; verum in eadem cura quidni utriusque honorifice mentionem facere potuerit?). Dio LXVII. 13. τὸν — Ῥούστικον τὸν Ἀρουλῆνον ἀπέκτεινεν, ὅτι ἐφιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμαζε, καὶ Ἑρέννιον Σενεκίωνα, ὅτι τε οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ᾐτήκει καὶ ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ Ἑλουιδίου βίον συνέγραψεν. Plin. ep. I. 5, 2.

Paetus Thrasea]. P. Thrasea Paetus, item Stoicae doctrinae deditus et propter libertatem, qua in senatu principatui adversari solebat, invisus Neroni, socer Helvidii Prisci, consul anno incerto, a. 66 a Nerone mori adactus est. Qua de re haec dicit Tacitus Ann. XVI. 21: *ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano.* Suet. Ner. 37.

Herennio Senecioni], Plinii minoris amici (ep. III. 11, 3. VII. 33, 4. 19, 5 *Senecio reus* —, *quod de vita Helvidii libros composuisset*). Accusavit eum Metius Carus, de quo c. 45.

Helvidius]. Helvidius Priscus, post mortem soceri Italia depulsus (Ann. XVI. 33), Galba imperante ab exilio Apolloniensi domum reversus praetor designatus est (H. IV. 6). Eisdem moribus, quibus socer Neroni, Vespasiano invisus interfectus est a. 73 (Suet. Vesp. 15). De filio eius c. 45. — Dativi *Aruleno Rustico* et *Herennio Senecioni* ita passivo verbi adiunguntur, ut idem valeant atque *a* c. abl. Exempla huius usus, qui latissime patet apud Tacitum, congesserunt Heraeus ad H. I. 11, 8, Nipperdeius ad Ann. II. 50, 11.

non modo — sed — quoque]. De horum ac similium verborum apud Tacitum usu cf. Nipperdeius ad Ann. I. 60, 2.

saevitum], sc. *esse*. Ergo hoc quoque in actis diurnis, ut videtur, perscriptum fuit.

triumviris], capitalibus; contra *Cremutii Cordi libros per aediles cremandos censuere patres*

Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio. memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere. (3) nunc demum redit animus; sed quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles

3. *occurrē* B. — 4. *grande* om. B. — 6. *etiam* A: *et* B. — 8. *rediit* Spengel. — *sed* Bipontini: *et* A B. — 9. *dissolubiles* B.

(Ann. IV. 35). Ipsam rem administrabant *victimarii.* Liv. XL. 29, 14: *libri in comitio igne a victimariis facto in conspectu populi cremati sunt.*

clarissimorum ingeniorum], nimirum ipsorum scriptorum, non eorum, quorum laudes ediderant. Ann. XV. 41 *monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta.* IV. 61 *monumenta ingeni eius haud perinde retinentur.*

in comitio], i. e. eo loco, ubi sontes poenis ac suppliciis afficiebantur. Liv. XXII. 57, 3 *L. Cantilius — a pontifice maximo — virgis in comitio caesus.* Plin. ep. IV. 11, 10 *cum in comitio virgis caederetur.* Comitium situm erat iuxta forum Romanum a septentrionali eius parte ab eoque Rostris veteribus separatum. Ascon. ad Cic. pro Mil. 5. p. 43 Orell. Hoc autem loco comitium pars fori intellegitur; additur vero *ac foro*, ut accuratius significetur, eum locum delectum esse, quo nullus esset Romae frequentior. Similiter locutus est Plin. h. n. XV. 18, 77 *colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio;* contra simplicius Tac. Ann. XIII. 58 *Ruminalem arborem in comitio.*

scilicet], per irrisionem dictum, ut Ann. VI. 23 *scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni*; cf. Ann. IV. 35 *libros* (Cremuti Cordi) *per aediles cremandos censuere patres; sed manserunt, occultati et editi. Quo magis socordiam eorum i r r i d e r e libet, qui praesenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis aevi memoriam.*

vocem populi Romani]. Ann. III. 11 *haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.*

conscientiam generis humani], eandem, quam Ann. IV. 35 dicit *sequentis aevi memoriam.* Non poterat, inquit, impediri, quominus etiam posteri scirent, quantam laudem viri clari illi, editis pulcherrimis libris, meruissent.

arbitrabantur], Domitianus et scelerum eius ministri.

expulsis insuper sapientiae professoribus]. Hoc abl. abs. significatur novum scelus, quod accedit ad ea, quae supra narrata sunt, eodem fere tempore factum. Nam a., ut videtur, 94 *sapientiae professores*, i. e. *philosophi* sive philosophiae praeceptores *senatus consulto eiecti atque urbe et Italia interdicti sunt.* Gell. XV. 11, 3.

omni bona arte] i. e. omnibus, in quibus exemplum bonae artis inerat. Itaque *ars* hoc loco similiter interpretanda est, ac c. 1 *virtus.* Ipsa autem res illustratur eis, quae Plinius dicit Panegyr. 47, 1 *Quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae doctoribus habes! ut sub te spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegaret.* Unde et liberalium artium studia et bonas artes apud Tacitum intellegenda esse apparet.

occurreret]. Germ. 33 *iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant.*

dedimus profecto. Vis affirmationis, quae inest in vocabulo *profecto*, augetur ipsa verbi collocatione. *Dare documentum*, ut *dare experimentum* A. XIII. 24. XV. 24; *dare exemplum* XVI. 32.

vetus aetas], liberae rei publicae, ut c. 1.

ultimum in libertate]. Intellegit extrema ac turbida liberae rei publicae tempora. Similiter Cicero Tusc. V. 25, 71 *invenitur, quid sit — extremum in bonis, quid in malis ultimum.*

inquisitiones], secretas delatorum, quales narrantur Ann. II. 27. IV. 69.

C. 3.

primo statim]. Horum verborum utrumque, quoniam idem significant, alterius vim auget, ut in sollemni illo: *primo statim adventu* e. q. s. s.

saeculi], eius aetatis, quae et Nervae imperium et Traiani initia complectitur. Sic etiam H. I. 3 *saeculum* dicit eam aetatem, quae a Galbae initio ad Domitiani interitum pertinet pluriumque imperatorum tempora continet.

ortu]. Manifestum est saeculum comparari cum sole vel sidere cum laetitia spectantium oriente.

Nerva Caesar]. Fuerunt qui ex eo quod non praeponitur Divi nomen, immerito colligerent hunc librum vivo Nerva esse compositum extremo principatus eius tempore, quo Traianus consors tribuniciae potestatis erat. Sed quae paullo post de ipsius Traiani laude et c. 44 de eodem principe legimus, ea ita se habent, ut nulla sit dubitatio, quin hic liber referendus sit ad Traiani imperatoris primordia. Similes locos, ubi mortuus Nerva ita

miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica sed ipsius voti fiduciam ac robur adsumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque

2. *securitatis res publica* Mützell. — 5. *extinguntur* A B. — 8. *multis* A B; em. Lipsius.

commemoretur, ut absit Divi cognomen, contulit Mommsen Herm. III. p. 106.

res olim dissociabiles]. *olim* est *per longum iam tempus*, i. e. ex quo principatus institutus est, usque ad haec tempora. Similia huius vocabuli exempla congessit Heraeus ad H. I. 60, 8 isque plerumqne id in appositionibus inveniri docet. — *dissociabiles* autem neque eae res dicuntur, quae dissociant, neque eae, quae dissociantur, sed eae quae inter se consociari vel misceri nequeunt. Denique appositionis collocatio eandem habet vim, quam exposuimus in verbis *vitium — commune* c. 1.

miscuerit]. De coniunctione *quamquam* apud Tacitum saepius cum coniunctivo quam cum indicativo coniuncto vide Nipperdeium ad Ann. I. 3.

principatum ac libertatem]. H. IV. 64 *haud facile libertas et domini miscentur*. Ceterum eum diem, quo imperium adeptus est Nerva, ut initium recuperatae *libertatis* celebratum esse constat. Is dies fuit (Suet. Dom. 17) a. d. XIV. k. Oct. 96, quo die senatus populusque Romanus *libertati restitutae* templum in Capitolio dedicavit, cuius titulus hic est (C. J. L. VI. 1. 472) *Libertati ab imp. Nerva Ca*[es]*ar*[e] *Aug. anno ab urbe condita DCCCXXXXIIX* (i. e. a. 96 secundum Catonem) *XIIII* [K] *Oc*[t] *restitutae S. P. Q. R.* Cf. Mommsen, Sitzungsberichte der sächs. Gesellsch. d. Wiss. 1850 p. 300. Röm. Staatsrecht II. p. 846 A. 5. Plin. ep. IX. 13, 4 *primis diebus redditae libertatis*.

felicitatem temporum]. De eadem Traiani aetate H. I. 1 *rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis et quae sentias dicere licet*.

securitas publica], est quasi formula, usurpata iam a Velleio II. 103 *spem conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii*. Et frequentes sunt in nummis inscriptiones *securitas publica*, ut in nummo M. Antonini mulier sellae insidens, dextram capiti imponens, ut et in aliis *securitas seculi*, *securitas temporum*; ad alteram formulam, quae praecedit, *felicitatem temporum* accedunt in nummis *felicitas publica*, *felicitas rei publicae*, *felicitas seculi*. Cf. Rasche, Lex. numism. in his vv.

fiduciam ac robur], 'certum quoddam ac solidum fundamentum, quo quoniam niti coepimus, spes est fore ut brevi votorum nostrorum (quae quidem a. d. III. Non. Januarias a. 98 pro imperatore et re publica in Capitolio nuncupata erant) compotes fiamus.' Ceterum ex verbo *assumpserit* ad priora obiecta *spem ac votum* per zeugma assumendum est *conceperit*.

tardiora]. Ann. VI. 11 *tarda legum auxilia*. Non eadem celeritate, inquit, mala sanari solent, qua vis morbi nascitur et augetur. H. III. 54 *remedia potius malorum quam mala differebat*.

subit]. irrepit in animum. H. II. 70 *quos — misericordia subiret*. I. 13 *credo et rei publicae curam subisse*.

inertiae dulcedo]. H. V. 4 *dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum*.

Quid, si — interciderunt? Quid de tali rei publicae statu iudicandum est, qualem esse necesse est, cum — interciderunt? Quamquam confitendum est, *quid si*, quod quidem haud rarum est apud Tacitum, ceteris locis omnibus eam vim habere, ut significet rem non quae facta sit sed quam futuram esse suspicio sit, et cum coniunctivo coniungi. Plerumque hodie sic dividunt: *Quid? si — interciderunt, pauci;* ad sententiam parum apte.

per quindecim annos]. Domitianus enim imperavit a. p. Chr. 81—96.

mortalis]. Neutrum genus intellego. Nam *mortale aevum* id est, quod mortales explere solent. Ann. XV. 23 *natam sibi — filiam Nero ultra mortale gaudium accepit*. XV. 74 *tamquam mortale fastigium egresso*. Germ. 10 *nullo mortali opere contacti*.

fortuitis casibus]. Noli intellegere de eis, qui calamitatibus aut singularibus quibusdam discriminibus intercepti sint, sed de omnibus, quicumque non vi ab altero illata diem obierunt. Nam *fortuitum* est, quodcumque rationi vel consilio hominis obnoxium non est. Ann. II. 4 *Ariobarzane morte fortuita absumpto*. IV. 8 *deligit venenum, quo paullatim irrepente fortuitus morbus adsimularetur*. Simillima toti huic loco sunt, quae apud Livium leguntur XXIII. 22, 3 *neque enim post L. Aemilium et C. Flaminium censores senatus lectus fuerat, cum tantum senatorum adversae pugnae, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumpsissent*. Mors, inquit, sive fortuita sive vi illata, tot egregios viros ante tyranni interitum intercepit eosque prohibuit, ne post quindecim annorum silentium ingenii studiorumque documentum ederent.

saevitia principis interciderunt? pauci, et, ut ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

(4) Gnaeus Iulius Agricola, vetere et inlustri Foroiuliensium colonia

1. *ut ita* Rhenanus: *uti* A B; *ut sic* Wölfflin. — 5. *servitutis* Ursinus: *senectutis* A B. — 8, *Gnaeus*] *GNeus* A; Ñ. B, spatio unius litt. init. vacuo, in marg. *c* a m. 1. — *voti*^{m} B. — *foriuliensium* B.

promptissimus] ingenio, virtute, industria (der Thatkräftigste). H. I. 51 *decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti.* Ann. IV. 17 *neque aliud gliscentis discordiae remedium quam si unus alterve maxime prompti subverterentur.*

ut ita dixerim]. A. XIV. 53. Germ. 2 *ut sic dixerim.* Similia exempla coniunctivi perfecti eius, in quo inest vis praesentis temporis, cum apud priores non inveniatur nisi absolute positus, apud argenteae aetatis scriptores haud raro inveniuntur.

nostri superstites]. Servitus, inquit, adeo nos enecuit, ut nunc, quasi novae vitae ineundae potestate oblata, vires deesse videantur. Sen. ep. 30, 4 *videbatur mihi vivere tamquam superstes sibi.* De re confer Plin. ep. VIII. 14, 8 *prospeximus curiam, sed curiam trepidam et elinguem, cum dicere quod velles periculosum, quod nolles miserum esset. Quid tunc disci potuit, quid didicisse iuvit, cum senatus aut ad otium summum aut ad summum nefas vocaretur et modo ludibrio modo dolori retentus numquam seria, tristia saepe censeret? Eadem mala iam senatores, iam participes malorum multos per annos vidimus tulimusque, quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.*

exemptis e]. Hoc uno loco Tacitus verbo eximendi more priorum scriptorum praepositionem *e* adiungit, ceteris omnibus dativum. Exempla congessit Nipperdeius ad Ann. I. 48. XIV. 64.

exactae aetatis] (H. III. 33 *grandaevos senes, exacta aetate feminas) terminos*, i. e. eos, ad quos pervenit is, qui aetatem exegit; insigni quadam dicendi copia.

per silentium]. Quoniam, inquit, libere nec loqui nec scribere licebat, nihil per tot annos aut dictum aut editum est, unde bonas artes ac studia coli intellegi posset. Nam ea erat summa prudentia, ut ob segnitiem transmissi nec delatoribus conspicui vitam produceremus.

tamen], i. e. quamvis sim instar mortui, quippe qui unus ex eorum numero sim, qui quasi sui superstites vivunt.

vel incondita ac rudi voce]. Horum verborum non ea sententia est, ut scriptor dicat aptum rebus sermonem se per *silentium* illud terrore impositum paene dedidicisse; nam inconditum ac rude non id dicitur, quod ex meliore statu in peius mutatum ac degeneratum est, sed id potius, quod, quoniam recens natum est, maturitate caret. Sic antiquiores oratores Romanos Aper dial. c. 18 *horridos et inpolitos et rudes et informes*, Caelii *inconditos sensus redolere antiquitatem* c. 21 dicit, sic Maternus antiquiorum eloquentiam c. 25 *nascentem adhuc nec satis adultam* appellat. Itaque his verbis Tacitus Historias suas et quos deinceps de Nervae et Traiani imperio libros scripturum se esse dicit H. I. 1 extr. (horum enim librorum argumentum verbis *memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum* significat), primitias studiorum suorum fore aperte pronuntiat. Priores autem Historiarum libros edidit, ut videtur, a. 105 (Herm. III. p. 107).

composuisse]. In infinitivum perfecti ex futuro, quod praecedit, *non — pigebit* vis futuri temporis ita transfertur, ut id tempus significetur, quo sperat futurum esse, ut Historias absolverit (*cum — composuero*). Similiter Livius I. 1, 3 *iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse.* Quint. I. 1, 34 *illud non paenitebit curasse.*

interim], donec maiorem illam et difficiliorem eiusdem generis curam elaborare potero. Similiter, antecedente futuro tempore, Ann. II. 37 *Adsequentur florente te, Caesar, quos dederis honores; interim Q. Hortensii pronepotes, divi Augusti alumnos ab inopia defende.*

professione pietatis]. Professio pietatis, inquit, eis qui hunc librum legent, causa erit, cur, si non laudent me, attamen rude et inconditum dicendi genus mihi vitio non dent (H. II. 60 *pietate et ignavia excusatus*). Aliud igitur id est, quod hoc loco excusatione egere, aliud, quod c. 1 venia egere dicit.

laudatus erit]. Fut. exacto id tempus significat, quo historias editurus sit, quo tempore sperat futurum esse, ut hic liber, quo Agricolae vitam narravit, aut laudatus sit aut excusatus.

C. 4.

Agricola]. Praeter Tacitum Agricolae vitam narraverat Cassius Dio, quam admodum contraxisse videtur Xiphilinus LXVI. 20. A Suetonio nusquam memoratur.

Foroiuliensium]. *Forum Julii*, nunc Fréjus, Galliae Narbonensis oppidum a Julio Caesare

ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est. pater Iulius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram Gai Caesaris meritus: namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. arcebat eum ab illecebris peccantium praeter ipsius bonam

1. *Caesaris* B. — *quae equestris nobilitas est* spuria esse coniecit Weikert. — 2. *Iulius* Lipsius: *Iulii Iulius* A; *Iuli Iulius* B; *fuit Iulius* Fröhlich; *illi Iulius* Wölfflin. — 3. *Gai*: *Cai* A; *C.* B. — 4. *Marcum sillanum* A; *M. Sullanum* B. — 6. *honestatis* B. — *culctum* B. — 7. *eum*] *tamen* B.

a. a. Chr. 46 conditum, quo Augustus rostratas naves Actiaca victoria captas miserat (a. IV. 5).

procuratorem Caesarum]. *Procuratores Caesaris* vel *Augusti* in provinciis eorum redituum, qui ad fiscum pertinebant eorumque, qui, etsi ad aerarium pertinebant, tamen non a magistratu populi Romani administrabantur, curam gerebant. In plurali *Caesarum* ne offendas. confer dial. 7 *aut apud principem ipsos illos libertos et procuratores principum tueri et defendere datur.*

quae equestris nobilitas est]. Pronomen relativum referendum ad universam quae antecedit sententiam, non ad verba *procuratorem Caesarum*; neque enim significatur illo enuntiato relativo, cuius ordinis avi Agricolae, sed cuius ipse Agricola fuerit. Itaque Agricolam dicit equestri fuisse nobilitate propterea quod originem traxerit a viris equestris ordinis, qui summis administratis negotiis multos consularium potentia aequabant (Ann. XVI. 17). Nihil igitur hoc loco cogitandum de antiquiore illa nobilitate liberae rei publicae temporum propria. — Praeterea, cum procuratores Caesarum e senatorum numero sumi soliti non sint, significat scriptor neutrum avum ad senatorium ordinem pervenisse, cui adscriptus est demum pater Agricolae.

senatorii ordinis], quem adeptus est aut publicis honoribus gestis aut per principem adlectione censoria.

sapientiae], ut c. 2. Sub finem huius capitis est *philosophiae*. Latinum vocabulum Tacitus, scriptor peregrinorum vocabulorum fastidiosissimus, plerumque praefert Graeco; neque enim *philosophia* aut *philosophus* legitur, nisi Agr. 4. H. III. 81 *studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus*. Ann. XIII. 42 *qua sapientia, quibus philosophorum praeceptis — ter milies sestertium paravisset?*

meritus]. Et *merere* et *mereri* haud raro apud Tacitum est *sibi parere* vel *contrahere*. H. II. 31 *egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere.* 37 *quod — gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset.* Ann. XV. 6 *meritae tot per annos gloriae*. Germ. 14 *vocare hostem et vulnera mereri.*

namque]. Affertur occasio, qua usus princeps irae suae indulsit.

M. Silanum]. M. Junius Silanus, C. f., cons. suff. a. 15 p. Chr., a Caligula, cui filia Silani nupta fuerat, a. 38, quo anno in eius locum fratrem Arvalem lectum esse ex tabulis fratrum Arvalium discitur (C. J. L. VI. 1. 2028 c), vitae suae finem facere coactus est. De hoc M. Silano Tacitus loquitur Ann. III. 24. 57. VI. 20 et, ut videtur, V. 10. Suet. Cal. 23 *Gaius Caesar Silanum socerum ad necem secandasque novacula fauces compulit.* — Julium Graecinum, de cuius honoribus nonnulla proposuit Urlichs, commentatio de vita et honoribus Julii Agricolae, Wirceburgi 1868 p. 8, *virum egregium* vocat Seneca ep. 29, 5 de benef. II. 21 *Graecinum Julium — C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret.* De *vineis* eum *duo volumina praeceptorum* composuisse Columella scribit I. 1, 14.

iussus], sc. est. Nam vel ipsum hoc iussum documentum erat irae principis.

interfectus est]. Non potest credi Graecinus cum accusare Silanum abnuisset, statim a Caligula esse interfectus; nam Silanus in mortuis erat a. 38; Agricola autem, Graecini filius, natus est a. 40 (c. 44). Illud autem Tacitus non significavit plusquamperfecto *abnuerat*, quod erant qui putarent.

Julia Procilla]. Eam Urlichs conicit filiam fuisse C. Valerii Procilli, quem Caesar b. Gall. I. 19, 3 (coll. 47, 4) *Galliae provinciae principem* appellat.

rarae castitatis]. Genetivus qualitatis nullo interposito appellativo nomine, nomini proprio adiungitur, ut supra *Julius Graecinus senatorii ordinis* ac saepissime apud Tacitum.

in huius sinu indulgentiaque], quae optima pueros educandi ratio tunc fere omissa erat. Dial. c. 28 *nam pridem suus cuique filius, ex casta parente natus, non in cellula emptae nutricis, sed in gremio ac sinu matris educabatur.* c. 29: *at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus.* De *indulgentia* cf. Cic. de or. II. 40, 168 *si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* Eam tamen reprehendit Quintilianus I. 2, 6 *mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnis mentis et corporis frangit.*

per] locum significat vel spatium, per quod quasi agitur aetas.

peccantium], 'zur Sünde'; nos enim in his et similibus utimur abstracto. Cf. c. 32 *tributa et*

integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum Graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. memoria teneo solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset. scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute adpetebat. mox mitigavit ratio et aetas; retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

3. *mistum* A B. — 4. *in* om. B. — *acrius*] *ac iuris* Pichena. — 5. *senatorio* Heraeus. — 8. *cautius* Nipperdey. — *retinuit* B.

metalla et ceterae servientium poenae. Ann. II. 1 *cuncta venerantium officia.* II. 76 *Nec speciem adulantis expaveris.*

bonam integramque naturam]. dial. c. 28 *sincera et integra et nullis pravitatibus detorta — natura.*

Massiliam]. Cic. Flacc. 26, 63 *Massilia —, cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam.* Ex Augusti temporibus eo se conferebant iuvenes Romani studiorum causa. Tac. Ann. IV. 44 *hunc admodum adulescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur.* Strabo IV. 1, 5 ἐν δὲ τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾷν φιλομαθεῖς ὄντας.

locum], de urbe dictum etiam H. I. 67 *direptus longa pace in modum municipii extructus locus.*

comitate], facilitate, opposita gravitati severitatique.

provinciali parsimonia], quae opponitur luxuriae et lasciviae urbanae. Ann. III. 55 *novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum adsumpti domesticam parsimoniam intulerunt.* XVI. 5 *per longinquas provincias lascivia inexperti.*

mixtum]. Similiter c. 25 *mixti copiis et laetitia.* H. I. 10 de Muciano: *luxuria industria, comitate adrogantia, malis bonisque artibus mixtus.* I. 9 *nec vitiis nec viribus miscebantur.*

bene compositum], ita ut in neutram partem desit temperamentum.

acrius, ultra]. Suffecisset sane alterum utrum horum vocabulorum, at etiam alterum cum altero coniunctum recte se habet. Nam voce *acrius*, cuius generalis est sententia, cum rem ipsam, quam animo conceperat, parum accurate definiri sensisset scriptor, addidit verba *ultra quam* e. q. s., quibus significaret, quo comparativum illum referri vellet. Itaque non est, cur probemus Pichenae coniecturam *philosophiae ac iuris ultra quam*, praesertim cum hoc loco causa nulla sit iuris commemorandi. De vocabulis *ultra quam* cf. H. IV. 13 *Civilis ultra, quam barbaris solitum, ingenio sollers.* Ann. V. 1 *comis ultra quam antiquis feminis probatum.*

concessum Romano ac senatori], quia metus erat, ne id ei propositum esse videri posset, ut ad exemplum Graeculorum magister philosophiae evaderet, quod cum homine Romano tum senatore indignum putabatur, cui de gravissimis negotiis publicis consultaturo minime utilis esse credebatur philosophorum doctrina. Etiam Cicero de off. II. 1, 2 *vereor*, inquit, *ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere.* Quamquam etiam alia in his eisdem verbis latere videtur sententia, quod ut credam, verba quae secuntur *vehementius quam caute* me adducunt. Nam Stoicae in primis doctrinae professio suspectos principibus reddidit eos, qui illam sectam sequebantur. Ann. XIV. 57 *adsumpta etiam Stoicorum adrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum appetentes faciat.* Sen. ep. 73, 1 *errare mihi videntur, qui existimant philosophiae fideliter deditos contumaces esse ac refractarios et contemptores magistratuum ac regum.* Itaque matris prudentia in eo cernebatur, quod studia filii et origine atque ordine eius parum digna et ipsi nocitura coercuit.

hausisse], animo percepisse, ut H. IV. 5 *e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit.* Ceterum per miram quandam dicendi copiam scribit Agricolam *studium philosophiae hausisse*, siquidem ille non studium philosophiae, sed ipsa philosophiae praecepta animo percepit. Talis abundantiae exempla, quae haud pauca sunt in Taciti Dialogo et apud alios quoque scriptores inveniuntur, collegit J. Vahlen, de Taciti dialogo disputatiuncula in Commentationibus philologis in honorem Theodori Mommseni. Berol. 1877. p. 663-670.

hausisse, ni]. Verbum hoc loco significat rem, quae tantummodo coepta est geri, non ad exitum perducta, quod qua re prohibitum sit, condicionali sententia declaratur. Itaque Agricola, inquit, cum coepisset philosophiae studere, ne in eo studio perseveraret, a matre prohibitus est. Quamquam solet fere Tacitus in talibus enuntiatis, qualia multa apud eum leguntur, addito verbo conandi vel parandi vel agitandi vel ipso imperfecto tempore factum esse rei initium aperte significare, id quod hoc loco facere supersedit. Sic c. 13 *agitasse C. Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni* e. q. s. c. 37 *et Britanni — circumire terga vincentium coeperant, ni* e. q. s. H. III. 46 *iamque castra legionum excindere parabant, ni*

(5) Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, adprobavit, electus quem contubernio aestimaret. nec Agricola licenter, more iuvenum qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil adpetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus agere. non sane alias exercitatior magis-

3. *licenter egit* Heraeus. — 4. *nec* B. — *iustitiam* B. — 7. *excitatior* Buchner; *erectior* Vielhaber.

e. q. s. Ann. I. 65 *Caecina — circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset.* Igitur hoc quoque loco, si directa oratione usus esset, dubito an scripturus fuerit: *hauriebat.* Plena est sententia apud Cornel. Nep. Eum. 2, 5 *cum perducere eum non posset, interficere conatus est, et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis eius effugisset.*

animum]. Cf. H. I. 44 *Nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse — dicitur, seu tum primum — mens vacare gaudio coeperat, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Vinio quamvis immitem animum imagine tristi confuderat.* c. 5 *intravitque animum militaris gloriae cupido.*

sublime et erectum]. Quint. XI. 1, 16 *habet mens nostra sublime quiddam et erectum et impatiens superioris.*

speciem]. Cic. Or. 5, 18 *insidebat — in eius mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat.*

gloriae], eius quam vir sapiens sectatur, qui philosophorum praeceptis penitus perceptis libertatis omniumque bonorum, quae civitatis usque ad votum compositae propria putantur, studiosus est.

vehementius quam caute]. Similiter H. I. 83 *acrius quam considerate.* Solitum morem secutus est H. IV. 40 *ambitiosius quam honestius.* 65 *avidius quam cautius.* Agr. 44 *decentior quam sublimior.*

ex sapientia modum]: ex illo philosophiae Graecae studio id praecipue lucratus est ac retinuit, ut in omnibus rebus iustum modum, i. e. eum, quem ratio ipsa suadebat, servaret, nec, ut faciebant nonnulli Stoici, asperiorem virtutem dnrioremque vitam affectaret. Comparant Hor. Ep. I. 6, 15 *insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui, ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.*

C. 5.

castrorum], ut c. 16 *Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis.*

C. Suetonius Paulinus] legatus pro praetore a. 41 Mauretaniam domuit, monte Atlante superato (Dio LX. 9. Plin. n. h. V. 1, 14), consul suffectus, ut videtur, a. 42, a Nerone Britanniae praepositus a. 61 seditiosos Britannos subegit (Agr. 14—16. Ann. XIV. 29—39), consul ordinarius a. 66 (Ann. XVI. 14), ab Othone a. 69 adversus Vitellium dux electus est (H. I. 87. II. 23 sq. 60). Scripsit commentarios de rebus gestis suis.

diligenti-duci]. H. II. 25 (Suetonius Paulinus) *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* 31 *nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur.*

approbavit]. Hoc quoque loco duae sententiae in unum conflatae sunt hae: prima stipendia in Britannia sub Suetonio Paulino fecit idque ita, ut ducis laudem mereret. De verbo approbandi cf. c. 42 *operam suam in adprobanda excusatione offerre.* Ann. XV. 59 *dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeriperetur, mortem adprobaret.* XVI. 18.

electus]. Nulla in hoc participio inest vis perfecti, neque enim Agricola, priusquam stipendia sua duci approbaret, in contubernium eius adscitus esse credi potest. Immo per structuram admodum solutam illae duae res iuxta ponuntur ita, ut, si ipsa verba sequaris nihil dicatur nisi hoc: 'approbavit et electus est'. Verum autem rerum conexum Tacitus legentibus reperiendum permisit, quem res ipsa demonstrat esse hunc: — 'approbavit, quod inde intellegi potuit, quod electus est, quem' e. q. s., vel: — 'adeo approbavit, ut eligeretur, quem' e. q. s. Certe dubium non est, quin haec Taciti sit sententia, ut dicat ducem ad eligendum Agricolam ea re esse adductum, quod iuvenem castrensibus officiis diligenter operam dare vidisset. Etiam insolentior usus participii perfecti est c. 29 *domestico vulnere ictus — filium amisit.* — De enuntiato relativo, quod sequitur, cf. Ann. IV. 44 *delectus, cui minor Antonia — in matrimonium daretur.* VI. 8 *delectumque ab Seiano, cuius ope dolus C. Caesari pararetur.*

contubernio aestimaret], ablativus pretii, non diversus ille quidem a vulgaribus exemplis, velut Ann. XI. 26 *scelus inter ancipitia probatum veris mox pretiis aestimaret.* I. 17 *denis in diem assibus animam et corpus aestimari.* Nam sicut hoc loco milites ablativo *denis-assibus* significant, quantum vitae suae tribuatur quantique ea fieri soleat, sic etiam hoc loco ablativo *contubernio* exprimitur, quantum dux Agricolae tribuerit, quantique eum fecerit. Putabat enim virtutem eius quasi aequare contubernium, i. e. dignum eum indicabat, quem in contubernium ascisceret.

Nec] non respondet particulae *neque* quae sequitur, sed hanc sententiam prioribus adiungit. Opus enim est tali ligamento, quo dicatur Agricolam etiam postea eum se praestitisse, qualem eum fore dux speravisset.

licenter]. Huius adverbii collocatio facit, ut

que in ambiguo Britannia fuit: trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni; intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus quibus sinistra erga eminentes interpretatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

2. *intercepti* Puteolanus: *intersepti* A B.

nesciam an post *vertunt* verbum agendi (*egit*, quod ipsum Heraeus in textum restitui voluit) cogitatione supplendum sit (cf. Ann. XIV. 48 *quem in tribunatu plebis licenter egisse memoravi*). Accedit quod totum enuntiatum, quod comprehenditur verbis *Nec — rettulit* in duas partes distrahendum esse apparet, quarum una agitur de lascivia iuvenum, altera de segnitie et laborum officiorumque fuga. Nam *voluptates et commeatus*, quoniam *et*, non *aut* particula iunguntur, unam efficere notionem putanda sunt; quippe commeatus adulescentibus occasionem praebent voluptatibus fruendi. De supplendo verbo agendi apud Tacitum saepe omisso uberrime egit Joh. Müller, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Corn. Tac. Fasciculus IV. Oenoponti 1875. p. 41—45.

militiam in lasciviam vertunt]. H. II. 38 *C. Marius et — L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt.* III. 49 *quae seditiosa — mox in praedam vertebat.* Ann. I. 73 *ut in perniciem civium is honor verteretur.* Cf. c. 32.

titulum tribunatus]. Plerique, inquit, iuvenum illorum nobilium, qui in castris prima stipendia merent, sibi plura quam aliis licere putant et nomine tribunatus, i. e. eo quod tribunos se esse inter omnes constet, satis excusari sibi videntur, cum eo tamquam praetexto ignaviam animis insitam abscondant.

et inscitiam]. Est novum quiddam. Neque enim solum ipsius tribunatus nomen, sed etiam militarium munerum inscitiam sibi iustam causam segnitiae esse arbitrantur.

rettulit]. In hoc verbo maior inest vis quam in verbo vertendi, quod praecedit, aut utendi. Non enim est: '*usus est*', sed '*uti sibi licere putavit*' vel '*iustam causam utendi sibi dari ratus est*'. Est igitur dictum de iudicio Agricolae, non de eo quod fecerit.

noscere — nosci]. H. III. 24 *ubi noscere suos noscique poterat.* De dativo *exercitui* verbo passivo adiuncto vide c. 1 in.

in iactationem — ob formidinem]. *In* c. acc. significat, cuius rei causa aliquid suscipiatur, quid consecuturum se esse speret *is* qui aliquid suscipiat; *ob* indicat, qua re praesenti, non mente concepta, adducamur, ut aliquid faciamus.

et anxius et intentus], i. e. et cautus, ne quo implicaretur errore, et ad occasionem rei gerendae, ubi primum oblata est, erectus. — Verbum agendi apud Tacitum non solum cum adverbiis, sed etiam cum adiectivis (velut *clarus* H. III. 44. A XIV. 15, *inquies* Ann. I. 68, *discors* III. 38, *nescius* IV. 58, *concors* VI. 42, *immodicus* XV. 23) coniungitur. Utrumque eidem verbo appositum H. II. 68 *perinde miles intentus aut licenter agit*, qui locus eius de quo agimus, simillimus est.

non sane alias], sollemne apud Tacitum enuntiati exordium, cuius exempla collecta sunt a Nipperdeio ad Ann. III. 73.

exercitatior], vehementius agitata. Sic iam Cic. Somn. Scip. 9 *agitatus et exercitatus animus.* Hor. Epod. 9, 31 *Syrtes noto exercitatas.*

in ambiguo], utrum maneret sub dicione Romana an libertatem recuperaret. H. II. 45 *spes et praemia in ambiguo.* Saepius legitur *in incerto.*

trucidati veterani], coloniae Camuloduni a. p. Chr. 61, qua de re Tacitus narrat Ann. XIV. 31—32.

incensae coloniae, intercepti exercitus]. Apud plerosque editores legitur *intersaepti*. At nihil de intersaeptis, i. e. libero inter se commercio exclusis exercitibus vel exercitus partibus illo Annalium loco, quo de hac seditione narratur, legimus. Immo nihil aliud hoc loco spectat Tacitus quam id quod Ann. XIV. 32 tradit, fusam deletamque esse nonam legionem, cum incensae coloniae subsidio veniret. Nam *intercipere* est: 'in medio itinere, in medio rerum cursu tollere ac delere' (c. 43. Ann. II. 71. 82). Itaque interceptus est unus tantummodo exercitus, nec minus incensa una tantum colonia, neque praeter Camulodunum ulla in Britannia fuit colonia. Pluralis tamen recte se habet; neque enim hoc loco, quot coloniae incensae, quot exercitus intercepti sint, referre, sed talia facta esse in universum tradere scriptoris intererat, et genus belli declarare, in quo tam atroces calamitates acceptae essent. Hanc interpretationem optime exposuit et exemplis illustravit Peterus in editione Agricolae.

mox], re a Suetonio bene gesta, de qua Ann. XIV. 37. Sall. Iug. 114, 2 *cum Gallis pro salute, non pro gloria certari.*

alterius], nimirum Suetonii. cf. c. 17 *alterius successoris.* H. II. 90 *tamquam apud alterius civitatis senatum populumque.*

summa rerum] est aut summum imperium (H. II. 38. III 70. IV. 25) aut universae rei fortuna et condicio (H. II. 81. III. 50). Hoc loco est salutis prospere defensae et rerum bene gestarum laus. Itaque verba *et recuperatae provinciae gloria* nihil novi addunt, sed prioribus eiusdem rei accuratius definiendae causa adscripta sunt.

(6) Hinc ad capessendos magistratus in urbem degressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit. idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus quanto in mala plus culpae est. sors quaesturae pro-

1. *degressus* A (sed *digressus* corr. m. 1): *digressus* B. — 4. *appetendo* B.

in ducem cessit] ducis facta est. Similia exempla collegerunt Heraeus ad H. III. 69, 3. Nipperdeius ad Ann. II. 23.

artem], scientiam rei militaris, quae opponitur *usui*, τῇ ἐμπειρίᾳ, experientiae.

addidere]. Hoc verbum proximo obiecto (*stimulos*) paullo accommodatius est quam ceteris. Ea est enim propria eius verbi vis, ut ibi ponatur, ubi de affectibus animi concitandis sermo est.

intravitque animum]. Ann. I. 39 *pavidos et conscientia vecordes intrat metus.* 48 *quos iam pudor et gloria intrat.*

cupido]. Hoc substantivum in minoribus Taciti libris hoc uno loco legitur, ceteris locis quattuor *cupiditas.* In Historiis *cupiditas* raro invenitur, *cupido* saepissime, in Annalibus vero illo vocabulo Tacitus prorsus abstinuit. Cf. Macke, de substantivis Taciti. Progr. Ploen. 1874. p. 16.

ingrata], parum apta ad gratiam colligendam. c. 31 *virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus.*

temporibus], ablativus.

sinistra], iniqua, adversa, malevola. H. I. 7 *utraque caedes sinistre accepta.* cf. III. 52. I. 51. Ann. VI. 32: *sinistra — fama.* H. II. 93 *sinistrum — rumorem.* A. I. 74 *sinistros — sermones.*

erga eminentes] est pro sententia temporali vel condicionali: 'ubi (vel: 'si quando) de viris eminentibus iudicant'; *interpretatio* enim absolute positum est. Plane similiter Ann. IV. 11 *atrociore semper fama erga dominantium exitus.* cf. Nipperd.

ex magna fama] e. q. s. His verbis, quae pro sententia, quae dicitur, posita sunt, similia legimus c. 41 *in ipsam gloriam praeceps agebatur. fama mala* est etiam Ann. II. 28. Ceterum oppositionis per similem sonum vocabulorum oppositorum (*magna — mala*) ita auctae, ut ipsas feriat aures, permulta apud Tacitum sunt exempla: c. 11 *in deposcendis — in detrectandis.* c. 19 *nec poena semper, sed saepius paenitentia contentus esse.* c. 22 *offendere quam odisse.* c. 41 *simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum.*

C. 6.

Degressus]. Hoc non esse mutandum in *digressus*, quod est in altero codice, mihi probavit Nipperdeius ad Ann. II. 69. Rediit autem in urbem, ut videtur, una cum Suetonio Paulino auctumno a. 61 post Boudiccae seditionem (Ann. XIV. 39).

splendidis]. Pater eius quaestor aerarii fuit (de quaestoribus aerarii cf. Tac. Ann. XIII. 29), id quod intellectum est ex titulo C. I. L. VI. 1. 1403: [t. do] *mitio T. f. Vol. Decidio* [III] *viro capitali,* [elect]o *a Ti. Claudio Caesare* [augus]*to Germanico qui primu*[s quaes]*tor per triennium citra*[sorte]*m praeesset aerario Saturni, praetori.* Quaestores primum aerario praefecti sunt a. 44 p. Chr. (Dio LX. 24). Itaque Domitius, a. 44 quaestor aerarii factus, cum per triennium eo munere functus esset, statim praetura ornatus est (Dio l. l. Tac. Ann. XIII. 29).

natalibus], origine, loco. H. I. 49. III. 39 *claritas natalium.* II. 76 *splendidior origine — nobilitate natalium.*

robur], ad adipiscendos honores adminiculum. Dativum (*decori ac robori*) requirit priorum scriptorum consuetudo.

per mutuam caritatem], sensu modali, ut ablativus, qui praecedit. H. IV. 43 *consumptus per discordiam dies.* Ann. XV. 63 *vitae per virtutem actae.*

invicem se anteponendo], ita ut maritus uxorem, uxor maritum sibi anteponeret. Ergo nihil insoliti esset, si scripsisset: *invicem sibi anteponendo;* sic enim pronomen *sibi* suam vim reflexivam retineret, duplex autem obiectum vocabulo *invicem* significaretur. Nunc vero obiectum illud insuper pronomine *se* iterum significat, qua in re est quod offendamus.

Anteponendo] ablativus modalis, ut Ann. V. 6 *adiciendo.* VI. 38 *obiectando.* XIII. 47 *interpretando.* Plura exempla collegit Nipperdeius ad Ann. VI. 32.

nisi quod] e. q. s. Illud indicium, quod hoc enuntiato quasi iustis coercetur terminis, per ellipsin quandam in his particulis haud raram ex eis, quae praecedunt, facile assumitur. Est enim haec supplenda sententia: 'ut incertum esset, utrius laus maior esset existimanda'. Verbis autem ipsis, quae secuntur, hoc dicitur: Impiae uxori plus culpae tribui solet quam vitioso marito; quod ut recte fieri concedimus (uxor enim, si mala est, plane est contemnenda, quoniam extra domum nihil est, in quo excellat). ita ob id ipsum aequum esse putamus, piae uxori plus laudis tribui quam bono marito (nam in illa nihil est quod non modo vituperes, sed etiam requiras; viro esse bonum maritum exigua pars laudis est). De ellipsi cf. Ann. XIV. 14 *Notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo qui iubere potest, vim necessitatis affert,* quo loco ante *nisi quod* supplendum est: 'quod indignum erat et flagitiosum'.

vinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit, quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. auctus est ibi filia, in subsidium simul et solacium; nam filium ante sublatum brevi amisit. mox inter

1. *procunsulem* A. — 2. *ac*] *et* B. — 3. *faelicitate* B. — 5. *inter praeturam quaesturam* A; sed *praeturam* expunx. m. 1.

L. Salvius Otho Titianus], consul a. 52 (Ann. XII. 52), frater Othonis, eius, qui postea imperavit. Iterum consul fuit cum fratre Othone a. 69 (H. I. 77). Praeterea mentio eius fit H. I. 75. 90. II. 23. 33. 39. 60. Post fratris interitum *pietate et ignavia excusatus* est. (H. II. 60). —

Hoc loco paucis disserendum erit, qua ratione honores Agricolae, qui hoc capite enumerantur, per annos digerendi esse videantur. Disputaverunt de hac re Wex in edit. p. 202—207; Urlichs, commentatio de vita et honoribus Agricolae p. 11—14; Mommsen, Hermes III. 80, coll. Staatsrecht I. 517. 556. 585. II. 247; Nipperdey, var. obs. antiq. 1871 Ia; Waddington, fastes des provinces Asiatiques p. 134—140. Mihi haec videntur verisimillima. Quo tempore Agricola quaesturam petebat, filius eius in vivis fuisse videtur. Itaque beneficio legis Iuliae a. a. Chr. 18 et legis Papiae Poppaeae a. p. Chr. 9, quibus cavebatur, ut singuli anni per singulos liberos remitterentur, Agricolae contigit, ut, cum natus esset id. Iun. a. p. Chr. 40 (c. 44), anno maturius, quam per aetatem liceret (Dio Cass. LII. 20), i. e. nonis Decembribus a. 63, cum annum aetatis ageret vicesimum quartum, quaesturam adipisceretur. *Sors quaesturae,* inquit Tacitus, *provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit.* Is autem in Asiam profectus erat vere huius ipsius anni 63. Neque enim aut ante hoc tempus Titianus profectus esse potest (primum, quod eum cum annis 57 – 60 et a. 69, tum mense Ianuario a. 63 Romae fuisse ex tabulis fratrum Arvalium, in quibus saepissime commemoratur (C. I. L. VI. 1. 2037—2051), constat, deinde quod, si ante hunc annum in Asiam se contulisset, non potuisset Agricolam [quippe minorem XXIV annis] quaestorem habere) aut post hoc tempus (nam a. 64/65 Asiae praefuisse L. Antistium Veterem inde apparet, quod accusationem adversus Veterem a Fortunato et Damiano exitu a. 65 susceptam [Tac. Ann. XVI. 10] paullo postquam Vetus proconsulatu abierat, factam esse manifestum est. Veterem autem in proconsulatu Asiae secutus est M'. Acilius Aviola a. 65/66. Itaque Titiani annus est 63/64. Vere autem eum in provinciam profectum esse inde colligitur, quod Tiberius a. p. Chr. 25 proconsules ante kal. Iunias, Claudius a. 42 ante kal. Apriles et a. 43 ante Idus Apriles in provincias abire iussit (Dio LVII. 14. LX. 11. 17). Itaque Agricola cum in Asiam venisset, etsi i n v e n i t *proconsulem in omnem aviditatem pronum,* tamen per alteram eamque maiorem anni sui partem L. Antistium Veterem, hominem sanctissimum, proconsulem habuit, quod quidem referre Tacitus ideo supersedisse putandus erit, ut laudem soceri sui augeret. Ex Asia redux Agricola exitu a. 64, post annuum intervallum legibus constitutum a. d. IV. id. Dec. a. 65 trib. pl. factus est, collega Aruleni Rustici (Ann. XVI. 29). Inde autem, quod de annuo intervallo inter tribunatum et praeturam interiecto tacet scriptor, nihil aliud, id quod Mommsenus monet, colligendum est, nisi ne de hoc quidem intervallo quidquam habuisse scriptorem, quod memoratu dignum proferret. Quin etiam si praetura Agricolae tribunatum eius nullo intervallo secuta esset, id, quippe quod prorsus insolitum esset, silentio praeteriri non potuit. Ergo Agricola praetura ornatus est a 68, Neronis extremo, duodevicesimum annum agens, biennio maturius quam per aetatem licuit (Dio LII. 20). Nam postquam quaesturam petenti unus annus remissus est propter filium paullo ante ei natum, alter insuper annus praeturam petenti remissus est propter filiam in Asia natam (*in subsidium*), eam, quae postea Tacito nupsit.

dedit]. Supplendus est dativus *ei*, ut *eis* H. I. 51 *hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant.* Ann. XII. 60 *mox alias per provincias et in urbe pleraque concessa sunt.*

quorum]. neutrum genus intellege. *Neutro,* inquit, *corruptus est,* i. e. nec eo quod provinciam Asiam, nec eo quod proconsulem Titianum nanctus est. Itaque *neutro* positum est pro *neutra re*, sicut *nullo* saepius pro *nulla re.* Ann. III. 15 *nullo magis exterritus est quam quod Tiberium — obstinatum clausumque vidit*, quo loco plura collegit Nipperdeius.

dives]. Cic. ad Q. fr. I. 1, 2, 8 *praeclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla condicio pecuniae, quibus rebus abundat ista provincia, ab summa integritate continentiaque deduxerit.*

parata peccantibus]. H. I. 6 *audenti parata.* Provincialium, inquit, plerique promptos se ministros scelerum magistratibus praebent. De quibus Cic. l. l. 16 *fallaces sunt permulti et leves et diuturna servitute ad nimiam assentationem eruditi.* 19 *in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia.* pro Mur. 9, 20 *Asiam istam refertam et eandem delicatam sic obiit, ut in ea neque avaritiae neque luxuriae vestigium reliquerit.*

facilitate], ad omnem quaestoris fraudem conivens. Ann. II. 65 *cum alter facilitate, alter fraude cuncta inter se concederent acciperentque.*

quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. idem praeturae tenor et silentium; nec enim iurisdictio obvenerat. ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae

1. *ac*] *et* B. — 2. *quietis* B. — *transit* A. — *temporum*] *ipm* B. — 3. *tenor* Rhenanus: *certior* A B; *otium* Ritter; *terror* Urlichs; *languor* Alfred Goethe in Fleckeis. Ann. CXV. p. 223; *torpor* G. Krüger ib. p. 788. — *enim*] ·*N*· A B. — 4. *rationis*] *luxuriae* B (*media rationis* Hofmann — Peerlkamp; *moderationis* Lipsius).

redempturus esset]. Nulla, inquit, erat dubitatio, quin redimere — non nollet. Ceterum proconsul non *mutuam dissimulationem* redempturus erat, sed eam tantum, quam a quaestore postulabat, a quo sua peccata taceri volebat, at se ipsum rursus quaestoris peccata dissimulaturum esse promittebat. H. I. 72 *pessimus quisque — adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis*. II. 56 *Valens alienae etiam culpae dissimulator*. Plin. ep. IX. 13, 21 *quod severus in ceteros senatoribus solis dissimulatione quasi mutua parceret*. Tac. H. IV. 56 *mutua dissimulatione et isdem, quibus petebatur, grassari*.

mali], malorum facinorum. Ov. Met. I. 140 *effodiuntur opes, irritamenta malorum*. Verg. Aen. VI. 527 *et famam extingui veterum sic posse malorum*. 739 *veterumque malorum Supplicia expendunt*.

Auctus est]; nam cui liberi nascuntur, ei augetur domus. Cic. ad Att. I. 2, 1 *filiolo me auctum scito*. Ann. II. 84 *tamquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret*. Nec dissimiliter Ann. II, 14 *auctus omine — vocat contionem*.

filia], quam postea collocavit Tacito. Itaque Agricolam uxor in provinciam comitata est. De quo muliebri comitatu magistratuum, quibus provinciae obvenissent, actum est in senatu a. 21, ita tamen, ut nihil mutaretur. Ann. III. 33—34.

in subsidium]. Nam lex Papia Poppaea, a. 9 p. Chr. lata, iura maritorum ac parentum adversus caelibes atque orbos ita constituit, ut illi non solum in hereditatibus accipiendis, sed etiam in petendis honoribus distribuendisque provinciis magna haberent beneficia.

simul et], ut c. 7. 35; contra *simul — simul* c. 25. 36. 41. Illud praepositionibus, hoc simplicibus casibus adiungit.

solacium] est quod nos dicimus 'Ersatz', 'Entschädigung'. Sic c. 44. *in solacium* H. I. 77. II. 47 *mihi non ultione neque solaciis opus est*. 59 *nimius honos inter secunda rebus adversis in solacium cessit*. Cf. Heraeum. IV. 68 *cum Mucianus —, ne sine solacio ageret, annonae praefecit*. — Praepositio *in* hoc loco non significat, cuius rei causa aliquid suscipiatur, ut c. 5 *in iactationem*, sed quo evadat aliquid, quid ex eo oriatur vel prosperi vel adversi.

amisit]. Poterat etiam: *amiserat*. Nam filium Romae et natum et mortuum esse cum ex eo apparet, quod filiam in provincia natam esse dicit, tum ex eo, quod filium paullo postquam natus esset, obiisse narrat. Itaque filium eo tempore, quo filia nata est, in vivis fuisse, ex perfecto tempore *amisit* colligi non debet, quo, sicut non numquam faciunt latini scriptores, usus est, quia obitum filii ad id tempus, quo nata est filia, referri opus non esse putavit.

inter] e. q. s., i. e. 'qui erat inter' e. q. s. Cf. Ann. II. 22 *debellatis inter Rhenum Albimque nationibus*. Inter quaesturam et tribunatum plebis vel aedilitatem itemque inter tribunatum plebis vel aedilitatem et praeturam annuum intervallum illa aetate fuisse constitutum veri simile est.

quiete et otio], ut c. 21. 42. Sunt ablativi modi, quamquam deest attributum, quod patet collato H. V. 10 *proximus annus — per otium transiit*. Huius ablativi exempla collegit Nipperdeius ad Ann. IV. 51. Nullum autem hoc loco est discrimen inter *quietem* et *otium*; nam etiam *quies* eius est, qui a publicis negotiis secessit. Ann. XIV. 56 *non tua moderatio, si reddideris pecuniam, non quies, si reliqueris principem, sed mea avaritia — in ore omnium versabitur*. Nep. Att. 7, 3 *Attici autem quies tantopere Caesari fuit grata*. Ceterum in ipso verbo *transiit* inest quietis et inertiae significatio.

sub Nerone]. Haec eodem modo substantivo adiunguntur, ac supra verba *inter quaesturam ac tribunatum plebis*.

quibus inertia pro sapientia fuit]. Cf. Ann. XIV. 47 *vixit tamen post haec Regulus, quiete defensus*. Nec diversa sunt, quae de Galba dicit H. I. 49 *sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur*. Nam quae in Galba videbatur inesse sapientia, ea re vera erat segnitia; at in Agricola quae videbatur esse inertia, ea erat sapientia.

tenor]. Liv. VII. 40, 9 *eodem tenore duo insequentes consulatus gessi*. Huic vocabulo, quo res in universum significatur, ut accuratius definiretur, additum est *et silentium*.

nec enim iurisdictio obvenerat]. Haec verba docent, Neronis aetate maiorem fuisse praetorum numerum, quam iurisdictionum, quae in sortem coniciebantur. Urlichs l. l. p. 14. 15 Agricolam inter praetores urbanarum regionum fuisse conicit, de quibus eodem loco uberius disputat.

ludos]. Praetoribus, qui iam liberae rei publicae temporibus partem ludorum curaverant, Augustus a. 22 a. Chr. cunctos ludos delegavit. Dio LIV. 2 καὶ τοῖς μὲν στρατηγοῖς τὰς πανηγύρεις πάσας προσέταξεν.

et inania honoris]. Haec verba, quae omnem illam in publico speciem et ostentationem eo magis honoris illius propriam, quo minor est imperii vis, significat, quae ostentatio maxime cernitur in ludis,

duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit ne cuius alterius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset.

(7) Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius adflixit. nam classis Othoniana licenter vaga dum Intimilios (Liguriae pars est)

1. *proprior* B. — 2. *effecit* Heinsius. — 3. *cuiuis* B. — 5. *Intimilios: in templo* A B; *Intemelios* Lipsius; *Intemelium* Ursinus.

ita prioribus adiunguntur, ut nobis *cetera* vel *reliqua* deesse videatur; nam ludos quoque inter inania honoris esse manifestum est. At sic saepissime locuntur latini; velut Ann. I. 5 *multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis.* De voce *inania* cf. Ann. IV. 41 *sublatisque inanibus veram potentiam augeri.* XV. 31 *apud quos vis imperii valet, inania tramittuntur.* II. 76 *neque suspiciones imbecillas aut inania famae pertimescenda.* H. II. 69 *inter inania belli adsumptus.*

medio rationis atque abundantiae duxit], i. e. eo quasi itinere transegit, quod est medium inter sobrietatem, quam ratio postulat, et abundantiam, qua vulgo uti solent. *Medio* est ablativus viae et idem valet quod *per medium*; genetivus autem loco praepositionis *inter* adiungitur more poetarum. Verg. Aen. IV. 184 *nocte volat caeli medio terraeque.* Ov. Met. V. 644 *et medium caeli terraeque per aera vexit.*

longe], i. e. longe remotus, ut c. 9 *procul.*

ita famae propior.] Quamquam, inquit, luxuria abstinuerat, tamen ea ipsa re plus famae (apud prudentes) adeptus est, quam adeptus esset, si luxuria usus esset. Ann. XIV. 22 *quantoque metu occultior, tanto plus famae adeptus.* XVI. 35 *laetitiae propior.*

electus a Galba]. Nisi extraordinarium hoc fuit mandatum, Galba eum *curatorem operum publicorum* fecisse putandus est. Quod si verum est, Agricola unus non praetorius aut consularis, ut ferebat consuetudo, sed in ipsa praetura curator ita creatus est, ut geminato honore dignitas eius dignitate augeretur (Urlichs l. l. p. 15. 16).

ad dona templorum], non ea quidem, quae a Nerone rapta esse Tac. Ann. XV. 45 et Suetonius Ner. c. 32 refert. Ea enim Nero, ut ait Suetonius, conflaverat, eademque Agricolae conquisitione non restituta esse sed in perpetuum periisse hic ipse Agricolae locus docet. Immo videtur hoc loco de aliis templorum donis esse cogitandum, quae aut incendio urbis aut per aliam opportunitatem in alienas manus pervenerant. Ceterum vetustus hic mos. Liv. XXV. 7, 5 a. 212 a. Chr. post aliquot templorum incendia: *creati — triumviri — sacris conquirendis donisque persignandis.*

ne cuius alterius] e. q. s. Ann. XV. 25 *ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur.* De forma *alterius* cf. etiam c. 5. Coniunctivus plusquamperfecti *sensisset* sententiae vim auget; quippe diligentia Agricolae id effectum esse dicitur, ut ea, quae antea facta erant, ad nihilum redacta nec solum ex memoria hominum, sed etiam ex ipsa rerum natura sublata esse viderentur; nam restitutis, quae restitui poterant, nullius res publica sacrilegium, nisi Neronis senserat. Quare haec est sententia: 'ut perinde esset, ac si nullius sacrilegium res publica quam Neronis sensisset'. Plin. paneg. 40, 4 *effecisti, ne malos principes habuissemus*, i. e. ut perinde esset, ac si malos principes non habuissemus. *Sentire* autem, ut haud raro, de malo aliquo. Hor. Carm. II. 7, 9 *Tecum Philippos et celerem fugam Sensi.*

C. 7.

Sequens annus], 69 p. Chr. De forma dicendi cf. H. II. 33 *is primus dies Othonianas partes adflixit.*

classis Othoniana]. De eius profectione H. I. 87 et classiariorum licentia II. 12—15. Ib. c. 12: *non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur: tamquam externa litora et urbes hostium urere, vastare, rapere, eo atrocius, quod nihil usquam provisum adversum metus.*

Intimilios]. Sic scribendum esse hoc nomen docuit Mommsenus C. J. L. V. 2 p. 900. H. II. 13 *Othonis miles vertit iras in municipium Albintimilium.* Haec urbs appellatur etiam *Album Intimilium*, apud Strabonem Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, hodie Vintimiglia. — De eisdem rapinis classiariorum H. II. 13 *calamitatibus insontium expleta avaritia.*

causa caedis]. De simili re H. IV. 1 *initium id perfringendarum domuum, vel si resisteretur, causa caedis.*

affectati a Vespasiano imperii], solito apud Tacitum verborum ordine. *Affectare* autem *imperium* is dicitur, qui non solum animum ad potiundum imperium appulit, sed etiam re ipsa et factis animi sui studium et cogitationes declaravit. Id autem primum fecerat Vespasianus a. d. V. non. Iulias, cum se imperatorem appellari a legionibus Iudaicis passus est (praeierant kal. Iuliis legiones, quae Alexandriae erant. H. II. 79). Liv. I. 50, 4 *cui enim non apparere, adfectare eum imperium in Latinos?* Tac. H. IV. 66 *Civilis — proximas civitates adfectare aut adversantibus bellum inferre statuit.*

ac statim] (ut c. 9), i. e. ante Vitellii caedem, flagrante etiam tum bello, postquam Valerius Paulinus, Galliae Narbonensis procurator, Foroiuliensem coloniam occupaverat (H. III. 43).

in partes transgressus est]. ut H. I. 13. 53. II. 85. IV. 70.

hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. igitur ad sollemnia pietatis profectus Agricola nuntio adfectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in partes transgressus est. initia principatus ac statum urbis Mucianus regebàt, iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. is missum ad dilectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesimae legioni tarde ad sacramentum transgressae praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur; quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, in-

4. *deprehensus est* B. — *partis* B. — *est* om. B. — 7. *delectus* A B. — *vigesimae* B. — 8. *transgressae in Britannia praeposuit* Ritter. — *ubi decessor*] *sub decessore* Madvig; *quae* Urlichs (*ubi* — *narrabatur* spuria iudicaverunt Wex et Nipperdey. — 9. *consularibus*] *consularis vis* Madvig. — 10. *legatus praetorius*] *decessor* Urlichs.

initia principatus ac statum urbis]. Cf. H. I. 90 *profectus Otho quietem urbis curasque imperii Salvio Titiano fratri permisit.* De re ipsa H. IV. 11 *tali rerum statu, cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non princeps in civitate essent, Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit.*

Licinius Mucianus], qui, cum Syriam obtineret, Vespasianum ad imperium vocavit, milites in verba Vespasiani adegit, dein dux adversus Vitellium electus, confecto bello paullo post Antonium Primum, cum quo ei simultates erant, in urbem venit.

iuvene admodum], duodeviginti annos nato.

fortuna], i. e. imperatoria fortuna, cf. c. 18.

licentiam]. De licentia adulescentuli H. IV. 2 *nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat.* IV. 39 *vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus instigantibus amicis aut propria libidine audebat.*

ad dilectus agendos]. Mittuntur a principe ad dilectus per Italiam (nam de Italia hoc quoque loco haud dubie cogitandum est) agendos ad id ipsum electi senatores. De hoc Agricolae munere a. 70 suscepto plura quaedam congessit Urlichs l. l. p. 17.

integre], in causis singulorum noscendis ita versatus est, ut ad vacationem militiae dandam pretio corrumpi non posset. H. I. 52 *sordes et avaritiam Fontei Capitonis adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat.*

vicesimae legioni], in Britannia agenti. Ibi erant legio secunda Augusta, nona Hispana, quarta decima Gemina Valeria Victrix, vicesima Valeria Victrix. Ann. XIV, 32. 37.

tarde]. Ann. I. 34 *tarde optemperavere.* H. I. 8 *tarde a Nerone desciverant.* De re H. III. 44 *Britanniam inditus erga Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum.*

ubi], apud quam, nisi solutiore iunctura Britannia significatur, ubi agebat vicesima legio.

decessor], Roscius Caelius, legatus vicesimae legionis. Is post Neronis interitum sollicitato toto exercitu adversus Trebellium Maximum, legatum consularem, cui inimicus erat, eo rem perduxit, ut Trebellius a suis desertus ad Vitellium perfugerit. Dein provincia a singularum legionum legatis administrata est, donec Vitellius in locum Trebellii Vettium Bolanum misit. H. I. 60. II. 65.

legatis quoque consularibus]. Malles *consularibus quoque legatis*, quippe qui opponantur *praetorio.* Sed eadem inversione Ann. XIV. 11 *temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit.* H. V. 4 *septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. Legati* autem *consulares* intellegendi sunt Trebellius Maximus et Vettius Bolanus, illius successor, nisi illi legioni consulares quoque legatos ante praefuisse existimandum est. Exemplum legati legionis consularis praebet titulus C. J. L. III. 1. 878 *Herculi invicto Q. Ennius Januar*(ius) *b*(ene) *f*(iciarius) *co*(n)*s*(ularis) *leg*(ionis) *V M*(acedonicae) *p*(iae?) *c*(onstantis?).

nimia]. H. III. 52 *quippe nimius iam Antonius.* Ann. II. 34 *Urgulaniae potentia — nimia civitati erat.* Vell. II. 32, 1 *Cn. Pompeium — nimium iam liberae rei publicae.*

formidolosa]. H. I. 6 *ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus.*

legatus praetorius], idem Roscius Caelius; nam *legati legionum*, qui singulis praeerant legionibus, plerumque erant *praetorii.*

ad cohibendum]. Genetivus est H. III. 70 *neque iubendi neque vetandi potens.*

suo an militum ingenio]. Noli interpretari: 'incertum erat, utrum Caelius parum potens an militum nimia licentia esset; nam utrumque verum esse poterat; sed: 'utrum tanta esset militum licentia, ut, quamvis obnitente legato ad modestiam flecti non possent, an disciplina militaris parum illi curae esset.' Cf. H. IV. 60 *querente*

certum suo an militum ingenio. ita successor simul et ultor electus rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse. (8) praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus, placidius quam feroci provincia dignum est. temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere. brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit: habuerunt virtutes spatium exemplorum. sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit: ad auctorem ac ducem ut minister fortunam referebat. ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam nec extra gloriam erat.

1. *ulctor* B. — 2. *donos* B. — 3. *vectius volanus* A. — 5. *obsequii* Ritter. — 11. *fortus nam* A in margine supplevit.

sane Civile et increpante Germanos, tamquam fidem per scelus abrumperent. simulata ea fuerint, an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. — De voce *ingenio* cf. Ann. XIII. 53 *Quietae ad id tempus res in Germania fuerant, ingenio ducum, qui — maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent.* — Ceterum toto hoc loco hic videtur esse sententiarum ordo: duas res Tacitus narrat, quarum de altera non dubitari (*tarde — transgressae*), alteram rumore adlatam esse (*decessor — narrabatur*); priori adnectuntur explicandi gratia verba *quippe — formidolosa erat*, quibus narratur res haud dubia, ad posteriorem eodem modo referenda sunt verba *nec legatus — ingenio*, quibus quae res affertur, etsi certam esse dicit, tamen de causa eius ambigi.

ita successor — fecisse]. Nihil in hoc enuntiato, quod miretur quispiam, legimus de disciplina ab Agricola restituta. At id factum esse ex ipso rerum ordine intellegi ratus Tacitus pluris interesse putavit referre, quanta Agricola post restitutam disciplinam usus sit moderatione, cum suam ipse laudem, quam coercitis militibus pepererat, dissimularet, qua re non solum militum famae, sed etiam Roscii Caelii memoriae pepercit. Nam *moderationem* illam Agricolae non ita interpretandam esse, ut pudore magis quam malo, ut est apud Sall. Jug. 100, 5, exercitum coercuisse dicatur, sed ad id tempus referendam esse, quod restitutam disciplinam secutum est, perfectum *fecisse* docet. Haec explicatio debetur Petero.

C. 8.

Vettius Bolanus]. Cursum honorum eius scripsit Statius Silv. V. 2, 30—58 (ad Crispinum, Bolani filium). Legioni sub Corbulone in Syria praefuit a. 62 (Ann. XV. 3), consul suffectus est a. 67 vel 68, Britanniae praefuit a. 69 et 70. H. II. 65. 97. Postremo Vespasiano regnante pro consule Asiae praefuit. Waddington, fastes des provinces Asiatiques, p. 145.

feroci provincia], i. e. feroci *hac* provincia. Sic intellegenda sunt ea quoque, quae de Britanniae nationibus leguntur c. 12 *nec aliud adversus validissimas gentes* (i. e. has gentes) *pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt.*

ne incresceret], sc. ipse, i. e. ne rebus fortiter gestis existimatione et militum et civitatis Romanae supra Bolanum attolleretur. Suet. de gramm. 3 *posthac magis ac magis et gratia et cura artis increvit.*

peritus] et *eruditus* (ut *doctus*) hoc uno apud Tacitum loco cum infinitivo coniuncta leguntur.

consularem], i. e. legatum consularem, ut H. I. 60 *quamquam remoto consulari.*

Petilium Cerialem]. Is, clarus bellis in Germania gestis, legatus legionis nonae sub Suetonio Paullino a. 61 in Britannia (Ann. XIV. 32), dein inter duces Vespasiani adsumptus (H. III. 59) confecto bello a. 70 consul suffectus ac statim post consulatum dux contra Germanos delectus est (H. IV. 68). Britanniae praefectus est, ut videtur, a. 71. Ex Britannia redux consul iterum suffectus est a. 74. C. I. L. III. 2 p. 852 *a. d. XII. k. Junias Q. Petillio Ceriale Caesio Rufo II T. Clodio Eprio Marcello II cos.*

habuerunt], i. e. tum vero habuerunt, quod latet in ipsa collocatione verbi.

virtutes], ut c. 1 *virtus aliqua.*

spatium exemplorum], egregiorum facinorum, quae alii ut exempla imitarentur. Ann. XV. 20 *exempla honesta apud bonos ex delictis aliorum gigni.* Cum tota sententia compara Ann. XIII. 8 *Domitium Corbulonem retinendae Armeniae praeposuerat, videbaturque locus virtutibus patefactus.*

in experimentum], ut experiretur, quantum virtuti eius committi posset.

ex eventu]. Ann. IV. 6 *res suas Caesar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat. Eventu* ut c. 22 *damna aestatis hibernis eventibus pensarent.* c. 27 *prompti post eventum ac magniloqui.*

in suam famam], ut *in iactationem* c. 5.

gestis]. Huic vocabulo opponitur, id quod sequitur, *fortunam*, quo ipso vocabulo Agricola facta sua appellasse putandus est. Non igitur,

(9) Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios adscivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae inprimis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat. credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat: Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. iam vero tempora curarum remissionumque divisa:

2. *aequitaniae* B. — *proposuit* B. — 3. *dignitate administrationis* Rigler. — 4. *adesse* B — 5. *fori non*] *foren* B. — 7. *temporis et curarum* B.

inquit, Agricola res gestas suas locutus est, quasi eis propriam laudem meruisset, sed ea, quae fecerat, ad fortunam referebat, quae consilium ac prudentiam ducis secuta esset. Cf., quae de Germanis refert Germ. 14 *sua quoque fortia facta gloriae eius* (sc. principis) *adsignare praecipuum sacramentum est.* — Ceterum verba *ad auctorem* e. q. s. prioribus ἀσυνδέτως opponuntur, ut c. 37 *non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes: rari et vitabundi invicem* e. q. s. Plura exempla collegit Nipperdeius ad Ann. IV. 35.

virtute in obsequendo]; sibi *obsequii gloriam relictam* esse ratus est, ut est Ann. VI. 8.

extra gloriam]. H. I. 49 *ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus.*

C. 9.

Revertentem], ipso reditus tempore vel statim post reditum. c. 18 *cui ingredienti provinciam — labor et periculum placuisset.* H. II. 4 *pauca in praesens et solita respondens, petito secreto futura aperit.* Ann. XII. 48 *At Quadratus cognoscens proditum Mithridaten — vocat consilium.* Rediit autem Agricola ex Britannia a. 74 una cum Petilio Ceriale.

inter patricios]. Quod priores iam imperatores per censoriam potestatem factitaverant. Tac. Ann. XI. 25 de Claudio: *Isdem diebus in numerum patriciorum adscivit Caesar vetustissimum quemque e senatu aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum et L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere; laetaque haec in rem publicam munia multo gaudio censoris inibantur.*

splendidae — dignitatis], genetivus qualitatis, ut *rarae castitatis* c. 4. Huius dignitatis duae afferuntur causae, quarum prior posita est in negotiorum amplitudine et gravitate, qua dignitas eorum, qui hanc provinciam administrabant, augebatur, posterior ad Agricolam ipsum referenda est, quem princeps ea legatione perfunctum consulatu ornare constituerat. Atque Urlichs l. l. p. 21 sq. ex titulis probat summam Aquitaniae inter praetorias provincias dignitatem fuisse eamque temporum ordine ceteras provincias ita sequi, ut etiam alii ex Aquitaniae administratione ad consulatum vocati sint.

cui — destinarat]. Obiectum (*eum*) assumendum est ex primario enuntiato, in quo idem Agricola obiectum est, ut H. III. 62 *Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit.* De verbo destinandi cf. Plin. ep. IV. 17, 3 *hic ipse, cui destinatus est, honor.*

militaribus ingeniis]. Comparant Quint. Declam. 310 *contemnunt hominem militarem nihil minus quam litibus idoneum.*

secura], minus anxia, minus sollicita. *Obtusior*, minus subtilis.

manu agens], non diuturna ac molesta cognitione, qualis in foro institui solet, tempus terens, sed sine ambagibus rem celeriter conficiens. Aliud est Germ. 36 *ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt.* — Comparativi (*obtusior* et *plura*) positivo (*secura*) adiunguntur, ut Ann. XVI. 18 *quanto solutiora et quandam sui neglegentiam praeferentia.* Germ. 32 *prout ferox belli et melior.*

exerceat]. Haec causa ad fulciendam opinionem eorum, qui militaribus ingeniis subtilitatem deesse dicunt, parum idonea est; nam inde, quod in castris calliditas fori non exerceatur, colligi non potest militaribus ingeniis deesse subtilitatem; ea autem ipsa re opinio illa refutatur, quippe quae causa parum idonea fulciatur.

naturali prudentia], i. e. facultate natura insita in unaquaque re, quae in cognitionem veniebat, verum iustumque inveniendi.

togatos]; nam Aquitania carebat exercitu.

agebat]. Huic verbo praeter adverbia, quae praecedunt, nihil adiungendum est; nam *naturali prudentia* est ablativus qualitatis, subiecto additus ad significandam causam, qua factum est, ut et facile et iuste ageret Agricola. De verbo agendi, quod c. 5 cum adiectivis coniunctum legitur, cum adverbiis coniuncto cf. H. III. 35 *ne manente adhuc civili bello ambigue agerent*, i. e. ambiguam fidem praestarent, infidos se praeberent.

Jam vero]. Harum particularum nullus est locus in rerum gestarum ordine enarrando, sed usurpantur aut ubi mores depinguntur aut ubi rei

ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis intentus, severus et saepius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona: tristitiam et adrogantiam et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuria virtutum fuerit. ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut

1. *et saepius misericors* del. Hofmann = Peerlkamp et Wex. — 2. *nullam — personam* A B; em. Rhenanus (*tristitiam . . . exuerat* del. Wex et Peerlkamp; *et avaritiam* Heraeus; *nihil ultra potestatis personam exuerat* scripsit Urlichs; *nulla ultra tristitia: potestatis personam exuerat* Eussner in Fleckeis. Ann. CXIII. p. 551—559). — 4. *facultas* B. — *diminuit* A B, em. Lipsius. — 5. *firtutũ* A, sed primae litterae suprascr. *v* — 6. *etiam saepe* B. — *ostentandam* A B, em. Rhenanus (*ostentando virtutem* Bosius).

alicuius universae status declaratur. Sic. c. 21 Germ. 14. H. I. 2 ac saepius in dialogo.

curarum remissionumque], ut dial. 28 *non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque.* Ceterum cf. Cic. pro Mur. 35, 74 *Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt.*

ac iudicia]. Hoc additum est ad augendam et accuratius definiendam vim antecedentis vocabuli.

poscerent]. Coniunctivus rem identidem factam significat, ut saepissime apud huius aetatis scriptores.

gravis intentus]. Haec dicta sunt de eis Agricolae moribus, a quibus in iudiciis exercendis numquam recessit; quae secuntur, *severus et saepius misericors*, ita interpretanda sunt, ut utrumque alternis factum esse putemus (*saepe severus, saepius tamen misericors*). Qua in re notandum est, priori adiectivo deesse temporis significationem, additam esse posteriori ita ut ipse comparativus prius adiectivum, etsi absolute positum est, ad id referendum esse declaret, quod ceteris temporibus fieri solebat. Cf. Ann. XII. 7 *Palam severitas ac saepius superbia.* 46 *propalam incerta et saepius molliora respondens*; quorum tamen locorum ratio non prorsus eadem est; cf. Nipperdey Mus. Rhen. XVIII. p. 356.

tristitiam — exuerat]. Haec verba, si modo integra sunt, non possunt referri ad discrimen illud temporum, de quo modo dictum est (nisi forte hoc loco Tacitum testari credis socerum suum illis vitiis non fuisse liberum ubi negotia muneris sui obiret), sed significant laudem Agricolae omni tempore propriam. Nam singularis quaedam vis hoc loco inest in verbo *exuerat*, quae cognita est collato Ann. VI. 25 *Agrippina, aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.* Nam quoniam in certis quibusdam hominum generibus certa quaedam vitia illorum propria deprehendi solent, ei quoque, in quo vitia illa generis sui propria numquam inventa sunt, a natura insita aut ipso genere vitae orta vitia, ab ipso tamen exuta esse recte dicuntur. Itaque sicuti Agrippina vitia feminarum propria ac sibi quoque ingenita viriles curas exercendo adeo exuerat, ut numquam apparerent, ita etiam Agricola ea vitia, quae propria sunt eorum, qui provincias regunt, *tristitiam et adrogantiam et avaritiam*, quae vitia si in eo fuissent, mirum non esset, non solum ipsius naturae suae bonitate effugerat, sed etiam, cum in eo orerentur, sicut in plerisque oriuntur, ita animo depulerat, ut nulla in eo invenirentur. Inde intellegi puto recte dici Agricolam non ea vitia exuisse, quae ipsius propria fuissent, sed ea, quae omnium propria esse solent, qui in magnis imperiis versantur.

avaritiam], quae opponitur *liberalitati*, non *integritati*, cuius paullo post mentio fit, quae est eius, qui corrumpi nequit (v. *integre* c. 7). De hac voce ac ceteris conferenda sunt, quae de Galba Otho dicit H. I. 37 *quem* (Pisonem) *tristitia et avaritia sui simillimum iudicabat.* Adde I. 51 *avaritiam et adrogantiam, praecipua validiorum vitia.* Ann. XIII. 2 *et Pallas tristi adrogantia modum liberti egressus taedium sui moverat.*

virtutum], earum Agricolae virtutum, quas etiam in summo viro referre operae pretium est, quae tam rarae sunt, ut abstinentiam et integritatem eius pari laude ornari iniquum sit. Harum Agricolae virtutum summa fuit moderatio.

cui saepe etiam boni indulgent]. Cf. H. IV. 6 *quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur*, quem locum imitatus est Fronto ad M. Caes. de eloq. 1, 7 *novissimum namque homini sapientiam colenti amiculum est gloriae cupido; id novissimum exuitur.*

ostentanda virtute]. De usu ablativi gerundivi, cuius exempla apud Tacitum rariora sunt, quam apud ceteros scriptores, v. Nipperdeium ad Ann. VI. 23.

per artem], qua ii, qui provinciis praeerant, μαρτυρίας καὶ ἐπαίνους, ut est apud Dionem LVI. 25, sociis extorquere solebant, vel *laudem falsam et precibus expressam*, ut est apud Tacitum Ann. XV. 21.

ab aemulatione adversus collegas], i. e. vicinarum provinciarum, Gallicarum nimirum artius inter se coniunctarum, praesides. Sic H. I. 10 de Muciano, legato Syriae: *sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens*; idemque Mucianus et Vespasianus H. II. 5 *vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes* fuisse dicuntur. *Aemulatio* autem inter eos maxime esse dicitur, qui et simili condicione

per artem quaesivit: procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores. et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur. minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. haud semper errat fama; aliquando et elegit. consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est, adiecto pontificatus sacerdotio.

(10) Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non

2. *contentionem* A B. — *acteri* B. — 3. *ac statim* del. Hofmann — Peerlkamp et Classen — 5. *aut semper erat* B. — 6. *eligit* Rhenanus — *egregiae* Puteolanus: *graeciae* A; *gratae* A in margine m. 1; *grate* B — *iam tum* Ritter. — 7. *et post* B.

vitae utuntur et inter se pares sunt, *contentio* inter eos, qui dissimili. Sic Ann. VI. 4 *aemulationem inter collegas.* II. 47 *delectus est M. Ateius e praetoriis, ne consulari obtinente Asiam aemulatio inter pares et ex eo impedimentum oreretur.* H. II. 30 de Caecina et Valente: *hinc aemulatio ducibus.* Ann. XIII. 28 *Helvidius Priscus, tribunus plebei, adversus Obultronium Sabinum, aerarii quaestorem, contentiones proprias exercuit.* Exemplo discordiae inter procuratorem et legatum sunt Catus procurator et Suetonius Paulinus legatus Britanniae Ann. XIV. 38.

procuratores], de quibus c. 4. Incertum est, utrum plurali eadem vis tribuenda sit, quam verbis *incensae coloniae* c. 5 tribuimus, an is numerus indicet, plures per triennium illud, quo Agricola Aquitaniae praefuit, in ea provincia deinceps fuisse procuratores.

vincere], procuratores sibi dignitate impares.

atteri], clade ab inferiore illata detrimentum facere dignitatis.

minus triennium], ab a. 74 usque ad a. 77, quo haud multo postquam in curia consul suffectus declaratus erat (id autem factum est a. d. V. id. Jan.; Herm. III. p. 93), Romam redisse videtur. Consulatum autem iniit, ut videtur, aut kal. Jul. aut kal. Sept. a. 77.

legatione], munere *legati Augusti pro praetore.*

detentus]. Cf. Ann. XIV. 39 *detentusque rebus gerundis Suetonius — tradere exercitum — iubetur.* — *Detentus ac statim — revocatus est* ut c. 7 *deprehensus ac statim — transgressus est.*

ad spem], multo ante sibi allatam, iam propinquam (*statim*).

comitante], in urbem redeuntem.

dari]. Adeo nemo dubitabat, quin futurum esset, ut consulatu functo Britannia provincia daretur, ut proinde esse putarent, ac si eam iam tum acciperet. Haec est vis praesentis temporis.

sermonibus], quibus hanc opinionem iniceret hominibus aut confirmaret.

par]. Noli masculinum genus intellegere (ut *par negotiis* Ann. VI. 39. XVI. 18), sed neutrum.

elegit]. Plerumque homines inanibus rumoribus viros illustres huic vel illi honori destinant; cf. H. I. 12 *hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.* 13 *et rumoribus nihil silentio transmittentium gener ac socer destinabantur.* 21 *suspectum semper inrisumque dominantibus, qui proximus destinaretur;* at aliquando fama non modo eos destinavit, qui postea re vera electi sunt, sed etiam elegit, i. e. effecit, ut vel a fortuna vel voluntate superiorum eligerentur. H. II. 1 *intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi.* Atque honestius a fama eligi, si modo in eo nititur, quod par videtur, quam aut casu aut beneficio principis ambitiosis precibus rogati. — Perfectum *elegit*, quo priorum temporum exempla coniuncta proponuntur, sequitur praesens tempus, ut Sall. Cat. 11, 3 *avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit.* Nam utrumque tempus in talibus sententiis aptum est.

egregiae — spei]. Talis genetivus aut passivam, ut hoc loco, aut activam vim habet, ut Caes. b. G. VII. 63 *inviti summae spei adulescentes — Vercingetorigi parent.* Nihili autem est, quod W. Haacke (Zeitschr. f. d. Gymn. 1878, p. 777—779) excogitavit, qui haec verba non de filia, sed de ipso Agricola consule dicta esse sibi persuasit. Immo ea ipsa re, quod Tacitus uxorem suam tum adulescentulam egregiam de se spem ostendisse refert, satis docetur eam spem parentes ac maritum postea non fefellisse. — Erat autem filia Agricolae a. 77 tredecim annos nata, quod apparet ex eis quae disputavi ad c. 6.

statim]: a. 78 post filiae nuptias.

pontificatus sacerdotio]. Dicat quispiam satis fuisse *pontificatu*, sicuti Neroni, Germanici filio *pontificatus additus* esse dicitur Ann. III. 29. At addito vocabulo sacerdotii pontificatum opponit profanis honoribus, quibus antea erat ornatus. — Cooptatus autem est a collegio pontificum, a principe per litteras commendatus.

C. 10.

Rerum ab Agricola in Britannia gestarum enarrationi praemittit Tacitus situs populorumque insulae satis amplam descriptionem (cuius quidem

in comparationem curae ingeniive referam, sed quia tum primum perdomita est. ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia, insularum quas Romana notitia complectitur maxima, spatio ac caelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur; septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni adsimulavere. et

1. *ingemine* B. — *tunc* Wex. — 5. *etiam*] *et* A B. — 7. *T. Livius* Ritter. — 8. *scupulae* B. — *assimulavere* Puteolanus: *adsimilavere* B; *assimilavere* A.

verba multis locis exemplum Sallustii, qui de Africa similia praemisit Jug. 17, referre docuit Eussner, Blätter f. d. bayer. Gymn. XIII. 4 p. 149) et rerum a Romanis ducibus ante Agricolae imperium ibi gestarum enarrationem, tamquam non unius hominis vitam, sed populi Romani annales scribendas susceperit et rerum ordinem secutus ad eum locum pervenerit, quo expodituro sibi, qua ratione Britannia a populo Romano perdomita esset, pauca de natura insulae gentiumque ibi habitantium moribus et de priorum imperatorum conatibus praemittenda esse putaret, qualia belli Judaeici enarrationi in quinto Historiarum libro praemisit. *Nam*, ut ait ipse Ann. IV. 33, *situs gentium, varietates proeliorum* (quae quidem item in hoc libro reperiuntur), *clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum.* Quare haec Agricolae capita 10—12 et 13—17 quoque ea sunt, quae videantur aptius populi Romani annalibus, quam vitae Agricolae inseri; eaque mihi una ex eis causis fuit, cur mediam partem Agricolae, quae continetur capp. 10—38, eo consilio scriptam esse suspicarer, ut historiis, in quibus easdem res tractaturus erat, insereretur, postea autem in hunc librum, quem interim de vita soceri sui edidit, esse translatam (Die Entstehung und Tendenz des Taciteischen Agricola. Berlin 1874).

multis scriptoribus]. Dativus vim habet praepositionis *a* cum ablativo, ut paullo infra Gallis. Cf. c. 2 initio et A. I. 1 *veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt.*

curae], studii et diligentiae positae in colligenda earum rerum, quae dignae memoratu videntur, copia.

ingenii], facultatis bene ornateque scribendi et ad artis praecepta accommodate.

tum primum]. Similem causam affert Ann. II. 27 *eius negotii initium, ordinem, finem curatius disseram, quia tum primum reperta sunt, quae per tot annos rem publicam exedere.*

perdomita est]. Eodem vocabulo hanc rem in praefatione Historiarum significat, ubi totius operis liniamenta proponit (I. 2): *turbatum Illyricum, Galliae nutantes, perdomita Britannia et statim omissa.*

priores], Caesar, Livius, Fabius Rusticus.

nondum comperta]. Quam exiguam notitiam Britanniae habuerint priores, perspici potest vel e Strabone IV. 5, Plin. n. h. IV. 16, 30, Mela III. 6.

percoluere], ornavere, ut H. II, 82 *plerosque senatorii ordinis honore percoluit.*

rerum fide], quae nititur ipsius Agricolae, Britanniae domitoris, testimonio.

spatio], per quod pertinet. *caelo*, positione caeli. ut est c. 11. Alterum amplitudinem spatii, per quod porrigitur insula, alterum situm eius significat, qui aliarum terrarum vicinitate definitur.

Hispaniae obtenditur]. Nam Pyrenaeos montes et septentrionalia Hispaniae litora veteres a meridie ad septentriones, non ab oriente ad occidentem solem pertinere arbitrabantur. Strabo III. 1, 3 ὄρος (ἡ Πυρήνη) γὰρ διηνεκὲς ἀπὸ νότου πρὸς βορρᾶν τεταμένον ὁρίζει τὴν Κελτικὴν ἀπὸ τῆς Ἰβηρίας. Quo factum est, ut Britanniam et in occidentem Hispaniae obtendi, et in meridiem non modo septentrionali, quod nunc dicimus, Galliae litori, sed toti Galliae obiacere putarent. Strabo II. 5, 28 ἀντιπαρήκει γὰρ αὐτῇ (τῇ Κελτικῇ) παράλληλος ἡ νῆσος αὕτη πᾶσα πάσῃ. — *Obtendi* simili loco Germ. 35, *praetendi* Ann. II. 56.

nullis contra terris]. Praedicatum est *contra*, ut *iuxta* H. III. 26 *nullo iuxta subsidio* et *ultra* H. III. 31 *nulla ultra venia.* Cf. Nipperdeium ad Ann. II. 24. De re cf. Caes. b. g. V. 13 *tertium* (latus) *est contra septentriones, cui parti nulla est obiecta terra*; quamobrem hoc mare Tacitus dicit *apertum.*

Livius], libro CV. de Iulii Caesaris Britannicis expeditionibus scripturus.

Fabius Rusticus], Senecae amicus (Ann. XIII. 20). Claudii et Neronis res scripsit, an plura, incertum est. Is Britanniam descripsit aut in narranda Claudii expeditione in Britanniam a. 43 aut in tradenda clade illa Britannica a. 61 (Ann. XIV. 29).

eloquentissimi auctores], i. e. scriptores, ut H. IV. 83 *origo dei nondum nostris auctoribus celebrata* aliisque locis. De plurali numero in his et similibus apud Tacitum sollemni cf. H. II. 92 *Priscus Valentis, Sabinus Caecinae gratia*

est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est. sed transgressis immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam adfirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas quas Orcadas vocant invenit domuitque. dispecta est et Thyle, quia hactenus iussum et hiems adpetebat. sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli; credo quod rariores terrae montesque, causa ac

1. *in* om. A (*Al. ũn et uniuẽsis fama* A in margine; *unde ea in universam fama J. Fr. Gronov*) — *sed transgressis* Döderlein: *transgressis sed* A B (*fama. set transgressis* coni. Schoemann; *fama est transgressa. sed* coni. Rhenanus; *unde....transgressa* del. Busch et Nipperdey).— 2. *inorme* B; *ĩnorme* A; em. Rhenanus. — 6. *despecta* B. — *Tyle* B; *Thule* Ernesti – *sed* ex versu sequenti post *Thyle* transposuit et *omissa* addidit Urlichs — *sed hiems appetebat et mare* B. Schulz. — 8. *perinde* Grotius; *proinde* A B. — *actolli* B. — *montesque montesque* A; sed illud expunct.

pollebant. Ann. III. 62 *ille Antiocho, hic Mithridate pulsis* et Nipperdeium ad Ann. II. 42.

scutulae]. Eius forma videtur similis fuisse bipenni, cuius acies in utramque partem late porrecta, ea pars, quae manubrio infixa est, multo angustior est.

adsimulavere], comparavere, ut Ann. I. 28 *suis laboribus defectionem sideris adsimulans.*

et est]. Haec collocatio verbi substantivi per *et* prioribus adnexi ibi invenitur, ubi opinionem aliquam ipsa rerum natura confirmari significatur. H. I. 90 *in rebus urbanis Galeri Trachali ingenio Othonem uti credebatur; et erant, qui genus ipsum orandi noscerent.*

citra Caledoniam], i. e. quasi citra Caledoniam consistenti, vel subtracta hac insulae septentrionali parte.

in universum], totius Britanniae eam esse formam.

transgressis], sc. Caledoniae et Britanniae terminos, i. e. Clotam et Bodotriam. Dativus locum significat, ubi is consistit, qui regionem aliquam prospicit. H. III. 71 *porticus in latere clivi dextrae subeuntibus.* V. 11 *turres — procul intuentibus pares.*

immensum — tenuatur]. Duae in hoc enuntiato, ut c. 1 *ac plerique* e. q. s., miscentur sententiae: 1. *immensum — spatium — terrarum est.* 2. *idque — tenuatur.*

immensum]. Huius adiectivi vis apud multos scriptores imminuitur, ut sit 'permagnum'. Sic c. 23 *per immensum revectae.* Idemque iudicandum est de adiectivo *immortalis* c. 46.

extremo iam litore]. Litora Britanniae, inquit, ex eo loco, ubi Clota et Bodotria per angustum spatium divisae sunt et ultimus iam terrae finis adesse videtur, quasi de integro in Oceanum procurrunt.

novissimi maris]. Ann. II. 24 *ut credatur novissimum et sine terris mare.* H. V. 2 *novissima Libyae.*

tunc primum]. De hac navigatione c. 38.

affirmavit], quod antea tantum suspicabantur; *insulam* enim iam Caesar, Mela, Plinius eam vocant. Dio XXXIX. 50 προιόντος δὲ δὴ, τοῦ χρόνου πρότερόν τε ἐπ' Ἀγρικόλου ἀντιστρατήγου καὶ νῦν ἐπὶ Σεουήρου αὐτοκράτορος νῆσος οὖσα σαφῶς ἐξήλεγκται. LXVI. 20 de Agricola: καὶ πρῶτός γε Ῥωμαίων, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ἔγνω τοῦθ', ὅτι ἡ Βρεττανία περίρρυτός ἐστιν. Quint. VII. 4, 2 *ut, si Caesar deliberet —, an Britannia insula (nam tum ignorabatur).*

incognitas]. Iam ante Agricolam non prorsus incognitas fuisse Orcadas insulas, the Orkney isles, demonstrant Mela III. 6. Plin. n. h. IV. 16, 80; Agricolae classis eos adiit et plura ac certiora de eis rettulit. Cf. c. 38 *inventa Britannia et subacta.*

dispecta], conspecta e longinquo, quasi per caliginem, qua oculorum acies obtunditur.

Thyle] vel Thule, quam insulam omnium terrarum extremam in septentrionali oceano sitam putabant. Hoc loco plerique Mainland intellegendam esse censent.

quia]. Causa affertur, cur non adita sit insula aut domita, sed tantummodo e longinquo conspecta. Nam eo ipso, quod insulam dispectam esse dicit, adiuvante eius verbi collocatione in principio enuntiati cum gravitate quadam positi, satis docetur Romanos eam insulam non, ut Orcadas, ingressos esse aut domuisse.

hactenus], sc. progredi. Ann. XII. 42 *hactenus Vitellius voluerat.*

Sed]. Redit enim oratio ad id, quod scriptori propositum est, i. e. ad describendum situm insulae et maris propinqui naturam. Nam quae proxime praecedunt, a proposito abhorrent ac praecipiunt id, quod c. 38 iterum narratur.

mare pigrum]. Plin. n. h. IV. 16, 30 *A Thule unius diei navigatione mare concretum, a nonnullis Cronium appellatur.* Similiter de mari trans Suionas Germ. 45 *sed mare pigrum ac prope immotum*, quod Pytheas apud Strabonem II. 4, 1 σύγκριμά τι ἐκ τούτων (scil. γῆς, θαλάττης, ἀέρος) πλεύμονι θαλαττίῳ ἐοικός.

ne ventis quidem], nedum remorum aut velorum impulsu. H. V. 6 de lacu Asphaltite: *neque vento impellitur.*

perinde], non perinde ac cetera maria, non magnopere. Similia exempla collecta sunt a Nipperdeio ad Ann. II. 88.

materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere: unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenus adcrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo. (11) ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem adseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Hiberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. proximi

2. *nec* B. — 3. *dominari* A in marg. m. 1 et Puteolanus; *damnari* A B. — 8. *Caledomam* B; *Calydoniam* A, litterae *y* suprascr. *e* a manu 1. — 9. *arcus germanam* B. — 10. *hispaniam* A B; em Muretus. — 11. *hiberos* A, litterae *o* suprascr. *a* a manu 2; *Jberas* B — *occupasse*] *habitasse* A; sed correxit in margine m. 1.

rariores terrae]. Significat minores illas insulas diductas spatiis.

causa ac materia tempestatum]. De hac opinione conferenda sunt, quae proferuntur apud Senecam quaest. nat. V. 13.

profunda moles continui maris]. Cf. Ann. II. 24 *aut ita vasto et profundo, ut credatur novissimum et sine terris mare* (v. supra).

neque — ac], ut Suet. Vesp. 12 *neque dissimulavit umquam ac frequenter etiam prae se tulit.*

fluminum], quae sunt in ipso mari. Mela III. 3 *mare* (in sinu Codano) — *aquis passim interfluentibus ac saepe transgressis vagum atque diffusum facie amnium spargitur.*

huc atque illuc], ut H. I. 85. Ceteris locis *huc illuc* (H. I. 76. Ann. IV. 5. XII. 34), aut *huc et illuc* (Ann. XV. 38).

nec litore tenus]. His verbis continetur praedicatum: accessus et recessus aestus maritimi ultra litoris terminum procurrit.

ambire]. Sinus enim maritimi non solum penitus influunt in terram, sed etiam eam multiplici orae flexu quasi ambiunt.

et iugis] e. q. s. Mare non solum ibi intrat in terram, ubi litora sunt plana atque humilia, sed ne montium quidem mole opposita prohibetur, ne per medios viam sibi aperiat.

velut in suo]. Haec verba non tam praedicato, quam ipsi subiecto (*mare*) adiungenda sunt. Idem est usus praepositionis *in* Ann. II. 4 (Armenii) *magis sine domino quam in libertate profugum Vononen in regnum accipiunt* i. e. cum magis domino carerent quam liberi essent). III. 76 *quia in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Caesarem omisit.*

Cap. 11.

Britanniam]. Haec vox in initio sententiae posita est, ut significetur redire orationem eo, unde aberraverit, nam quae proxime praecedunt, non fuerunt *huius operis.*

indigenae an advecti]. Eandem quaestionem primam tractat, ubi de Germanis loqui incipit Germ. 2.

ut inter barbaros], qui originum suarum parum curiosi esse solent nec quicquam de eis compertum habent. De particula *ut* causam significante cf. Germ. 22 *crebrae, ut inter vinolentos, rixae.* Agr. 18 *ut in subitis consiliis.* Plura collegit Nipperdeius ad Ann. I. 65.

habitus corporum] ut Germ. 4. Agr. 44.

ex eo], quod varii sunt habitus corporum.

rutilae comae — asseverant], ut paullo post *colorati vultus — fidem faciunt* et Germ. 25 *impares libertini libertatis argumentum sunt.* Est: eo quod comae rutilae sunt, asseveratur e. q. s. De tota hac ratione dicendi v. Nipperdeium ad Ann. III. 9.

Caledoniam habitantium], eorum qui Caledoniam habitant, insolito participii praesentis usu, cf. c. 25 *Calidoniam incolentes populi.*

Germanicam. Germ. 4 de Germanis: *rutilae comae, magna corpora.*

Silurum], qui habitabant in occidentem versus, ultra Sabrinam flumen.

colorati], sole vel ipsa natura, non arte. Sic Verg. Georg. IV. 293 *Indos* appellat *coloratos.*

et] non adiungit tertium argumentum duobus praecedentibus, sed alterum priori. Nam quae ἀσυνδέτως iunguntur: *colorati vultus, torti plerumque crines* unum efficiunt argumentum e corporum habitu sumptum. De asyndeto, quod idem est paullo ante: *rutilae — comae, magni artus* cf. Nipperdeium ad Ann. IV. 43. Totius loci simillima sunt, quae leguntur c. 13 *domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Vespasianus.*

easque], quas tum Silures tenebant. Sic Ann. IV. 56 Zmyrnaeorum mentione facta, verbis *ea provincia* significatur Asia.

proximi — similes sunt]. Idem Caesar tradit b. Gall. V. 14 *Ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium* (Kent) *incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.*

seu — seu]. Prius membrum ablativi absoluti forma prioribus subiungitur, alterum absolute positum est. Cf. Ann. II. 21 *inprompto iam Arminio ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat.* H. I. 18 *non ter-*

Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio caeli corporibus habitum dedit. in universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione; sermo haud multum diversus, in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. quod Britannorum olim victis evenit: ceteri manent quales Galli fuerunt. (12) in pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. honestior

1. *vi* Rhenanus: *usu* A B. — 3. *aestimati* A. — 4. *persuasiones* amicus Walchii; *persuasionem* Ritter; *ac superstitionum persuasiones* vel *persuasionem* Glück; *pari superst. persuasione* Heraeus; *superstitionum persuasione* del. Nipperdey. — 5. *detractandis ea formido* B. — 9. *euenit victis* A; sed corr. m. 1. — 10. *Im pedite* A, sed corr. m. 1; *impedite* B: *in equite* olim Urlichs et nunc Nipperdey.

ruit Galbam —, contemptorem talium ut fortuitorum, seu quae fato manent — non vitantur.

in diversa]. Quippe Britanniae litora a septentrione in meridiem, Galliae a meridie in septentrionem ita procurrunt, ut inter se quasi appropinquent. c. 23 *diversi maris aestibus.*

positio caeli — dedit]. Sunt qui ante *habitum* desiderent *eundem* aut intellegendum esse censeant. Non assentior; nam sententia est generalis haec: si positio caeli Britannorum Gallorumque corporibus habitum dedit, non est mirum, quod in utroque populo similis est corporum habitus, quoniam positio caeli eadem est.

in universum — aestimanti], ut Germ. 6. Dativus eum significat, cuius indicio res permittitur nec multum differt ab eo dativo, de quo ad c. 10 diximus, *transgressis.* Cf. H. II. 50 *et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.* IV. 17 *vereque reputantibus Gallias suismet viribus concidisse.*

vicinam], quae quasi alliciebat Gallos.

sacra]. De Gallorum sacris Caes. b. G. VI. 13.

persuasione]. Hoc plerique ferri non posse putant, quoniam non sacra persuasione, i. e. aperta reconditis, sed persuasio sacris deprehendatur. At ablativus ille non verbo *deprehendas*, sed toti quae praecedit, sententiae ita adiungendus est, ut causam significet, cur accuratius in rem inquirenti minime mirum esse debeat, quod Gallorum sacra apud Britannos deprehendantur. Est igitur: 'quoniam superstitiones imbiberunt', scilicet 'eorum', quod, quoniam cum gravitate in initio sententiae positum est, hoc loco facile assumitur. De re cf. Caes. l. l.: *Druidum disciplina in Britannia reperta atque inde in Galliam translata esse existimatur. Superstitionem* autem Romani omnem externam de rebus divinis doctrinam ab ipsorum diversam appellant. Sic Germ. 48 *nullum peregrinae superstitionis vestigium* Ann. XIII. 32 *superstitionis externae rea.* Praeterea cf. H. V. 5 *eademque et de infernis persuasio.*

sermo] e. q. s. Incipiunt nominativi, omissa, qua orsus erat, ratione. Omnis enim varietatis studiosissimus est.

in deposcendis] e. q. s. Similia de Gallis Caesar b. G. III. 19 *ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.*

ubi advenere]. Sall. Cat. 23, 6 *ubi periculum advenit.*

praeferunt], ut Ann. XVI. 18 *dicta factaque eius — quandam sui neglegentiam praeferentia* aliisque locis, quos collegit Nipperdeius ad Ann. IV. 75.

nam]. Explicatur hac sententia, cur Galli longa pace emolliti et pristina eorum ferocia extincta esse iure dicatur.

accepimus], nimirum ex Caesaris commentariis (de b. G. VI. 24). Cf. Germ. 28 *validiores olim Gallorum res fuisse summus auctor divus Iulius tradit.*

otio], quod longa pace partum erat.

intravit], ut c. 5.

pariter], simul, de tempore dictum. Ann. XIII. 16 *ut vox pariter et spiritus raperentur.* 39 *gloriae pariter et praedae consulerent.* 40 *viae pariter et pugnae composuerat exercitum.* 45 *gloriam pariter et formam dederat.* Germ 19. 46. Ubique medium locum obtinet.

Britannorum], genetivus partitivus a participio pendens ut H. II. 15 *quorum improvide secutos conversi equites circumvenerunt.*

olim], a Claudio.

quales Galli fuerunt], i. e. quales et Galli olim et ipsi adhuc fuerunt. Quae cum sit sententia, recte dicitur *manent.*

C. 12.

In pedite robur], ut apud Germanos. Germ. c. 6 *plus penes peditem roboris.* c. 30 de Chattis: *omne robur in pedite.* Cf. Ann. VI. 34 de Parthis: *sola in equite vis.*

per principes — trahuntur], i. e. ab uno ad alterum et deinceps trahuntur; nunc huic, nunc

auriga: clientes propugnant. olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur. nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius quam quod in commune non consulunt. rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur. caelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. dierum spatia ultra nostri orbis mensuram; nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. quodsi nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem, nec occidere et exsurgere sed transire adfirmant. scilicet extrema et plana terrarum humili umbra

2. *distrahuntur* Heinsius. — *gentis* B. — 3. *utilius* del. Wex. — 4. *tribusque* A. — *consensus* Lipsius — 5. *ita dum singuli* Puteolanus. — *caelum* et quae secuntur usque ad finem c. 12, inter finem cap. 10 et initium cap. 11 collocaverunt Reifferscheid, Wex, Nipperdey — *hymbribus* A. — 6. *frigorum est* B. — 7. *parte Britanniae* B. — 9. *nec exurgere* B.

illi coguntur parere, prout quisque per studia et factiones potentia superior. Caes. b. G. VI. 38 *Relinquit animus Sextium gravibus acceptis vulneribus: aegre per manus tractus servatur.*

studiis], unde oriuntur factiones. Ann II. 43 *divisa — et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis.*

adversus — utilius]. Cf. c. 24 *idque etiam adversus Britanniam profuturum.*

validissimas gentes]. Cf. *feroci provincia* c. 8.

pro nobis utilius]. Est quidam apud Tacitum huius praepositionis usus talis, ut adiungatur adiectivis vel substantivis, in quibus eadem inest favoris vel subsidii vel utilitatis notio, quam praepositio habet; cuius loco vel dativo (ut hoc loco) vel alia praepositione, ut *erga, in*, quae illa notione caret, uti satis fuit. H. I. 51 *pertinaci pro Nerone fide.* 71 *mansitque Celso — etiam pro Othone fides integra et infelix.* III. 64 *easdem illas adulationes pro Vespasiano fore.*

in commune — consulunt]. Idem est *in commune consultare* H. IV. 67, *in medium consulere* II. 5, *in unum consulere* IV. 70. — De tota sententia cf. Germ. 33 *urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam.*

Caelum]. Hoc loco quaerere opus est, qui sit sententiarum ordo et quo vinculo contineantur. Potest enim mirum videri, quod hoc loco ad naturam insulae, de qua dictum est c. 10, redit oratio. At quae c. 10 narrantur, eis tractatur res per se ipsa cognitione digna; sed quae in hoc capite de caelo, dierum spatiis eisque, quae et terra et mare gignit, legimus, eis certum quoddam consilium subesse videtur tale, ut iure adiungantur eis, quae proxime praecedunt. Nam et ea, quae hoc capite de re militari Britannorum ac discordia civitatum et ea, quae de natura insulae proferuntur, eo consilio videntur scripta esse, ut docerentur homines, quas res vel gentium condicio et vires vel caelum vel solum vel mare aut utiles aut adversas eis afferrent, qui Britanniam cum exercitu essent ingressi. Eadem causa est, cur haec omnia proxime praecedant capiti 13, unde de priorum imperatorum in Britannia rebus gestis disserere orditur.

foedum]. H. I. 18 *foedum imbribus diem.*

asperitas frigorum abest. Idem de Britannia Caesar b. G. V. 12 *loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.*

nostri orbis]. Germ. 2 *raris ab orbe nostro navibus aditur.* Ov. Met. VII. 22 *thalamos alieni concipis orbis.*

mensuram. Non est intellegendum *dierum*; est enim brevior illa comparationis forma, qua saepe utuntur scriptores latini. H. V. 4 *Moyses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit.*

internoscas]. Coni. potent. a coniunctione *ut* pendet, ut H. III. 83 *ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire.*

occidere et exsurgere]. Subiectum intellege ipsum solem, non solis fulgorem; prius enim illorum verborum proprie de sole dicitur. *et* scripsit, non *aut*, ut utramque rem, i. e. occasum et ortum, una notione complecteretur.

transire], paullo supra terram vel in ipsis coeli terraeque confiniis ex occidente per septentriones ad orientem praetergredi. Videlicet haec fama ab eis regionibus, quae propiores sunt vertici septentrionali, ad Britannicas insulas translata est.

extrema]. Ex hac voce recte colligitur terram a Tacito non globum, sed orbem credi, quod insuper confirmatur Germ. 17 *exterior Oceanus* (i. e. is, qui est propior margini orbis) et 45, ubi de eadem re haec dicit: *mare —, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortum edurat adeo clarus, ut sidera hebetet.* Ex hoc loco id quoque apparet verbis *solis fulgorem*, quae supra leguntur, non significari crepuscula, quae per noctem pertineant, sed ipsum solem obliquis radiis caelum illustrantem. Itaque totius enuntiati haec est sententia: 'in illis regionibus, sole in ipsis terrae coelique confiniis praetereunte, humilis eri-

non erigunt tenebras, infraque caelum et sidera nox cadit. solum praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum. tarde mitescunt, cito proveniunt; eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum caelique. fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. ego facilius crediderim naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

(13) Ipsi Britanni dilectum ac tributa et iniuncta imperii munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut

1. *et* (ante *sidera*)] *ac* A; sed corr. m. 1. — 3. *pabuli fecundum* Peter; (*arborum patiens, frugum fecundum* Eussner, Blätter f. d. bayer. Gymn. XIII. 4 p. 150); *fecundum* del. Scheffer. — 4. *terrarumque coelique* B. — 5. *victoria* B. — 6. *suffusa ac liuenta* B. — 10. *delectum* A B — 11. *subeunt* Nipperdey.

gitur umbra et quae usque ad coeli siderumque altitudinem non assurgat'. Humilis autem umbra est, quia regiones illae et extremae sunt, i. e. prope marginem orbis sitae, et planae, i. e. montibus carent. Nam utroque idem efficitur, ut, quamvis sol depressum locum obtineat, tamen, quoniam vix quicquam est, quod radiis solis officiat, tam humilis sit umbra, ut caelum non obscuretur. Itaque noctem nihil aliud intellegit, nisi terrae montiumque umbram. Cf. Plin. n. h. II. 10, 7.

patiens frugum, fecundum]. Qui ita distinguunt, gradationis ac rei augendae causa *fecundum* absolute positum ἀσυνδέτως adiungi dicunt, qua in re est quod offendamus. Alii distinguunt: *patiens, frugum fecundum.* In quo displicet *patiens* genetivo carens. Alii ante *fecundum* excidisse *pabuli* vel simile aliquid coniecerunt. At in eis quae secuntur, de frugibus sermo est. Nihil igitur de hoc loco pro certo affirmo, praesertim cum nihil auxilii afferat locus simillimus Germ. 5 *Terra — satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fecunda.* Placere tamen confiteor Eussneri coniecturam: *arborum patiens, frugum fecundum.* Praeivit Ritterus: *pomorum patiens, f. f.*

pretium victoriae]. Cur haec adiecisse putandus sit, apparet ex eis, quae supra disputavi ad vocem *caelum.*

alia metalla]. Caes. b. G. V. 12 *nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum, sed eius exigua est copia; aere utuntur importato.*

gignit et Oceanus]. Est quaedam brevitas orationis, quae est plena haec: 'Oceanus quoque praemium victoriae ostentat; gignit enim margarita'.

liventia]. Cf. Plin. n. h. IX. 35, 57 *in Britannia parvos atque decolores nasci certum est.*

artem — legentibus]. Cf. H. V. 6 *certo anni bitumen egerit, cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit.*

rubro mari], sinu Persico, ut Ann. II. 61.

saxis], dativus, ut Ann. I. 44 *ut vellerentur castris.*

ego facilius e. q. s. 'Nam si margaritis deesset bonitas naturalis, iamdudum avaritia impulsi Britannos ea viva saxis avellere docuissemus, ut fit in rubro mari'.

deesse]. Hoc verbum, quoniam per zeugma refertur etiam ad *avaritiam*, acerbitatem quandam habet reprehensionis. Ceterum cf. Ann. IV. 72 *Frisii — pacem exuere, nostra magis avaritia, quam obsequii impatientes.*

C. 13.

Ipsi Britanni]. Britannicarum ante Agricolam expeditionum enarrationi praemittuntur paucissima, quibus doceamur, quo usque domiti sint Britanni quantamque servitutis partem sibi imponi patiantur. Haec suo loco dicuntur, quippe quibus, proposito rerum statu, quales fuerunt aetate Taciti, traducantur legentium animi ad cognoscendas eas res gestas, quibus ad illum statum perventum sit. — Ceterum similiter Germ. 2 *Ipsos Germanos indigenas crediderim* e. q. s.

tributa], ab Augusto per provincias instituta.

munera]. Quae sint apud Tacitum *imperii munera* quaeque *imperii munia*, optime illustratur comparatione eorum, quae leguntur H. II. 92 *munia imperii Caecina ac Valens obibant.* IV. 86 *Domitianus — modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat.* Ann. IV. 41 *Caesarem — munia imperii facilius tramissurum.* *Munia* enim sunt negotia vel officia publica, *munera* ea, quae imperantur. Genetivus autem *imperii* significat, unde oriantur munera domitis gentibus imposita. Postremo tertium hoc membrum ita adiungitur prioribus duobus, ut ipsa illa quoque cum ceteris omnibus muneribus, quae imperari solent, complectatur. Quare non magis hoc loco *cetera* vel simile aliquid cogitatione supplendum est quam c. 6 *ludos et inania honoris.*

obeunt]. Hoc verbum tertio obiecto, quod proxime praecedit, accommodatum est, quippe quo, ut modo diximus, cetera contineantur.

si iniuriae absint]. De coniunctivo cf. H. III, 86 *inerat tamen simplicitas ac liberalitas, quae,*

pareant, nondum ut serviant. igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. mox bella civilia et in rem publicam versa principum arma, ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. agitasse Gaium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili paenitentiae, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. divus Claudius auctor statim operis, transvectis legionibus auxiliisque et adsumpto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturae mox fortunae fuit.

5. *etiam* A: *iam* B. — 6. *praeceptum i.* (?) B; *precipue* A; sed corr. m. 1 in margine — *Caium* A B. — 7. *ingenii mobilis penitentiae* B; *ingenio mobili paenitentia* Wex; *ingenio, mobilis paenitentia* Puteolanus. — 9. *auctor statim* nos: *autoritate* A; *auctoritate* B; *auctor iterati* Wex; *auctor iterandi* Madvig; *auctor patrati* Ritter; *auctor tandem* Fröhlich; *auctor tanti* Bezzenberger; *auctor intacti* Urlichs.

ni adsit modus, in exitium vertuntur. Est coniunctivus potentialis, nec ulla in eo inest animi aut voluntatis Britannorum significatio.

Igitur]. Hac particula latini utuntur ibi, ubi ad id veniunt, de quo dicturos se esse ante promiserunt. Hoc autem loco Tacitus eis ipsis verbis, quae proxime praecedunt: *iam domiti, ut pareant, nondum ut serviant,* ostendit se enarraturum, quibus priorum rebus gestis domiti essent Britanni.

primus — Romanorum], ut H. V. 9 in re simillima: *Romanorum primus Cn. Pompeius Judaeos domuit.*

ostendisse], domandam; *tradidisse*, domitam.

consilium]. Ann. I. 11 *addideratque* (Augustus) *consilium coercendi intra terminos imperii.* De voce consilii cf. H. II. 29 *tum Alfenus Varus — deflagrante paullatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus* e. q. s. Liv. I. 45, 1 *ne semper armis opes acquirerentur, consilio augere imperium conatus est.*

praeceptum]. Ann. IV. 37 Tiberius ipse se omnia facta dictaque Augusti vice legis observare profitetur.

agitasse]. H. I. 39 *agitasse Laco — de occidendo Tito Vinio dicitur.* 79 (Otho) *creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse.*

Gaium Caesarem], a. 40. Suet. Cal. 44. Dio LIX. 25.

satis constat] hoc loco accusativum cum infinitivo sequitur (quam collocationem verborum nullo alio loco invenimus), qui propterea praecedit, quod Gai Caesaris eiusque consilii commemorationi ceteris imperatoribus oppositae vis quaedam additur.

ni]. Cf. c. 4 *hausisse, ni.* Duae autem afferuntur causae, quibus consilium Caligulae ad irritum redactum sit, quarum una in moribus, altera in rerum ante gestarum fortuna posita est.

velox — paenitentiae]. Ablativo *ingenio mobili* (cf. *mobilitate ingenii* H. I. 7. II. 57. III. 84) causa inseritur, cur fuerit *velox paenitentiae.* Genetivus autem adiectivo *velox* adiunctus, etsi alio loco non legitur, nihil tamen habet offensionis. Eadem enim est huius genetivi vis, quae fere est genetivorum, ubi adiectivis adiunguntur.

adversus Germaniam]. H. IV. 15 *Gaianarum expeditionum ludibrium.* Germ. 37 *ingentes Gai Caesaris minae in ludibrium versae.* Suet. Cal. 43.

frustra fuissent], ut H. I. 75 *utrisque frustra fuit;* cf. II. 97 *sed experimentum contra fuit.* III. 18.

statim], paullo postquam imperium adeptus erat, a. 43. Suet. Claud. 17. Dio LX. 19.

adsumpto in partem rerum]. c. 25 *quae* (classis) — *assumpta in partem virium.* Ann. I. 11 *se in partem curarum ab illo vocatum.* XIV. 33 *comitantes in partem agminis acciperet.*

Vespasiano]. Fuit enim in Britannia legatus legionis secundae. H. III. 44. Suet. Vesp. 4 *Claudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est; inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit, duas validissimas gentes superque viginti oppida et insulam Vectem Britanniae proximam in deditionem redegit, partim A. Plautii, legati consularis, partim Claudii ipsius ductu.* Dio LX. 19.

fortunae], principalis. Britannica, inquit, militia primum initium fuit ac velut augurium imperii, quo mox erat potiturus. De hac vocis *fortuna* significatione disputant Heraeus ad H. I. 10, Nipperdeius ad Ann. XI. 30. Ad eiusdem Vespasiani principatum refertur H. I. 10. III. 43. 65. Idem est *principatus fortuna* H. I. 77. IV. 85 et *fortuna principalis* H. II. 81.

et] non adiungit tertium membrum, sed alterum; nam quae praecedunt *domitae gentes, capti reges,* ea unum efficere putanda sunt. V. supra c. 11 *et posita contra Hispania.*

monstratus]. Haec solennis est apud Tacitum participii collocatio aliis vocabulis aucti. V. supra c. 7 *adfectati a Vespasiano imperii.*

fatis]. Ablativum intellege; monstratus autem est hominibus. Hanc interpretationem commendant similes loci H. I. 88 *vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus.* Germ. 31 *hosti-*

domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Vespasianus. (14) consularium primus Aulus Plautius praepositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius; redactaque paulatim in formam provinciae proxima pars Britanniae, addita insuper veteranorum colonia. quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora pro-

1. *domitae gentes* Puteolanus: *Domitiae gentis* A B. — 2. *Aulus* A; *A* B — *Plautius* A B; em. Rhenanus. — 5. *Cogidunno* B. — 6. *vetere* .. *ut haberet* Rhenanus: *ut vetere*...*haberet* A B. — 7. *et* om. B — *reges* Rhenanus: *regis* A B (*ut vetere*....*regiminis* Urlichs).

bus simul suisque monstrati, maxime Verg. Aen. VI. 869 de M. Claudio Marcello, filio sororis Augusti, praematura morte abrepto: *ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra Esse sinent.* 'Rebus a Vespasiano in Britannia gestis tamquam futuri temporis auguriis (ea enim sunt *fata*) adeo movebantur homines, ut omnium oculi in eum conicerentur, hunc futurum principem vaticinantium'. Haec sententia similis est ei quae praecedit: *quod initium venturae mox fortunae fuit*, ita tamen, ut illic significetur, quid initium futurae fortunae fuerit, hic, quid homines initium futurae fortunae interpretati sint.

C. 14.

A. Plautius], cons. suff. a. p. Chr. 29 (Fast. Nol. apud Mommsenum J. R. N. 1698), Britanniae praefuit a. 43—47 p. Chr. Dio LX. 19. 30. Tac. Ann. XIII. 32. Quae de ovatione eius rettulisse se Tacitus scribit, ea ante libri XI. reliquias perierunt. Antea Pannoniae vel Dalmatiae praefuisse videtur (C. I. L. V. 1. 698). Uxorem eius Pomponiam Graecinam superstitionis externae ream a marito, cuius iudicio permissa erat, insontem pronuntiatam esse Tacitus scribit l. l.

P. Ostorius Scapula], legatus Britanniae a. 47—51. Cons. suff. fuerat ante cum Suillio Rufo (cf. Nipperdeium ad Ann. XII. 31). Res ab eo in Britannia gestas et triumphi insignia ei decreta Tacitus narrat Ann. XII. 31—35. 38. 39. Mortuus est in ipsa provincia (Ann. XII. 39).

addita — colonia], Abl. abs. Ann. XII. 32 *colonia Camulodunum* (in Trinobantum finibus, hodie *Colchester*) *valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum.* XIV. 31.

Cogidumno]. Eius nominis maxima pars invenitur in titulo Britannico, qui repertus est Regni (hodie Chichester). C. I. L. VII. 11: [n]*eptuno et Minervae templum* [pr]*o salute do*[mus] *divinae* [ex] *auctoritate* [ti] *Claud*[ii] [? Co]*gidubni*, *r*[egis]? *lega*[ti] *Aug*[usti] *in Brit*[annia], [colle]*gium fabror*[um] *et qui in eo*..... *d*[e] *s*[uo] *d*[ant], *donante aream* [Clem]*ente Pudentini fil*[io]. Ad quem titulum adnotat Huebnerus: ,Claudium aut ipsum Cogidubnum regem, aut, quod magis credam, filium fortasse eius cognominem dignitate legati splendidiore ornasse (omissa fortasse consulto legionis alicuius mentione, cui ille non praeerat), a probabilitate minime abhorret'.

vetere — consuetudine]. Similes sunt ablativi H. IV. 61 *ea virgo* (Veleda) — *late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas*, Ann. II. 85 *Vistilia — licentiam stupri apud aediles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui satis poenarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant.*

ut haberet], populus Romanus.

instrumenta servitutis]. Sic veneficam Locustam *instrumentum regni* appellat Ann. XII. 66 et maximum *boni imperii instrumentum bonos amicos* H. IV. 7.

et reges], non modo ministros imperii Roma missos, Cf., quae de Marcomanorum Quadorumque regibus traduntur Germ. 42 *Marcomanis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus. Iam et externos patiuntur: sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana. Raro armis nostris, saepius pecunia iuvantur, nec minus valent.*

mox Didius Gallus — continuit], i. e. hunc secutus est D. G. isque — continuit. Non minus breviter paullo post: *Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit.* Cf. Germ. 44 *Suionum hinc civitates ipso in oceano — classibus valent.* 43 *Trans Lygios Gothones regnantur.* — *A. Didius Gallus.* De consulatu eius et cura aquarum v. Nipperdeium ad Ann. XII. 15. Anno 46 p. Chr. Mithridatem Bosporanum pepulerat, cum esset, ut videtur, legatus Moesiae. Britanniae praefuit a. 52—57. Ann. XII. 40.

parta — continuit]. Idem tradit Ann. XIV. 29. XII. 40 *Didius senectute gravis et multa copia honorum, per ministros agere et arcere hostem satis habebat.*

ulteriora]. H. IV. 77 *pons, qui ulteriora coloniae adnectit.*

officii], administrationis publico munere susceptae, quae item appellatur *provincia*. Sic de Agricola ipso Britanniae legato c. 25 *sextum officii*

motis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis; quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem adgressus terga occasioni patefecit. (15) namque absentia legati remoto metu Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: nihil profici patientia nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret. aeque discor-

1. *aucti obsequii* Madvig. — *Q. Veranius* Ritter. — 4. *Nomam* B. — 7. *patientia* A: *sapientia* B. — 8. *imperantur* B.

annum. De Pisone Syriae legato Ann. III. 12 *nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit.* H. IV. 48 *legatorum vis adolevit diuturnitate officii.* Agr. 19. dial. 6. Promotis administrationis terminis dignitatem eius auxit.

Veranius]. Fuit is inter amicos Germanici (Ann. II. 74) et accusatores Cn. Pisonis (III. 10. 13. 17), quo mortuo sacerdotium praemium accepit (III. 19). Antea Cappadociam in formam provinciae redegerat (II. 56) a. 18 p. Chr., consul fuit a. 49, legatus Britanniae a. 58. Ann. XIV. 29 *et successor Veranius modicis excursibus Siluras populatus, quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est, magna, dum vixit, severitatis fama, supremis testamenti verbis ambitionis manifestus: quippe multa in Neronem adulatione addidit subiecturum ei provinciam fuisse, si biennio proximo vixisset.*

Suetonius — Paulinus]. v. ad c. 5.

biennio], annis 59 et 60.

subactis], i. e. quippe subactae sunt. Nulla igitur in his abl. abs., quae esse solet, perfecti vis. Huius usus plurima apud Tacitum sunt exempla.

firmatisque praesidiis] Horum verborum tres possunt esse interpretationes. Aut *praesidiis* pro abl. instr. habendum et *firmatis* ad *nationibus* referendum, ut H. II. 83 *quas* (Achaiam Asiamque) *inermes exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur* et IV. 55 *si Alpes praesidiis firmentur.* Aut verba *firmatis praesidiis* abl. abs. efficiunt vel ita, ut sit 'auctis, quae iam ante fuerant, praesidiis', vel 'praesidiis firmis positis'. Prima interpretatio impeditum habet et iniucundum ablativorum discidium, alteri id obstat, quod eas nationes, quas Suetonius subegit, ante eum liberas nec praesidiis circumdatas fuisse consentaneum est; tertia videtur esse vera. De voce firmandi cf. c. 35 *mediam aciem firmarent.* Nec multo aliter Ann. XIII. 41 *nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur,* i. e. firmo praesidio relinquendo.

quorum]. Dubito utrum hoc pronomine nihil nisi *praesidia* an, quidquid effecerat, significari putem. Alteram interpretationem qui amplexi erunt, poterunt comparare Ann. III. 63 *Quorum copia fessi patres* e. q. s. et Nipperdei adnotationem.

Monam — ministrantem]. De eadem re Ann. XIV. 29 *Monam insulam incolis validam et receptaculum perfugarum adgredi parat.* Est insula Anglesea.

rebellibus], ut Ann. I. 57. II. 26. IV. 73. Seditiosi milites intelleguntur Ann. I. 40.

occasioni] ut c. 18. Germ. 30. Cf. Ann. IV. 50 *ne — casum insidiantibus aperirent.*

C. 15.

agitare — conferre] Liv. III. 34, 4 *versarent in animis secum unam quamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minusve esset, conferrent.* Cic. ad fam. VI. 21, 2 *utinam liceat aliquando — inter nos — conferre sollicitudines nostras.*

accendere], intendere, augere ita sermonibus, ut etiam acriores esse videantur iniuriae, quam re vera sunt. Ann. II. 57 *sed amici accendendis offensionibus callidi intendere vera, adgerere falsa.* I. 69 *accendebat haec* (i. e. has principis offensiones) *onerabatque Seianus.* Liv. IV. 58, 11 *haec sua sponte agitata insuper tribuni plebis accendunt.*

profici — nisi ut]. H. V. 25 Batavi: *quid profectum caede et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur?* Ceterum de totis his Britannorum colloquiis et de Calgaci oratione c. 30—32 cf. H. IV. 68 *is* (Iulius Valentinus Trevir) *meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit.*

tamquam] significat causam imperandi ex animis imperantium prolatam.

ex facili], ut H. III. 49 *satis factum bello ratus et cetera ex facili*, ubi est pro adiectivo, et Ov. am. II. 2, 55 *culpa nec ex facili, quamvis manifesta, probatur.*

binos imponi, e quibus legatus — procurator] breviter dictum pro 'binos imponi, legatum et procuratorem, e quibus alter — alter'.

procurator]. Exemplum avaritiae procuratoriae est Catus Decianus, qua Britanni in bellum acti narrantur Ann. XIV. 32.

diam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in proelio fortiorem esse qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus tamquam mori tantum pro patria nescientibus. quantulum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum: et flumine, non Oceano defendi. sibi patriam coniuges parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularen-

2. *manum* A B; sed in A corr. m. 1 (*manum* in *enim* mutavit Meiser, post *serros* collocavit Urlichs, in locum vocis *vim* substituit Eussner in Fleckeis. Ann. CXIII. p. 551—559) — *centuriones* Rhenanus: *centurionis* A B. — 4. *imbellibus* B: *imbecillibus* A; sed litterae *ci* expunctae — *diripi* Heinsius. — 5. *delectus* A B. — 6. *enim*] ·*N*· A B.

aeque — aeque] per anaphoram, ut *simul terra simul mari* c. 25 et Ov. met. XII. 36 *et pariter Phoebes, pariter maris ira recessit.*

praepositorum]. H. I. 36 *gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat.* Germ. 30 *praeponere electos, audire praepositos, nosse ordines.*

subiectis], ut c. 31. H. I. 10 *apud subiectos, apud proximos, apud collegas — potens.* IV. 64 *voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.* Ann. XII. 30. XIII. 31.

alterius manus centuriones, alterius servos] breviter dictum pro 'utriusque manus, alterius (legati) centuriones, alterius (procuratoris) servos'. *Manus* autem sunt *ministri* (H. IV. 14) ut Cic. in Verr. II. 2, 10, 27 *comites illi tui delecti manus erant tuae: praefecti, scribae, accensi, medici, haruspices, praecones manus erant tuae; ut quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa — tua manus sine controversia fuit.* De eadem re Ann. XIV. 31 *adeo ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur.* H. IV. 14 *tradi se praefectis centurionibusque, quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula.*

miscere], sui arbitrii licentia sine ullo discrimine in quos quisque incidit, eis vim et iniurias infert nec quaerit, utrum eisdem, quibus ceteri servi vel centuriones, an aliis.

exceptum], tutum a libidine. Virg. Aen. IX. 270 *ipsum illum — excipiam sorti.*

in proelio — spoliet]. 'In proelio fortiori succumbere spoliarique ab eo ut miserum esse, ita non id, quod non posset utcumque tolerari; at nunc e. q. s.

fortiorem esse, qui spoliet]. Subiectum est *qui spoliet*, praedicatum *fortiorem esse.* H. II. 16 *insulam esse, quam incolerent.* I. 29 *Othonem esse, qui raperetur.* Ann. XIII. 25 *Caesarem esse, qui grassaretur.*

ignavis — et imbellibus], ut Germ. 12. 31.

eripi domos]. Ann. XIV. 31 *acerrimo in veteranos odio, quippe in coloniam Camulodunum recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando.*

tamquam], ut supra, significat victorum de victis iudicium contemptus plenum.

tantum] ad verba *pro patria* referendum est. Nam pro saevis dominis, inquiunt, patienter mortis discrimen subire nos putant.

Quantulum enim], ut Germ. 28. Causa affertur sententiae, quae ex prioribus colligitur, quae haec est: 'sed errare eos eventus docebit'.

transisse], in Britanniam. c. 18 *media iam aestate transgressus Agricola.*

si sese Britanni numerent], et multitudinem suam comparent cum hostium paucitate. Ann. II. 52 *modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares.* 71 *numerate sex liberos.*

Sic], ut nos ipsi iugum excutiemus. H. IV. 57 *sic olim Sacrovirum et Aeduos, nuper Vindicem Galliasque singulis proeliis concidisse.* Ann. II. 26.

Germanias]. ut c. 28 ac saepius.

excussisse iugum], deleto Quintilio Varo.

et — defendi]. Est concessiva sententia, ut H. IV. 17 *nuper certe caeso Quintilio Varo pulsam e Germania servitutem, nec Vitellium principem, sed Caesarem Augustum bello provocatum.*

causas belli]. Easdem belli causas Calgacus significat, cum dicit c. 30 *quotiens causas belli — intueor.*

divus Iulius]. In hac appellatione dictatoris Caesaris nulla inest cavillatio, quali Ann. I. 59 Arminius utitur: *ille inter numina dicatus Augustus.* Nihil enim impedit, quominus hoc quoque loco, ubi Britannos loquentes facit, Tacitum solita sibi suisque C. Caesaris appellatione simpliciter uti credamus, in qua *divus* quasi praenominis loco est. Ceterum cf. Ann. XII. 34 *vocabatque* (Caratacus Britannus) *numina maiorum, qui dictatorem Caesarem pepulissent.*

aemularentur]. Notanda est subiecti mutatio,

tur. neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus *illis* impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare. porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere. (16) his atque talibus invicem instincti Boudicca generis regii femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere ut sedem servitutis; nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. quodnisi Paulinus cognito

1. Lacunam vidit Acidalius; *illis* supplevit Hofmann — Peerlkamp; *penes avaros* post *impetus* Wecklin; *penes malos* Eussner in Fleckeis. Ann. CXIII. p. 551—559; *superbis* Urlichs. — 4. *quos* A; sed corr. m. 1. — 6. *Boudicca* Haase: *Voadicca* A; *Voaduca* B. — 7. *neque enim*] *Neque .N.* A; *nec .N.* B. — 9. *ut in barbaris* Peerlkamp.

non mira tamen, quoniam pro *aemularentur* in directa oratione futurum fuit *aemulemini* vel *aemulemur*.

neve] non est praeter consuetudinem positum hoc loco. Nam priora, quae a *modo* incipiunt, adhortationem habent.

unius aut alterius], ut c. 40 et Ann. III. 34 *porro ob unius aut alterius imbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque.* Cf. Nipperdei adnotationem.

difficillimum fuerit]. Est coniunctivus perfecti, non potentialis, cui nullus locus in oratione obliqua. Perfectum autem cum vocabulo *iam* sic conciliandum est, ut non deliberare, sed deliberandi initium facere difficillimum fuisse dicatur; cetera deinceps facilius et quasi sua sponte secutura. *Nam qui deliberant, desciverunt.* H. II. 77. Illa autem facti initii notio latet in vocabulo *iam*. Nam qui *iam deliberant*, paullo ante initium fecerunt deliberandi.

porro], ut c. 31 *virtus porro* e. q. s., priori membro adiungit alterum et quasi altera ex parte opponit, ut plena evadat conclusio. De sententia huius loci cf. H. I. 21 *nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies quam temeritas.* 81 *manere ac deprehendi an — periculosius foret. Deprehenditur* enim, qui, dum cunctatur, opprimitur. De verbo audendi absolute posito cf. H. I. 35: *ignavissimus quisque et, ut res docuit, in proelio non ausurus.*

C. 16.

his atque talibus]. Est solennis apud Tacitum formula. Cf. Nipperdeium ad Ann. I. 5.

in vicem] et *inter se* non solum cum activis verborum formis, sed etiam cum passivis iunguntur, quoniam, qui idem faciunt, si inter se faciunt, etiam idem patiuntur. H. III. 17 *firmati inter se.* 29 *obstinatos inter se.* Liv. VIII. 27, 6 *inter se mulcati ipsi virgis.* Diversa sunt quae leguntur H. IV. 24 *his inter se vocibus instinctos*, ubi *inter se* pro adiectivo (*mutuis*) esse collocatio evincit.

Boudicca]. De eius nominis scriptura cf. Nipperdeium ad Ann. XIV. 31. Gesta haec a. p. Chr. 61. Commentarii instar sunt, quae Tacitus tradit Ann. XIV. 31 sq.

sumpsere — bellum.] *Sumere bellum*, ut *sumere arma*, saepissime in Taciti libris legitur: H. III. 43. IV. 66. 69. V. 25. Ann. II. 4. 45. XIII. 34. XV. 7. Adde *sumere proelium* H. II. 42. IV. 34; *expugnationem sumere* Ann. XV. 5.

sparsos — consectati]. Contra in Annalibus (XIV. 33) castella ac praesidia militarium a barbaris omissa esse refert, idque verius videtur.

ut sedem], i. e. quippe quam putarent esse sedem.

in barbaris] collocatione adiectivo aequatur, ut sit 'in barbaris exerceri solitae'.

ira et victoria]. Horum vocabulorum copulatio eam vim habet, ut prioris propinquitate posterioris significatio mutetur. Nam non *ira* solum, sed etiam *victoria* affectum animorum significat, qui victoriae partae conscientia elati erant. Est igitur huius loci eadem sententia, paullo insolentius illa quidem reddita, quam simplicius et usitatius reddidit Ann. XIV. 38 *sine hostili ira et superbia victoris.*

quod]. Inest augendi vis; nam non solum eos, qui a barbaris capti erant, saevissima quaeque passos esse, sed etiam de ipsa provinciae possessione dubitatum esse refert. Simillime c. 26 *quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.*

foret] in apodosi condicionalis sententiae ut c. 37 et H. II. 14 *deletaeque omnes copiae forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus.*

veteri patientiae], tamquam domino fugitivos.

tenentibus], i. e. ita tamen, ut plerique (i. e. permulti) arma tenerent.

conscientia defectionis]. Haec verba et quae secuntur *et propius ex legato timor* de eadem re dicta sunt, i. e. de Gallorum sollicitudine metuentium, ne defectionis poenae a legato sibi irrogentur. Tamen eius metus significationem in duo membra ideo dispertitus est, ut barbaros non tam

provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret; quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat, ne, quamquam egregius cetera, adroganter in deditos et ut suae cuiusque iniuriae ultor durius consuleret. missus igitur Petronius Turpilianus tamquam exorabilior et delictis hostium novus eoque paenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis, comitate

2. *etsi* ante *tenentibus* inser. Nipperdey, *tamen* post *tenentibus* Ritter — *plerique* B. — 3. *proprius* Rhenanus. — *ne*] *qui* A. Goethe in Fleckeis. Annal. CXV. p. 224 (*nequaquam* A B: *nequamquam* A in marg.). — 4. *cuiusque* Wex: *eiusque* A B; *quisque* Nipperdey: *quoque* Puteolanus; *communisque* H. L. Schmitt. — 5. *missus igitur* post *agitabat* (v. 3) transponit Doederlein. — 6. *novis* B. — 7. *ausus*] Sic A e correctura m. 2 pro *et usus*; *ausis* B.

legati Britanniae, quisquis esset, quam Suetonii Paulini potissimum metu agitatos esse ostenderet.

propius], magis ex propinquo, urgentius. Huius, inquit, legati severitas acriores stimulos subdidit barbarorum timori, qui, si alius tum praefuisset Britanniae, ut timuissent legati ultionem defectionis conscii, ita minus severum fore sperassent.

ex legato timor], ut H. I. 64 *ex Vitellio et metus* ac saepius.

ne, quamquam egregius]. V., quae adnotavimus ad c. 1 et H. IV. 68 *at Romae cuncta in deterius audita Mucianum angebant, ne quamquam egregii duces — summam belli parum tolerarent.*

cetera] Cf. Ann. VI. 42 *materna origine Arsaciden, cetera degenerem.* XII. 3 *alia clarum.* Germ. 29 *cetera similes Batavis* 45. Cf. Nipperdeium ad Ann. III. 26.

deditos]. Inest condicionalis sententia, ut Ann. XIV. 38 *clementer deditis consulturum.*

ut suae cuiusque iniuriae ultor]. Incerta scriptura, incerta interpretatio. Nihil tamen melius prolatum; interpretationum autem, quarum alia alii placuit, haec mihi videtur esse simplicissima, ut coniunctis pronominibus *suae cuiusque iniuriae* sit 'eius quam quisque passus esset, iniuriae', *ut* autem ad *ultor* referatur. Est igitur: 'tamquam suam cuiusque iniuriam ulturus' vel 'tamquam singulorum (i. e. singulis illatas) iniurias singulorum (i. e. eorum, qui intulissent) suppliciis persecuturus'. — Est autem mira in hoc enuntiato duarum sententiarum perturbatio. Loquitur enim hoc loco de timore Britannorum arma tenentium; at eundem timorem a Tacito etiam eis, qui in urbe erant, ac principi ipsi tribui cum ex verbis *quamquam egregius cetera*, quibus principis de Suetonio iudicium contineri videtur, tum ex eis quae secuntur: *missus igitur* e. q. s. apparet. Distinctius inter se segregavit res causamque addidit Ann. XIV. 38. 39: *Iulius Classicianus* (procurator) — *Suetonio discors bonum publicum privatis simultatibus impediebat disperseratque* (sc. per Britanniam) *novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. Simul in urbem mandabat, nullum proeliorum finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat. Igitur ad spectandum Britanniae statum missus est e libertis Polyclitus — —, Suetonius — tradere exercitum Petronio Turpiliano — iubetur.*

P. Petronius Turpilianus], P. Petronii (Ann. III. 49) filius, huius ipsius anni 61 consul usque ad Kalendas Martias (Ann. XIV. 29), ex ipso consulatu in Britanniam missus est (Ann. XIV. 39), ita tamen ut auctumno demum Suetonio succederet. A. 65 triumphi insignia ei decreta sunt. (Ann. XV. 72). A Galba interfectus est (H. I. 6. 37).

tamquam exorabilior], i. e. quia putabatur esse exorabilior. De hoc usu particulae *tamquam*, quem saepius iam notavimus, cf. Nipperdeium ad Ann. III. 72.

delictis — novus], ut Sil. VI. 254 *novus dolori.*

paenitentiae]. Ipsum affectum posuit, non homines, quorum animi affectu moventur. Sic etiam supra *iram et victoriam* ea perfecisse dicit, quae perfecerunt homines illis affectibus incensi.

compositis prioribus], i. e. rebus, quamquam victi erant rebelles, etiam tum turbidis. Ann. XII. 32 *ne nova moliretur nisi prioribus firmatis*, I. 30 *quia praesentia satis consederant*, III. 47 *ut praesentia spectaret componeretque*, XI. 18. I. 29 *incusat priora, probat praesentia.*

nihil ultra ausus]. Nam *honestum pacis nomen segni otio imposuit* Ann. XIV. 39.

Trebellius Maximus], in consulatu a. 57 Senecae collega, a. 61 censum Galliarum egit (Ann. XIV. 46), a. 63 Petronio successisse videtur, siquidem is curator aquarum fuit a. 63 et 64 (Front. de aq. 102); a. 69 ex Britannia ad Vitellium perfugit. H. I. 60. II. 65. — Fuerunt qui huius enuntiati structuram reprehenderent et adventum Petronii non participio (*missus*) sed plena sententia significari oportere dicerent. Antea enim causas explicari, cur missus esset Petronius, non

quadam curandi provinciam tenuit. didicere iam barbari quoque ignoscere vitiis blandientibus; et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. sed discordia laboratum, cum adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius, fuga ac latebris vitata exercitus ira indecorus atque humilis, precario mox praefuit; ac velut pacti exercitus licentiam, dux salutem esset, seditio sine sanguine stetit. nec Vettius Bolanus, manentibus adhuc civilibus bellis, agitavit Britanniam disciplina: eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum, nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis. (17) sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam

3. *seuitiae acusationem* B. — 4. *lasciueret* A. — 5. *indecoris* A B; em. Puteolanus. — *praefuit* A: *fuit B.* — *facta exercitus licentia, ducis salute* A in marg. — 6. *salute* B. — *esset* Halm (idem *essent*): *et* A B; *ea* Doederlein et *essent* post *pacti* inserto Ritter. — 7. *vectius* A B. — *Bolanus* B: *volanus* A et sic v. 9. — *fatigavit* vel *castigavit* Madvig. — 8. *et eadem* B. — *hostis* B.

cur provinciam Trebellio tradidisset. At haud raro Tacitus brevitatis causa graviori rei ita id quod deinceps factum est, adiunxit, ut illam participio vel adiectivo, hoc verbo finito redderet. Sic Ann. III. 55 *luxusque mensae a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Servius Galba rerum adeptus est, per annos centum — exerciti paulatim exolevere* (i. e. exerciti sunt, dein paulatim exol.). Plura exempla ad hunc locum et Mus. Rhen. XIX. p. 104 contulit Nipperdeius.

Trebellius]. Mos est Taciti multis exemplis probatus, ut virum in eis, quae proxime praecedunt, nominatum non pronomine demonstrativo (*is*), sed eodem nomine proprio vel eius parte iterum designet, velut Ann. II. 28 *ad Fulcinium Trionem iudicium detulit. Celebre inter accusatores Trionis ingenium erat.* De ea re disputavit Joannes Müller, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Cornelius Tacitus. Viertes Heft. Innsbruck. 1875. p. 13 A. 2.

nullis — experimentis], abl. qual., adiectivo adiunctus. De liberiore ablativi qualitatis apud Tacitum usu disputavit J. Müller l. l. p. 39 sq.

curandi]. De significatione verbi cf. Ann. IV. 36 *qui pro consule Asiam curaverat* et Heraeum ad H. II. 24. Absolute ponitur etiam Ann. XI. 22 *duo additi, qui Romae curarent.* Hoc tamen loco propinquitas obiecti (*provinciam*) insolentiam dicendi excusat. Cf. c. 28 *amissis per inscitiam regendi navibus.*

didicere]. Eadem est vis collocationis verbi, quam notavimus c. 8 in voce *habuerunt.*

ignoscere], tamquam inimicis.

vitiis blandientibus, dativus. Cf. H. V. 4 *dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum.*

praebuit], sc. duci, qui se ideo non ducere in hostem excusabat, ne simul et civili et externo bello urgueretur imperium. Ceterum non praetermittendum, haec de legato, priora de barbaris dici.

discordia]. Significatur militum seditio; eam enim Tacitus appellat *discordiam.* Ann. VI. 3 *discordiam et seditionem.* Cf. Nipperdeium ad Ann. I. 38 et Heraeum ad H. I. 53.

vitata — ira], abl. causae.

precario]. H. I. 52 *precarium seni imperium et brevi transiturum.* Similes locos addidit Heraeus.

velut], sequente coniunctivo, ut H. II. 8 *velut Nero adventaret.*

sine sanguine stetit], i. e. citra sanguinem substitit, eum terminum non excessit, ultra quem caedes fieri solet. Ann. XII. 22 *unde ira Agrippinae citra ultima stetit.* III. 72 *tanta vis unum intra damnum stetisset.* H. IV. 2 *agmen legionum intra Bovillas stetit.* Ann. IV. 40 *ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent* (cf. Nipperd.).

Vettius Bolanus]. De eo cf. c. 8.

agitavit Britanniam disciplina], i. e. nec suum militem acri militia exercuit nec barbaros subito impetu vexavit aut terruit; nec apud suos nec apud hostes *nihil quietum passus est* (c. 20).

erga]. Cf. c. 5 extr. et Ann. IV. 20 *ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit.* XI. 25 *isque illi finis inscitiae erga domum suam fuit.*

castrorum]. Genetivus locum significat, in quo exsistit petulantia. Sic *ambitus fori* Ann. II. 34 ac similia multa.

nisi quod]. Imminuitur illud de Vettii Bolani vitiis iudicium, addita laude. Cf. c. 6.

innocens], quod sequentibus verbis explicatur. Nam Trebellius Maximus *per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque* fuerat. H. I. 60.

et nullis]. De copula cum negatione coniuncta v. Nipperdeium ad Ann. I. 38. — Huic loco similia sunt quae leguntur c. 39 *quamquam nulla verborum iactantia auctum*; nam utroque loco negatio ad praedicatum referenda est.

auctoritatis], qua in tam feroci provincia vel maxime opus est.

C. 17.

recuperavit]. Suscepto tandem firmatoque denuo imperio, quod, ut est apud Suetonium Vesp. 1, rebellione trium principum et caede incertum diu ac quasi vagum fuerat, Vespasianus nutantem

recuperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, adgressus. multa proelia, et aliquando non incruenta; magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset: sustinuit molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

(18) Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate

2. *Cerialis* Lipsius: *Caerealis* A; *cerealis* B, et sic v. 5. — *Bregantum* A B. — 3. *perhiberet* B. — 4. *Bregantum* A correctum m. 1 ex *Bregantium*; *Bregantium* B. — 5. *successoris* del. Nipperdey. — 6. post *obruisset* sunt qui lacunam statuant, in quibus Nipperdey, qui haec fere supplenda censet: *nisi in medio rerum prosperarum cursu invidia revocatus esset*. — 6. *sustinuit* Vielhaber: *sustinuitque* A; *substinuitque* B; *sustinuit utique* Schoemann; *sed subiit sustinuitque* (idem vel *sed suscepit sust.* Urlichs) Halm olim. — 8. *locorumque* B. — 9. *Britannia* B.

orbem terrarum stabilivit dubiamque bellis civilibus provinciarum possessionem in tuto collocavit, integram priorum temporum condicionem restituendo, ut sicut ante orbis terrarum sub Juliorum Claudiorumque gente fuerat, sic tum Flaviae genti pareret. Igitur praefixum *re* — ad priorem statum a Vespasiano restitutum referendum est.

Petilius Cerialis]. De eo cf. c. 8.

Brigantum], qui habitabant in septentrionali Angliae, quam hodie dicimus, parte.

perhibetur], ut c. 10 *sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli*.

aggressus], i. e. cum aggrederetur, vel aggrediendo.

aut victoria — aut bello]. Particulis *aut — aut* magnam illam Brigantum partem in duas dispertit regiones, quarum alteram Agricola victoria domuit, alteram bello illato ostentatisque populi Romani viribus terruit.

alterius], i. e. quam Julii Frontini. Cf. c. 5 et 6. Latet igitur in hoc vocabulo condicionalis sententia.

curam, ut cap. 16 *curandi*.

obruisset], ut c. 46 et Dial. 38 *causae centumvirales — splendore aliorum iudiciorum obruebantur*.

sustinuit]. In ipsa verbi collocatione inest gravissima vis adversativa, ut H. III. 28 *sustinuit labentem aciem Antonius*.

molem], ingruentis belli gravem magnitudinem. Ann. I. 45 *sic compositis praesentibus haud minor moles supererat*. H. III. 46 *ne externa moles utrimque ingrueret*.

Sex. Julius Frontinus], auctor libri *de aquaeductibus urbis Romae* et *Strategematon*. Fuit praetor urbanus a. 70 (H. IV. 39). Antequam Petilio Ceriali successit, eum consulem fuisse necesse est, quoniam Britanniae praeficiebantur tantum ei, qui consulatu functi erant. Atque Petilius Cerialis initio anni 74 Romam redierat, iterum enim consul suffectus est in menses Maium et Junium a. 74. Inde probabile est Julium Frontinum iam auctumno a. 78. Britanniam esse ingressum, consulem autem fuisse aut a. 73 aut a. 72. (Si vero Borghesius ex fragmento feriarum Latinarum recte coniecit Frontinum proximo post Cerialem nundino ipsius a. 74 consulatu functum esse, Britanniam aestate a. 74 usque ad Frontini adventum legato consulari caruisse necesse est [Urlichs l. l. p. 28]. Agricola autem, cum consul factus esset a. 77, Frontino successit media aestate a. 78. Frontinus vero pro consule Asiam rexit circiter anno 83 (cf. Waddington, fastes des provinces Asiatiques p. 158. 159), curator aquarum factus est a. 97 (Frontin. de Aq. 102: *Imperatore Nerva III. et Verginio Rufo III. consulibus ad nos cura aquarum translata est*), cons. suff. II. a. 97 aut 98 (Herm. III. p. 122), cons. III. a. 100 (Henzen 6545: *Imp. Caesare Nerva Traiano Aug. Ger. III, Sex. Julio Frontino III. cos.*). Mortuus est, ut videtur, anno 102 vel 103 (Herm. III. p. 44. 45). De eo Plin. ep. IV. 8, 3 *mihi vero illud etiam gratulatione dignum videtur, quod successi* (in auguratu) *Julio Frontino, principi viro*. IX. 19, 6 *vetuit* (Frontinus) *exstrui monimentum: sed quibus verbis? 'impensa monimenti supervacua est; memoria nostri durabit, si vita meruimus*.

quantum licebat], i. e. *in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur*, ut est Ann. XIV. 47.

super virtutem hostium], i. e. praeterquam quod virtus hostium superanda erat. Nam verbum *eluctatus* posteriori obiecto magis accommodatum est, quam priori. Ceterum cf. H. III. 59 *nives eluctantibus*.

C. 18.

Hunc — statum]. Cf. H. IV. 71 *Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Mogontiacum venit*. Ann. I. 16 *Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit*.

has bellorum vices], quibus, cum ante Agricolae adventum accidissent, effectus erat status ille provinciae, quem Agricola invenit.

media iam aestate], a. p. Chr. 78, decimo imperii Vespasiani.

transgressus Agricola invenit, cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat; eoque initio erecta provincia. et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum ac recentis legati animum opperiri, cum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. caesaque prope universa gente, non ignarus instandum famae

2. *verterentur* B: *uterentur* A; sed crucis signo supra primam litteram posito vitium indicatur. — 6. *transacta* Rhenanus. — 10. *digredi* A B; em. Acidalius.

transgressus], ut *transisse* c. 15.

velut] cum abl. abs., ut H. IV. 70 *otium trahens velut parto imperio.* 71 *securi velut confecto bello.* *Velut* autem, sicut *tamquam*, causam significat in opinione militum positam, cur iure sibi videantur ad securitatem verti. H II. 8 *sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae, velut Nero adventaret.* Cf. Nipperd. ad Ann. VI. 11.

expeditione], eius aestatis.

occasionem], ut c. 14 extr. Ceterum eorum, quae de militibus et eorum quae de hostibus, brevissime illa quidem, dicuntur, non plane eadem ratio est. Milites enim securitati tunc ipsum se tradiderunt, hostes occasionem, si quando daretur, arrepturi erant. Coniuncta autem utraque prave intellegi non possunt.

Ordovicum], e regione Monae insulae.

agentem]. *Agere*, ubi de militibus sermo est, est 'castra habere'. H. II. 39 *copias trans Padum agentes.* I. 74. II. 63. Ann. II. 17.

obtriverat], ut H. IV. 76. Ann. XV. 11 *legionarios obtrivit.* Proprio sensu Ann. IV. 63 *quinquaginta hominum milia eo casu debilitata vel obtrita sunt*, et XVI. 5 *constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur, obtritos.*

eoque initio], e. q. s., i. e. eaque res initium fuit e. q. s. Cf. Ann. I. 16 *eo principio lascivire miles.* IV. 52 *quo initio invidiae non eiusdem ait* e. q. s. III. 32 *quod initium — nanctus.*

erecta], sc. est. De verbi significatione cf. H. II. 8 *inde late terror; multi ad celebritatem nominis erecti rerum novarum cupidine et odio praesentium.* III. 59 *erectus Samnis Paelignusque et Marsi aemulatione.* Ann. XIV. 57 *erectas Gallias ad nomen dictatorium.*

volentibus fuit], ut H. III. 43. Ann. I. 59 *ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat.*

ac — opperiri]. Ut probabant Ordovicum exemplum, ita, antequam ipsi quoque rebellarent, opperiendum esse putabant, dum sciretur, qualis esset recens legatus, erupturi, si segnem et imbellem cognovissent. Itaque eis, quae particula *ac* adiunguntur, priora coercentur quodam modo et corriguntur.

cum] sequitur infinitivos historicos, ut Ann. I. 11 *patres — in questus, lacrimas, vota effundi — ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit.* XI. 16.

transvecta]. H. II. 76 *abiit iam et transvectum est tempus.*

numeri], praesidia. H. I. 6 *multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico.* 87.

praesumpta], opinione. Id autem ipsum latet in praepositione; nam *apud militem* est 'animo militis'. H. I. 62 *fortunam principatus — praesumebat.* Ann. XI. 7 *ut aeternitatem famae spe praesumat.* Plin. ep. IV. 15, 11 *rerum, quas adsequi cupias, praesumptio ipsa iucunda est.*

tarda et contraria]. Similis est appositio H. IV. 19 *pretium itineris donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant.* Ann. XVI. 8 *ipsum dehinc Silanum increpuit isdem, quibus patruum eius Torquatum, tamquam disponeret iam imperii curas praeficeretque rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul et falsa.*

suspecta]. Regiones intellege. H. III. 69 *misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio.* Ann. III. 38 *pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur.*

potius], adiectivum intellege.

vexillis], ipsis illis numeris per provinciam sparsis. De vexillis copiose disputat Nipperdeius ad Ann. I. 17.

ante agmen], sc. incedens.

erexit aciem], ut c. 36 et H. III. 71 *erigunt aciem per adversum collem.* IV. 71 *equitum aciem in collem erigeret.*

prope universa], ut supra *prope universam obtriverat.*

famae], deletis Ordovicibus partae. H. V. 15 *Civilis instare fortunae.* Ann. XIII. 8 *ut famae instaret, quae in novis coeptis validissima est.* H. III. 52 *instandum coeptis.* IV. 78 *secutusque*

ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore, Monam insulam, *a* cuius possessione revocatum Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. sed, ut in subitis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis transvexit. depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui navis, qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. ita petita pace ac dedita insula clarus ac magnus haberi Agricola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. nec

1. *tenorem ceteris* Boot. — *Nomam* B. — *a* add. Bipontini. — 3. *potestate* B. — *subitis* J. Fr. Gronov: *dubiis* A B. — 4. *transvexit*] *tranuex* A; *tranare extra* B. — 5. *patrius* Puteolanus: *p̃rius* A; *prius* B; *proprius* Wex. — 9. *potita* B.

fortunam castra hostium eodem die capit excinditque.

prout prima] e. q. s. Similis est sententia generalis H. II. 20 *gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* Ann. XII. 31 *gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni.* Cf. H. III. 70 *cetera secundum eventum proelii cessura.* — At hoc loco posterior orationis pars longe discrepat a priore. Nam vel prospera vel adversa initia comparantur cum futuri temporis successu non vel prospero vel adverso, sed cum prospero. Itaque exorsus a generali sententia dein flexit orationem ad id ipsum, de quo disputabat, Agricolae expeditionem. — De neutris *prima — ceteris* cf. Ann. I. 9 *pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset.* IV. 12 *quia prima provenerant.* — Adde Ann. XIV. 23 *utendum recenti terrore ratus.*

possessione], occupatione. Derivandum enim est a verbo *possidĕre*, ut Ann. II. 5 *at si mare intretur, promptam ipsis possessionem.*

animo intendit], cum infinitivo, ut H. II. 12 *arcere provinciae finibus Othonianos intendit.* 22 *Cremonam petere intendit.* Ann. XI. 32 *ire obviam — haud segniter intendit.*

ut in subitis] e. q. s. Rursus a generali sententia necopinato deflectit ad id, de quo disputat. Plena enim haec est sententia: ‘sed, ut in subitis consiliis fieri solet, ut parum provisae sint res necessariae, ita tum quoque accidit; naves enim deerant’.

transvexit], ita, ut esset pro navibus.

auxiliarium], ut videtur, Batavorum, qui inter auxilia Agricolae erant (c. 36). Nam de nandi arte Batavorum prorsus similia refert H. IV. 12. Cf. II. 17. Ann. II. 8. XIV. 29. Adde carmen C. I. L. III. 1. 3676:

Ille ego Pannoniis quondam notissimus oris
Inter mille viros fortis primusque Batavos
Hadriano potui qui iudice vasta profundi
Aequora Danuvii cunctis transnare sub armis.

— Idem de Hadriano tradit Dio LXIX. 9.

quibus nota vada], qui propter patriae similem naturam flumina ac freta vadis transire sciebant.

seque et arma et equos], ut Ann. I. 4 *seque et domum et pacem.* XII. 51. H. I. 51. III. 68 aliisque locis. *Regunt* autem aptius est primo et tertio, quam secundo obiecto, quo nihil aliud significat, nisi Batavos non depositis armis transnasse.

ita], cum verbo coniungendum.

mare]. Haec vox quid sibi vellet, non intellegeremus, nisi praecederet *classem* et *naves.* Nimirum ea conplectitur, quaecumque ad mare traiciendum eiusque pericula vitanda parari solent. Britanniam enim et Monam insulas non amnis interfluebat, sed mare, quod nando transiri posse barbari non suspicabantur.

arduum]. De huius adiectivi apud Tacitum usu cf. Heraeum ad H. II. 76.

petita — insula]. Hi ablativi absoluti de barbaris, quod sequitur verbum finitum de Romano duce dicitur, ut H. IV. 50 *unde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant.*

clarus ac magnus haberi]. Aptius est verbum posteriori adiectivo, quam priori. Praeivit tamen Sallustius Cat. 53, 1 *Cato clarus atque magnus habetur.* Jug. 92, 1.

quippe cui]. Hoc uno loco apud Tacitum invenitur *quippe qui*, at undecies *ut qui.*

ingredienti], ut *revertentem* c. 9 in.

officiorum], ut c. 40. Cf. H. I. 74. H. V. 1 *comitate et adloquiis officia provocans.* Ann. I. 24 (cf. Nipperd.). II. 1 *cuncta venerantium officia.*

transigunt]. Germ. 15 *plus per otium transigunt.*

labor et periculum]. H. II. 69 *pericula — ac labor.*

nec] et ad participium et ad verbum finitum referendum est. Cf. Ann. III. 11 *haud alias intentior populus plus sibi in principem occultae vocis — permisit.*

vanitatem], quam supra dixit *ostentationem.* Cf. Cic. de off. I. 14, 44 *videre etiam licet plerosque — facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est coniunctior quam — honestati.*

Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse; ne laureatis quidem gesta prosecutus est, sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus quanta futuri spe tam magna tacuisset. (19) ceterum animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. a se suisque orsus primum domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est quam provinciam regere. nihil per libertos servosque publicae rei, non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidissimum putare. omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem

2. *ne* A: *nec* B. — 5. *exempla experimenta* A; sed illud expunx. m. 1. — 6. *incuriae* A B; em. Puteolanus. — *exscindere* Aldus. — 7. *primam* A. — 8. *liberos* A B; em. Puteolanus. — 9. *privatius* B; *privatis* A, quod in *privatius* mutavit m. 1, — 10. *militesve ascire* Wex: *milites nescire* A B.

victos continuisse]. Mira hoc quoque loco brevitas orationis; nam his verbis continetur id nomen, quod Agricola ipse, qua erat modestia, ei rei imposuit, quam nec expeditionem nec victoriam vocari voluit. Plena si esset sententia, verbi *vocabat* obiectum esset res ipsa ab Agricola gesta, non ipsius de re a se gesta iudicium. Itaque: 'Nec Agricola, inquit, — victoriam vocabat rem a se gestam, sed victos continuisse'.

laureatis]. H. III. 77 de L. Vitellio: *ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit.* Plin. n. h. XV. 30, 133 *laurus — Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris.*

aestimantibus]. Est ablativus absolutus incerto subiecto, de cuius usu Nipperdeius ad Ann. I. 29. Ratione, inquit, quasi inita, qui in urbe erant, ex silentio eius colligebant, quanta sibi proposuisset.

quanta futuri spe]. Hic ablativus modi praedicatum ac summam sententiae continet. Est enim: 'quanta futuro tempore consecuturum se esse is speraret, qui tam magna tacuisset'. Exempla haud rara. Ann. I. 18 *leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis.* H. IV. 18 *ut proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret.* II. 46 *maiore animo tolerari adversa quam relinqui.*

tam magna]. Maiorem hoc habet vim ac gravitatem quam *tanta*. Dial. 1 *tam magnae quaestionis pondus excipere.*

C. 19.

animorum provinciae], ut H. I. 26 *legionum — et auxiliorum — mentes.* 29 *placuit pertemptari animum cohortis.*

experimenta]. Ann. XII. 14 *quia experimentis cognitum est barbaros malle Roma petere reges quam habere.*

si iniuriae sequerentur]. Cf. c. 13 in.: *si iniuriae absint.*

excidere], tamquam ulcera.

a se suisque orsus], ut H. IV. 14 *a laude gloriaque gentis orsus.* Cf. Heraeum.

haud minus arduum], et propter ipsorum luxuriam et propter libertorum artes et infinitas cupiditates.

nihil] e. q. s. De ellipsi verbi agendi cf., quae adnotavimus ad c. 5 *licenter* et Cic. Phil. I. 2, 5 de Antonio: *nihil per senatum, multă et magna per populum, et absente populo et invito.* ad Att. VI. 2, 5 *nihil per cubicularium.* De libertorum servorumque in provinciis licentia cf. H. IV. 14.

publicae rei], ut Germ. 13 *nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.*

studiis privatis]. Latius patet haec vox quam quae secuntur. Nam *studiis privatis* et commendationes precesque alienae, et ipsius, qui commendabatur, opera continentur.

ascire], sc. in domum suam (nam de ea sermo est) ad munera aliqua fungenda, quae ad administrationem provinciae pertinebant.

fidissimum], maxime dignum, cui fideret. Idem superlativus c. 14.

exsequi], persequi, punire. Liv. III. 25, 8 *deorum hominumque simul violata iura exsequemur.* Suet. Jul. 67 *delicta neque observabat omnia neque — exsequebatur.*

commodare]. Hoc verbum etiam de rebus incommodis usurpari exemplis demonstravit Walther, ut Ov. Am. I. 8, 86 *commodat illusis numina surda Venus.* Stat. Theb. IV. 75 *cui commodat iras Cuncta cohors.*

contentus esse]. Inde ad priorem ablativum assumendum est *uti*. Ex similium zeugmatum numero, quae plurima Peterus collegit in editione, huic loco maxime accommodatum est, quod legitur Ann. II. 20 *quod arduum, sibi* (sc. sumpsit), *cetera legatis permisit.*

officiis], muneribus. Cf. c. 14.

non peccaturos], eos, quos propter probitatem spes erat non peccaturos. Ceterum cf. Ann. III. 69 *nam a legibus delicta puniri: quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri, ne peccaretur?*

cum peccassent]. Coniunctivus rem identidem factam significat, ut apud priores indicativus. H. I. 10 *nimiae voluptates, cum vacaret; quotiens*

commodare; nec poena semper, sed saepius paenitentia contentus esse; officiis et administrationibus potius non peccaturos praeponere, quam damnare cum peccassent. frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta auctiore pretio cogebantur; devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates proximis hibernis in remota et avia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret. (20) haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. sed ubi aestas advenit, contracto exer-

1. *accommodare* Ritter. — 3. *exactionem* B et A marg.: *auctionem* A; *auctiones* B marg. — *inaequalitate* A B; em. Puteolanus. — 4. *circumcisisque quae* Henrichsen. — 6. *auctiore* (vel *acriore*) Urlichs: *ac ludere* A B, quae corrupta esse indicat signum in marg. A; *ac luere* Wex; *ac recludere* Hutter; *ac liceri* Heraeus; *agri cultores* vel *agricolae* Classen. — *diuortia* A B; em. Lipsius. — 7. *indicebantur* Ritter. — *proximae* Ritter.

expedierat, magnae virtutes. Plura exempla Heraeus huic loco adscripsit.

aequalitate]. Constituit non solum pro opibus cuiusque civitatis, quantum quaeque daret, sed etiam, id quod ex eis patet, quae secuntur, quae civitates propter inopiam frumenti pro eo pecuniam darent.

per ludibrium]. Ann. I. 10 *consulti per ludibrium pontifices.* 20 *per ludibrium rogitantes.* II. 17 *quidam turpi fuga in summa arborum enisi — per ludibrium figebantur.* — Ad intellegenda autem ea, quae secuntur de provincialium vexationibus, tenendum est priore enuntiato (*namque — cogebantur*) de eis esse sermonem, qui frumenti loco pecuniam adferebant, in posteriore (*devortia — fieret*) de eis, qui ipsum frumentum adferebant vel adlaturi erant.

horreis], publicis. Assidendo autem tandem cogebantur subire acerbam illam condicionem, quae sequentibus significatur.

ultro]. Pecunia, quam adferebant, non solum accepta non est, sed etiam ex ipsis horreis Romanis frumentum, quod deferendum erat, auctiore insuper pretio emere cogebantur, tamquam officium eis praestaretur praemio dignum.

devortia]. Vetus haec ars. Cic. in Verr. II. 3, 82, 190 *avariores magistratus — instituerunt semper in ultima ac difficillima ad portandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestimationem pervenirent.*

longinquitas regionum], i. e. longinquae regiones. Substantivi usus auget rei vim et gravitatem. Ann. XIV. 20 *spectaculorum quidem antiquitas servaretur*, i. e. spectacula antiqua.

ut] e. q. s. Hoc enuntiatum, quo explicantur nominativi, qui praecedunt, item pendet a verbo *indicebatur.*

proximis hibernis], i. e. quamquam proxima erant hiberna.

donec]. Inest notio consilii illorum praedatorum, qui tandem eo perveniebant, quo variis artibus usi pertinaciter tetenderant. Similiter de militibus a centurionibus vexatis H. I, 46 *locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret.*

quod], i. e. frumenti collatio sive pecuniae, quae a quibusdam loco eius dabatur.

omnibus in promptu erat], nec deferentibus nec accipientibus ullam praebebat difficultatem.

C. 20.

famam — circumdedit], ut H. IV. 11. Dial. 37.

intolerantia]. Hoc vitium eius est, qui tolerare nequit. Itaque ubi eis tribuitur, qui in magnis imperiis sunt, significat hominem parum validum aut firmum adversus eas illecebras, quibus abundat magna fortuna. Est igitur superbia, insolentia, fastus. Accurate ac copiose de hoc vocabulo disputavit Nipperdeius ad Ann. III. 45.

aestas], alterius anni (79). Nam c. 22 de tertio anno loqui incipit.

multus in agmine]. Cf. c. 37 *frequens ubique Agricola.* Ann. XIII. 35 *ipse* (Corbulo) — *in agmine, in laboribus frequens adesse.* II. 57 *rarus in tribunali Caesaris Piso.* Sall. Jug. 84, 1 (Marius) *multus atque ferox instare.* 96, 3 (Sulla) *in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse;* quod ipsum verbum hic supplendum. Flor. IV. 2, 52 *multus in eo proelio Caesar fuit.*

modestiam], quae in re militari opponitur *discordiae*, de qua c. 16.

disiectos], qui ab ordinibus suis discesserant. H. III. 22. Ann. VI. 44.

loca — capere]. Idem de Vespasiano refert H. II. 5.

interim], eodem tempore. Eis enim, quae apud suos faciebat Agricola, additur, qualem eodem tempore adversus hostes se praestiterit.

quominus] e. q. s. *Quominus* apud Tacitum haud raro post negativas sententias ita ponitur, ut prorsus idem valeat, quod *quin.* Nec mirum; nam utriusque vocis et origo et principalis significatio similis est. De promiscuo horum vocabulorum usu cf. Heraeum ad H. II. 45 et Nipperd. ad Ann. I. 21 Neque solum eis locis *quominus* ponitur, ubi

citu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coercere; loca castris ipse capere, aestuaria ac silvas ipse praetemptare; et nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis ostentare. quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae et tanta ratione curaque *habitae*, ut nulla ante Britanniae nova pars *pariter* illacessita transierit.

(21) Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. namque ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles quieti et otio per voluptates adsuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa fora domos extruerent, laudando promptos et castigando segnes. ita

1. *multum* B; in A *multus* in *multum* mutavit m. 1. — 3. *hostis* B. — *popularet* B. — 4. *invitamenta* Lipsius: *irritamenta* B; *incitamenta* A, quod m. 1 effecit ex *inrit*. — 6. *et tanta*] *tanta* Rhenanus; *sunt, tanta* Dronke. — 7. *habitae* add. Ritter. — *pariter* add. Weissenborn; *sic* aut *ita* Ernesti; *perinde* Ritter; *tam* Urlichs (*pars. Illacessita transiit sequens hiems* Susius). — 9. *saluberrimus* B. — *adsumpta* A B; em. Rhenanus. — 10. *bella* Bosius: *bello* A B.

summa sententiae in eis est, quae hoc ipsum vocabulum secuntur, sed etiam, ubi ea quae antecedunt, plenam per se ipsa habent sententiam. His igitur locis illud enuntiatum, quod a vocabulo *quominus* incipit, additur, ut affirmativa sententia accuratius definiantur ea quae praecedunt. Sic et hoc loco et c. 27 *nihil ex arrogantia remittere, quominus* e. q. s. H. III. 41 *Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quominus rapere inlicitas voluptates — crederetur.* H. IV. 28 *nec quievere Ubii, quominus* e. q. s. Similis est usus vocis *quin* iam apud priores, velut Caes. b. G. VII. 11, 8 *perpaucis ex hostium numero desideratis, quin cuncti vivi caperentur.* — Ceterum hoc loco imitatus est Sallustium, cuius haec sunt verba de Mario Jug. 88, 2: *nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati;* nam utrumque Tacitus etiam in Agricola laudat. Cf. Jug. 66, 1.

popularetur]. Obiectum huius verbi latet in eo, quod praecedit: *nihil.*

rursus]. Hoc vocabulo opponuntur inter se duae rationes, quarum altera alteri contraria est. H. I. 1 *libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes* (cf. Heraeum). Ann. I. 80 *neque enim eminentes virtutes sectabatur et rursum vitia oderat.*

in illum diem], quo Agricola advenit.

ex aequo egerant], liberae fuerant. H. IV. 64 *sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperabitis.* Cf. Heraeum ad II. 77.

habitae]. Id optime inseruit Ritterus. Ann. XIV. 59 *sibi incolumitatem rei publicae magna cura haberi.* XI 8 *minora sine cura haberi.* H. I. 79.

nova pars], primum a Romanis occupata veterique provinciae addita.

illacessita], armis. Germ. 36 *Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt.* Agricola, inquit, rariore armorum usu barbaras gentes domuit, quam priores.

transierit], sc. in dicionem Romanam. Est hoc loco eadem verbi vis, qua dicitur: 'transire in dominum alicuius' (Ann. XII. 26. Cf. H. II. 92) vel 'transire in civitatem' (Ann. XI. 24).

C. 21.

absumpta]. Etiam H. II. 21 *nox parandis operibus absumpta* in codice est *assumpta.*

dispersi], ut Germani, puto, separatis inter se sedibus plerumque habitantes (Germ. 16).

privatim], singulos; *publice*, civitates. Cf. Cic. in Verr. II. 3, 27, 66 *privatim hoc modo: quid publice? civitates tractatae quemadmodum sunt?* Caes. b. civ. II. 21 *privatim ac publice quibusdam civitatibus habitis honoribus.* Cf. Heraeum ad H. I. 51. Nipperdeium ad Ann. IV. 36. De re cf. H. III. 34 *reposita fora templaque* (Cremonae) *magnificentia municipum; et Vespasianus hortabatur.*

laudando promptos et castigando segnes], ut H. II. 48 *laudando pietatem eius, castigando formidinem.*

honoris]; nam se quisque ab Agricola laudari cupiebat.

pro necessitate erat], non minora effecit, quam necessitas, qua vulgo utuntur.

ingenia — anteferre], pluris se aestimare dictitabat. Ceterum non ita comparantur inter se ingenia Britannorum et studia Gallorum, ut illi plus ingenii vi ac natura, quam hi discendi assiduidate adipisci dicantur; immo comparantur inter se ingenia Britannorum et ingenia Gallorum, quae quidem cernuntur in studiis, i. e. in exercendis artibus liberalibus. Quodsi scripsisset: *et ingenia Britannorum Gallis anteferre,* nemo offenderet; nec vero valde differt, quod scripsit; *studiis* enim, quod, etsi posteriori membro adiunctum est, tamen pertinet ad utrumque, ob eam tantum causam addidit, ut significaret, ex utrorumque studiis, in quibus et Britannorum et Gallorum ingenia exercerentur, posse intellegi illorum sollertiora esse ingenia. Quod autem per particulam *ut*, quae consecutivam habet vim, adiungitur, id non potest effectum esse illo Agricolae iudicio, sed ipsa re, de qua Agricola recte iudicabat, id est ingeniorum Britannorum praestantia.

honoris aemulatio pro necessitate erat. iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor et frequens toga; paulatimque descensum ad delenimenta vitiorum, porticus et balinea et conviviorum elegantiam. idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

(22) Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Tanaum (aestuario nomen est) nationibus. qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. adnotabant periti non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse;

1. *emulato* B. — 5. *descensum* Pichena: *discessum* A B. — *delinimenta* A; *deliniamenta* B. — *balnea* A; sed *i* suprascr. m. 1; *balneas* B; *balineas* Ritter. — 8. *gentis* B. — 9. *Tanaum* A B (*taum* et *Taus, sive Tanaus* in marg. A); *Tavum* Glück, *Tavam* Nipperdey. — 11. *castellis*] *telis* A in marg. a m. 1.

habitus nostri honor], sc. in usu esse coepit. *Honor* enim est 'decora species', ut Germ. 5 *ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis.* Genetivus autem id significat, quod praebet illam speciem. De voce *habitus* cf. Germ. 17 *neque alius feminis quam viris habitus.* 45 *quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior.* Liv. XXIX. 17, 11 *in hoc legato vestro — nec hominis quicquam est, — neque Romani civis, praeter habitum vestitumque.* Verba *et frequens toga* explicandi gratia adscripta usitatiore et humiliore genere dicendi idem significant, quod quae praecedunt. Ceterum cf. Germ. 13 *haec apud illos t o g a, hic primus iuventae h o n o s* (sc. scuto frameaque ornari).

delenimenta vitiorum]. c. 16 *ignoscere vitiis blandientibus.* Ann. XV. 48 *in tanta vitiorum dulcedine.* Mollem et delicatam vitam intellege.

balinea]. Quantum mutati ab illis, ad quos B[illegible]ndicca orationem habuit. Dio LXII. 6 εἴγε καὶ ἄνδρας χρὴ καλεῖν ἀνθρώπους ὕδατι θερμῷ λουομένους.

idque]. De neglecta attractione pronominis, quae item neglecta est c. 48, cf. Nipperdeium ad Ann. I. 49.

apud imperitos], i. e. in sermonibus imperitorum, ut c. 22 *apud quosdam — narrabatur.* Ann. I. 9 *apud prudentes vita eius varie extollebatur.*

humanitas]. Cf. Caes. b. G. I. 1, 3 *horum omnium fortissimi sunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate provinciae longissime absunt.*

pars], idem fere quod documentum. H. II. 47 *plura de extremis loqui pars ignaviae est.* III. 46 *quem* (exercitum) *spargi per provincias et externo bello inligari pars consilii pacisque erat.* IV. 86 *sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur.* — Ad totam sententiam cf. H. IV. 64 *abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.* Germ. 23 *haud minus facile vitiis quam armis vincentur.*

C. 22.

annus]. De forma dicendi cf. c. 7 in., praeterea Ann. I. 54. IV. 14. 15. 28. VI. 45. XIV. 41.

novas], ut c. 20 extr.

aperuit], ut Germ. 1 *nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum aperuit.* H. II. 17 *aperuerat iam Italiam bellum.*

vastatis]. *Vastari* ad populos quoque transfertur. Cf. H. II. 87 *ipsi cultores arvaque maturis iam frugibus ut hostile solum vastabantur.* Ceteros locos huic adscripsit Heraeus.

Tanaum]. Eius situs ignoratur.

qua formidine]. Est eadem dicendi forma, de qua supra diximus ad c. 18 *eoque initio erecta provincia.* Similiora exempla permulta sunt, velut Caes. b. G. VII. 26, 5 *quo timore* (i. e. cuius rei timore) *perterriti Galli.*

conflictatum]. Similiter: *adversis* (A. VI. 22), *accusatione* (XIII. 33), *crimine* (XIV. 50), *periculis* (XV. 50) *conflictari.*

saevis]. Similiter: *saeva hiems* (A. IV. 51. XIII. 35. cf. H. IV. 38), *imbres saevi* (A. I. 30), *saeva ventorum* (A. IV. 67).

spatium]. A. I. 35 *spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.*

adnotabant periti]. Simillime Ann. XII. 25. H. III. 37. *Adnotabant seniores* Ann. XIII. 3.

non alium]. Cf. *non sane alias* c. 5.

opportunitates]. De hoc substantivo idem indicandum est, quod diximus de voce *longinquitas* c. 19.

locorum], ubi castella poneret.

nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. ita intrepida ibi hiems, crebrae eruptiones et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio seu praefectus incorruptum facti testem habebat. apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, et erat ut comis bonis, ita adversus malos iniucundus. ceterum ex iracundia nihil supererat secretum, ut silentium eius non timeres; honestius putabat offendere quam odisse.

(23) Quarta aestas obtinendis quae percucurrerat insumpta; ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa

2. *aut fuga* B. — *moras eruptionis obsidionis* A; sed *eruptionis* expunx. m. 1. — 3. *crebrae eruptiones* huc transposuit Halm; libri post *desertum* (v. 2) habent; eadem verba suspecta visa sunt Wexio. — 4. *desperationibus* A B. — *soluti* A; sed corr. suprascr. *i* m. 1. — 6. *auidius* B; *lividus* Haupt. — 8. *conuiuiis* A B, sed in A corr. m. 1 suprascr. *c*. — *et erat ut* Henrichsen: *ut erat* A B. — 9. *iniocundus* A. — *supererat secretum, ut* Döderlein; *secretum* [*vel silentium*] *eius* Nipperdey; pro *ut* Fr. Jacob *vel*, Puteolanus *et*, Haase *aut*, Woelfflin *ac*. — 11. *percurrerat* B. — 12. *gloria* om. B.

pactione ac fuga]. Mallem scripsisset *pactione vel fuga*. Quamquam videntur pactio ac fuga tamquam similes inter se et quasi unam efficientes notionem opponi expugnationi vi factae. Ita tamen inter se differunt fuga et pactio, ut illa latius pateat, quippe cui aut antecedat pactio aut non antecedat. H. I. 41 *desertum fuga populi forum*.

adversus]. H. V. 12 *inde cuncta quamvis longum adversus obsidium*. IV. 22 *ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quae adversus necessitates in longum suffecissent*.

copiis], eis quae ad vitam sustentandam necessaria sunt. Sic etiam H. IV. 22. Germ. 30. Agr. 25 *mixti copiis et laetitia*. Ann XIII. 53. XV. 5. 16.

intrepida — hiems], eadem imagine qua c. 30 *ac ne mare quidem securum*.

ibi], in illis regionibus, quas Agricola castellis firmaverat.

quisque], i. e. eorum, qui singulis castellis a duce praefecti erant.

irritis], H. IV. 32 *ille ut irritus legationis rediit*. Ann. I. 59 *irritusque discesserit — Augustus*. III. 21 *inritum fessumque Romanum*. XV. 7 *legati — revertere inriti*. 25 *igitur inriti remittuntur*. XIV. 7 *ne inriti dissuaderent*.

aestatis — hibernis]. Genetivo varietatis causa opponitur adiectivum, ut Ann. XIV. 40 *eodem anno Romae insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia, admissa sunt*. Similis nominum propriorum varietatis exempla collegit Nipperdeius ad Ann. II. 8.

eventibus], ut c. 27 *prompti post eventum* de rebus prosperis. Alia exempla v. apud Nipperdeium ad Ann. II. 26 et Heraeum ad H. V. 10.

pensare], ut H. III. 26. IV. 72 *rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur*. 74. Ann. II. 26 *quod adversa maris expeditione prospera pensavisset*.

iuxta], pariter, ut Ann. XII. 17 *amnesque et urbes iuxta perrumperentur* aliisque locis. — Ceterum similia de Junii Blaesi hibernis in Africa expeditionibus narrat Ann. III. 75.

seu] c. q. s. His verbis explicatur, quod praecedit, *umquam*.

praefectus], cohortium auxiliarium.

et erat]. Confirmat Tacitus, quae de moribus soceri narrabantur. Cf. c. 10 *et est ea facies citra Caledoniam*. Ann. II. 57 *et erat, ut rettuli, clementior*.

comis bonis], ut *paenitentiae mitior* c. 16. Huius dativi, in cuius locum in altero membro substituit praepositionem *adversus*, ut H. I. 35 *minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus*, exempla collegit Nipperdeius ad Ann. XI. 21, quibus addendum Ann. XIV. 28 *immitis iis, qui latebras insederant*. XV. 12 *se nisi victoribus immitem esse*.

iniucundus], ut Horat. Sat. I. 3, 85 *insuavis, acerbus*. Cic. ad Att. I. 20, 1 *asperius et iniucundius*.

secretum], ut c. 39 *secreto suo satiatus*, quale erat Domitiani et fuerat Tiberii. Cf. Nipperdeium ad Ann. III. 37. De *ut* particula cum coniunctivo potentiali iuncta cf. c. 12 *ut — internoscas*.

non timeres]. H. II. 62 *avaritiam non timeres*.

C. 23.

insumpta]. *Insumere* c. dat. iam Dial. 9 in. legitur, cum dativo gerundivi saepius in Annalibus (II. 53. III. 1. XVI. 23).

pateretur]; nam ne tum quidem patiebatur, cum Tacitus haec scribebat.

inventus], sc. erat.

ipsa] auget praepositionis vim, ut sit: 'intra

Britannia terminus. namque Clota et Bodotria diversi maris aestibus per inmensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur: quod tum praesidiis firmabatur atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

(24) Quinto expeditionum anno in Clotae proxima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit; eamque partem Britanniae quae Hiberniam aspicit copiis instruxit, in spem magis quam ob formidinem, si quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia

3. *sinus sinus* A; alterum expunx. m. 1. — 5. *in Clotae proxima* Nipperdey: *naue prima* A B; *navi in proxima* Rigler et Wex; *maritima* Urlichs; *vere primo* Becker. — 6. *gentis* B. — 7. *intruxit* A; corr. m. 1. — 8. *ob*] *in* B.

Britanniam, non in extrema insula, sed aliquanto citra finem'.

Clota et Bodotria], *frith of Clyde* et *frith of Forth*. Illa Hibernico, haec septentrionali mari miscetur.

diversi], ut c. 11 *in diversa*. Nam mare Hibernicum et septentrionale per illa aestuaria inter se quasi occursant.

per immensum] cf. c. 10 *immensum et enorme spatium*, et Ann. XV. 40 *prorutis per immensum aedificiis*. VI. 19 *iacuit immensa strages*; cf. Nipperd. Germ. 6 *in immensum vibrant*.

revectae], sc. in terram. Solent enim flumina per aestuaria mare petere.

propior], sc. Romanis, i. e. citra angustum illud terrarum spatium situs.

sinus] est flexus terrarum, qui efficitur litoribus curvatis et longe in mare procurrentibus. Germ. 37 *eundem Germaniae sinum proximi Oceano Cimbri tenent*. 1 *cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum immensa spatia complectens* (cf. Kritzium). Atque cum simus omnes, qui sunt prope oram maritimam, occupatos esse dicit, per se intellegi ostendit, etiam interiora esse occupata.

C. 24.

in Clotae proxima]. Sic optime Nipperdeius; nam nec significatio loci deesse potest et quae secuntur docent Agricolam ultra terminum illum, qui efficitur Clota et Bodotria et angusto inter utramque terrarum spatio praesidiis firmato, progressum esse ad id litus versus, quod Hiberniam aspicit, i. e. in eam regionem, quae septentrionali Clotae litori proxima est De forma dicendi cf. H. III. 27 *proxima Bedriacensi viae tertiani — sumpsere*. V. 16 *propiora flumini Transrhenani tenuere*. Ann. IV. 65 *per plana etiam ac foro propinqua habitavisse*. 74 *in urbem aut propinqua urbi degressi sunt*. VI. 36 *in longinqua et contermina Scythiae fugam maturavit*. XVI. 13 *pertulitque violentiam ad vicina urbi*.

ignotas ad id tempus gentes], in ora Scotiae occidentali. Ceterum cf. c. 10 *incognitas ad id tempus insulas*.

aspicit]. Germ. 5 *qua Noricum ac Pannoniam aspicit*. Ann. XII. 32 *haud procul mari, quod Hiberniam insulam aspectat*.

in spem], ipsam Hiberniam posse occupari et eius insulae possessionem aliquando utilem fore imperio Romano. De forma dicendi cf. Nipperd. ad Ann. XIV. 68. *ob formidinem*, non quod metueret, ne Hiberni freto traiecto Britannis auxilio venirent ipsumque aggrederentur. Cf. c. 5 *in iactationem — ob formidinem* et H. IV. 42 *accusationem subisse — in spem potentiae videbatur*. Ann. XIV. 63 *in spem sociandae classis corruptum*.

si quidem]. Suum ipse iudicium hoc enuntiato scriptor profert. Ceterum haec causalis particula praeter hunc locum non invenitur apud Tacitum, nisi Germ. 30.

medio]. Huius ablativi loci exempla collegerunt Heraeus ad H. I. 68 et Nipperdeius ad Ann. II. 52. Similis est ablativus *aequo* c. 35.

opportuna], quae a Gallico mari facile aditur. Ann. III. 38 *insula neque Macedoniae neque Thraciae opportuna*. XII. 62 *quando ea loca insiderent, quae transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent*.

valentissimam imperii partem. H. III. 53 *Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem*.

magnis in vicem usibus], i. e. mutuis usibus. H. I. 65 *multae in vicem clades*. IV. 37 *magnis in vicem cladibus*. Germ. 37 *multa in vicem damna*. Cf. c. 16 in.

miscuerit], ubi domita erit. Est enim futurum exactum (quod primus cognovit Peterus), quod significat, qui status rerum futurus sit, ubi domita sit Britannia. Nam coniunctivo potentiali, in quo inest praesentis temporis significatio, nullus hic est locus.

angustius]. Nihil supplendum.

differunt; [in melius] aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. saepe ex eo audivi legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse; idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

(25) Ceterum aestate qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostibus exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit, quae ab Agricola primum adsumpta in partem virium sequebatur egregia specie, cum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac

1. *differunt* Rhenanus: *differt* A B; — [*in melius*] Wex (*differunt; interiora parum, melius aditus* Halm). — *per*] *et* B. — 7. *incohabat* A; *cohabat* B. — *amplexurus* Peerlkamp. — 9. *hostibus* Becker: *hostilis* A B (*hostili exercitu* Rhenanus; [*hostilis exercitus*] Selling; [*hostilis*] *exercitus* Urlichs). — *timebant* A B; em. Puteolanus. — 11. *spe* B; *species* Muetzell; idem Wezel, qui totum locum sic scribit: *egregia species, cum . . . impellitur! Ac saepe . . . . attollere, ut modo . . . . compararentur.* — *impelleretur* Rhenanus: *impellitur* A B.

a Britannia]. Est brevior illa comparationis forma, de qua diximus ad c. 12 *ultra nostri orbis mensuram.*

per commercia] ut c. 28 et Germ. 24 *servos — per commercia tradunt.* De copulatione vocabulorum, quorum alterum abstractum, alterum concretum est, v. Nipperdeium ad Ann. XII. 22 *crimina et accusatorem* et XIII. 42 *testamenta et orbos.*

expulsum seditione domestica], ut H. IV. 12 *Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi — insulam — occupavere.*

exceperat], comprehenderat.

in occasionem], ut eo uteretur, si quando daretur occasio insulae invadendae. H. I. 80 *in occasionem praedarum.* II. 7 *arma in occasionem distulere.*

ex eo], ex Agricola. Nec magis mirus hoc loco pronominis usus, quam c. 7 *initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is* (Mucianus) *missum* e. q. s. Et extrema huius capitis verba nisi Agricolae ipsi tribuuntur, inepta sunt.

debellari]. *Debellare* cum obiecto coniungitur etiam c. 34 *quos — debellastis* et Ann. II. 22 *debellatis inter Rhenum Albimque nationibus;* absolute ponitur c. 26 *debellatum — foret.*

arma], sc. *essent.* Sequitur enim coniunctivus ab eadem particula pendens. Cf. Nipperdeium ad Ann. I. 7.

C. 25.

Ceterum]. Redit ad cursum rerum enarrandum; ut H. IV. 6 eadem particula adnectit orationem eis, quae c. 4 rettulerat.

annum inchoabat], ut H. I. 11 extr. Media autem aestate (c. 18) in Britanniam transierat.

amplexus], non bello aut victoria, ut est c. 17, sed animo; nam hoc quidem loco de consilio Agricolae loquitur, qui has quoque omnes civitates occupare et subicere imperio Romano statuit.

ultra], sc. Bodotriam. Est pro adiectivo.

infesta hostibus]. 'Infestus aliquo' est id, cui periculum adfertur ab aliquo.

timebantur]. Nominativi, qui praecedunt, sunt pro enuntiato particula *ne* adnexo ('ne — gentes moverentur et exercitui iter facienti ab hostibus insidiae ponerentur'), ut H. I. 26 *ni incerta noctis — nec facilem inter temulentos consensum timuissent* (i. e. 'ne facilis non esset inter temulentos consensus'). — Haec causa fuit, cur adhibita classe portus exploraret, quo barbaris iniceret timorem, ne, egressis in terram classiariis, a tergo peterentur.

impelleretur], promoveretur (in ulteriora).

iisdem castris], ablativus loci, ut H. I. 55 *isdem hibernis tendentes.* II 45 *isdem tentoriis.* Ann. I. 31 *isdem aestivis* (at 37 *isdem in aestivis*). XIV. 38 *novis hibernaculis locatae.* Plura ac similia collegit Heraeus ad H. I. 55.

pedes equesque et nauticus miles]. *Que* ea, quae unius generis sunt, conectit; *et* novum addit. C. 24 *solum caelumque et ingenia cultusque hominum.*

mixti]. Transfertur *misceri* ab eis, quae miscentur inter se, ad eos, a quibus vel in quibus illa miscentur. Exempla collegi ad c. 4.

copiis et laetitia]. Haud raro apud latinos scriptores posterioris aetatis res diversi generis una comprehensione copulantur. c. 37 *nox et satietas.* H. III. 22 *disiecti per iram ac tenebras.* I. 54 *per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur.* Liv. XXIII. 19, 9 *intentis omnibus in flumen ac spem ab nuntio Romano factam.*

attollerent]. Cf. H. II. 21 *hinc legionum —, inde — praetoriarum cohortium decus attollentium.*

silvarum ac montium profunda]. De forma dicendi cf. *obstantia silvarum* Ann I. 50, *inculta montium* 17, *prominentia montium* II. 16, *occulta saltuum* I. 61, *subiecta vallium* 65. Cf. Nipperdeium ad III. 85. *Profunda montium* sunt *abditi saltus*, unde insidiae timeri solent.

saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis et laetitia sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur. ad manus et arma conversi Calidoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnare ultro castella adorti metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant, cum interim cognoscit hostis pluribus agminibus irrupturos. ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur,

1. *misti* B. — 7. *incolentis* A B. — 8. *oppugnare* Rhenanus: *oppugnasse* A B. — 9. *castella* A B; sed in A litterae *a* suprascr. *um* m. 1. — 11. *prudentium* A corr. e *prudentiae* m. 1. — 12. *iruptoros* A; sed *o* in *v* correxit m. 1. — *circumirentur* Lipsius.

Quae autem hoc loco verbis *silvarum — profunda* accuratius significantur, ea infra vocabulo *terra* brevissime repetuntur. Eadem est ratio inter verba *tempestatum — adversa* (cf. *adversus Oceanus* Germ. 2) et *Oceanus*. Deinde terrestri exercitui duo tribuuntur quasi hostes, classi unus; *victus* denique, etsi Oceano soli adiungitur, tamen etiam ad *terram et hostem* referendum est. Cf. *pronum magisque in aperto* c. 1.

militari iactantia]. Unus hic est ex permultis eis locis, unde Tacitum vulgi et gregariorum militum animos, mores, sermones noscendi et tradendi studiosissimum fuisse apparet.

Britannos quoque]. At milites Romani non obstupefacti sunt aspectu classis, sed elati animis. Est igitur eadem hoc loco brevitas orationis, de qua diximus ad c. 12 *gignit et Oceanus margarita*. Nam plena sententia est: 'Britannorum quoque animos — visa classis movit; nam obstupefacti sunt, tamquam' c. q. s.

tamquam — clauderetur], i. e., rati — claudi, ut c. 16 *tamquam exorabilior*. Argute inter se opposuit *aperto — clauderetur* (quod est 'eriperetur'). Cf. H. I. 65 *uno amne discretis conexum odium*.

ad manus et arma], ut c. 33, cf. 36 *manus et mucrones*. In priore voce inest generalis, in posteriore propria rei, de qua dicitur, significatio. Simillima exempla permulta sunt. H. II. 88 *ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent*. III. 10 *a conviciis et probris ad tela et manus transibant*. 20 *armis ac manu* (opp. *ratione et consilio*). 58 *non — nuntiis neque epistulis, sed manu et armis*. Ann. XIV. 62 *nec manu aut telo opus: fateretur Octaviae adulterium*. XVI. 26 *qui — manus ictusque — ausuri sint*. Liv. XXV. 6, 21 *tamquam nec manus nec arma habeamus*.

paratu]. Huius vocabuli exempla collegit Heraeus ad H. II. 84 *navium militum armorum paratu*. 95 *ingenti paratu et ante illum diem insolito*.

de ignotis]. Plena sententia haec est: *uti mos est, ut de ignotis maior sit fama quam pro paratu*. c. 30 *omne ignotum pro magnifico est*.

ultro] ut c. 26, de eo dicitur, qui ultra eum terminum progreditur, citra quem eum substiturum esse sperabatur. De huius vocis apud Tacitum usu uberrime disputavit Heraeus ad H. I. 7.

castella], ea nimirum, quae Agricola in civitatibus trans Bodotriam sitis hac ipsa aestate posuerat. Quod factum esse referre Tacitus supersedit, ratus scilicet, id ex ipso rerum ordine posse colligi.

ut provocantes]; neque enim quisquam impetum a barbaris factum iri suspicatus erat. Idem supra vocabulo *ultro* significaverat.

excedendum]. Mallem scripsisset *cedendum*. Nunc supplendum est 'ex civitatibus nuper occupatis'.

quam pellerentur], ut Ann. I. 35 *at ille moriturum potius quam fidem exueret, clamitans*.

cognoscit]. Satis mirum sane, quod omisit subiectum (*Agricola*).

pluribus agminibus], ablativus modi, ut c. 37, ubi v.

ne — circumiretur]. Hostes, ut Agricolam receptu intercludant, tripertito eum circuire constituunt eo consilio, ut coniuncti (*superante numero*) eum a tergo aggrediantur. Itaque Agricola, ne, circueuntibus hostibus, facultas recipiendi sibi eripiatur, suum et ipse exercitum in tres partes dividit, ut porrectiore acie hostium consilia frustretur. Quattuor autem legionibus Agricola in Britannia videtur usus esse, non eisdem tamen, quae antea in hac provincia egerant (c. 7); nam ex numero earum legio XIV. e Britannia in Germaniam adversus Civilem accita est a. 70 (H. IV. 68), in eiusque locum legio II Adiutrix, cum Ceriale duce contra Civilem pugnasset (H. V. 16), ab eodem Ceriale in Britanniam transvecta esse putanda est (Urlichs l. l. p. 17. 29).

et ipse]. Cf. H. III. 82 *trinis et ipse praesidiis occurrit*. Ablativis absolutis inseritur etiam Germ. 37 *quid enim aliud nobis quam caedem*

diviso et ipse in tres partes exercitu incessit. (26) quod ubi cognitum hosti, mutato repente consilio universi nonam legionem ut maxime invalidam nocte adgressi inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adici clamorem; et propinqua luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni, et Romanis rediit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. quodnisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. (27) cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium, et pene-

1. *tris* B. — 3. *noctem* B. — 4. *irrumpere* A; sed *m* delevit m. 1. — 8. *redit* A B; em. Wex. — *securi de salute pro gloria* Acidalius. — 10. *ut tulisse* Puteolanus: *intulisse* A B. — 12. *rexissent* B. — 13. *penetrandum* B.

Crassi, amisso et ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit?

C. 26.

nonam legionem], quae a. 61 a barbaris paene deleta (Ann. XIV. 32), dein copiis e Germania missis suppleta erat (38). Haec igitur legio *maxime invalida* trium illarum exercitus partium fuisse videtur, et altera fuit earum, in quibus non erat Agricola.

inter] significat res irruptioni hostium opportunas: 'cum omnes aut somno oppressi essent aut subito interventu hostium excitati in castris trepidarent'.

in ipsis castris], 'intra terminos castrorum', 'intra vallum', ut *in ipsa Britannia* c. 23.

vestigiis]. Liv. VI. 32, 10 *cum Romanus exercitus prope vestigiis sequeretur.* IX. 45, 16 *pergunt hostem vestigiis sequi.* De similibus ablativi itineris exemplis Heraeus ad H. IV. 77. Nipperdeius ad Ann. I. 60.

adsultare] c. dat., ut Ann. II. 13 *adsultatum est castris.*

pugnantium]. Significatur, Agricolam appropinquantem hostem proelio intentum fefellisse. H. II. 14 *invecta in terga pugnantium classe.*

clamorem], nimirum, ut persuadeatur hostibus, universum adesse exercitum.

signa], legionum, quae sequebantur.

Romanis], nonae legionis militibus.

securi pro salute], ut H. IV. 58 *aut pro vobis sollicitior aut pro me securior.* Ad sententiam confer c. 5 *tum de salute, mox de gloria certavere.* Sall. Jug. 114, 2 *cum Gallis pro salute, non pro gloria certare.* 94, 5.

de gloria certabant], i. e. ut hostibus e castris repulsis laudem sibi pararent. Hoc enim loco de eis tantum, qui intra castra erant, sermo est, paullo post de utriusque exercitus certamine (*utroque exercitu certante*).

quin etiam] secundum, ut saepe apud Tacitum, locum obtinet. Exempla collegit Nipperdeius ad Ann. XV. 39.

debellatum]. H. V. 18 *debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset.* III. 19. Ann. XII. 38. Cf. c. 24 extr.

C. 27.

conscientia ac fama]. Confer., quae Tiberius Cocceio Nervae amico, moriendi certo dicit Ann. VI. 26: *grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret.*

penetrandam]. Huius verbi transitiva vis est etiam Ann. IV. 44 *penetrata Germania.*

fremebant]. Pluralis praedicati sequitur collectivum. Proprium autem hoc verbum multitudinis cum ardore et impetu querentis aliquid aut postulantis.

illi], nimirum *ignavi specie prudentium* c. 25.

sapientes] cum irrisione dicuntur, nec aliter *prompti.*

prospera] e. q. s. Eadem est sententia Ann. III. 53 *cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur.* Cf. H. IV. 52 *quorum* (principum) *prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant.* XIV. 38 *cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat.* De verbo imputandi cf. Heraeum ad H. I. 38.

occasione et arte ducis]. Haec duo unam efficiunt rem, quae opponitur *virtuti.* Nam quoniam *artem ducis* barbari eam intellegunt, quae cernatur in arripienda occasione et prudenter utenda, nihil proficit ars ducis, nisi adest occasio. Quare ut ex uno aut altero proelio fieri potest ut superior discedat is, qui occasione fortuito oblata prudenter usus sit, sic bellorum fortuna eum sequitur, qui virtute superior est, qua qui praeditus est, tutior est quam qui occasiones captat, quae raro offeruntur. — Correctus est locus ex similitudine eorum, quae leguntur H. II. 44 *praetorianus miles non*

trandam Calidoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant. atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. iniquissima haec bellorum condicio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. at Britanni non virtute *se* sed occasione et arte ducis *victos* rati, nihil ex adrogantia remittere, quo minus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent. atque ita irritatis utrimque animis discessum.

(28) Eadem aestate cohors Usiporum per Germanias conscripta et in Britanniam transmissa magnum ac memorabile facinus ausa est. occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere; et uno † remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur.

2. *praelium* A B; em. Rhenanus. — 4. *vindicant* A B; sed in A litterae *i* priori suprascr. *e* m. 1. — 5. *se* Brotier add. post *ducis*. — *ducis*] *elusos* Walch. – *victos* add. Brotier (in A est *ducis. rati*). — 8. *civitatium* B. — 9. *Usipiorum* B. — 11. *inmixtis* A; *inmistis* B; em. Puteolanus. — 12. *tris* B. — 13. *remigrante* Puteolanus; *regente* Doederlein; *renavigante* Muetzell; *remeante* Peerlkamp et Henrichsen; *morigerante* Wex; *refugo, ante* Urlichs.

virtute se, sed proditione victum fremebat, et 76 *ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum.*

nihil ex arrogantia remittere]. H. III. 55 *ipse nihil e solito luxu remittens.*

quominus]. Cf. c. 20.

sacrificiis], quae in coetibus illis dis offerebantur. Similis est copulatio vocabulorum c. 29 *legationibus et foederibus.* H. II, 20 *per colloquium et promissa.* IV. 30 *nuntiis et promissis.* Ann. II. 45 *per dona et legationes.*

C. 28.

Aberrat a proposito oratio, enarratis cohortis cuiusdam Usiporum casibus. De qua egressione vitae Agricolae inserta quid statuendum esse videretur, exposui in eo libello, cuius supra mentionem feci in eis, quae commentario capitis 10 praemisi. Rem ita refert Dio LXVI. 20 στρατιῶται γάρ τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρχόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον. καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε. καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσσχόντες. Fuit sine dubio haec cohors ex eis copiis, quibus Agricola c. 24 eam partem Britanniae instruxisse narratur, quae Hiberniam aspicit.

Usiporum]. Ea nominis forma Tacitus utitur, nisi quod Ann. I. 51 hanc gentem eodem nomine appellat quo Caesar, qui eos *Usipetes* vocat.

Germanias], ut c. 15.

militibus], legionariis.

habebantur], in castris erant. Ann. I. 78 *inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur.* Ann. XIII. 30 *praefectus remigum, qui Ravennae haberentur.* XII. 66 *Locusta — diu inter instrumenta regni habita.* Hoc genere dicendi Sallustium imitatus esse putandus est. Cf. Nipperdeium ad Ann. I. 78.

† *remigante*]. Hoc idem valere quod *gubernante* erant qui affirmarent nec tamen satis probarent. Quid quod haec explicatio, cum per se ipsa parum commendetur, ipsius Taciti verbis refutatur? Nam ex eis quae secuntur *amissis per inscitiam regendi navibus* pro certo colligitur, Usipos ne unum quidem gubernatorem nanctum esse, sed eum quoque, quem non interfecerant, cum circumveherentur Britanniam, eis defuisse et, antequam proficiscerentur, ex manibus eorum esse elapsum. Quae causae fuerunt, cur alii conicerent *remigrante, renavigante, remeante.* Quae coniecturae, etsi propterea reiiciendas non esse concedi potest, quod participio praesentis vis perfecti tribuatur (ut sit *cum remeasset*) — nam hic participii praesentis usus exemplis potest confirmari —, tamen ob eam causam minus placent, quod illis verbis deest fugae significatio, qua unus ille, qui supererat gubernatorum, periculis sibi imminentibus se subtraxisse putandus est. Reliqua est Urlichsii emendatio, in qua tamen displicet mirus rerum ordo. Ergo, nisi quis *refugiente* scribendum esse putet, confitendum est remedium huius loci satis probabile adhuc non esse repertum.

ut miraculum], non solum, quia, qui essent, ignorabatur, sed etiam quia naves incerto cursu, nullo gubernante, vagabantur. Itaque verba *nondum vulgato rumore* (quae leguntur etiam H. IV. 54) ita interpretanda sunt, ut ignotum fuisse dicatur, Usipos esse, qui praeveherentur, eosque tres illas naves per vim occupasse nec ullum esse in navibus gubernatorem.

pravehebantur]. H. II. 2 *oram Achaiae — praevectus.* Usitatius *praetervehi.*

mox ad aquam atque utilia raptanda egressi et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suebis, mox a Frisiis intercepti sunt. ac fuere quos per commercia venumdatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

(29) Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus anno ante natum filium amisit. quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac maerorem muliebriter tulit. et in luctu bellum inter remedia erat. igitur praemissa classe, quae pluri-

1. *utilia raptanda egressi et cum* Urlichs (*utilia* iam Selling, qui idem *utensilia; egressi et* Ritter): *ut illa raptis secum* A B (*mox cum aquatum atque utilia raptum issent, cum plerisque* Eussner in Fleckeis. Ann. CXIII. p. 551—559). — 3. *mox* A; *morum* B. — 5. *primum* A; *primo dum* B. — 6. *mox* A; *morum* B. — *venundatos* A B. — 7. *iudicium* B. — 11. *mulibriter* A.

***ad aquam*]** e. q. s. Secutus sum Urlichsii scripturam, quamquam certam esse non affirmaverim. De verbis *aquam atque utilia* idem iudicandum est, quod diximus de verbis *ludos et inania honoris* c. 6. *Utilia* autem, quae Tacitus fere appellat *utensilia*, dixit Sallustius, velut Jug. 86, 1 *Marius — commeatu, stipendio, armis aliisque utilibus naves onerat.*

***victores*]**. Inest in hoc substantivo, ut saepe, participium perfecti activi, quod opponitur participio perf. pass., quod est *pulsi*. Cf. c. 33.

***eo — inopiae venere*]**. H. I. 60 *eoque discordiae ventum.* Ann. I. 18 *postremo eo furoris venere* ac similia.

***vescerentur*]**. Huius verbi cum accusativo coniuncti non aliud est apud Tacitum exemplum; at eundem casum assumunt *fungi* (Ann. IV. 38) et *potiri* (Ann. XI. 10).

***circumvecti Britanniam*]**, nimirum occidentale litus praelegentes, id quod Dio docet. Videntur autem in meridiem versus navigasse et mox praeter meridionalem Britanniae oram fretum Gallicum pervecti esse.

***primum — mox*]**. Alii eorum a Suebis, alii, qui hos effugerant, deinde a Frisiis intercepti sunt.

***Suebis*]**. J. Gantrelle, Contributions à la critique et à l'explication de Tacite, fasc. I. Paris 1875. p. 52 eos hoc loco Suebos intellegendos esse monet, qui prope ostium Scaldis fluminis habitaverint (Suet. Aug. 21). Credibile id, si recte statuimus, Usipos fretum Gallicum ab occidente in orientem esse pervectos. Obstat tamen, quod quidam ex eis, qui casibus superstites erant, mutatione ementium in Romanam Rheni ripam adducti esse narrantur, nisi forte id de eis tantum dici suspicari licet, qui a Frisiis, gente transrhenana, intercepti erant.

***venumdatos*]**. De huius formae apud Tacitum usu cf. Nipperdeium ad Ann. IV. 1.

***in nostram usque ripam*]**, sinistram Rheni ripam. Germ. 17 *proximi ripae.* 37 *utraque ripa.*

***illustravit*]**. Consulto videtur usus esse indicativo; neque enim subiectum id est, cuius tota definitio contineatur enuntiato relativo. Nam non ex universo hominum genere, sed ex eorum Usiporum numero, quorum casus supra relati sunt, quosdam excerpit. Eadem causa fuit, cur Cicero de off. I. 14, 43 scriberet: *sunt autem multi et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur;* nam hoc quoque loco non tota subiecti definitio posita est in enuntiato relativo. — Ceterum toti huic sententiae confer, quae de simili casu narrantur Ann. II. 24 *ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant* e. q. s.

Cap. 29.

***aestatis*]**, septimae, a. p. Chr. 84. C. 34 *hi sunt, quos proximo anno unam legionem — adgressos clamore debellastis.*

***ictus — amisit*]**. Plane singularis hoc loco est participii perfecti usus neque conferendus cum eo, de quo diximus ad c. 5 *electus quem contubernio aestimaret.* Neque enim hoc loco, ut ceteris fere, id quod verbo finito significatur, explicatur addito participio, immo participio verbum finitum explicandi causa additum videtur. Mirum igitur, quod non scripsit potius, sicut solet plerumque: *ictus est, filio amisso.* — Ceterum hic locus docet, uxorem Agricolam etiam in Britanniam secutam esse, sicut in Asiam secuta erat (c. 6).

***fortium*]** cum irrisione dictum, ut *sapientes* et *prompti* c. 27. Stoicos perstringere videtur. Cf.

bus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui e Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis insederat. nam Britanni nihil fracti pugnae prioris eventu et ultionem aut servitium expectantes tandemque docti commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. iamque super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc adfluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes, cum inter plures duces virtute et genere praestans nomine Calgacus apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur: (30) „quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore. nam

1. *predatam* A; sed *m* delevit m. 1. — 3. *Graupiam* A; sed corr. m. 1, suprascr. *u*. — 5. *periculum commune* A; sed transponenda esse indicavit m. 1. — 6. *cīvitatium* B. — 7. *centum triginta* Urlichs; *octoginta* Nipperdey. — 8. *uires* A in marg. m. 1. — 10. *galgacus* B, quod corr. m. 1. — 12. *intuero* B. — 13. *consensusque* B.

H. IV. 5 *non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret.*

ambitiose], ostentando patientiam humanorum casuum atque ἀλυπίαν, quo hominum admiratio-m. captent.

ipse nihil], ut c. 20.

quominus [.]erat]. Sic de Tiberio, filio mortuo,

sacrificiis], qu[.] *fortiora solacia e complexu* tur. Similis est copulati[.]13 de eodem: *negotia pro tionibus et foederibus.* H. [.] *et promissa.* IV. 30 *nuntiis* [.]am oratio proximis II. 45 *per dona et legationes.* Cf. c. 13. [.]c tempore fieri

C. 28.

Aberrat a proposito oratio, enarrat[.]eorum est, cuiusdam Usiporum casibus. De qua c[.], inquit, vitae Agricolae inserta quid statuendum es[.]ntu terretur, exposui in eo libello, cuius supra ment[.] esset. feci in eis, quae commentario capitis 10 prae[.]lem Rem ita refert Dio LXVI. 20 στρατιῶται γ[.]tet τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρ[.] χόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον. καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε. καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσσχόντες. Fuit sine dubio haec cohors ex eis copiis, quibus Agricola c. 24 eam partem Britanniae instruxisse narratur, quae Hiberniam aspicit.

Usiporum]. Ea nominis forma Tacitus utitur, nisi quod Ann. I. 51 hanc gentem eodem nomine appellat quo Caesar, qui eos *Usipetes* vocat.

Germanias], ut c. 15.

militibus], legionariis.

habebantur], in castris erant. Ann. I. 78 *inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur.* Ann. XIII. 30 *praefectus remigum, qui Ravennae haberentur.*

decora], sive avita ob generis nobilitatem sive a principibus ob virtutem tributa sive ex interfecto hoste rapta.

praestans nomine Calgacus]. De hac forma dicendi cf. Nipperdeium ad Ann. II. 74. XIII. 55.

contractam], ut Ann. I. 67 *contractos in principia — temporis ac necessitatis monet.*

in hunc modum locutus fertur], plane ut H. I. 15. Quod autem dicit *fertur*, excusat quodam modo, quod a se ficta sit oratio Calgaci. Quam orationem et sententiis et verbis similem esse eis Britannorum sermonibus, qui continentur cap. 15, probavit Eussner, Blätter f. d. bayer. Gymn. XIII. 4 p. 150.

C. 30.

causas belli], ut c. 15 et Ann. XIV. 35 *si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse.* Intellegit autem ex altera parte avaritiam, ex altera retinendae libertatis cupiditatem.

necessitatem], dubiam ac periculosam condicionem, quae nos ad decertandum omniaque tandem audenda cogit. Ann. I. 67 *contractos — temporis ac necessitatis monet.*

magnus mihi animus est]. Inest sperandi notio, re[.]nde pendent quae secuntur.

es[.] *hodiernum diem consensumque vestrum*]. Hic sat[.]oque locus in eorum numero habendus est, qui- [.] res diversi generis particula copulativa ita igno[.] se coniunguntur, ut eundem in enuntiato lo- null[.]obtineant. Est enim: 'hodiernum diem in tanto *dum* [.]usu vestro' e. q. s. Scripsit autem *consen-* 54) i[.]*e vestrum*, ut effectae tandem concordiae tur, U[.]m vim fore pronuntiaret.

illas na[.]*um — fore*]. Ann. XII. 34 *illum diem, illam* navibus [.]*stabatur aut recuperandae libertatis aut* *pravi[.]is aeternae initium fore.* H. IV. 4 *isque praevec[.]nus illi dies magnae offensae initium et*

et universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium litora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit; atque omne ignotum pro magnifico est. sed nunc terminus Britanniae patet, nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris. raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae,

5. *nauibus* B. — 9. *atque* (*atqui* Rhenanus)...*sed* A B post *patet* habent; transposuerunt Brueys aliique, delebat Muretus. — 12. *terrae, iam* Halm: *terram* A B; *terrae* Rhenanus.

magnae gloriae fuit. H. I. 1 *initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt.* 67 *initium bello fuit avaritia-legionis.*

nullae ultra terrae]. Praedicatum videtur contineri adverbio *ultra*, cf. *nullis contra terris* c. 10. Quoniam haec verba et quae secuntur ostendunt, qua in re posita sit *necessitas* Britannorum, eis quae antecedunt (*et universi ... expertes*) *causas belli* significari necesse est. Ac profecto haec est sententia, ut, quod ipsi servitutis expertes sint, et Romanis causa esse dicatur, cur bello illato servitutem iniungere parent, et ipsis causa, cur libertatem acerrime defendant.

securum], ut Liv. XXXIX. 1, 6 *qui* (hostis) *nullum usquam tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret.* Sic etiam *tutissima* infra, cf. *tutius* c. 31. H. I 62. Germ. 36.

priores], quibus Calgacus una cum suis non interfuerat.

spem ac subsidium]. Prioris vocis vi ita mutatur posterioris significatio, ut ipsa quoque, sicut spes, eis rebus adnumeranda sit, quae mente concipiuntur ('Gedanke an den Rückhalt'). Cf. Ann. IV. 3 (Seianus Liviam) *ad coniugii spem, consortium regni et necem mariti impulit*, i. e. 'ad consortium regni mente et cupiditate concipiendum'.

habebant]. Habere aliquid, ut saepissime, hoc loco ea dicuntur, quorum naturae aliquid ita proprium est, ut eis necessario adhaereat eisque contineatur. Itaque priorum pugnarum propria eisque adiuncta fuisse dicitur spes subsidii, quo clades, si qua accepta esset, posset reparari.

eoque], nimirum voluntate Fortunae, quae nobilissimis, i. e. eis, qui nullis advenis mixti essent, ipsa penetralia insulae attribuisse dicitur, unde ne oculis quidem servitutem cognoscerent. Caes. b. G. V. 12 *Britanniae pars interior ab iis colitur, quos natos in insula ipsa memoriae proditum dicunt.*

in ipsis]. Cf. *in ipsa Britannia* c. 23.

siti. Cf. Ann. XII. 10 *iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos.* H. II. 74 *Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat.*

servientium], Gallorum; cf. c. 10 *Gallis in meridiem etiam inspicitur.*

contactu]. Comparant Ann. III. 12 *nudare corpus et contrectandum vulgi oculis permittere.*

terrarum ac libertatis extremos]. Nam longius in dies, inquit, in remotiora promota servitus usque ad hunc diem ad nos in ipso fine terrarum et quasi in novissima libertatis statione positos nondum penetraverat,

ipse]. Hoc pronomine longinquitas regionis, qualem natura constituit, declaratur esse prima ac praecipua libertatis causa.

sinus famae]. Nulla in his verbis difficultas residere videtur, dummodo quasi regnum quoddam vel imperium vel fines et descriptam regionem famae cogitari hoc loco concedas, quod haud absurdum esse vel ex dial. c. 12 apparet: *nec angustioribus terminis famam Euripidis aut Sophoclis, quam Lysiae aut Hyperidis includi.* Etiam *libertatis* regio quaedam vel fines ac termini cogitantur cum dicit *nos terrarum ac libertatis extremos.* Iam vero sicut Germ. 37 ea regio, quam Cimbri tenent, *Germaniae sinus* et Germ. 29 decumates agri *sinus imperii* appellantur, sic *sinus famae* hoc loco remotissima pars eius regni dicitur, quod fama obtinet, quae pars vim ac dominationem famae, ut ita dicam, facillime quasi subterfugiat, in qua minus valeat fama ac pleraque incerta atque obscura sint; cf. H. II. 92 *abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus.*

atque omne ignotum pro magnifico est]; i. e. maiora credi solent, quae ignorantur. H. II. 83 *gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus*

iam et mare scrutantur; si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi; quos non oriens, non occidens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam pari adfectu concupiscunt. auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. (31) liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per dilectus alibi servituri auferuntur; coniuges sororesque etiamsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. bona fortunaeque in tributum, ager atque annus in frumentum, corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conteruntur. nata servituti mancipia semel veneunt, atque

6. *delectus* A B. — 8. *ager atque* F. Jacob: *aggerat* A B; *ager et* R. Seyffert. — 10. *conterunt* A B; em. Jacob et Fröhlich.

modicas vires sibi et maiora credi de absentibus. Liv. XXVIII. 44, 8 *ad hoc maior ignotarum rerum est terror; bona malaque hostium ex propinquo, ingressus fines, aspicias.*

ultra], ut supra: *nullae ultra terrae.*

infestiores], saeviores etiam quam maris pericula.

frustra—effugeris. Coni. potentialis. Nam etiam qui obsequio superbiam eorum ad tempus effugerit, tamen paullo post in perpetuum ea opprimetur.

raptores orbis] e. q. s. Comparant, quae similia de Romanis dicit Mithridates in Sallustii Historiis fragm. IV. 61, 22 D.

iam et mare scrutantur]. Rhetorico ornatu aucta sententia. Neque enim propterea Romani mare perlustrant, quod defecit terra, sed ut maritimo quoque aditu utantur ad occupandam eam terram, quae ultima est domanda, Calidoniam. Cf. Germ. 34 *obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri.* 45 *sed et mare scrutantur.*

ambitiosi], qui coli se volunt, superbi et arrogantes.

satiaverit]. Est coni. perf., quo enuntiatum relativum adiectivis, quae praecedunt, aequatur. c. 48 *securus iam odii et qui facilius dissimularet gaudium quam metum.* H. I. 10 *variis inlecebris potens, et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere.*

omnium]. Ambigo, utrum genetivus pendeat a voce *soli*, an a substantivis quae secuntur. Illud tamen veri similius. Germ. 45 *soli omnium sucinum — legunt.*

opes atque inopiam]. Nihil, inquit, est, quod non suum esse velint. Vis sententiae non posita est in singulis vocabulis, quae inter se opponuntur, sed in ea notione, quae utriusque copulatione efficitur. Etiam audacius Sall. Cat. 11, 3 *avaritia — semper infinita, insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur.* 15, 4 *namque animus impurus — neque vigiliis neque quietibus sedari poterat.* Tac. Hist. II. 56 *in omne fas nefasque avidi.* III. 51 *tantam adversus fas nefasque inreverentiam fuisse.*

auferre trucidare rapere]. H. II. 12 *urere vastare rapere.* 56 *spoliare rapere, vi et stupris polluere.* Ann. IV. 25 *trahi occidi capi.* 48 *vastare urere trahere praedas.* Hoc loco *rapere* et de rebus et de hominibus dici videtur, de alteris utris ea quae praecedunt.

falsis nominibus]. H. I. 37 *dum falsis nominibus severitatem pro saevitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras disciplinam appellat.*

appellant]. Huic verbo bis duplex accusativus adiungitur. Nam ultimorum verborum haec est sententia: quo loco solitudinem faciunt, ibi eum quem vastando effecerunt rerum statum, pacem appellant.

C. 31.

alibi servituri]. Partem utique delectus Britannici in insula remansisse constat ex c. 29 *cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat* et 32 *agnoscent Britanni suam causam*, sed cum inscriptiones (Orelli 804. 1627. 2233. 3155) tum Notitia dignitatum (ed. Böcking I. p. 34. 75) docent cohortes alasque *Britonum* seu *Brittonum*, ut in his vocantur, ex callida Romanorum ratione non minus quam aliarum nationum auxiliares copias per provincias longinquas sparsas esse. Calgaci autem v. *alibi* si proprie acceperis, huiusmodi institutum iam nono urbis saeculo viguisse consentaneum est. Ac Tacitus ipse H. I. 70 *Britannorum cohortes* in Italia agentes commemorat.

coniuges sororesque] e. q. s. Similis Caratacus, princeps Britannorum Ann. XII. 34 *quorum* (maiorum) *virtute vacui a securibus et tributis intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent.*

nomine — hospitum]; i. e. ab iis, qui se falso hospites atque amicos appellant. Insolens sane forma dicendi, qua haec verba non ad subiectum, *coniuges sororesque*, referuntur, sed ad eos, quorum illae vim et contumelias patiuntur.

annus], annuus proventus. Germ. 14 *expectare annum.* Id autem additur, ut significetur, munere illo quotannis fungendum esse, ubi primum frumentum demessum sit.

silvis — emuniendis], ablativus: viis per silvas et paludes muniendis. Cf. Ann. I. 56 *L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto.* Verbum *emunire* hoc loco aptissimum videtur ad

ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur; neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus exercendis reservemur. virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti et libertatem

2. *etiam* om. B. — 4. *nec* B. — 8. *clarissima* B. — *Trinobantes* Camden. — 9. *et expugnare* B. — 10. *libertatem, non paenitentiam allaturi* nos: *in libertatem non in poenitentiam laturi* A B; *in libertatem, non in patientiam* (*in libertate, non in paenitentia* Nipperdey) *bellaturi* Woelfflin; *in libertatem, non in paenitentiam bellaturis* Peter.

significandum: 'altos aggeres maxime per paludes iaciendos fuisse', ut est apud Livium XXI. 7, 7 *murus — supra ceterae modum altitudinis emunitus erat.*

inter], ut c. 26 *inter somnum ac trepidationem.*

nata] c. dat., ut Sall. Jug. 31, 11 *vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis?*

semel veneunt]. Nam una illa emptione, qua in potestatem domini transeunt, ita cum condicione eorum transigitur, ut nulla opus sit iactura, qua condicionem suam in posterum tueantur. Boudicca apud Dionem LXII. 3 πόσῳ κρεῖττον ἦν ἅπαξ τισὶ πεπρᾶσθαι μᾶλλον ἢ μετὰ κενῶν ἐλευθερίας ὀνομάτων κατ' ἔτος λυτροῦσθαι;

ultro]. Non modo non pendunt tributum, ut nos, sed etiam accipiunt ea, quibus vitam sustentent.

emit], tributis pendendis; *pascit*, frumentum praebendo. Vis oppositionis posita est in voce *quotidie*, acerbitas autem totius sententiae in eo, quod Britanni iacturis suis non libertatem aut aliud bonum aliquod, sed servitutem sibi parare et tueri dicuntur. Cf. militum a centurionibus vexatorum querelam Ann. I. 17 *denis in diem assibus animam et corpus aestimari, hinc — saevitiam centurionum redimi.* Civilis apud Gallos H. IV. 17 *provinciarum sanguine provincias vinci.*

ac sicut — petimur]. In posteriore comparationis membro supra id, in quo posita est comparatio, augetur sententia. Non enim solum, inquit, ut tamquam novi ac viles et dominis et reliquis servis ludibrio simus, domare nos instituunt, sicut recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sed etiam ut funditus stirps nostra exstinguatur. Ita autem augendae sententiae causa fuit adiectivum *viles*; nam vile id est, cui parcere operae pretium non est, cuius interitus non lugetur. H. I. 58 *eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit.*

orbis terrarum — famulatu. Cf. H. V. 25 *nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli.*

excidium]. De hoc substantivo et verbo excindendi cf. Heraeum ad H. II. 38.

exercendis]. Id verbum ad portus per zeugma ita referendum est, ut cogitandum sit de emporiis ibi statuendis, in quibus victores frequentem et lucrosam negotiationem instituant. *Arva exercere*, ut *agros exercere* Ann. XI. 7. Germ. 29.

porro], ut c. 15 extr. Hac particula eis, quae Britannis desunt (*arva* etc.), ex altera parte opponuntur ea, quibus non carent (*virtus* etc.), eaque non minus illis periculosa fore quam quibus careant.

tutius], dum liberi sumus, *suspectius*, si victi erimus.

sublata], i. e. adempta, non: deposita. H. IV. 56 *vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniae pertinaciam accenderent.*

Brigantes]. Ann. XIV. 31 Icenos Boudicca duce seditionem illam movisse dicit eisque se adiunxisse Trinobantes *et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant* (cf. Agr. 18 *a rebellione totius Britanniae.* 16 *sumpsere universi bellum*). Non igitur dubium, quin etiam Brigantes in numero rebellantium fuerint; hos autem potissimum propterea hoc loco a Calgaco nominari, quod proximi erant Caledoniis, recte videtur esse coniectum.

in — vertisset]. Significatur his verbis, quomodo res prospere gestae habitum animorum mutaverint. Cf. Liv. III. 64, 1 *victoria — in — luxuriam vertit.*

exuere iugum], ut H. IV. 17.

potuere]. Non puto huic indicativo perfecti a Romano homine, qui haec legebat, duplicem vim esse tributam. Nam et coloniam exurere castraque expugnare et exuere iugum potuere; illa re vera facta esse inde intellegitur, quod nulla additur condicionalis sententia (sic legitur *potuere* etiam Ann. XII. 60 *C. Oppius et Cornelius Balbus primi Caesaris opibus potuere condiciones pacis et arbitria belli tractare*); hoc factum non esse ipsa condicionalis sententia, quae additur, ostendit.

libertatem — allaturi]. Brigantes servitutem sibi iam impositam armis exuere conabantur, nos integram libertatem, quam nemo adhuc eripuit, tuebimur. Itaque conscientiam indomitae adhuc libertatis, non paenitentiam adempta libertate animis iniectam in pugnam afferemus, eaque con-

non paenitentiam allaturi primo statim congressu ostendamus, quos sibi Calidonia viros seposuerit. (32) an eandem Romanis in bello virtutem quam in pace lasciviam adesse creditis? nostris illi dissensionibus ac discordiis clari vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt; quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent; nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et adfectu teneri putatis. metus et terror sunt infirma vincla caritatis; quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt; aut nulla

2. *Caledonia* B. — 3. *dissentionibus* B. — 5. *contactum* B. — 7. *commodent* Puteolanus: *commendent* A B. — 8. *servos servos* A, quorum prius expunxit m. 1. — *sunt* Beroaldus: *est* A B. — 11. *exprobaturi* A B; sed in A corr.

scientia nos ferociores ac validiores ad pugnam faciet, quam rebellantes Brigantes paenitentia sua fecit. De verbo afferendi cf. H. I. 37 *quam gloriam ad principatum attulit nisi occisi Obultronii Sabini* e. q. s. III. 38 *pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse.* 41 *nec integram fidem attulerant.* 9 *et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset.* Ann. XIII. 4 *nulla odia, nullas iniurias nec cupidinem ultionis afferre.* Nisi forte *laturi* servari potest, coll. H. I. 19 *illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus* (sc. ad legationem, ut hoc loco in pugnam).

seposuerit]. Germ. 29 *exempti oneribus — et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur.*

C. 32.

An]. 'Haec omnia, quae dixi, de exitu huius belli securos vos facient, nisi forte creditis' e.q. s.

dissensionibus ac discordiis]. dial. 40 *donec se* (res publica Romana) *partibus et dissensionibus et discordiis confecit.*

vitia hostium]. H. IV. 34 *non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus.*

in gloriam — vertunt]. Cf. c. 5 *in lasciviam vertunt* et Ann. II. 84 *nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat.*

diversissimis], longissime inter se distantibus.

nisi si], quod invenitur Ann. VI. 25. XV. 58. Germ. 2, nullo alio apud Tacitum loco ita legitur, ut sit idem ac *nisi forte* vel *an* vel *neque enim* (*credo vos putare*), quae significant ea, quae quis fieri non posse sibi persuaserit.

pudet dictu], ut *pudendum dictu* H. II. 61. Talia ac similia ita orationi inseri solent, ut ad sequentia referenda sint. Cf. Heraeum ad H. II. 41. Nipperdeium ad Ann. XII. 42.

commodent]. Liv. XXXIV. 12, 5 *ne suas vires, aliis eas commodando, minuat.*

fide et affectu teneri]. *Affectus* is est animorum habitus, unde existit *fides.* H. IV. 31 *quis nec amor neque odium in partes, militia sine adfectu.* I. 15 *adsentatio erga quemcumque principem sine affectu peragitur.* De tota sententia cf. H. IV. 76 *neque Treveros aut Lingonas benevolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit.*

infirma vincla]. Consulto temperat orationi; nam metus et terror ne infirma quidem vincla caritatis sunt, sed potius ei contrarii. Ceterum cf. H. III. 41 *pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos periculorum et dedecoris securos.* Ann. I. 55 *gener invisus, inimicus soceri; quaeque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.*

omnia] e. q. s. 'Ἀσυνδέτως ea, quae ipsis barbaris prospera sunt, adiunguntur eis, quae Romanis adversa.

pro nobis sunt], ut H. IV. 78 *cuncta pro hostibus erant.*

nullae — accendunt], breviter dictum pro: 'nullae Romanis coniuges adsunt, quae eos accendant'.

coniuges — parentes — patria]. Similiter Civilis H. V. 17 suos hortatur, ut *coniugum parentum patriae memores* sint. Idem quod hoc loco de Britannorum coniugibus traditur Ann. XIV. 34, de Germanorum Germ. 7. 8. H. IV. 18, de Thracum Ann. IV. 51.

exprobraturi sunt], non *exprobrabunt.* Nam in participio futuri inest condicionalis sententiae significatio, quae haec est: 'si eos fugere animadverterint'.

nulla]. Intellegit eam militum colluviem, quam *contractam ex diversissimis gentibus* supra dicit, quorum pauci patriae meminerant neque umquam eam revisuri erant. His opponuntur ei, quibus, etsi patriae memores sunt, tamen alia est patria terra quam ea est, cui sanguinem commodant; soli Romani ipsi eique pauci pro patria pugnant eique credendi sunt opponi *plerisque.* Cf., quae de servorum nationibus dicuntur Ann. XIV. 44

plerisque patria aut alia est. paucos numero, trepidos ignorantia, caelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos di nobis tradiderunt. ne terreat vanus adspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. in ipsa hostium acie inveniemus nostras manus: adgnoscent Britanni suam causam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deserent illos ceteri Germani tam quam nuper Usipi reliquerunt. nec quicquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra municipia et discordantia. hic dux, hic exercitus: ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut

1. *trepidos* Heumann: *circum trepidos* A B; *locorum trepidos* Anquetil. — 2. *silvis* B. — 4. *nec...nec* B. — 7. *tamquam* A; *tanquam* B. — *Usipii* B. — *nec quicquam* Puteolanus: *Nequicquam* A; *Nequaquam* B. — 8. *senium* B. — 9. *tetra mancipia* A in margine m. 1. — *ibi*] *illic* Kritz.

postquam vero nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris.

trepidos]. Quod Anquetil coniecit et Halmius probavit: *locorum trepidos ignorantia*, id ipsa vocabulorum collocatio plane abhorrens a Taciti in hoc genere simplicitate nihili esse ostendit.

omnia]. Quidquid aspiciunt, ignotum est. H. V. 17 *quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem cladem que et dira omnia obversari.* Ann. I. 42. H. IV. 49 *laeta omnia.* II. 80. II. 74 *fausta omnia.* III. 79 *maesta omnia accepit.*

circumspectantes], ut Sall. Jug. 72, 2 *circumspectare omnia et omni impetu pavescere.*

vinctos]. H. I. 79 *velut vincti caedebantur.* Ann. I. 65 *eodem iterum fato vinctae legiones.*

auri fulgor]. Ann. I. 68 *hosti facile excidium et paucos ac semermos cogitanti sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto maiora offunduntur.*

in ipsa], ut *in ipsa Britannia* c. 23.

manus]. Cf. H. IV. 71 *socii ad munia pacis redirent securi velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent.*

adgnoscent — recordabuntur — deserent], nobile exemplum collocationis verbi, quod in huiusmodi enuntiatis primum semper locum obtinet (cf. programma meum de vocabulorum apud Tacitum collocatione Berol. 1874. p. 2).

illos], hostes, ut in initio huius capitis.

ceteri]. Hi quibus opponantur, ex sequentibus demum intellegitur; id quod saepe fit, velut H. III. 32 *ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat.* Ann. I. 36 *ceterorum immunes nisi propulsandi hostis.* III. 14 *defensio in ceteris trepidavit. — — Solum veneni crimen visus est diluisse.* 49 *ceteris ad dicendum testimonium exterritis sola Vitellia nihil se audivisse adseveravit.*

tam quam]. Sic scribendum. Nam etsi *tamquam* interdum pro *ut* vel *quemadmodum* poni constat, tamen rectius hoc loco dicitur Usipos non minus esse defecturos quam ceteros Germanos, quam Usipos eodem modo esse defecturos, quam ceteros Germanos. Quamquam confitendum est coniuncta haec vocabula *tam quam* alibi apud Tacitum non legi.

ultra], hoc proelio superato.

vacua]. Nam praesidia castellorum exercitui aggregata sunt.

senum], veteranorum ad depugnandum iam non habilium. H. IV. 14 *numquam magis adflictam rem Romanam nec aliud in hibernis quam praedam et senes.*

coloniae]. De plurali cf. c. 5.

inter] e. q. s.: cum alii male pareant, alii iniuste imperent. H. I. 1 *ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios.* Cf. Heraeum ad hunc locum et Nipperd. ad Ann. XI. 10.

male], parum, non satis. H. I. 17 *male coercitam famam.* II. 92 *male dissimulata pravitas amicorum.* IV. 11 *male dissimulata in eos Muciani iracundia.*

aegra], *invalida.* H. I. 4 *quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit.* Ann. XI. 23 *non adeo aegram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret.*

municipia]. Unum commemoratur Ann. XIV. 33: *Verulamium.*

discordantia], ad seditionem spectantia.

hic dux, hic exercitus], hostium, quos ubi hoc proelio deleveritis, in perpetuum soluti eritis omnibus miseriis, quibus armis suis freti subiectos afficiunt. Hoc enim inest in voce *ibi*: 'ultra hunc campum'; dictum autem, quasi hanc vocem pronuntians digito monstraret regionem provinciae olim perdomitae. *hic* et *ibi* opponuntur inter se, ut Ann. XV. 50 *hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia — animum exstimulaverant* ac saepissime apud Tacitum *hinc* et *inde.*

metalla]. Hoc ut sit 'gravis in metallis labor' propinquitate vocabulorum *tributa* et *poenae* efficitur. Plane similiter Ann. IV. 29 *robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium,*

statim ulcisci in hoc campo est. proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate". (33) excepere orationem alacres, *atque*, ut barbaris moris, cantu fremituque et clamoribus dissonis. iamque agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu, simul instruebatur acies, cum Agricola quamquam laetum et vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit: „septimus annus est, commilitones, ex quo auspiciis imperii Romani, virtute et fide vestra atque opera nostra Britanniam vicistis. tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque vos ducis paenituit. ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore,

2. *atque* add. Ritter (*et* Walther). — 4. *instituebatur* A in marg. m. 1. — 5. *munimentis* B et A in marg. m. 1: *monitis* A. — 6. *militum* A. sed corr. — *septimus* Acidalius: *octavus* A B. 7. *auspiciis imperii Romani, virtute et fide vestra atque opera nostra* Urlichs: *virtute et auspiciis Imperii . ro . fide atque opera nostra* A B (in v. *virtute* haeserat Hofm. = Peerlkamp: *nostra* in *vestra* mutavit Puteolanus; *virtute vestra, auspiciis i. R., fide atque opera nostra* Nipperdey coniecit). — 9. *hostis* B. — 11. *nec vos* B.

servientium], ut c. 30. 40. Cf. H. IV. 32 *ceteraeque servientium animae.* V. 8 *despectissima pars servientium.* Ann. III. 65 *tam proiectae servientium patientiae.* Ceterum in verbis *servientium poenae* eadem inest orationis acerbitas, quam notavimus in verbis *Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit* c. 31. Nam servientibus praemia potius tribui quam poenas imponi credas.

statim], priusquam imponantur.

ulcisci]. Non ulciscimur iniurias nisi illatas aut poenas nisi impositas; tamen Calgacus Caledonios hortatur, ut ulciscantur poenas, quas nondum passi sunt. Scilicet impudentiae Romanorum, qui, si illo die vicerint, poenas victis imponere parent, praesumpta ultione, tamquam iam imponantur, occurrendum esse ostendit.

in hoc campo est]. Nullus apud Tacitum locus est, ubi plane idem sit verbi *esse* usus. Comparant tamen c. 33 *nobis — manus et arma et in his omnia.* Ceterum cf. H. III. 24 *illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent.*

proinde]. Hortantis est et sub finem plerumque orationis legitur.

maiores — cogitate]: Induite mentes maiorum, qui libertatem summum bonum iudicaverant, et reputate vobiscum, quantum odium apud posteros inituri sitis, si cladem hodie passi servitutis auctores exstiteritis.

C. 33.

Excepere]. H. IV. 59 *varie excepta oratio.*

moris], ut c. 39. 42. Germ. 13. 21. H. I. 15. Ann. I. 56. IV. 39.

fremituque], ut *fremebant* c. 27.

fulgores]. Verbum aliquod cogitatione supplendum esse apparet, quale est *conspiciebantur.*

audentissimi cuiusque procursu. H. V. 15 *ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen.*

accendendum adhuc ratus]. H. I. 36 *accendendos in commune ratus pro vallo castrorum ita coepit.* — Quae sequitur, oratio, quibus sententiis ei, quae antecedit, aut similis sit aut contraria, exponit Eussner l. l. p. 152 eodemque loco utramque orationem comparat cum Scipionis et Hannibalis ante pugnam ad Ticinum factam contionibus Liv. XXI. 40 sq.

septimus annus est — ex quo]. Similiter in initio orationis H. I. 29 *sextus dies agitur, commilitones, ex quo* e. q. s. Recte autem Acidalius *septimus*; nam annus p. Chr. 84 Agricolae administrationis, quae coepta est media aestate a. 78, fuit septimus.

virtute et fide], coniuncta ut Ann. III. 47. 62.

vicistis], prosperis adversus Britannos proeliis pugnastis. Germ. 37 *tam diu Germania vincitur.* Liv. IX. 3, 2 *modo ad hostem pervenire liceat, quem per annos iam prope triginta vincimus.*

Tot expeditionibus] etc. Verba ita iungenda sunt: *tot proeliis — neque me militum* e. q. s.

adversus — naturam]. Cf. c. 22 *conflictatum saevis tempestatibus exercitum.*

militum — ducis], non *vestri mei*, ut significetur in utrisque ordo militaris.

egressi, ego — vos], plane ut H. II. 47 *nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam.*

non fama nec rumore]. Nam priores usque eo Britanniam penetraverant, ubi audiendo discerent, quam longe ad septentriones insula pertineret; itaque finem Britanniae quasi fama tantum tenuerunt. Similis est oppositio, sed minus audax H. I. 89 *Nero nuntiis magis et rumoribus quam armis depulsus.*

sed castris et armis tenemus: inventa Britannia et subacta. equidem saepe in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: „quando dabitur hostis, quando acies?" veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa. nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt. neque enim nobis aut locorum eadem notitia aut commeatuum eadem abundantia, sed manus et arma et in his omnia. quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est neque exercitus neque ducis terga tuta esse. proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt; nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse. (34) si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. hi sunt quos proximo anno unam legionem

1. *inventa*...*subacta* delet Urlichs. — 2. *quom* A. — *montesque* Urlichs. — *et*] *aut* Britzelmayr. — 3. *vocem* Beroaldus. — *acies* Rhenanus: *animus* A B. — 6. *transiisse* B. — *decorum. in frontem* A. — 7. *ita* Rhenanus: *item* A B. — 8. *decorum* A: sed *lo* sup. scr. m. 1 *de* litteris expunctis. — 11. *et honesta*....*potior* Nipperdey posuit post *sunt* (v. 12), deleto *et* ante *incolumitas*.

inventa Britannia], praegnanti sensu. Reperto enim fine tunc demum tota patuit insula. Cf., quae de Orcadibus c. 10 narrantur.

subacta]. Neque enim Agricolae videtur posse dubitari, qualis futurus sit proelii, quod restat, eventus.

dabitur]. Ann. II. 13 *veniret dies, daretur pugna.*

veniunt]. De collocatione verbi cf. c. 5 *habuerunt.*

vota virtusque], utrumque praegnanti sensu. Nam haec sententia est: 'Venit tempus votis potiundi et virtutis praestandae'.

in aperto], ut c. 1.

prona]. Sall. Jug. 114, 2 *alia omnia virtuti suae prona esse.* De tota sententia cf. Sall. Cat. 58, 9 *si vincimus, omnia nobis tuta erunt, — sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.*

victoribus], si vicerimus. Ann. I. 67 *Quod si fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, saevitiam hostium superesse: at victoribus decus, gloriam.* VI. 34 *plus decoris victores, aut si terga darent, flagitii atque periculi laturos.* Plura exempla collegit Nipperdeius ad Ann. XIII. 57.

silvas evasisse]. Ann. I. 51 *evasere silvas.* V. 10 *angustiasque Isthmi evadit.*

in frontem], occurrentibus. Insolens sane dicendi forma.

quae hodie] e. q. s., nimirum difficultates, quas ante dixit, superatae.

manus et arma], ut c. 25.

et in his omnia]. Ann. I. 67 *unam in armis salutem.* 68 *cuncta in victoria habuere.* Sall. Jug. 51. 4 *in armis omnia sita.*

mihi decretum est], mihi persuasum est. Draeger confert Cic. ad fam. II. 6, 3 *in quo omnia mea posita esse decrevi.*

terga tuta esse]. De sententia cf. Sall. Cat. 58, 16 *nam in fuga salutem sperare, cum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est.*

proinde] hoc quoque loco, ut c. 32, hortanti est; nam hortatio in hoc iudicio, quod profertur, latet.

eodem loco sita sunt], i. e. aut utrumque tuebimur, aut utrumque amittemus. H. I. 33 *perinde intuta quae indecora.*

fuerit]. coni. potent.

naturae] augendae sententiae causa additur vocabulo *terrarum.* Germ. 45 *trans Suionas aliud mare — quo cingi cludique terrarum orbem etc. — Illuc usque (et fama vera) tantum natura.*

C. 34.

Si novae] e. q. s. Deest ad novam sententiam transitus.

aliorum], eorum nimirum, qui ipsi quoque ignotis hostibus occurrerunt.

decora], res strenue gestas. Liv. XXI. 43, 17 *nemo est vestrum, — cui non idem ego virtutis spectator ac testis notata temporibus locisque referre sua possim decora.*

hi sunt, quos]. Cfr. c. 15 *fortiorem esse qui spoliet* et H. III. 31 *subit recordatio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae temperassent.*

furto noctis]. Curt. IV. 13, 9 *meae — gloriae — furtum noctis obstare non patiar; palam luce aggredi certum est.* Virg. Aen. IX. 397 *fraude loci et noctis.*

ceterorum Britannorum fugacissimi]. Dictum hoc Graecorum more, sicut H. I. 50 *solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.* Ceterum cf. Arminii verba Ann. II. 15 *hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos.*

furto noctis adgressos clamore debellastis; hi ceterorum Britannorum fugacissimi ideoque tam diu superstites. quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruebat, pavida et inertia ipso agminis sono pellebantur, sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignavorum et metuentium. quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt: novissimae res et extremo metu torpor defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, approbate rei publicae numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi." (35) et adloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma

3. *quoque* A B; sed in marg. A *quodque.* — *ruebat* scripsi: *ruere* A B, quod Spengel legi voluit ruēre; *ruerat* Urlichs. — 4. *pelluntur* Rhenanus; *pelli solent* Wex; *pelli solebant* Halm dubitanter. — 5. *quod tandem*] *quod tamdiu non invenistis, restiterunt. Sic legendum puto* A in marg. — 6. *restituerunt* B. — *novissimi nimirum* pro *novissimae res* Peter. — 7. *torpor* Ritter: *corpora* A B; *torpidam* Urlichs deleto *et* ante *extremo*; *torpidi* Peter; (*et* et *aciem* delevit Wex; *et extremus metus torpore* coniecit Schoemann. — 10. *imputare* A B; em. Puteolanus.

ideoque], praeter Taciti consuetudinem pro *eoque*.

quomodo] in comparativis enuntiatis et in dialogo et in historicis Taciti libris aliquotiens invenitur. Exempla collegit Heraeus ad H. III. 77.

penetrantibus]; sc. *nobis* (cf. c. 32 *ne terreat*, sc. *vos*). Videtur esse ablativus eius generis, de quo disputat Nipperd. ad Ann. I. 29.

reliquus] e. q. s. Conferenda sunt Cerialis verba H. V. 16 *fusos Germanos quod roboris fuerit: superesse, qui fugam animis, qui volnera tergo ferant.*

quos]. Pronomen relativum, ut fere fit in eiusmodi sententiis, ei sententiae membro accommodatum est, quod a coniunctione incipit. H. III. 36 *ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque.*

quod]. Solus hic est apud Tacitum locus, quo similis sit haec particula ei, qua causam alicuius rei requirentibus responderi solet.

non restiterunt] e. q. s. Cf. Liv. XXI. 40, 7 *nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt.*

novissimae res et extremo metu torpor]. *novissimis sermonibus; novissima in luce* c. 45. H. I. 45 *Galbae usque in extremas res amicum fidumque.* Germ. 24 *extremo ac novissimo iactu.* H. II. 48. Ann. XII. 33 *novissimum casum.* XV. 63 *novissimo quoque momento.* XI. 3 *securitatis novissimae*, ubi cf. Nipperd. *Torporem* Tacitus Vitellio (H. II. 77) et Caecinae (II. 99) tribuit. De sententia cf. Ann. XIV. 30 *novitate aspectus perculere militem, ut quasi haerentibus membris immobile corpus vulneribus praeberent.*

defixere]. Ann. I. 68 *raro super milite et quasi ob metum defixo.* XIII. 5 *ceteris pavore defixis.* Liv. XXII. 53, 6 *quod malum — cum stupore ac miraculo torpidos defixisset qui aderant.*

vestigiis], i. e. his locis, ubi constiterunt. H. IV. 60 *pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere.* II. 78 *eodem vestigio resurgens.* III. 72 *iisdem rursus vestigiis situm est.* IV. 53 *ut — templum isdem vestigiis sisteretur.*

ederetis]. Coniunctivus voluntatem fati significat, ut Germ. 29 de Batavis: *Chattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperii fierent.*

transigite]. Germ. 19 *cum spe votoque uxoris semel transigitur.* H. III. 46 *quod Cremonae interim transegimus.* Ann. XII. 19 *quotiens ignoscendo transigatur.* II. 65 *posse de controversiis colloquio transigi.* XIV. 48 *de paterna pecunia transegerat.*

quinquaginta]. Sunt re vera anni quadraginta duo (43—84 p. Chr.).

adprobate] c. acc. c. inf., ut H. I. 3 *nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus — adprobatum est — non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.*

moras — causas]. Nam utrumque et insulae amplitudini hostiumque ignaviae et priorum legatorum saevitiae tribuendum est.

C. 35.

Et] videtur respondere ei, quod sequitur *et.*

militum ardor]. Ann. II. 15 *orationem ducis secutus militum ardor.* XIV. 36 *is ardor verba ducis sequebatur.*

discursum. instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus adfunderentur. legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi, et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen in aequo, ceteri per adclive iugum conexi velut insurgerent; media campi covinnarius eques strepitu ac discursu complebat. tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla

2. *milia* Puteolanus. — 3. *victori* Peerlkamp. — 4. *bellanti* Rhenanus. — *pelleretur* Gessner. — 6. *agmen in aequo* Bekker: *agmine quo* A B; *agmen aequo* Rhenanus. — *conexi* Nipperdey: *conuexi* A B. — *velut* seclusit Nipperdey. — 7. *couinarius* B; *conuinnarius* A. — *et eques* Rhenanus. — 8. *in frontem* Froehlich: *simul in frontem* A B. — 9. *latera* A: *altera* B.

instinctos] ut c. 16. Ann. II. 46 *his vocibus instinctos exercitus.*

ruentesque]. H. III. 82 *Vitelliani desperatione sola ruebant.* IV. 78 *legio — sustinuit ruentes, mox impulit.*

auxilia — equitum tria milia]. His accedebant quattuor equitum alae, *ad subita belli retentae* (c. 37). Quae auxilia omnia quibus cohortibus quibusque alis composita fuisse viderentur, exponere conatus est Urlichs l. l. p. 29. 30.

firmarent]. Cf. c. 14 *firmatisque praesidiis* et H. IV. 33 *subsignano milite media firmare.* V. 12 *mediam urbem Joannes, templum Eleazarus firmaverat.* Ann. I. 51 *vicesima legio terga firmavit.* Liv. XXII. 46, 3 *media acie peditibus firmata.* XXIII. 29, 4.

pro vallo] non, ut videtur, ut H. I. 36. II. 26, ut sit *in vallo*, sed potius ita, ut vallum a tergo habuisse putandi sint.

victoriae], dativus, cui respondet *si pellerentur* (auxilia). Inest igitur condicionalis sententia haec: 'si vincerent'.

decus — auxilium]. Diversa est utriusque appositionis ratio. Nam *decus* ad totam quae praecedit sententiam referendum est, quippe quod in eo ipso positum sit, quod legiones pro vallo stantes pugnae expertes sunt (cf. H. IV. 18 *coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem*); *auxilium* ad subiectum praecedentis sententiae; est enim legionum ipsarum appellatio.

citra], ut c. 1 *citra fidem.*

sanguinem] c. 16. H. III. 60 *sine sanguine.* Ann. III. 89 *trucidati sunt sine nostro sanguine.* Liv. VII. 40, 2 *nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem.*

bellandi]. Genetivus gerundii significat, qua in re positum sit decus. Frequens hic usus. Ann. I. 76 *remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni — mandatum.* II. 47 *effugium subveniebat in aperta prorumpendi.* III. 63 *cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi* (cf. Nipperd.). IV. 2 *neque senatorio ambitu abstinebat clientes suos honoribus aut provinciis ornandi.* — Verbum bellandi de proelio saepius usurpatur, ut Germ. 7. Ann. I. 1. 64. VI. 35.

in speciem simul ac terrorem]. Ann. II. 6 *in speciem ac terrorem.* Germ. 38 *in altitudinem quandam ac terrorem.* Non duae res significantur, sed una, cuius generalis significatio in priore, propria in posteriore vocabulo inest. Rhetoricum autem dicendi genus in eo deprehenditur, quod vocabulis *simul ac* ita duae illae voces coniunguntur, tamquam duae sint res.

in aequo]. Huc ex sequenti *insurgerent* assumendum est *consisteret.*

velut insurgerent]. Nam re vera tota acies immota constiterat, ita tamen, ut alii supra alios starent eisque imminerent, quo factum est, ut acies quasi insurgere videretur.

covinnarius eques]. Eos *essedarios* appellat Caes. b. Gall. IV. 24, 1. cf. 33; ab eisque ipsos equites discernit. Mela III. 6 (Britanni) *dimicant non equitatu modo aut pedite, verum et bigis et curribus, Gallice armati; covinnos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.*

superante — multitudine] ut H. IV. 28.

futura erat]. In participio futuri inest significatio eius, quod quis suspicatur vel providet. Cf. c. 19 *peccaturos* et H. I. 11 *inermes provinciae — in pretium belli cessurae erant.* Ann. II. 32 *corpore validum et bello suffecturum.*

constitit. (36) ac primo congressu eminus certabatur; simulque constantia simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere, donec Agricola Batavorum cohortes *tres* ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile [parva scuta et enormes gladios gerentibus]. nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora fodere, et stratis qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu

1. *simulque* A B; sed in A *que* del. m. 1. — 2. *coetris* A; *cetris* B. — 4. *Vatavorum* A; sed corr. m. 1 suprascr. *B.* — *tres* suppl. Rhenanus ante *Batavorum*; *quinque* Ritterus ante *ac*; idem Nipperdey excidisse putat ante *Vatavorum.* — 5. *mucrones ac manus* in A m. 1 corr. ex *mucronem et manus.* — 6. [*parva....gerentibus*] Wex. — 7. [*nam....tolerabant*] Haase (*parva .....tolerabant* seclusit Nipperdey). — 8. *armarum* A; sed corr. m. 1 suprascr. *o.* — *in arto* Fr. Medicis: *in aperto* A B. — *tolerant* Muretus. — *uataui* A. — 9. *ferire ictus umbonibus* A; sed *ictus* expunxit m. 1. — *fodere* Gessner: *foedare* A (*foede recti* A in marg.); *faedare* B. — *stratis* Ernesti: *tratis* A B (*Trates vel traces* A in marg.). — 10. *coepere* A: *capere* B.

promptior in spem]. Ann. XV. 25 *promptus in pavorem.* 61 *promptum in adulationes ingenium.* Cf. H. IV. 82 *paratumque in res novas.* 76 *in arma pronum.*

firmus adversis]. Cf. *comis bonis* c. 22. Eadem est dativi vis, quae praepositionis *adversus.* H. IV. 5 *firmior adversus fortuita.* Ann. III. 18 *satis firmus — adversum pecuniam.*

pedes ante vexilla constitit. H. II. 11 *ante signa pedes ire.* *Vexilla* autem sociorum sunt, opposita legionum aquilis et signis.

C. 36.

Ac]. Enarrantur ipsius proelii varietates.

ingentibus — caetris]. Est ablativus qualitatis. Cf. Ann. III. 43 *quadraginta milia fuere, quinta sui parte legionariis armis, ceteri cum venabulis et cultris.* Alia exempla huic loco adscripsit Nipperdeius. Ablativum instrumenti cur non esse putem, ea causa est, quod missilia non gladiis aut caetris vitantur, sed ipsorum corporum inclinatione, excutiuntur autem caetris. Cf. Ann. II. 20 *funditores libritoresque excutere tela et proturbare hostem iubet.*

Batavorum]. Cf. c. 18. Batavorum cohortes, quae erant octo (Ann. XIV. 38 coll. H. I. 59) primum commemorantur in enarratione seditionis illius, quae facta est a. 61 p. Chr.

Tungrorum]. Ut *cohors I. Batavorum*, ita etiam *cohors I.* et *II. Tungrorum* saepius commemorantur in titulis Britannicis posterioris aetatis. C. J. L. VII. p. 121. 123. Adde H. II. 14.

ad mucrones ac manus]. Cf. c. 25 *ad manus et arma* et Liv. II. 46, 3 *pugna iam in manus —, iam ad gladios venerat.*

inhabile]. H. I. 79 *id — tegimen — ut adversus ictus impenetrabile, ita — inhabile ad resurgendum.* II. 87. III. 59. Ann. III. 43 *inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.*

sine mucrone], mucrone carentes.

complexum armorum], i. e. pugnam, quae fit cominus, concursu armorum et conserendis manibus.

in arto pugnam]. Ann. II. 21 (Germani) *genere pugnae et armorum superabantur, cum ingens multitudo artis locis hastas non protenderet, non colligeret.* Aliud est *in arto* H. III. 13. Ann. IV. 32.

tolerabant]. H. V. 6 de lacu Asphaltite: *neque pisces aut suetas agnis volucres patitur.*

miscere ictus], modo huc modo illuc dirigendo mucrones, ubicumque barbarorum corpora occasioni patere videbantur, celerrime mutando.

ora fodere]. Ann. II. 21 *latos barbarorum artus, nuda ora foderet.* H. I. 79. IV. 29. Cf. Ann. II. 14 *denserent ictus, ora mucronibus quaererent.* Ineptum hoc loco *foedare*, de quo cf. H. III. 77 *Iulianus ad L. Vitellium perductus et verberibus foedatus in ore eius iugulatur.*

stratis]. Idem verbum simplex H. III. 77 *sternunt inermos aut arma capientes.*

aemulatione et impetu]. Hoc quoque loco duae res diversi generis particula copulativa inter se coniunguntur. Scilicet aemulatio is erat affectus animorum, quo impulsi ceterae cohortes ardorem et impetum Batavorum imitati sunt; cf. c. 37 *et aliquando etiam victis ira virtusque.*

conisae]. H. IV. 58 *studio laetitiaque conixi.* Liv. III. 63, 4 *undique omnes conisi hostem avertunt.*

conisae proximos quosque caedere: ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. interim equitum turmae (fugere enim covinnarii) peditum se proelio miscuere. et quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant; minimeque equestris ei pugnae facies erat cum † egra diu aut stante simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant. (37) et Britanni, qui adhuc pugnae ex-

3. *enim* e. v. 5 huc transtulit Urlichs (*ut fugere covinnarii* Döderlein; *ubi f. c.* Wex; *nam f. c.* Nipperdey). — *couinnarii* B: *conuinnarii* A. — *et*] *set* B. Schulz. — *recentes* B. — 5. *equestris ei* (coll. v. 3): *equestres ea enim* A B, nisi quod in A litterae *a* m. 1 suprascr. *i*; *equestris ea iam* Haase; *equestris eorum* Peter; *aequa nostris iam* Anquetil. — *egra diu aut stante* A B: *aegre ac diu instantes* Nipperdey; *aegre iam diu adversarii stantes* Gantrelle; *aegre clivo instantes* Schoemann; *pleno gradu aut stantes* Urlichs; *in gradu stantes* Peter; *e gradu aut statu* Eussner, Blätter f. d. bayer. Gymn. XIII. p. 162. — 6. *impedirentur* B. Schulz; *pellerentur Eussner.* — 8. *experti* A.

festinatione victoriae]. H. I. 67 *initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicensimae legionis.* III. 50 *festinatio atque aviditas praepediebant, dum, quae accipi poterant, rapiuntur.*

equitum], Romanorum.

fugere enim covinnarii]. Malles *fugerant enim covinnarii.* Nam covinnarios, qui *media campi* inter utramque aciem pedestrem ante pugnae ipsius initium compleverant, impetu equitatus Romani pulsos eo loco cessisse necesse est, priusquam inter pedites *primo congressu eminus certaretur.* An scriptor huius rei mentionem facere supersedit et verbo *fugere* significavit covinnarios non modo ante pugnae pedestris initium loco pulsos, sed etiam, commisso iam peditum proelio, persequente equitatu Romano etiam longius fugisse?

intulerant]. Plusquamperfecto utitur, ut ostendat, terrorem ipso adcursu equitum esse illatum, priusquam hostium agminibus et inaequalibus locis haerere inciperent.

haerebant] cum ablativis, ut Ann. I. 65 *haesere caeno fossisque impedimenta.* De ablativo et dativo huic verbo adiuncto disputat Nipperdeius ad Ann. I. 65. 68.

minimeque equestris ei pugnae facies erat]. Haec videntur satis certa esse, cetera admodum dubia. Nuperrime de difficillimo hoc loco egit Adam Eussner, Ausführungen zu Tacitus Agricola, Blätter für d. bayer. Gymn. XIII. 4 p. 143—169. Cur minime equestris ei pugnae facies fuisse dicatur ut intelligatur, comparant Liv. XXII. 47, 1 *equitum Gallorum Hispanorumque laevom cornu cum dextro Romano concurrit, minime equestris more pugnae: frontibus enim adversis concurrendum erat, quia nullo circa ad evagandum relicto spatio hinc amnis, hinc peditum acies claudebant. In derectum utrimque nitentes stantibus ac confertis postremo turba equis vir virum amplexus detrahebat equo;* et Sall. Jug. 59, 3 (Numidae) *non, ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed adversis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostes paene victos dare.* Unde satis intellegitur, cur hoc loco equitatus Romanus, qui se peditum proelio miscuerat, non more equestris proelii pugnasse dicatur; hoc tamen incertum, qui sint putandi equorum corporibus esse impulsi, utrum ipsi equites Romanorum an eorundem pedites, quorum se proelio illi miscuerant, an Britanni. Romanorum vel equites vel pedites ut intellegantur, videntur suadere, quae secuntur: *Et Britanni, qui* e. q. s., dummodo oppositionis vim in his inesse concedas; de hostibus esse cogitandum veri simile fit comparatione loci illius Sallustiani. Quod cum incertum sit, mirum non est quod verba vel litteras *cum egra diu aut stante* satis probabiliter emendare nulli adhuc contigit.

exterriti sine rectoribus equi]. Haec expressa sunt ex Sallustio, Hist. fragm. I. 96 D. *equi sine rectore exterriti. Sine rectoribus* ut *sine mucrone* supra. Conferenda ea quoque, quae leguntur Ann. I. 65 (equi) *excussis rectoribus disicere obvios, proterere iacentes.* 66 *forte equus abruptis vinculis vagus et clamore territus quosdam occurrentium obturbavit.*

transversos aut obvios]. Non satis apparet, utrum hoc loco eidem intellegendi sint, qui antea dicuntur equorum corporibus impulsi esse, an quicumque permixtae illi pugnae intererant, et Britanni et Romani, et equites et pedites.

pertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant, ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad subita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius adcucurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. ita consilium Britannorum in ipsos versum, transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi vulnerare capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. passim arma et corpora et laceri artus, et cruenta humus; et aliquando etiam victis ira virtusque. postquam silvis appropinquaverunt, idem primos sequentium, incautos collecti et locorum gnari circumveniebant. quodni frequens ubique Agricola validas et expeditas co-

1. *summam* A; sed corr. m. 1. — 2. *digredi* B. — *et*] *ac* B. — *circuire* B. — *vicentium* B. — *ni* A: *in* B. — 4. *occurrerant* B. — 8. *oblatis* Rhenanus: *ablatis* A B. — 10. *ultro contra ruere* Halm. — 11. *est aliquando* Bosius; *sed aliquando* Halm. — 13. *idem* Goebel et Madvig: *ntem* A (in cüius margine crux, corruptelae indicium); *item* B; *iterum* Dronke; *tum* Peerlkamp; *identidem* Hutter; *inde* Ritter (*acerrimos* Urlichs). — 13. *gnari* Dronke: *ignari* A B; *ignaros* Puteolanus; *ignaros gnari* alii. — 14. *infrequens* B.

C. 37.

vacui], pugnam ceterorum otiose spectantes. Dial. 7 *non solum apud negotiosos et rebus intentos, sed etiam apud vacuos et adulescentes.*

vincentium], ut H. II. 23. IV. 78. In eo enim erat, ut Romani vincerent, quamquam equitatus Romanus, permixta equitum peditumque pugna, angusto spatio impeditus suo more rem gerere non potuerat.

coeperant, ni]. Cf. *hausisse, ni* c. 4.

ad subita belli]. H. V. 16 *dux sibi delectos retinuerat ad inprovisa.* Aliud est *subita belli* H. V. 18 *quando impetus et subita belli locus abnueret.* — *belli*, i. e. proelii ut c. 38 *bellandi*, i. e. pugnandi. Liv. XXI. 8, 2 *itaque acrius de integro coortum est bellum.*

transvectaeque]. Particula *que* id adiungitur, quo factum est, ut consilium Britannorum in ipsos verteretur.

Tum vero] c. q. s. Imitatus est Sallustium Iug. 101, 11 *tum spectaculum horribile in campis patentibus: sequi, fugere, occidi, capi; equi atque viri adflicti, ac multi volneribus acceptis neque fugere posse neque quietem pati, niti modo ac statim concidere; postrema omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus, et inter ea humus infecta sanguine.*

prout cuique ingenium erat]. H. II. 5 *ut cuique ingenium, spoliare, capere, arma equosque abripere.* Pro suo quisque ingenio aut fugae se mandabat aut morti se offerebat. Genetivus *hostium* autem et a voce *catervae* pendet at a pronomine *quidam.*

catervae], fortuito conglobatae. Solet hoc vocabulum de barbaris usurpari, ut de Britannis Ann. XII. 33 *catervaeque armatorum pro munimentis constiterant.*

paucioribus terga praestare]. Ann. III. 20 *quod — desertoribus miles Romanus terga daret.* Insolentius hoc loco *praestare.*

ultro], ut c. 25 *oppugnare ultro castella adorti.*

ruere], ut *ruentes* c. 35.

passim], permixta et coacervata. Mirum est, quod nullus editorum post *artus* interpungendo vocabulum *passim* ad extrema verba *et cruenta humus* non pertinere declaravit.

aliquando etiam victis]. E Vergilii Aen. II. 367 *quondam etiam victis redit in praecordia virtus.* Hi autem, cum usque ad extrema fortissime depugnent, opponuntur inermibus illis, qui desperatione fracti ultro se morti offerunt.

idem], victi, quibus ira virtusque fuit.

primos sequentium]. His, quos raros ac dispersos secutos esse ipsa res docet, opponuntur *collecti* hostes, *incautis locorum gnari* (*gnari locorum* H. II. 13. 85). De toto loco cf. Liv. XXII. 31, 4 *itaque in insidias temere illati cum a frequentibus palantes et ignari ab locorum gnaris circumvenirentur, — retro ad naves compulsi sunt.*

frequens ubique]. Cf. *multus in agmine* c. 20 et Nipperdeium ad Ann. IV. 3. 55 *adesse frequens senatui.*

indaginis modo]. Liv. VII. 37, 14 *cum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites*

hortes indaginis modo, et sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi invicem longinqua atque avia petiere. finis sequendi nox et satietas fuit. caesa hostium ad decem milia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere, in quis Aulus Atticus praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus. (38) et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus; Britanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere, eligere latebras et statim relinquere; miscere invicem consilia aliqua, dein separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari. satisque constabat

1. post *modo* lacunam statuit Nipperdey. — 2. *equitem persultare* Rhenanus: *equite persultari* A; *equites perlustrari* B; *equitem perlustrare* Urlichs. — 4. *versi* Puteolanus: *versis* A B. — 5. *nec*] *sed* Acidalius. — ante *rari* add. *sed* Bipontini. — 6. *sauetas* B. — *caesi* Ritter. — 7. *queis* B. — *A.* B. — 9. *Britannique* A B. — *palantas* A; sed *a* in *e* mutavit m. 1. — 10. *proratu* B. — 12. *aliqua* seclusit Classen. — *dein* B.

ageret. Caes. bell. Gall. VIII. 18 *hostes — campum — velut indagine insidiis circumdederunt.*

persultare], proprie dictum de equitibus equis insidentibus. Inde assumendum per zeugma aliud verbum, quod possit dici de cohortibus eaque equitum parte, quae equos dimiserat, velut *progredi.*

vulnus], damnum. c. 29 *domestico vulnere ictus.*

foret], ut c. 16 *amissa Britannia foret.*

agminibus]. De ablativo modi cf. Nipperdeium ad Ann. IV. 51.

vitabundi]. Tamquam participio praesentis additur *in vicem.* Asyndeton ante *rari* vim oppositionis auget. Cf. Ann. V. 3 *non arma, non rerum novarum studium, amores iuvenum et impudicitiam nepoti obiectabat.* Vitabant autem inter se, et quia fugae pudebat et ne quis fugam moraretur.

petiere]. Cf. H. I. 81 *vitata comitum et servorum frequentia rari — incertas latebras petivere.*

nox et satietas]. Pro commentario est Ann. II. 21 *ceterae ad noctem cruore hostium satiatae sunt*; et I. 68 *vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit.* De coniunctis inter se diversi generis rebus cf. c. 25 *copiis et laetitia,* et exemplis ibi allatis adde H. IV. 14 *nocte ac laetitia incaluisse.* Ann. XIII 15 *quia dissimulationem nox et lascivia exemerat.*

fuit]. Liv. XXI. 56, 7 *finis insequendi hostis Poenis flumen Trebia fuit.* Agr. 30 *hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore.*

in quis — inlatus]. Quae hoc loco de A. Attico commemorantur, similia sunt eis, quae c. 28 de Usiporum casibus vitae Agricolae inseruntur, a qua uterque locus videtur esse alienus. De his ac similibus libri partibus, quae propius ad similitudinem Historiarum et Annalium accedunt, quid sentirem, paucis dixi in eis, quae commentario c. 10 praemisi.

C. 38.

gaudio praedaque]. Priori vocabulo, quod affectum animorum significat, additur una ex eis rebus, quibus affectus ille movetur. Neque enim solum praeda, sed etiam ipsa victoria gaudebant.

palantes], non vagi, sed dispersi. Cf. Nipperdeium ad Ann. I. 30.

virorum mulierumque ploratu]. Ann. III. 1 *idem omnium gemitus, neque discerneres proximos alienos, virorum feminarumve planctus.*

trahere — vocare] c. q. s. De collocatione verborum cf. c. 32 *adgnoscent.*

per iram], ut H. III. 84. Ann. II. 68.

miscere]. Ann. XV. 68 *sed ex coniuratis consilia cum Vestino non miscuerant quidam.* H. II. 7 *mixtis consiliis.*

aliqua]. Hoc addidit, ut significaret consilia Britannorum subito potius ac temere capta esse, quam diligenti deliberatione ante instituta.

separare]. H. IV. 64 *ne quis occulere quicquam aut segregare causam suam possit.* Ann.

saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in finis Borestorum exercitum deducit. ibi acceptis obsidibus praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. datae ad id vires, et praecesserat terror. ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. et simul classis secunda tempestate ac fama Trucculensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

1. *misereret* B. — 2. *deserti* Ernesti. — 4. *nec* B. — 6. *profecto* B. — 9. *terrentur* B. — 10. *trucculentem* A; sed corr. m. 1, suprascr. *s*; *trutulens est* B; *Trutu. Al.* A in marg. — 11. *proximo*] *profecta* Henrichsen. — post *proximo* Madvig inseri vult *anno*. — *litore* Puteolanus. — *lecto*] *Praelecta Al.* A in marg. — *reditura erat* Madvig (*omnia aperta repererat* vel *praealta oceani repererat* Urlichs).

III. 15 *segregari a marito, dividere defensionem coepit.*

tamquam] ut c. 25 *tamquam — clauderetur.* Saevitiae causam eos, qui saevitiae testes fuerant, misericordiam rettulisse significatur. Scilicet noluisse barbaros pignora sua in servitutem abstrahi. Cf. Verginii apud Livium verba III. 50, 6 *morte amitti melius ratum quam contumelia liberos, misericordia se in speciem crudelitatis lapsum.*

faciem victoriae], ut c. 36 *pugnae facies.* Similiter H. II. 42. III. 30 *nova laborum facies.* Ann. XIII. 38 *in faciem pacis.* XIV. 8 *aliam fore laetae rei faciem.* I. 41 *velut in urbe victa facies.* 49 *diversa omnium, quae umquam accidere, civilium armorum facies.*

aperuit] ut c. 22 in. et H. IV. 29 *sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit.* 62 *detexit ignominiam campus et dies.*

vastum — silentium], ut H. III. 13 *vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt.* Ann. IV. 50 *clamore turbido, modo per vastum silentium.*

secreti]. Bene Ernestius *deserti* (cf. H. III. 84 *in Palatium regreditur vastum desertumque*), nisi forte *secreti colles* insolentius dicuntur colles a coetu et frequentia hostium, qui eos pridie insederant, tunc pulsi erant, interclusi, sicut Ann. XIV. 22 *secreta domus* dicitur ea, unde prohibentur amici.

procul] est pro adiectivo.

conglobari]. Ann. XII. 7 *conglobatur promisca multitudo.*

et — nequibat]. His verbis parum apta est *ubi* particula; quare per zeugma inde assumendum *quia.*

spargi]. Ann. III. 21 *Sed Tacfarinas perculsis Numidis et obsidia aspernantibus spargit bellum, ubi instaretur, cedens ac rursum in terga remeans.*

Borestorum], de quorum sedibus nihil constat.

circumvehi — praecipit], ut c. 46 *praecepirim — venerari.* Idem verbum sequitur *ut* H. IV. 83. Etiam *perpellere* et cum infinitivo et cum *ut* particula coniungitur (H. V. 2. Ann. VI. 33. XI. 29. H. III. 54. cf. Heraeum), *monere* cum infinitivo H. IV 38. V. 24. Ann. XIII. 37; *imperare* Ann. II. 25. XV. 28; *suadere* Ann. XIII. 37; *hortari* XI. 16; *denuntiare* XI. 37; *mandare* XV. 2. — Ceterum eius navigationis mentionem iam fecit c. 10.

peditem atque equites]. Eadem numerorum varietas Germ. 6 *et eques quidem — pedites.* Ann. I. 7 *consules, patres, eques.*

lento itinere]. H. II. 83 *non lento itinere — neque tamen properans.* 93.

quo]. Hoc explicatur verbis *ipsa transitus mora* nec ad substantivum *itinere*, sed ad totam sententiam referendum est. Ceterum cf. H. II. 32 *transpadanam Italiam — ipso transitu exercitus vastam.*

novarum], nuper domitarum.

Trucculensem portum], de cuius situ nihil constat.

unde — redierat]. *Unde* tantummodo ad *lecto* referendum, ut ad participia *hausta* et *adepto* Ann. XV. 44 *unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est*; H. III. 6 *unde — primum pilum adepto laeta ad praesens mox in perniciem vertere*, coll. Ann. XV. 43 *finivitque tempus, intra quod effectis domibus aut insulis apiscerentur*, cui loco plures similes adscripsit Nipperdeius. Ad verbum *redierat* autem ex *unde* assumendum *eo*, plane ut Ann. XV. 52 *in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat*, ut haec sit sententia: 'unde egressa proximum latus Britanniae legerat eoque redierat'. Proximum autem Britanniae latus est *novissimi*, quae c. 10 dicitur, *maris ora.* Scilicet ante hanc navigationem incertum fuerat, possetne navis septentrionalem insulae partem inde a Bodotria et Clota circumvehi. Ergo ex portu Trucculensi, qui haud procul a Bodotria situs fuisse videtur, classis latus orientale in septentrionem

(39) Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet; cetera utcumque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. talibus curis exercitus, quodque saevae

1. *in illa* B. — 2. *auctum* Lipsius: *actum* A B. — *ut Domitianus erat* B; *Al. ut erat Domitianus* A in marg. — 3. *excipit* A; *caepit* B. — 4. *crines* Puteolanus: *crinis* A B. — 5. *formarent* B. — 7. *principem* Nipperdey. — 9. *cetera* Wex: *et coetera* (vel *caetera*) A B. — 10. *quodue* B.

versus et partem lateris occidentalis circiter usque ad Clotam aestuarium legit, unde eodem fere cursu relecto rursum ad portum illum appulit. Insulam autem postquam Britanniam esse compertum est, augeri coepta est spes facilius eam sub dicione Romana posse retineri. — Plusquamperfectum autem *redierat* recte se habet, si id ad perfectum *tenuit* rettuleris; nam qui tenet portum, rediit. Denique profecta est classis ex portu illo, dum Agricola in finibus Borestorum moratur, circumvecta est Britanniam et eundem cursum relegit, dum ille exercitum lento itinere in hiberna ducit.

C. 39.

nulla]. Negatio ad totam sententiam referenda, ut c. 16 *nullis delictis invisus.*

epistulis]. Saepissime in Annalibus et Historiis hoc plurali utitur, ubi unam epistolam intellegi vult.

ut Domitiano moris erat, — excepit pro eo quod est: *Domitiănus, ut ei moris erat, excepit.* Plancus apud Cic. ad fam. X. 21, 4 *accessit eo, ut milites eius, cum Lepidus contionaretur, — conclamarent* e. q. s. (i. e. milites Lepidi, cum is contionaretur,). Caes. b. G. V. 19, 2 *et magno cum periculo nostrorum equitum cum iis confligebat* (i. e. et cum nostris equitibus magno cum periculo eorum confligebat).

pectore anxius], ut H. II. 65 *laetitiam et gratulationem voltu ferens, animo anxius.* II. 1.

inerat conscientia]. H. IV. 41 *quis flagitii conscientia inerat.* III. 86 *inerat tamen simplicitas ac liberalitas,* Ann. XV. 31.

falsum — triumphum]. Dio LXVII. 4 ad a. 84: ἐκστράτευσας δὲ εἰς τὴν Γερμανίαν καὶ μηδ᾽ ἑωρακώς που πόλεμον ἐπανῆκεν. Suet. Dom. 6 *de Chattis Dacisque post varia proelia duplicem triumphum egit.* Plin. pan. 16 *accipiet ergo aliquando Capitolium non mimicos currus nec falsae simulacra victoriae.* Tac. Germ. 37 (Germani) *rursus inde* (i. e. e Galliis) *pulsi proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.*

emptis] e. q. s. Idem fecerat Caligula. Suet. Cal. 47 *coegitque non tantum rutilare et submittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere.*

per commercia], ut c. 28 *per commercia venumdatos.* Id autem additum est, ut significaretur homines illos solito more, quo servi emi solebant, nullo delectu habito esse collectos et ob eam causam diversissimarum fuisse gentium.

in — speciem], ut c. 35 *in speciem simul ac terrorem.*

id] referendum est ad ea quae praecedunt, explicatur autem infinitivo qui sequitur.

frustra — si e. q. s. Ann. XVI. 22 *frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es.*

studia fori], eloquentiam forensem, quae pericula afferebat eis, qui in ea eminebant, quae causa fuit, cur silere satius ducerent.

civilium artium], quae ad rempublicam gerendam pertinent, senatori maxime utiles. H. II. 5 de Muciano: *dispositu provisuque civilium rerum peritus.* Ann. III. 75 *principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus.* Cf. Plin. ep. VIII. 14, 2 *priorum temporum servitus ut aliarum optimarum artium sic etiam iuris senatorii oblivionem quandam et ignorantiam induxit.* pan. 66 *terror et metus et misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut a re publica* (*nulla erat autem omnino res publica*) *oculos aures animos amoveremus.* 76 *quis antea loqui, quis hiscere audebat praeter miseros illos, qui primi interrogabantur?*

decus]; nam civiles artes decus adferunt. Ann. I. 35 *ubi modestia militaris, ubi veteris disciplinae decus.*

alius], quam ipse.

utcumque]. De hoc vocabulo disputat Nipperdeius ad Ann. II. 14; de hoc ipso loco Mus. Rhen. XIX. p. 112.

imperatoriam]. Est praedicatum. Ducis boni virtute homines principi ipsi aequari. *Imperato-*

cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in praesentia statuit reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. (40) igitur triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem, et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. credidere plerique libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus

2. *excitus* B. — 3. *nam...obtinebat* spuria iudicavit Nipperdey. — 5. *additque* Muretus. — 7. *Atili* A; *Actilii* B.

rius de principe dicitur H. I. 18. Ann. I. 46. XIII. 2. 9. 18. XV. 12. XVI. 28. Ceterum ad complendam oppositionem talia fere mente addenda sunt: 'et tam manifestam esse aemulationem, ut dissimulari nequiret'.

exercitus], agitatus, vexatus.

quodque — erat]. Praemissa est appositio; nam haec verba referenda sunt ad ea quae secuntur; cf. c. 1 *vitium — commune.*

secreto suo (i. e. quod ei proprium erat) *satiatus*]. i. e. postquam odio suo tacita mente recondito satis se ipse quasi pavit. cf. Plin. pan. 48 de Domitiano Albano suo incluso remotoque ab hominum frequentia: *nuper illa immanissima belua — velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret, — non adire quisquam, non alloqui audebat tenebras semper secretumque captantem nec umquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.*

in praesentia]. Ceteris fere locis Tacitus dicit *in praesens.* Cf. Heraeum ad H. IV. 58.

reponere odium. Sic de Tiberio Ann. I. 69 *accendebat haec onerabatque Seianus, peritia morum Tiberii odia in longum iaciens, quae reconderet auctaque promeret,* III. 64 *idque ille credebatur — gravi et dissimulata offensione abdidisse.* De Nerone Ann. XVI. 5 *dissimulatum ad praesens et mox redditum odium.*

impetus famae — languesceret. Ann. IV. 21 *etiamsi impetus offensionis languerat.*

C. 40.

triumphalia ornamenta] e. q. s. Ea erant toga picta, tunica palmata, corona laurea, sella curulis. *Illustris* vel *triumphalis* (Ann. XV. 72. H. I. 79) vel *laureata* (Ann. IV. 23) *statua* ponebatur in foro Augusti. Dio LV. 10 de Augusti praecepto: καὶ ἐκείνους τε (eos scilicet, qui ipsum triumphum adepti essent) καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τὰς ἐπινικίους τιμὰς λαμβάνοντας ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦς ἵστασθαι. Ipse triumphus, ex quo Agrippa triumphum sibi decretum a. 19 a. Chr. iterumque a. 14 a. Chr. recusavit, in honorem principis, cuius auspiciis bella gerebantur, eorumque, qui in domo eius erant, reservabatur, ceteris triumphalia ornamenta concedebantur.

quidquid]. Sic saepe latini, ut totam rem complectantur, enarratis antea singulis eius partibus, quae quidem maximi momenti sunt. Dicunt tamen in eiusmodi sententiis etiam *quicquid aliud* (sic dial. 19; *quicquid* 35). Hoc loco supplicationem maxime et sacra intellege.

multo verborum honore]. H. IV. 4 *multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civium data.* Vocabulum honoris autem hoc loco iterum ponitur eo consilio, ut parem fuisse verborum honorem ei, qui illustri statua decreta Agricolae habitus sit, ipsorum vocabulorum similitudine significetur. De hac forma dicendi disputavit Joh. Müller, Beiträge zur Kritik und Erklärung des Cornelius Tacitus. IV. Innsbruck 1875 p. 18 sq.

iubet]. Triumphalia ornamenta inde a Vespasiani, ut videtur, temporibus a senatu decreta non sunt nisi auctore principe.

addique] e. q. s. Haec verba, ut videtur, eam vim habent, ut Domitianus putandus sit senatus decretum illud de Agricolae honoribus eis verbis confici iussisse, ex quibus posset deprehendi etiam maiori honori eum destinari.

vacuam]. H. IV. 39 *citeriorem Hispaniam — discessu Cluvii Rufi vacuam.* Ann. II. 76 *repeteret provinciam non iure ablatam et vacuam.* XIV. 26 *in Suriam — morte Ummidii legati vacuam.* VI. 40 *sacerdotia — ut vacua contulit in alios.* Cf. Heraeum ad H. II. 14.

Atilii Rufi]. T. Atilius Rufus Pannoniae praefuerat a. 80 p. Chr., quod docet titulus C. I. L. III. 2 p. 854: *quae* (alae et cohortes) *sunt in Pannonia sub T. Atilio Rufo.*

maioribus], i. e. viris illustrioribus. Sic *minores* dicit H. IV. 48. Ann. XV. 16. 20.

credidere plerique] cum vi quadam in initio sententiae ponitur, ut H. II. 99. Similiter *credebant plerique* Ann. IV. 18; *credidere quidam* II. 43; I. 29. XIII. 17 *tradunt plerique;* VI. 23. XV. 45 *tradidere quidam.* Agr. 9 *credunt plerique.*

ministeriis]. Concretum intellege, ut Ann. XIII. 27 *Quippe late fusum id corpus* (libertinorum). *hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas.* Horum ministeriorum (*a rationibus, a libellis, ab epistulis,* alia) per liber-

ei Syria dabatur, tulisse cum praecepto ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse, sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in Palatium, ita ut praeceptum erat, venit; exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. Ceterum uti militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus hausit, cultu modicus, sermone facilis,

1. *eis* B. — *Britanniam* A B; unde *Britannia etiam* legendum esse conicit Halm. — 7. *praetemptum* B. — 8. *turbae* om. B. — *imistus* B. — 10. *hausit* Wex: *auxit* A B.

tos agi solitorum partem a Vitellio primo in equites Romanos dispositam esse Tacitus refert H. I. 58.

dabatur]. Imperfecto utitur ad significandam rem, quae ne postea quidem perfecta est.

foret]. Hoc plane idem esse atque *esset*, optime docent loci quales sunt H. IV. 86 *traditurus foret*. Ann. II. 30 *habiturus foret*. — Etsi iam revocaverat Agricolam (quod ipsum referre Tacitus supersedit), tamen Domitianus, ut erat suspicacissimus, metuebat, ut Agricola iusso obtemperaret, quamobrem eum, si etiam tunc in Britannia esset, oblata Syria provincia elicere constituerat.

eumque libertum]. Hoc repetitur ad augendam orationis perspicuitatem. Cf. Joh. Mueller l. l. p. 18.

in ipso], ut *in ipsa Britannia* c. 23.

freto Oceani], freto Gallico.

sive — sive]. Adduntur haec non rei ipsius, quam modo rettulit, narrationi, sed sententiae, quae supplenda est, tali: *quod equidem tacendum non esse putavi*. Similiter c. 43 *sive cura illud sive inquisitio erat*.

tradiderat] cum gravitate in initio ponitur, ut significetur id re vera iam esse factum, quod utrum factum esset necne princeps dubitabat. Factum autem id est vere a. p. Chr. 85.

successori suo]. Is quis fuerit, nescimus, nisi quod Suet. Dom. 10 commemorat Sallustium Lucullum Britanniae legatum a Domitiano interemptum esse, quod lanceas novae formae appellari Luculleas passus esset.

occurrentium]. Pendet hic genetivus a *frequentia*, non item a *celebritate*.

vitato] e. q. s. H. I. 81 *vitata comitum et servorum frequentia*. II. 64 *vitata Flaminiae viae celebritate*.

officio] ut c. 18.

ita ut praeceptum erat]. Haec videntur referenda esse tantummodo ad proxima verba: *noctu in Palatium*.

exceptusque]. Ann. II. 42 *in urbem properat exceptusque immiti a principe* e. q. s. H. I. 48. IV. 83.

brevi osculo]. Ann. XIII. 18 *post breve osculum digrediens*. H. II. 59 de Vitellio: *brevi auditu quamvis magna transibat*.

immixtus est]. Vere passivam formam esse cognovit Peterus, qui recte ita explicat: 'Cum brevi osculo et nullo sermone exceptus est, a Domitiano servientibus aequatus, i. e. non maior illi honos quam illis tribui solebat, habitus est'.

ceterum]. Ad ipsum redit oratio.

grave inter otiosos], periculosum eo loco, ubi nulli erant nisi otiosi, qui cum in magnorum virorum fama differenda otium consumerent, gloriam eius sermonibus augebant.

hausit]. Certa est emendatio; nam etsi *otium haurire* alias non legitur, tamen tale obiectum a natura huius verbi non est alienum.

comitatus] c. abl., ut Ann. XIV. 8 *trierarcho Herculeio — comitatum*. Cf. *saeptus armatis* H. IV. 2. — Similia de Seneca tradit Ann. XIV. 56 *instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantes, rarus per urbem, quasi valitudine infensa aut sapientiae studiis domi adtineretur*.

per ambitionem]. *Ambitio* eius est, qui aliorum admirationem captat (sic c. 1 et c. 29 *ambitiose*) ostentando nominis claritatem et comitum frequentiam. Cf. Germ. 27 *funerum nulla ambitio*, i. e. funera non sunt ad ostentationem composita. *Per* autem eandem habet vim instrumentalem, quam ablativus, cuius usus frequentior, velut Liv. XXII. 8, 4 *quodcumque adversi inciderit, non rerum magnitudine, sed viribus extenuatis — aestimandum esse*.

aspectoque]; non viso solum, sed etiam habitu eius et comitatus specie oculis lustrata.

quaererent] e. q. s., quasi mirabundi quaererent, qui factum esset, ut tantam famam adipisceretur is, in quo tam insignem viderent simplicitatem.

interpretarentur]. Breviter dictum est *famam interpretari* in hanc sententiam: intellegere, veram magnamque famam non abhorrere ab eius famae dissimulatione.

C. 41.

per eos dies], qui reditum ex Britannia secuti sunt.

absens accusatus, absens absolutus est]. Non cogitandum esse de accusatione adversus Agricolam frustra suscepta et de indicio rite habito inde apparet, quod nec reus in ius vocatus est ad causam dicendam nec crimen ullum causa periculi fuit. Neque enim accusatio institui potest nisi crimine prolato.

uno aut altero amicorum comitatus, adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

(41) Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, laudantes. et ea insecuta sunt rei publicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent: tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. ita cum damna damnis continuarentur atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum

8. *Moesia* Lipsius: *Misia* A B. — 10. *vici* J. Fr. Gronov. — 11. *possessionum* B. — 14. *vigorem, constantiam* A.

Immo invidi et inimici Agricolae secretis criminationibus principem in suspiciones pronum perpellere conati sunt, ut saevis cogitationibus indulgeret; nec tamen eis obsecutus est Domitianus.

sed infensus] e. q. s. Tres afferuntur causae periculi Agricolae, invidia principis, quem aliena virtus offendebat, qua invidia inimici Agricolae abutebantur, gloria ipsius ipsi periculosa (cf. c. 5 *nec minus periculum ex magna fama quam ex mala*), quae a laudantibus insuper augebatur, augendi scilicet periculi causa.

infensus virtutibus princeps], i. e. 'quod princeps infensus erat virtutibus'. Cf. c. 11 *colorati vultus* e. q. s. *virtutibus* ita interpretandum, ut *virtus* c. 1. Ad sententiam cf. Ann. IV. 38 *etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens.*

ac pessimum] e. q. s. De praemissa appositione cf. H. I. 15 *irrumpet adulatio, blanditiae, et pessimum veri adfectus venenum, sua cuique utilitas.*

sinerent], quamvis ipse eniteretur, ut homines in oblivionem nominis sui militaris adduceret.

in Moesia Daciaque], in bello adversus Dacos a. p. Chr. 86 suscepto. Suet. Dom. 6. Dio LXVII. 6. 7.

Germania et Pannonia], adversus Marcomannos et Quados.

temeritate aut per ignaviam], solita apud Tacitum orationis varietate.

militares viri], ut H. II. 75. III. 78. Ann. IV. 42. XV. 10. 26. 67.

expugnati]. Castella, quibus praeerant, expugnata, ipsi capti sunt. Sic etiam H. V. 12 *et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere.* III. 19 *victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt*; et iam apud Caesarem b. Gall. VII. 10, 1 *stipendiariis Aeduorum expugnatis.*

limite]. Videtur limes ille clarissimus inter Danubium et Rhenum intellegendus esse (Germ. 29). *Ripa* autem, quae saepius est ripa Rheni (sic c. 28), hoc loco est ripa Danubii, finis imperii. — Ceterum similia de Dacorum incursione a. 69 narrantur H. III. 46: *expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur. Iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset* e. q. s.

possessione], provinciarum. Bene affert Kritzius Cic. Acad. II. 43, 132 *est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio.*

continuarentur]. Liv. II. 54, 2 *continuatur paci externae confestim discordia domi.*

omnis annus], a. 86 p. Chr. et qui proxime secuti sunt.

expertum bellis animum]. H. IV. 42 *ingenium — nullis defensionibus expertum* (at 76 *veterem expertumque belli*). H. I. 8 *bellis inexpertus.* II. 75 *legiones civili bello inexpertas.*

aliorum]. Conieci hoc ex similitudine eorum, quae leguntur H. III. 8 *ut — vulgus et ceteri unum virum ducemque, spreta aliorum segnitia, laudibus ferrent.*

satis constat], ut c. 18.

dum], in qua particula sexcenties apud Tacitum praeter significationem eorum, quae eodem tempore facta sunt, quo ea, quae primario enuntiato continentur, etiam causalis vis inest, hoc uno loco non cum praesenti, sed cum imperfecto tempore coniungitur. Extant tamen huius particulae idem significantis cum imperfecto coniunctae apud alios

inertia et formidine aliorum. quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem extimulabant. sic Agricola simul suis virtutibus simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

(42) Aderat iam annus, quo proconsulatum Africae et Asiae sortiretur, et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat nec Domitiano exemplum. accessere quidam cogitationum principis periti, qui iturusne esset in provinciam ultro Agricolam interrogarent. ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in adprobanda excusatione offerre, postremo non iam obscuri suadentes simul terrentes-

1. *inerciae et formidini Al.* A in marg. — *aliorum* nos cum Bipontinis: *eorum* A B; *ceterorum* Grotius; *priorum* Nolte; *imbelliorum* Urlichs. Lacunam statuit Bach, quam sic explevit Halm: *quibus exercitus committi solerent.* — *Domitianum* B. — 3. *fide. pessimi* A. — 4. *aliorum ipsa gloria* Madvig. — 6. *Asiae et Aphricae* B (pro *et* Lipsius *aut*, Nipperdey *vel*); seclusit Urlichs. — 7. *aderat* B. — 11. *iam* Rhenanus: *tam* A B.

scriptores exempla, velut Nep. Hann. 2, 4 *quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me* e. q. s.

amore et fide] (cf. H. II. 7 *optimus quisque amore rei publicae*). Hi ablativi sunt causales, qui secuntur *malignitate et livore* instrumentales. Nam optimus quisque amore et fide erga principem adducti suadebant, ut Agricolam ducem eius belli faceret, pessimi malignitate et livore animum eius imbuebant et exstimulabant (cum dicerent Agricolam ore vulgi usurum ad extorquendum principi eius belli imperium), eo consilio, ut odium eius adversus Agricolam intenderent. Ceterum *exstimulabant* tantummodo ad posterius orationis membrum accommodatum est; nam prius desiderat verbum quale est *adhortabatur* (scilicet, ut Agricolam mitteret). Simile est zeugma dial. 25 *solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse.*

pronum deterioribus]. Neutrum genus intellege, de cuius usu Nipperdeius ad Ann. III. 18. *Pronus* c. dat. ut Ann. IV. 29 *offensioni proniores* (cf. *promptus ferocibus* II. 78; *facilem inanibus* II. 27); at H. II. 21 *pronum ad suspiciones.* Cf. etiam Ann. I. 29 *promptum ad asperiora ingenium Druso erat.*

suis virtutibus — vitiis aliorum]. Eadem oppositio H. IV. 34 *non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus. Vitia* autem sunt hominum *malignitas et livor*, quibus virtutes Agricolae attollebantur.

praeceps agebatur]. Nam gloriam periculum ac perniciem afferre identidem scriptor in hoc libro monuit. Cf. Ann. XV. 23 *unde gloria egregiis viris et pericula gliscebant.*

C. 42.

proconsulatum Africae et Asiae]. Harum provinciarum, quae in numero erant senatoriarum, proconsulatum duo, qui quoque anno vetustissimi erant consulares, ita sortiebantur, ut alter Asiam, alter Africam sorte nancisceretur. Temporis autem intervallum, quod intercedebat inter consulatum et sortitionem Asiae et Africae cum Augusti temporibus quinque plerumque vel sex annorum fuisset, postea paullatim auctum est (Waddington, fastes des provinces Asiatiques p. 12). Cuius rei ratione habita, Waddington eum annum, quo Agricola, qui consul factus erat auctumno a. 77, proconsulatum Asiae et Africae sortiretur, fuisse annum vel 89 vel 90 conicit. Similiter Urlichs l. l. p. 32.

occiso Civica nuper]. Sex. Vettulenus Civica Cerialis, cum bello Judaeico bene de re publica meruisset (Joseph. bell. Jud. VI. 4, 5. VII. 6, 1), redux ex Judaea praemium accepisse videtur consulatum a. 73 vel 74. Ex consulatu legatus Augusti Moesiae praefectus est, in qua provincia Rubrio Gallo successisse videtur. Cf. titulum Sebastopolitanum (Stephani, Mélanges Gréco — Romains II. p. 236): .... Κεριᾶλιν, αὐτοκράτορος Οὐ[εσ]πασιανοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ πρεσβευτὴν καὶ ἀντιστρατηγόν, ὁ δᾶμος. Pro consule Asiae praefuisse videtur anno ante eum annum, quo Agricola proconsulatum sortitus est, i. e. circiter anno 88. Praeterea Cerialis commemoratur in titulo Venafrensi I. R. N. 4636. De morte eius Suet. Dom. 10 *complures senatores et in his aliquot consulares interemit, in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu.*

consilium]. Agricola, cum facile intellexisset se, nisi abnueret, eandem fortunam laturum, quam Civica passus erat, certus erat abnuendi. — Sub

que pertraxere ad Domitianum. qui paratus simulatione, in adrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et cum adnuisset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia. salarium tamen proconsuli consulari solitum offerri et quibusdam a se ipso concessum Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse. proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: Domitiani vero natura praeceps in iram et, quo obscu-

1. *nis Al.* ad *simulatione* in marg. A. — 3. *proconsuli consulari* Mommsen: *proconsulari* A B; *proconsulare* Bletterius.

Tiberio a. 36 C. Galba, *tristibus Caesaris litteris provinciam sortiri prohibitus*, voluntario exitu cecidit (Ann. VI. 40).

exemplum]. Domitiano promptum fuit, si Agricola deterreri non posset, ne proconsulatum sortiretur, idem in eum quoque statuere, quod modo in Civica tuto ausus esset. Cf., quae de Agrippina dicit, ubi necem Britannici vidit, Ann. XIII. 16 *quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat.*

ultro]. Non, inquit, satis habuerunt, opperiri, dum Agricola sua sponte se excusaret.

ac]. Eam enim rem, quam modo significavit, copiosius persecuturus est. Cf. c. 36 in.

occultius]. Hoc adverbio non significatur, quo modo otium et quietem laudaverint, sed quam rationem primo, cum laudarent otium et quietem, inierint. Opponitur *non iam obscuri*. De adverbio et adiectivo inter se mutatis cf. H. III. 9 *Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur.* Ann. III. 29 *qui eiusmodi preces occulti inluderent.* IV. 12 *domumque Germanici revirescere occulti laetabantur.* IV. 40.

quietem et otium], ut c. 6. — De tota autem re confer, quae de Rhescuporide, Threcum rege, Ann. II. 67 traduntur: *Circumdata hinc regi specie honoris valida manus; tribunique et centuriones monendo suadendo, et quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere.*

paratus], sc. ad audiendum Agricolam. Additur ablativus instrumenti *simulatione*. Simulabat autem nescium se esse, quo consilio homines illi *cogitationum principis periti* Agricolam convenissent.

in arrogantiam compositus]. Ann. III. 44 de Tiberio: *in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato.* Arrogantia in eo cernebatur, quod rogari sē volebat id, quod flagrantissime concupiscebat.

excusantis], absolute positum. Aliis locis aut *se excusare* legitur aut *excusare aliquid* ita, ut pro obiecto sit causa, ab eo, qui excusat, prolata. Ann. III. 35 *intentius excusante se Lepido, cum valetudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet.* III. 11 *iisque diversa excusantibus.* V. 2 *magnitudinem negotiorum per litteras excusavit.* XV. 61 *seque rationem valetudinis et amorem quietis excusavisse respondit.*

agi sibi gratias passus est]. Cf. H. II. 71. *Pedanius Costa omittitur — actaeque insuper Vitellio gratiae consuetudine servitii.* Ann. XIV. 56 *Seneca, qui finis omnium cum dominante sermonum, grates agit.*

nec erubuit]. Ann. VI. 28 *non erubuit permittere* (cf. Nipperdeium). XIV. 48 *ut quidam fingere non erubescunt.* Germ. 28 *ne Ubii quidem — origine erubescunt.* Numquam deest negatio.

beneficii invidia]. Veniam sibi datam Agricola, cum gratias principi ageret, beneficium appellavit idque passus est princeps, quamquam veniam illam non benevolentia, sed invidia adductum se dedisse sibi conscius erat. Simile oxymoron H. I. 21, ubi Otho, in Lusitaniam specie legationis sepositus: *praegravem se Neroni fuisse nec Lusitaniam rursus et alterius exilii honorem expectandum.*

salarium]. Id quantum fuerit, docet Dio LXXVIII. 22, qui proconsuli cuidam Africae, qui, ut Agricola, provinciam non adiit (οἴκοι μείναντι), decies centena milia (τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας) oblata esse scribit.

proconsuli consulari]. Sic bene Mommsenus; nam et dativo opus est propter verbum *offerri*, et proconsules consulares non idem sed plus accepisse consentaneum est, quam eos proconsules, qui non erant consulares.

quibusdam], eis nimirum, qui, ut Agricola, sortitionem abnuerant.

offensus] c. acc. c. inf. nullum praeter hoc apud Tacitum habet exemplum.

ex conscientia]. Nimirum omnes intellegere videbat, id sibi curae fuisse, ne Agricola provinciam nancisceretur.

odisse, quem laeseris]. Pro commentario est Sen. de ira III. 29, 3 *pertinaciores nos facit iniquitas irae; retinemus enim illam et augemus, quasi argumentum sit iuste irascentis graviter irasci.* Cf. II. 33 *hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: quos laeserunt, et oderunt.* Tac. Ann. I. 33 de Germanico: *anxius*

rior, eo inrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta enisi in nullum rei publicae usum ambitiosa morte inclaruerunt.

(43) Finis vitae eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. vulgus quoque et hic aliud agens po-

2. *neque*] n' B. — 5. *escendere* Lipsius (*eorum laudes excedere, qui* Wex. — 6. *enisi* Heraeus: *sed* A B (post *usum* inseruit *enisi* Schoemann). — *in nullum* A in marg.: *in ullum* A B. — *rei publicae* Muretus: *re p̃* A in marg.; *rei post* A B.

occultis in se patrui odiis, quorum causae acriores, quia iniquae.

vero] ut Ann. I. 11 *Tiberio — suspensa semper et obscura verba; tunc vero nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.* IV. 17 *Tiberius haud umquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae impatienter indoluit.* Huius particulae vis pertinet tantummodo ad adiectiva *praeceps* et *inrevocabilior*, non ad verbum *leniebatur.* Sublata enim brevitate plena sententia haec est: 'praeceps in iram et — inrevocabilior erat; ac tamen moderatione prudentiaque Agricolae leniebatur'.

praeceps in iram]. H. I. 24 *in novas cupiditates praecipitem.*

eo inrevocabilior]. Cf. H. III. 53 *inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque implacabilius nutriebat.* Ann. I. 13 de Tiberio: *in Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit.*

famam fatumque]. Nam famam sequitur fatum. Quare etiam allitterationis vinculo ita coniunguntur, ut sint pro una re, quam tamquam validum hostem non impune provocaveris. c. 41 *in ipsam gloriam praeceps agebatur.* Ann. XIII. 1 *mors Iunii Silani — patratur, non quia ingenii violentia exitium inritaverat.*

sciant] e. q. s. Continetur hoc enuntiato laudum Agricolae ac totius huius libri summa.

illicita], ea quae contra leges et superiorum potentiam suscipiuntur. Plin. ep. V. 13, 9 *oportet quidem, quae sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare: iucundum tamen, si prohiberi publice videas, quod numquam tibi ipse permiseris.*

posse]. Verbum *posse*, ubi cum substantivo aliquo ea structura coniungitur, quae acc. c. inf. dicitur, cum pondere quodam in initio poni solet ita ut alter infinitivus extremum locum obtineat, subiectum autem utroque claudatur. Exempla collegi in programmate 'de vocabulorum apud Tacitum collocatione' Berol. 1874. p. 2.

vigor]. De eo vocabulo cf. Heraeum ad H. I. 87.

excedere]. Cf. Val. Max. V. 6, 4 *res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit.*

per abrupta]. Ann. IV. 20 *dubitare cogor — an sit aliquid in nostris consiliis liceatque inter abruptam contumaciam et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum.* Quam contumaciam nulli utilem vel in Thrasea Paeto Stoico, quem *virtutem ipsam* appellat Ann. XVI. 21, reprehendit, cum dicit Ann. XIV. 12: *exiit tum senatu ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit.* — *Per* a loci significatione transfertur ad rationem vitae degendae.

enisi], correctio admodum incerta; nec tamen melius adhuc excogitatum est. Translata huius verbi significatio in Taciti libris alias non invenitur. De legionibus: *in aperta et solida, in editiora, in aequum eniti* (Ann. I. 65. 70. II. 80).

C. 43.

Finis] e. q. s. Imitatus est hoc loco Ciceronem de or. III. 2, 8 *Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus.*

extraneis]. Ann. IV. 11 *insita — etiam in extraneos cunctatione.*

etiam — non], i. e. *ne — quidem.* De hac forma dicendi disputat Nipperdeius ad Ann. III. 54.

ignotis] vi activa: 'qui eum non noverant'. Ann. II. 71 *flebunt Germanicum etiam ignoti.* III. 1 *intimus quisque amicorum — multique etiam ignoti.*

cura], ut infra: *sive cura sive inquisitio erat.*

vulgus — et populus]. H. I. 89 *vulgus et magnitudine imperii nimia communium curarum expers populus.* dial. 7 *vulgus imperitum et tunicatus hic populus.*

aliud agens], eorum, quae ad rem publicam pertinent, incuriosus.

circulos]. Ann. III. 54 *non ignoro in conviviis et circulis incusari ista.*

locuti sunt]. Obiectum est id, de quo toto hoc capite sermo est, i. e. obitus Agricolae. Itaque ad similitudinem eorum quae leguntur H. IV. 12 *caesos exercitus, capta legionum hiberna — non ut mala loquebantur* hanc sententiam ita com-

pulus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est, aut statim oblitus. augebat miserationem constans rumor veneno interceptum: nobis nihil comperti affirmare ausim. ceterum per omnem valitudinem eius, crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis, et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud sive inquisitio erat. supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic adcelerari quae tristis audiret. speciem tamen doloris habitu vultuque prae se tulit, securus iam odii et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. satis constabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. tam caeca et

1. *et per circulos* B. — 2. *oblitus* Muretus: *oblitus est* A B; prius *est* del. criticus Jenensis a. 1816, 127. — 3. *nobis* A B; sed litterae *o* supra scr. *v* et *b* effecit ex *D* m. 1, quae in marg. addidit *S. l.* (*sic lego*); *quamvis* Peter. — 4. post *comperti* lacunam statuit Nipperdey; *quod* inser. Acidalius et Walch, hic quidem scribens *compertum*; *quodve* vel *aut quod* Ritter; *ut* Wex; *nec* Ernesti (*nec aut negare aut firmare* olim Nipperdey). — 5. *principis* Muretus. — *uiseritis* B. — *primi* et *intimi* permutat Ernesti. — 8. *constabant* A B; em. Rhenanus. — 9. *habitu* Ernesti: *animo* A B; *ore* Halm; *sermone* Mohr. — 12. *coeca* A; sed *o* del. m. 1.

plere licet: 'et per fora et circulos mortuum Agricolam locuti sunt'.

augebat]. De collocatione huius verbi cf. programma meum p. 7, unde hoc quoque apparet nihili esse quod pridem scribebatur: *et augebat*.

rumor veneno interceptum] ut Ann. V. 10 *Asia atque Achaia exterritae sunt — rumore, Drusum — apud Cycladas insulas — visum*.

nobis] e. q. s. Ego eam scripturam, quae in libris prodita est, a recentioribus editoribus omnibus mutatam retinere ausus sum hac usus interpretatione: 'mihi aut uxori aut filiae (eadem huius pronominis *nobis* vis est etiam initio huius capitis) nihil comperti esse affirmare ausim'. Verba *affirmare ausim* ob eam causam addidit, quia non de se ipso solum, sed etiam de uxore Agricolae ac filia eius loquitur. Posse enim quempiam suspicari videt, etiamsi ipse de causa mortis soceri sui nihil compererit, tamen filiae uxorique eius certiora quaedam innotuisse eaque illas etiam maritum (vel generum) celasse. Hanc suspicionem falsam esse cum dubitatione quadam quamvis levi adfirmat.

ceterum]. Redit ad res certas.

per omnem valitudinem eius]. Ann. IV. 8 *per omnes valetudinis eius* (Drusi, filii Tiberii) *dies*.

et libertorum primi et medicorum intimi]. Ann. VI. 38 *praecipuos libertorum*. IV. 3 *sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae, specie artis frequens secretis*. Aliis locis *libertorum intimi*: H. I. 22. Ann. XIV. 10. XV. 35.

sive — sive], ut c. 40.

illud]. De neutro genere v. c. 21 extr.

inquisitio]. Ann. II. 69 *simul missi a Pisone* (ad aegrotantem Germanicum) *incusabantur, ut valetudines adversa rimantes*. Egregium hoc integritatis scriptoris testimonium, quod ne id quidem incredibile esse dicit, propterea Domitianum libertos illos ac medicos misisse, quia ei valetudo Agricolae curae fuerit.

quidem]. Certae res opponuntur dubiis.

momenta], ῥοπαὶ τῶν νόσων.

deficientis] ut c. 45. Ann. VI. 24.

cursores]. Erat enim Domitianus, ut videtur, in villa Albana (c. 45).

constabat], ut paullo infra ac saepissime imperfecto tempore. Proprium est Taciti, fidem eorum, quae tradit, repetere ex eodem potius tempore, quo illa facta sunt, quam ad suam referre aetatem. Cf. Nipperdeium ad Ann. XIII. 35.

quae tristis audiret]. Praedicati vis non inest in verbo, sed in adiectivo ei apposito. Similiter *nec litore tenus* c. 10.

habitu vultuque]. H. I. 14 *vultu habituque*. Similiter 17. II. 52. Ann. XVI. 22. XV. 72 *habitu procerus et torvo vultu*. XVI. 32 *habitu et ore*. Quamquam potest verum esse etiam quod Mohrius excogitavit: *sermone vultuque*, coll. H. III. 74. IV. 8. Ann. I. 33. IV. 54. VI. 50.

securus] c. gen., ut H. I. 86 *secura eius modi casuum*. III. 41 *dedecoris securos*. Ann. III. 28 *potentiae securus*. Post Agricolae decessum pristinum odium, quo in eum incensus fuerat, nullam iam ei attulit curam neque eum impediebat, quominus speciem lugentis indueret.

et qui] c. coni., ut c. 30 *quos satiaverit*. Adde H. II. 25 *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent*.

coheredem — Domitianum scripsit], nimirum, ne uxor ac filia etiam reliqua parte a principe privarentur. Ann. XVI. 11 *nec defuere, qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita nepotibus de reliquo consulere*.

corrupta mens assiduis adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

(44) Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule Idibus Iuniis: excessit quarto et quinquagesimo anno, decimo Kalendas Septembris Collega Priscoque consulibus. quodsi habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit: nihil impetus in vultu; gratia oris supererat. bonum virum facile crederes, magnum libenter. et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere fortuna poterat? opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant. filia atque uxore superstitibus

3. *Caio Caesare* A; *C. Caes.* B. — *tertium* Ursinus: *ter* A B; *iterum* Nipperdey. — 4. *quarto* Petavius: *sexto* A B; *quinto* Nipperdey. — 6. *impetus* A: *metus* A in marg.; *maetus et impetus* B. — 7. *superat* B. — 10. *sunt* om. B. — 12. *contigerant* A in marg.: *non contigerant* A; *non contingerant* B. — *filia*. . .*superstitibus* post *fama* posuit Doederlein, post *amicitiis* Urlichs.

Quod aspernatus, ne vitam proxime libertatem actam novissimo servitio foedaret e. q. s.

honore iudicioque]. Honos agendo conficitur, iudicium animi est. Igitur Domitianus cum, quod ex magna parte heres scriptus esset ab Agricola, sibi honori verteret, inde apparere sibi persuasit, quid ille de se iudicavisset. At neque honos iste erat, sed contumelia, quippe quae saevitiam principis metui testaretur, neque iudicium Agricolae ex eo cerni potuit, quod coactus fecit. Ipsa autem res et proxime praecedens vocabulum *honore* docet *iudicium* hoc loco non esse mediam quam dicunt vocem, sed iudicium benevolentiae plenum.

bono patre — malum principem]. Notabili arte conformata clausula, cuius vis posita est in rerum contrariarum oppositione.

C. 44.

tertium]. Improbabilius Nipperdeius *iterum* et v. sequenti *quinto*. C. Caesar tertium consul fuit sine collega a. p. Chr. 40 (Dio LIX. 24), iterum cum L. Apronio Caesiano a. 39. Itaque qui Nipperdeium secuntur, Agricolam a. 64, cum ageret annum vicesimum quintum, nullo anno remisso, quaestorem fuisse putent necesse est. At primum nullum Agricolae quaesturam petenti annum remissum esse vix credibile est (cf. ad c. 6), deinde ex VI. facilius efficitur IV. quam V, postremo annum unius consulis nomine designare, etsi non inauditum, tamen rarum est.

decimo kalendas]. De omisso *ante* cf. Nipperd. ad. Ann. XII. 69.

Collega Priscoque consulibus]. Ji consules ordinarii fuerunt a. p. Chr. 93. Cn. Pompeius Collega Vespasiano imperante legatus Augusti Galatiae praefuit, quod ex nummis quibusdam et ex titulo C. I. L. III. 1. 306 constat: *Cn. Pompeius Co* [llega leg. Aug.] *pr. pr.*

decentior]. Est comparativus adiectivi *decorus.* Ann. XV. 48 *decora facies.*

fuit], sc. habitus.

nihil impetus], i. e. nihil, quod commotiorem animum proderet et ad erumpendum temere praecipitem.

supererat], superior fuit. Ann. III. 47 *fide ac virtute legatos, se consiliis superfuisse.* Plura exempla huic loco adscripsit Nipperdeius. Alia est huius verbi vis c. 45.

ipse], opponitur corpori, cuius habitum modo descripsit.

integrae aetatis], genetivus attributivus, non partitivus, quod recte Wexius monuit. Nam haec est sententia: 'in medio spatio (i. e. in medio rerum gerendarum cursu), cum esset integra aetate (cf. Suet. Tib. 10), ereptus'.

quantum ad]. H. V. 10 *proximus annus —, quantum ad Iudaeos, per otium transiit.* Germ. 21 *notum ignotumque, quantum ad ius hospitis, nemo discernit.*

longissimum] e. q. s. Quamvis matura morte ereptus sit, tamen tantam gloriam sibi peperit, ut ne ei quidem, quibus longissima vita contigit, maiorem gloriam sibi comparaverint.

vera bona], quae Stoici dicunt. H. IV. 5 de Helvidio Prisco: *doctores sapientiae secutus est, qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia, potentiam, nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant.*

impleverat], ita assecutus erat, ut nihil deesset. H. I. 16 *impletum est omne consilium, si te bene elegi.* Plin. ep. II. 1, 2 *perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret.*

adstruere]. H. I. 78 *tamquam nobilitatem ac decus adstruerent.* Plin. pan. 74 *civitas — nihil felicitati suae putat adstrui posse nisi ut dii*

potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse. nam sicuti *non licuit* durare in hanc beatissimi saeculi lucem ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solacium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem publicam exhausit. (45) non vidit Agricola obsessam

2. *amiciis* A; sed corr. m. 1. — *non licuit* supplevit Dahl; *magnae cuiusdam felicitatis esse* (*esset*) Ursinus; *quod* (v. 3) delevit Rhenanus; in *quodam* mutaverunt Bipontini; in *quandoque* Haase; in *quondam* Ritter. — 3. *hanc...lucem* Acidalius: *hac...luce* A B. — 4. *auris* B. — 5. *graue* A in marg. — 7. *hiatu* Peerlkamp.

Caesarem imitentur. ep. III. 2, 5 *itaque magni aestimo dignitati eius aliquid adstruere*. Vell. II. 55, 2 *nam victus ab eo Pharnaces vix quicquam gloriae eius adstruxit*.

gaudebat]. Germ. 5 *numero* (armentorum) *gaudent*. 15 *gaudent — donis*. 21 *gaudent muneribus*.

speciosae]. Ann. III. 55 *ut quisque opibus domo paratu speciosus*. — Bona patris Agricolae a Caligula publicata esse verisimile est; nam haud dubie, ut ait Urlichs, maiestatis crimine circumventus supplicio affectus est (c. 4).

filia — effugisse]. Duae res in hoc enuntiato animadvertendae sunt. Primum enim non simplex est sententia, sed duplex. Mors enim Agricolae praedicatur, et quod filia atque uxore superstitibus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis excessit, et quod futura effugit. Deinde praedicatum, quod continetur verbis *potest videri etiam beatus — effugisse* ita est comparatum, ut omnis vis sententiae non sit in verbo *effugisse*, sed in adiectivo illi attributo *beatus*. Aliud huius formae dicendi exemplum notavimus c. 43 *nullo credente sic accelerari, quae tristis audiret*. Nam utroque loco in verbo inest significatio rei minoris et ad summam sententiae, quae adiectivo continetur, adiunctae. Eo autem loco, de quo agimus, nescio an id ipse scriptor vocabulorum collocatione, separatis inter se adiectivo et verbo, indicaverit. Denique quod eos ablativos absolutos, qui sunt primi, a ceteris diiunxit, inde satis explicatur, quod illis maiorem tribuebat gravitatem. Nam cetera omnia quae incolumia reliquit, dignitatem, famam, affinitates et amicitias minus Agricolae cara fuisse quam filiam atque uxorem consentaneum est.

affinitatibus et amicitiis]. De usu nominum abstractorum cf. Plancum apud Cic. ad fam. X. 24, 1 *quod si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias atque etiam pias propinquitates vincam*.

durare], vitam producere. Ann. III. 16 *qui nostram ad iuventam duraverunt*. dial. 17 *Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit*.

augurio votisque — ominabatur], i. e. et praedicebat et optabat. Est autem in hac forma dicendi copia quaedam orationis. Nam cum ablativis illis utrumque ita significetur, ut alterum ab altero sit separatum, verbo iterum utrumque significatur ita ut una comprehendatur notione. Nam in verbo ominandi et divinandi et optandi notio inest. Quare recte Peterus dicit simplicius fuisse *augurio votisque — praesumebat vel praecipiebat*. Principatum Traiani, qui consul ordinarius fuit a. 91, multo antequam a Nerva adoptatus est, praedictum esse testantur Dio LXVII. 12 et Plin. pan. 5. 94. Ceterum iam pater eius oculos civium in hanc domum converterat. Is, M. Ulpius Traianus, Iudaeico bello probatus consul suffectus est a. 70 vel 71; legatus consularis Syriae praefectus est a. 76 et cum Parthis, adversus, quos etiam filius rem bene gessit, ita bellavit, ut insignia triumphi adipisceretur. Pro consule Asiae praefuit a. 79/80. Mortuus est ante a. 100, quo Plinius eam orationem habuit, quae panegyricus dicitur.

apud nostras aures], ut A. I. 31. II. 39. IV. 29. H. I. 26. Cf. *validiore apud libidines principis Paride* Ann. XIII. 22. *Aures* vel *libidines* tamquam homines inducit. Ceterum pronomine possessivo se ipsum solum significare videtur.

solacium tulit]. *Solacium ferre* Ann. IV. 66 est *solacium afferre*, hoc loco *solacium accipere*. Nam obiectum est *evasisse*, *solacium* autem accusativus attributivus. De significatione vocabuli solacii cf. c. 6.

spiramenta]. Amm. Marc. XXIX. 1, 40 *sumptum est de quibusdam sine spiramento vel mora supplicium*.

continuo], adverbium est.

uno ictu — exhausit], quasi mortifero ictu transfodit. Ann. XII. 10 *iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos*. Liv. VII. 10, 10 *uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit*. Sen. de ira III. 19, 1 (Caligula) *qui de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua — in unum ictum et unum diem cogeret*.

C. 45.

non vidit] e. q. s. Imitatur eundem Ciceronis locum de or. III. 2, 8 *non vidit Crassus flagran-*

curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exilia et fugas. una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Albanam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Baebius [iam] tum reus erat. mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus; nos Mauricum Rusticumque divisimus,

1. *clusum* A. — 3. *Carus Metius* Rhenanus: *charus* (*clarus* B) *mitius* A B; sed *Mettius Al.* in A suprascr. m. 1 et *Charus Mettius* in indice A. — *villam* A in marg. — 4. *iam* om. B; *etiam tum* J. Fr. Gronov. — 5. *Mauricium Rusticumque divisimus* A in marg.: *maurici Rusticique visus* A B, quibus Henrichsen addi vult *horrore*.

tem bello Italiam, non ardentem invidia senatum e. q. s.

obsessam curiam] e. q. s. Idem de Nerone tradit Ann. XVI. 27.

eadem strage]. H. IV. 42 *cum — innoxios pueros, inlustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres.*

tot consularium]. Eorum nomina apud Suet. Dom. 10.

feminarum]. Plin. ep. III. 11, 3 (coll. VII. 19) nominat Gratillam, Aruleni Rustici uxorem, Arriam, Thraseae uxorem, Fanniam, Thraseae filiam, Helvidii uxorem.

fugas]. Fugae usitatissimum genus est exilium. Itaque proprio vocabulo adiectum est id, quod latius patet. Cf. Nipperdeium ad Ann. III. 24. Heraeum ad H. V. 24

Carus Metius], unus ex nequissimis illorum temporum delatoribus, qui postea Senecionem accusavit. Plin. ep. I. 5, 3. VII. 19, 5. 27, 14. Mart. XII. 25, 5. Iuv. 1, 35.

censebatur], aestimabatur. Ablativus *una — victoria* id significat, ex quo aliquid metimur. Cf. *per ambitionem aestimare* c. 40. Tunc unum tantum ille reum perculerat neque quidquam praeter hanc unam victoriam fuit, ex quo posset deprehendi, quantopere esset metuendus.

intra]. In hoc vocabulo est vis sententiae. Cf. c. 10 *nec litore tenus adcrescere aut resorberi.* Est enim: 'Albanae arcis parietibus continebatur necdum in curia audiebatur'. Cf. Ann. III. 54 *intra Italiam dominantibus.* 72 *tanta vis unum intra damnum stetisset;* coll. 75. IV. 7. XII. 53.

Albanam arcem]. Dio LXVII. 1 τοῦτο γὰρ τὸ χωρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανόν, ἀφ' οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὃν ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο. Iuv. 4, 145 *proceres — quos Albanam dux magnus in arcem Traxerat attonitos.* Plin. ep. IV. 11, 6.

Messalini]. De hoc delatore Plin. ep. IV. 22, 5 *incidit sermo de Catullo Messalino, qui luminibus orbatus ingenio saevo mala caecitatis addiderat; non verebatur, non erubescebat, non miserebatur; quo saepius a Domitiano non secus ac tela, quae et ipsa caeca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur.* Iuv. 4, 115 de eodem: *grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum.* Aur. Vict. Epit. 12, 5 *calumniator praecipuus, — iurgiorum disceptator et scientissimus et frequentissimus.*

Massa Baebius]. Is quoque delator fuit. De eo H. IV. 50 ex anno p. Chr. 70: *Baebius Massa, e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus et inter causas malorum, quae mox tulimus, saepius rediturus.*

tum]. Baebium, qui a provincia Baetica, cui senatus patronos dederat Plinium et Senecionem (Plin. ep. III. 4, 4. VI. 29, 8. VII. 33), accusatus et damnatus est, hic locus docet a. 93, quo anno Agricola mortuus est, reum (necdum damnatum) fuisse. Nec bene Peterus id, quod in cod. A est, *iam tum*, defendit. Dicit enim Tacitum, ut ostenderet, quam opportuno tempore socer suus mortuus esset, duobus malis tum primum nascentibus necdum adultis (Metio Caro nimirum et Messalino) adiunxisse tertium, quod, cum antea fuisset exitiosissimum, iam tum coeptum esset reprimi (Baebium Massam). At nullus hic locus fuit commemorandi delatoris, cuius potentia tunc primum labare coepisset, mox plane eversa esset. Proponit enim Tacitus exempla futurorum malorum, quae socer suus opportunitate mortis effugerit. Quae cum summa sit sententiae huius loci, ea ipsa docet, Baebium Massam si non maiorem, at certe non minorem potentiam post damnationem recuperasse eamque ita exercuisse, ut tum quoque optimo cuique exitio esset, eo autem ipso tempore, quo Agricola mortuus est, accusatione et damnatione, quae deinceps secuta est, paullisper potentiam eius esse repressam, ut spes esse videretur (quae quidem spes Agricolam fefellit) eam non resurrecturam.

nostrae], senatorum. Nam senator tum iamdudum fuit Tacitus, cum praetor creatus esset a. 88.

Helvidium]. Helvidius Priscus, filius eius, cuius mentionem facit c. 2, in senatu accusatus ibique ei manus iniectae sunt a Publicio Certo. Plin. ep. IX. 13, 2 *inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo index manus intulisset.* Suet. Dom. 10 *occidit et Helvidium filium, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset.*

Mauricum Rusticumque]. De Rustico c. 2. Eius frater, Iunius Mauricus, a Domitiano relega-

nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos iussitque scelera, non spectavit: praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat videre et aspici, cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate sed etiam opportunitate mortis. ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget maestitiam, quod adsidere valitudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. excepissemus certe mandata vocesque, quas

1. *Senetio* A B. — 4. *pallore oribus* Wex. — 5. *quo* Lipsius: *a quo* A B (*rubor oris* Ritter). — 6. *perhibent* Puteolanus: *perhiberent* A B. — 8. *portionem* B. — 11. *excepissemus* Pichena: *excepissem* A B.

tus, a Nerva revocatus est. Plin. ep. III. 11, 3. I. 5, 10. IV. 22, 4. Cf. H. IV. 40.

divisimus], alterum e complexu alterius divellimus. H. IV. 14 *instare dilectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur.* Ann. I. 43 *discedite a contactu ac dividite turbidos.*

Senecio]. De eo c. 2. Tantus, inquit, fuit terror, ac si ipsi supplicio eius adfuissemus.

tamen], quamquam is quoque multa saeva iussit. Ov. Met. IX. 98 *Hunc tamen ablati domuit iactura decoris, cetera sospes habet — At te, Nesse ferox, eiusdem virginis ardor Perdiderat.*

subtraxit oculos suos]. Ann. III. 53 *in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit.* XVI. 26 *subtraheret aures conviciis et probris.* Contraria est ratio XIII. 17 *subtrahere oculis acerba funera.*

iussitque scelera]. H. I. 45 *Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus; iubere iam poterat.*

videre], Domitianum. *aspici*, a Domitiano. Ann. III. 45 *viderent modo adversos et aspicerentur; id satis ad victoriam.*

subscriberentur], a Domitiani satellitibus clam in tabellis notarentur, ut mox pro crimine essent. Suet. Oct. 27 *Pinarium — cum subscribere quaedam animadvertisset.*

denotandis — sufficeret]. De verbo sufficiendi cf. Ann. III. 72 *quod nemo e familia restaurando sufficeret.* VI. 4 *sufficere ipsum statuendis remediis. Denotare* autem est delatoribus oculis aliquem designare accusatione persequendum Cic. de imp. Cn. Pomp. 3, 7 *qui uno die tota in Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una significatione litterarum cives Romanos necandos trucidandosque denotavit.* Tac. Ann. III. 53 *ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos ac velut deprenderem.* Cic. Cat. I. 1, 2 *notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum.* — *tot hominum palloribus* est: tot hominibus, qui pallore oris sui culpae conscientiam prodere videbantur. Igitur substantivo (*palloribus*) significatur, quod attributum esse debebat, non aliter quam c. 16 *paenitentiae mitior*, i. e. mitior adversus eos, qui paenitentiae signa dederant, et hoc ipso capite: *adsidere valitudini* i. e. aegrotanti. Itaque totius loci haec sententia est: cum saevum suum vultum in hos illosve senatores, quos pallore obductos videbat, coniceret, hoc sufficiebat, ut eos delatoribus designaret.

rubor]. Is quoque suffecit denotandis hominibus, quamquam vultus rubore suffusus turbat et obscurat signa affectuum. De rubore Domitiani similiter Plin. pan. 48 *ad hoc ipse occursu quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa.* Aliud de eadem re indicium fuit, cum adolescens esset Domitianus: H. IV. 40 *ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.* Cf. Suet. Dom. 18 *vultu modesto ruborisque pleno.*

tu vero] e. q. s. Rursus eundem locum Ciceronianum imitatus est, de or. III. 3, 12 *ego vero te, Crasse, cum vitae flore tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et exstinctum arbitror.*

perhibent], ut c. 10. 17. Ann. II. 60. XI. 14.

libens]. H. IV. 58 *nam mihi exitium parari libens audio.* Aliud est Ann. IV. 12, ubi cf. Nipperd.

fatum]. Hoc vocabulo significari videtur, quid Agricola ipse de mortis suae causa indicari voluerit. Nam *fatum* dicitur de morte non vi illata, sed a natura imperata. Ann. VI. 10 *L. Piso pontifex (rarum in tanta claritudine) fato obiit.* I. 3 *vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit.*

tamquam]. Significatur sententia eorum, qui perhibent Agricolam constantem et libentem fatum excepisse. Eos enim Tacitus ex constantia sine querellis morientis intellegere sibi visos esse dicit, illum pro virili portione innocentiam principi donare.

penitus animo figeremus. noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae condicione ante quadriennium amissus est. omnia sine dubio, optime parentum, adsidente amantissima uxore superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis comploratus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui. (46) si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas nosque *et* domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. admiratione te potius et immortalibus lau-

1. *figeremus* A B; sed in A primis litteris suprascr. m. 1 *pin Al.* — *nobis* om. B. — *tum* A in marg. — 2. *longa* A; sed correxit m. 1; *nostrae* B. — *conditionem* B. — *triennium* Urlichs — *amissus es* Rhenanus. — 4. *compositus es* A in marg. — 5. *piorum* e *priorum* in A corr. m. 1 — 6. *extinguntur* A B. — 7. *nosque et* Urlichs: *nosque* A B. — *mulieribus* B. — 8. *nec . . . nec* B. — 9. *et immortalibus* Acidalius: *temporalibus* A B (*te immortalibus* Lipsius).

pro virili portione], ut H. III. 20. Usitatius *pro virili parte.*

innocentiam — donares], nimirum immerito. Cf. H. IV. 58 verba Voculae contionantis: *te, Juppiter —, te, Quirine, precor venerorque, ut — militibus Romanis aut innocentiam detis aut maturam et sine noxa paenitentiam.*

parentis erepti]. De genetivo cf. H. I. 8 *superbia recentis victoriae.*

contigit] c. infin. iam apud Ciceronem (pro Arch. 3, 4).

excepissemus]. Ann. VI. 24 *adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent.* Cf. Heraeum ad H. III. 73.

animo], ablativus. Ann. I. 65 *quae* (aquilae) *neque ferri adversum ingruentia tela neque figi limosa humo poterant.* Conferenda verba morientis Germanici Ann. II. 71 *non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed, quae voluerit, meminisse, quae mandaverit, exsequi.*

vulnus] ut c. 29 in.

condicione]. Is ablativus tam longam absentiam causam fuisse significat, cur sibi filiaeque ille multo ante mortem eriperetur. Similiter *merito* H. V. 4 de Judaeis: *sue abstinent merito cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.*

ante quadriennium amissus est]. De absentia Taciti v. Nipperdei editionem, Einleitung p. 9. Ad verba *ante quadriennium* Gantrelle comparat Nep. Dat. 11 *huc Mithridates cum uno, cui maxime habebat fidem, ante aliquot dies venit.*

omnia]. Rursus alloquitur socerum mortuum, sicut allocutus erat ante verba *sed mihi filiaeque* e. q. s.

superfuere], abunde suppetebant. Sic H. I. 51. 83. Germ. 6. 26. Ann. XIV. 54.

aliquid] neutrum, ut significetur morientis incertum desiderium, labantibus iam viribus mentis.

C. 46.

non cum corpore]. De immortalitate animorum quid senserit Tacitus, exponit J. Müller, über die philosophischen und religiösen Anschauungen des Tacitus. Progr. Feldkirch. 1874.

et domum tuam]. Sic recte Urlichs; alia enim fuit Agricolae, alia Taciti domus.

muliebribus]. *Feminis enim lugere honestum est, viris meminisse.* Germ. 27.

ad contemplationem virtutum tuarum]. Similiter Seneca moriturus uxorem rogat Ann. XV. 63: *temperaret dolori neu aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret.*

immortalibus]. Huius adiectivi vis debilitata est. Neque enim plus inest quam: 'dum vivemus'. Sic Plancus apud Cic. ad fam. X. 11, 1: *immortales ago tibi gratias agamque, dum vivam.* Nep. Att. 11, 5 *idem immortali memoria percepta retinebat beneficia.* Cf. Tac. Ann. XIV. 55 *et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, aeterna erunt.* XV. 63 *temperaret dolorem aeternum suscipere.* Errant, qui hunc librum significari putant.

si natura suppeditet], ut H. I. 1 *quodsi vita suppeditet.*

id], quod referendum est ad priora, explicatur infinitivo, qui sequitur. Sic c. 39 *id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli.*

secum revolvant. Ann. III. 18 *quanto plura recentium seu veterum revolvo.* IV. 21 *in animo revolvente iras.*

formamque ac figuram], ut aliquotiens apud Ciceronem, velut Tusc. I. 16, 37 *animorum — formam aliquam figuramque quaerebant.* de or. III. 45, 179 *referte nunc animum ad hominum vel etiam ceterarum animantium formam et figuram.*

non quia — sed], ut H. I. 15 *non quia propinquos — non habeam, sed neque ipse imperium ambitione accepi* e. q. s., ac saepius.

dibus et, si natura suppeditet, similitudine colamus. is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, formamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur, non quia intercedendum putem imaginibbus uae marmore aut aere finguntur: sed, ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. nam multos veterum velut inglorios et ignobilis oblivio obruit: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.

1. *similitudine* Grotius: *militum* A; *multum* B; *imitando* Puteolanus; *aemulatu* Heinsius. — *colamus* Muretus: *decoramus* A B; *decoremus* Ursinus. — 4. *formamque* Muretus: *famamque* A B. — 5. *interdicendum* Ursinus. — 7. *imbecillia* B. — 8. *materiam* e *materiem* in A corr. m. 1. — 9. *admirati* Wölfflin. — 10. *in fama* Halm. — 11. *ignobilis* A; sed *e* suprascr. m. 1; *ignobiles* B. — *obruit* Haupt: *obruet* A B.

mansurum], Part. fut. de eo, quod futurum esse propter ipsam rei naturam certa spes est. Cf. *peccaturos* c. 19.

obruit]. Sic recte Hauptius; nam *obruet* ferri non potest propter *veterum*, quoniam absurdum est, veteribus potius, quibus adhuc gloria integra est, futuram gloriam denegare, quam aequalibus, de quorum laude nulla adhuc posteritas iudicavit.

narratus et traditus], sc. universa rerum fama ac memoria, non, ut quidam volunt, hoc ipso Taciti libro.

CORNELII TACITI

HISTORIARUM

LIBER PRIMUS

AD FIDEM CODICIS MEDICEI

DENUO A SE COLLATI

RECENSUIT

ATQUE INTERPRETATUS EST

CAROLUS MEISER.

BERLINI

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.

MDCCCLXXXIV.

Ienae, typis Frommann (H. Pohle).

CORNELII TACITI

HISTORIARUM

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Praefatio. auctoris dignitas, aetas, institutum. 2. 3. praesentis historiae summa capita. 4. 5. status urbis, mens exercituum, habitus provinciarum occiso Nerone. Nymphidius imperium affectans oppressus. 6. 7. Galbam crudelitas sua, aetas, corporis forma et amicorum vitia reddunt invisum. 8. 9. status Hispaniae, Galliae, Germanicorum exercituum, Britanniae, Illyrici. 10. in Syria Muciani virtutes et vitia. Flavii Vespasiani, Iudaicum bellum administrantis, animus in Galbam. 11. Aegypti, Africae, Mauretaniae, Raetiae, Norici, Thraciae, Italiae status coss. Galba et Vinio.

12. Deficiente superioris Germaniae milite Galba de adoptando Caesare cogitat. 13. Vinius Othoni favet, non ita Laco et Icelus. 14. Galba transactis imperii comitiis Pisonem eligit, hominem antiqui moris et severum, cui 15. 16. adoptionis causas et imperii administrandi consilium aperit. 17. Pisonis inter haec moderatio. 18. adoptio in castris nuncupata, 19. tum in senatu; legati ad defectores missi. 20. Neronis prodigae donationes rescissae.

21. Othoni spe lapso consilium in turbido, 22. instigantibus libertis, servis, mathematicis, 23. 24. paratis iam ante militum studiis per blanditias et largitiones, oscitante ad id praefecto. 25. 26. ergo iam legiones et auxilia pro Othone. 27. mox consalutatus imperator 28. castris praetorianis infertur.

29. 30. Piso cohortem, quae in Palatio stationem agit, hortatur ad fidem. 31. illa rapit signa, reliquis copiis deficientibus. 32. 33. plebis adulatio et levitas. fluctuat Galba cum amicis an occurrendum. 34. praemittitur in castra Piso. falsus de occiso Othone rumor. 35. populus et senatus Galbae, 36. castra Othoni favent. 37. 38. hic militum animos oratione sibi conciliat, Galbae et Pisoni reddit infensos. arma militi dividit. 39. agitat Laco de caede Vinii. 40. Galba fluctuat, plebs nutat. Othoniani forum irrumpunt. 41. Galba desertus, occisus; 42. sic et Vinius. 43. Sempronii Densi fides. Piso caesus, 44. magna Othonis laetitia. caedium praemia poscentes iussu Vitellii postea interfecti. 45. adulantur senatus et populus victorem Othonem, qui coercendo militum furori impar. 46. hi vacationes sibi remitti petunt. Laco et Icelus caesi. 47. Pisonis et T. Vinii sepultura, 48. elogia, testamenta. 49. Galbae sepultura, aetas, nobilitas, mores, honores.

50. Trepidam urbem novus de Vitellio nuntius exterret. Vespasianum nonnulli augurantur. 51. Initia Vitelliani motus ex bello Iulii Vindicis et secutis inde discordiis inter legiones et Gallos. 52. 53. Vitellius suo ingenio ignavus ad res novas stimulatur a Valente et Caecina legatis. 54. 55. legiones utriusque Germaniae fidem in Galbam exuunt, 56. segni spectatore Hordeonio Flacco legato. 57. Valens Vitellium imperatorem consalutat magno militum studio: 58. quibus poscentibus multi caesi. 59. Iulius Civilis periculum evadit. Undique viribus auctus, 60. inter foedas legatorum discordias, 61. duos exercitus in Italiam mittit. 62. torpet Vitellius; ardor et vis militum ultro ducis munia implet. 63. subito furore correptus miles ab excidio Divoduri aegre temperat. Gallias terror invadit. 64. Vitellio adhaerent. 65. Lugdunenses ex vetere odio milites in eversionem Viennensium inpellunt; 66. illi tamen donis placantur et precibus. Valentis avaritia et libido. 67. 68. Helvetios Vitellii imperium abnuentes Caecina belli avidus caedit. 69. Aventicum aegre impunitatem salutemque impetrat. 70. In Vitellii partes transgressa Italiae parte Caecina Alpes superat.

71. Otho prudenter se gerit; Mario Celso ignoscit. 72. Tigellinus infamem vitam exitu inhonesto foedat. 73. Calvia Crispinilla cum mala Othonis fama periculo exempta. 74. principes mutuo sibi condiciones offerunt; mox rixantes flagitia invicem obiectant, et 75. insidiatores inmittunt. 76. distractis inter utrumque exercitibus ac provinciis bello opus. 77. Otho imperatorem agit; honores, 78. civitatem, iura dilargitur; de celebranda Neronis memoria agitat. 79. Sarmatae Rhoxolani Moesiam inrumpentes caesi. 80—82. seditio gravis in ipsa urbe temere orta cum magno metu atque discrimine primorum civitatis, precibus et lacrimis Othonis componitur, qui 83. 84. milites ad concordiam et modestiam hortatur. 85. Istis compositis omnia suspicionum et formidinis plena, praecipuo patrum metu. 86. prodigia Othonis cladem praesagientia. 87. is lustrata urbe Narbonensem Galliam adgredi statuit, et 88. cum multis nobilibus L. Vitellium aemuli fratrem secum ducit. 89. inde varii animorum motus. 90. commendata patribus re publica Otho festinat ad bellum. Trachali eloquentia usus Otho, in quem studia et voces vulgi.

Gesta haec paucis mensibus, imp. Ser. Galba et T. Vinio coss.

(1) Initium mihi operis Servius Galba iterum Titus Vinius consules erunt. nam post conditam urbem octingentos et viginti prioris aevi annos multi auctores rettulerunt, dum res populi Romani memorabantur, pari eloquentia ac libertate: postquam bellatum apud Actium atque

Praeter scripturam codicis Medicei, quam sine nota infra adposui, quibusdam locis lectiones duorum codicum Florentinorum *a* et *b*, ex quibus quae in Mediceo desunt supplentur (cf. ad 1, 69), adnotavi, alios codices voc. *deteriores* vel *alii* significavi, praeterea primam et secundam manum (= 1*m* et 2*m*) distinxi, adposita lineola recta (|) finem versus indicavi.

Nullus praeponitur titulus in codice Mediceo. 1 michi Galbẹa Iunius *dett. hic et ceteris locis* 3 rettuler̄

1. *Initium*] Omnia quae inter truncum Annalium librum XVI. et Historiarum initium gesta sunt, repetat lector ex Suetonii Nerone et Galba, ex Plutarchi Galba, ex Dione 63, 22. seqq., Zonara 11, 13. Tum consulat Tillemont *Histoire des empereurs.* Paris 1720. Vol. I. p. 321 seqq., curam, quod ad facta ipsa spectat, egregiam necdum facile superatam, etsi iudicium in ea haud raro desideratur, et librum, quem nuperrime edidit Hermann Schiller: *Geschichte der römischen Kaiserzeit.* Gotha, Perthes 1883. Ac ne cui mirum videatur, cur Tacitus Historias non inceperit ab imperii Galbae initio, Annalium, quos iam tunc post Historias scribere statuerat, formam legemque immutabilem recordetur. — *Galba iterum*] Galba cos. I fuit a. u. 786 p. Ch. 33. Ann. 6, 15. — *Titus Vinius*] idem nomen habet Plutarchus in vita Galbae; de monumentis, quae ne ipsa quidem in hoc nomine sibi constant, cf. *Ios. Klein:* Fasti consulares inde a Caesaris nece *etc.* Lipsiae 1881 p. 41. — *octingentos et viginti*] Ut Hist. 4, 58 (cf. 4, 74). posuit numerum rotundum pro a. u. 822. Hoc igitur dicit: „Res Romanas usque ad Ser. Galbam II. T. Vinium coss. multi scriptores rettulerunt, quamquam diverso modo; nam usque ad bellum Actiacum (IV. Non. Sept. a. u. 723 a. Ch. 31) integra libertate scriptores pro suo quisque ingenio sincere usi sunt, postea sub Caesarum dominatione usque ad Galbam aeque magna ingenia haud exstiterunt ac simul adulatione vel odio historiae veritas contaminata et corrupta est.“ Mirum mihi persaepe accidit, cur non saltem Fabium Rusticum (Agr. 10). et Plinium maiorem (H. 3, 28.) vel uno verbo exceperit vel distinctius significarit, quid in his quoque reprehendendum iudicarit. (Qui hunc locum non satis intellexerant, Beroaldo auctore dederunt *DCC. et XX.*) — *res populi Romani*] Explica ex Ann. 1, 1: *veteris* (liberi) *populi Romani prospera vel adversa* et 4, 32: *veteres populi Romani res;* quibus statim opponuntur res sub Caesaribus gestae. — *pari eloquentia ac libertate*] Haec v. iunge cum v. *rettulerunt,* non cum v. *memorabantur.* — *libertate*] Excipit tamen Sallustius Iug. 95. L. Cornelium Sisennam, de quo scribit: *L. Sisenna optume et diligentissume omnium qui eas res dixere persecutus parum mihi libero ore locutus videtur.* — *post-*

omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere; simul veritas pluribus modis infracta, primum inscitia rei publicae ut alienae, mox libidine adsentandi aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. sed ambitionem scriptoris facile averseris, obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. mihi Galba Otho Vitellius nec beneficio nec iniuria cogniti. dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim: sed incorruptam

1 potestatem *dett.* 4 Int̃ fensos 5 averseris *Pichena:* aduerseris libor 6 fędū 7 michi

quam bellatum] sc. est cf. *A. Draeger:* Syntax u. Stil des Tacitus, Leipzig 1882, § 36, a. — *potentiam*] de Taciti usu vv. *potentia* et *potestas* cf. Ann. 3, 69: *satis onerum principibus, satis etiam potentiae. minui iura, quotiens gliscat potestas.* Dial. 5: *velut quadam perpetua potentia ac potestate munitus.* Ann. 1, 1: *Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere.* — *ut alienae*] Cum homines suam rem publicam non aliter aut melius nossent quam alienam (ad ipsos haud pertinentem), propterea quod eius incuriosi essent, cum ad eam propius accedere non iam liceret, sed unius omnia nutu arbitrioque gererentur. Ern. *Res publica* autem ea cum sit, quae cunctorum civium aeque communis est atque semper esse debet, recte sane opponitur *alienae*, id est, ei, quam nemo ut *suam* curat. Cf. 4, 38: *vulgus — —, cui una ex re publica annonae cura.* Vide etiam Dio 53, 19. ad a. u. 727., quo Augusti cognomen Octaviano tributum est: Ἡ μὲν οὖν πολιτεία οὕτω τότε πρός τε τὸ βέλτιον καὶ πρὸς τὸ σωτηριωδέστερον μετεκοσμήθη· καὶ γάρ που καὶ παντάπασιν ἀδύνατον ἦν δημοκρατουμένους αὐτοὺς σωθῆναι. οὐ μέντοι καὶ ὁμοίως τοῖς πρόσθεν τὰ μετὰ ταῦτα πραχθέντα λεχθῆναι δύναται· πρότερον μὲν γὰρ ἔς τε τὴν βουλὴν καὶ ἐς τὸν δῆμον πάντα, καὶ εἰ πόρρω που συμβαίη, ἐσεφέρετο· καὶ διὰ τοῦτο πάντες τε αὐτὰ ἐμάνθανον καὶ πολλοὶ συνέγραφον, κἀκ τούτου καὶ ἡ ἀλήθεια αὐτῶν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα καὶ φόβῳ τινὰ καὶ χάριτι φιλίᾳ τε καὶ ἔχθρᾳ τισὶν ἐρρέθη, παρὰ γοῦν τοῖς ἄλλοις τοῖς τὰ αὐτὰ γράψασι τοῖς τε ὑπομνήμασι τοῖς δημοσίοις τρόπον τινὰ εὑρίσκετο· ἐκ δὲ δὴ τοῦ χρόνου ἐκείνου τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ δι' ἀπορρήτων γίγνεσθαι ἤρξατο. — *inter infensos vel obnoxios*] h. e. alteris odio, alteris adulatione corruptis. de hoc usu praepositionis *inter* cf. *Naegelsbach:* Lateinische Stilistik § 124. 6. *Draeger* Syntax *etc.* § 85; locos ab *Heraeo* collectos. — *ambitionem*] „*Gunstbuhlerei*, nimium placendi principibus studium facile cum despicientia reicias.“ — *averseris*] ut 3, 25 *neve se ut parricidam aversarentur.* item confusa videmus *aversari* et *adversari* infra 1, 38. 4, 84. cf. *Gerber* et *Greef:* Lexicon Taciteum. — *obtrectatio et livor*] Cic. Brutus § 156 *tantum abest ab obtrectatione et invidia.* — *pronis auribus accipiuntur*] c. 54 *pronis militum auribus accipiebantur.* similis est sententia dial. 40: *ipsa inimicitiarum gloria, cum . . . ad incessendos principes viros, ut est natura invidiae, populi . . auribus uterentur.* — *a Vespasiano inchoatam*] de magistratibus, quos Tacitus ante praeturam gessit, nihil certi constat. ceterum recte *Lipsius* intellegere videtur dignitatem eius inchoatam a Vespasiano, quod ab eo quaestor senatorque factus esset. cf. quae de hac re disputarunt *Frid. Haase* et *Car. Nipperdey* in commentationibus, quas editionibus suis praemiserunt et *L. Urlichs:* de vita et honoribus Taciti. Wirceburgi 1879. — *a Tito auctam*] ad tribunatum plebis vel aedilitatem pertinere videtur. — *a Domitiano longius provectam*] hoc ipse apertius dicit Ann. 11, 11: *nam is quoque* (sc. Domitianus) *edidit ludos saeculares hisque intentius affui sacerdotio quindecimvirali*

fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est. quod si vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis et quae sentias dicere licet.

(2) Opus adgredior opimum casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevom: quattuor principes ferro interempti: trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta: prosperae in Oriente, adversae in Occidente res: turbatum Illyricum, Galliae nutantes,

1 nec cum *Muretus* 5 opimum *a b, alii:* opib; (*recentissima manus* plenū *superscripsit.*) 6 seuom (2*m super* o *posuit* u, *sed rursus delevit*) 7 prospere Inorientē (= em) 8 In occidentes. returbatū nutates (n superscr.) 1*m*.

praeditus ac tunc praetor (a. u. 841, p. Ch. 88.). — *neque amore quisquam et sine odio*] „Debebat esse *nec amore q. nec odio*, sed Tacitus, ut solet, voluit variare orationem. In posteriore membro intellige *quisque.*“ Ern. cf. 2, 52 *nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpae tutior.* Hor. Sat. I 1, 1—3. eundem veritatis amorem profitetur Ann. 1, 1: *sine ira et studio, quorum causas procul habeo.* — *quod si vita suppeditet — seposui*] idem iam cum Agricolae vitam scriberet, promiserat: Agr. 3: *non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse.* Augusti quoque principatum narrare eum in animo habuisse apparet ex Ann. 3, 24: *sed aliorum exitus, simul cetera illius aetatis memorabo, si effectis in quae tetendi plures ad curas vitam produxero.* quae consilia quominus perficeret, morte videtur impeditus esse. — *uberiorem*] propter magnificas Traiani res gestas. — *securioremque*] quatenus sub Nerva et Traiano nulla tam dira facinora commissa erant quam sub Domitiano. „Noli cogitare de periculis ob priorem historiam scriptori timendis (nam talia tunc erant nulla), sed de rebus, quae hilari animo et sine cura aut aerumna e publicis malis oriunda poterant enarrari. Nam materia *secura* est libera a curis, aerumnis. Eodem sensu *securum merum* Tibull. 2, 1, 46. Relege Ann. 4, 32.“ Walther. Verum id potius significat, quod in tradendis Galbae, Vitellii, Domitiani rebus timendum semper erat, ne hominum facinorosorum posteros laederet, ut ait ipse Ann. 4, 33: *multorum, qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere, posteri manent* etc. Erat hoc quoque *periculosae plenum opus aleae*, ut Asinio Pollioni, bellorum civilium scriptori, acclamat Horatius (Od. II 1, 6). cf. dial. 3.

2. *opimum casibus*] Antiqua hac emendatione corrupti v. Med. *opibus* nihil adhuc praestantius excogitatum est; Ernesti *horridum*, Madvig *rapidum* coniecit. cf. Cic. Verr. I § 132 *opimum praeda.* Liv. 3, 7, 3: *agrum opimum copiis.* — *ipsa etiam pace saevom*] Ad Domitiani principatum spectat delatoribus fecundum. Duebn. Adde ipsius Domitiani immanem saevitiam. Ablativum autem absolutum (αὐτῆς τῆς εἰρήνης οὔσης) praetulit vulgari *in ipsa pace.* — *quattuor principes*] Ne erres cum vulgo, neu Pisonem inter istos censeas. Intelligit enim Galbam, Othonem, Vitellium, Domitianum. Nam et ad huius exitum Historiam perduxit. Piso autem dumtaxat Caesar, non princeps. Lips. — *trina bella*] Othonis in Vitellium, huius in Vespasianum, et L. Antonii in Domitianum, de quo Suet. Dom. 6. et Dio 67, 11. ad a. 844, p. Ch. 91. Lips. *trina*, ubi *tria* exspectes, ut 3, 82 *trinis . . praesidiis.* cf. *Sirker:* Taciteische Formenlehre § 49. — *permixta*] eodem tempore gesta, ut cum Flaviani bellum gererent adversus Vitellium, Titus adversus Iudaeos. — *turbatum Illyricum*] Cf. C. 9 et 76. 2, 85., ubi Illyrici nomine comprehendit Dalmatiam, Pannoniam, Moesiam. Ioseph. B. Iud. 2, 16. p. 184 Bekk. οἱ δὲ ἀπὸ τούτων (τῶν Θρᾳκῶν) Ἰλλυριοὶ τὴν μέχρι Δαλματίας ἀποτεμνομένην Ἴστρῳ κατοικοῦντες οὐ δυσὶ μόνοις τάγμασιν ὑπείκουσι, μεθ' ὧν

perdomita Britannia et statim missa, coortae in nos Sarmatarum ac Sueborum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus, mota prope etiam Parthorum arma falsi Neronis ludibrio. iam vero Italia novis cladibus vel post longam saeculorum seriem repetitis afflicta: haustae aut obru-

1 brittannię (*corr.* 2*m*) omissa *Lipsius* coortae *Lipsius:* cohorte 2 etiam prope etiam (*prius* etiam 2*m leviter induxit, ut videtur*); etiam prope *b.*

αὐτοὶ τὰς Δακῶν ἀνακόπτουσιν ὁρμάς; V. 4, 3. — *Galliae nutantes*] 4, 49. — *perdomita Britannia*] Agr. 10: *tum primum perdomita est.* Domitiani autem ultimis temporibus *missam*, id est, omissam, (ut Ann. 6, 36: *omissa Armenia*) neglectam esse censet Lipsius. Per mihi mirum accidit nec Lingard *Gesch. von England* I. p. 39. neque Lappenberg *Gesch. von England* I. p. 38. ullam gravissimorum horum verborum *Britannia statim missa* rationem habuisse. Prorsus relicta nunquam pro certo est Britannia, etsi etiam post Taciti aetatem atroces in ea clades perpessi sunt Romani. Fronto de bello Parthico (ed. Naber p. 218): *Hadriano imperium optinente quantum militum — ab Britannis caesum!* Spartian. in Hadr. 5: *Britanni teneri sub Romana dicione non poterant.* Ergo eo devenimus, ut paullo aliter atque Lipsius interpretemur vv. obscuriora: „statim post Agricolae victorias nullas iam in expeditiones ierunt adversus Britannos Romani neque eos debellarunt nec totam insulam in provinciae formam redigere perseverarunt, sed iis, quae per Agricolae virtutem sibi pepererant, contenti manserunt.“ (Camdenus Brit. p. 43: *Imperante Domitiano, ulteriore Britanniae parte, ut aspera et sterili, barbaris relicta, haec citerior plane et plene in provinciam est redacta;* sed ne ipse quidem huius loci meminit.) — *Sarmatarum ac Sueborum*] De Sarmatis etiam apud alios legas (ut apud Tac. H. 1, 79. 3, 5. 24. 4, 54.), de Suebis vix puto. Chattos tantum nominant, in Domitiani quidem rebus. Sed tu scito hos Suebos non illos esse, qui in ipsa Germania et qui vulgo noti, sed qui trans Istrum, assiti Sarmatis: illi, inquam, ipsi, quibus Vannius a Druso rex datus, quique inter Marum et Cusum fluvios locati et hinc militia plerumque sociati cum illis, ut etiamtunc bello hoc in Domitianum. Cf. Ann. 12, 29. Suet. Dom. 6. et imprimis Dio 67, 5: ἐν τῇ Μυσίᾳ Λύγιοι Σουήβοις τισὶ πολεμηθέντες πρέσβεις ἔπεμψαν, αἰτοῦντες συμμαχίαν παρὰ Δομιτιανοῦ, καὶ ἔλαβον οὐ τῷ πλήθει ἰσχυράν, ἀλλὰ τῷ ἀξιώματι. ἑκατὸν γὰρ ἱππεῖς μόνον αὐτοῖς ἐδόθησαν· ἀγανακτήσαντες δ' ἐπὶ τούτῳ οἱ Σουῆβοι προσπαρέλαβον Ἰάζυγας καὶ προπαρεσκευάζοντο, ὡς καὶ μετ' αὐτῶν τὸν Ἴστρον διαβησόμενοι. Lips. — *Dacus*] H. 3, 46. 4, 54. Agr. 41: *Tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi.* Suet. Dom. 6. Stat. Silv. 1, 1, 27: *Das Cattis Dacisque fidem.* 3, 3, 168: *Haec est quae victis parcentia foedera Cattis, Quaeque suum Dacis donat clementia montem.* Theb. 1, 20: *et coniurato deiectos vertice Dacos.* — *falsi Neronis*] Suet. Nero 57: *denique cum post viginti annos adulescente me extitisset condicionis incertae qui se Neronem esse iactaret, tam favorabile nomen eius apud Parthos fuit, ut vehementer adiutus et vix redditus sit.* de alio falso Nerone cf. 2, 8. — *haustae — urbes*] Eiectamentis Vesuvii Herculaneum et Pompeii cum multis pagis obruta sunt a. u. 832, p. Ch. 79, primo Titi anno, quo casu etiam periit Plinius maior. Cf. Plin. Epp. 6, 16. et 20. Dio 66, 21. Suet. Tit. 8. Stat. Silv. 4, 4, 81. Plutarch. de sera num. vind. 42. (*Les rues de ces villes pavées de laves prouvent que cette éruption n'était pas la première; ce qui explique „post longam saeculorum seriem repetitis.“* Burnouf.) Post *urbes* interpungendum, ut iam *Bekker* distinxit, et *fecundissima — ora* nominativum esse recte vidit *Ioh. Müller:* Beiträge zur Kritik u. Erklärung des Cornelius Tacitus, Innsbruck 1865. 1. Heft. p. 5. *Wölfflin* (Philol. 27 p. 121—124) eiecto vocabulo *urbes* sic scribere voluit: *hausta aut obruta fecundissima Campaniae ora.* quae ratio minime potest probari. nam deleto v. *urbes*, quod maximum et gravissimum erat, interitum urbium, e textu sustulit. quod si Tacitus scripsit *urbes — et urbs*, cum *urbs*

tae urbes, fecundissima Campaniae ora; et urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso. pollutae caerimoniae, magna adulteria. plenum exiliis mare, infecti caedibus scopuli. atrocius in urbe saevitum: nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium. nec minus praemia delatorum invisa quam scelera, cum alii sacerdotia et consulatus ut spolia adepti, procurationes alii et interiorem potentiam, age-

2 aantiquissimis *ut videtur* (cf. 3, 71 aantiquitus) de bris (lu *in fine versus 2m add.*) 3 infecta cedibus

idem valeat ac *Roma*, Romanis certe auribus nihil habet offensionis. et quis tam artis legibus adstringat scriptorem, ut *oppida*, non *urbes* ei scribendum fuisse contendat? nec Livius dubitavit Cerceios *urbem* dicere et paulo post simpliciter *urbem* h. e. Romam (2, 39: *Cerceios profectus primum colonos inde Romanos expulit liberamque eam urbem Volscis tradidit — postremum ad urbem a Pedo ducit.*) cf. quae *Ioh. Müller:* Beiträge etc. 4. Heft. 1875. p. 16 s. contra Wölfflinum disputavit et locum ab eodem ex ipso Tacito (Ann. 16, 13 *amissa urbi — urbis casibus*) aptissime allatum. — *incendiis*] praeter id, quod narratur 3, 71., vehementiore alio sub Tito imperatore a. u. 833, p. Ch. 80. Dio 66, 24. Suet. Tit. 8. — *pollutae caerimoniae*] incestis Vestalium, de quarum condemnatione v. Suet. Dom. 8. Plin. Epp. 4, 11, 6. Dio 67, 3. Stat. Silv. 1, 1, 35., qui prospectantem Domitianum facit: *an tacita vigilet face Troicus ignis Atque exploratas iam laudet Vesta ministras.* Iuven. 2, 29. 4, 9. — *magna adulteria*] virorum feminarumque illustrium, ut C. 4. *magnae domus* 4, 42 *caede nobili. Nägelsbach:* Lat. Stil. § 70, 2 et *Ioh. Müller:* Beiträge etc. p. 13 s. *magna* interpretantur *insignia:* ,auffallende, skandalöse Ehebrüche'. prae ceteris intellegit, ut monet *Ritter*, adulterium a Domitiano cum Iulia fratris filia commissum; v. Suet. Dom. 22. Iuvenal 2, 29—33. Plin. ep. 4, 11, 6. — *plenum exiliis mare*] plenae exulibus insulae maris praecipue Aegaei, desertae plerumque et scopulosae (ut Seriphus et Gyarus), unde *infecti caedibus* exulum ibi saepe trucidatorum *scopuli.* Rup. — *omissi — honores*] Sic teste Dione 67, 13. Domitianus ἀπέκτεινεν .... Ἑρέννιον Σενεκίωνα, ὅτι οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ᾐτήκει. — *sacerdotia et consulatus ut spolia adepti*] cf. 4, 42 de Aquilio Regulo: *libidine sanguinis et hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum caede nobili inbuisti, cum ex funere rei publicae raptis consularibus spoliis, septuagiens sestertio saginatus et sacerdotio fulgens innoxios pueros, inlustres senes ... prosterneres.* — *procurationes*] Cf. Ann. 4, 15. Procuratores principis fisci reditus exigebant per provincias', quarum nonnullis, ut Iudaeae, erant pro praesidibus. Duebn. Hae autem procurationes continuam praebebant occasionem illicitis exactionibus atque omnis generis fraudibus provinciales exspoliandi, semet ditandi. — *interiorem potentiam*] in Palatio penes principem. Duebn. — *agerent verterent*] Manifestum est Tacitum hac iunctura alibi vix obvia atque, ut videtur, ipsius propria imitatum esse frequentem illam apud Livium (3, 37. 10, 34. 33, 13. 38, 15. 18.) formulam *agere ferre, agi ferri*, respondentem notae illi Graecorum ἄγειν καὶ φέρειν, unde Rhenanus cupidius quam consultius *verterent* mutavit in *ferrent*, ut simili loco legitur in dialogo 8: *principes in Caesaris amicitia agunt feruntque cuncta* nec tamen illa lectio adeo certa est, ut in suspicionem vocari nequeat. nostri loci sensum hunc statuo: m i s c e b a n t cuncta odio et terrore (cf. 3, 78 *cuncta sanguine ferro flammisque miscent;* 4, 29 *misceri cuncta tenebris et armis iubet;* 4, 49 *gaudio clamoribusque cuncta miscebant.*), sed pro uno verbo duo similis significationis posuit *agere vertere.* et *agere* quidem est *agitare, vertere* idem valet quod *turbare*, ut Cicero ait Cluent. § 138: *mare, quod natura sua tranquillum sit, ventorum vi agitari atque turbari.* de asyndeti vi cf. *Dräger:* Syntax etc. § 134,

rent verterent cuncta odio et terrore. corrupti in dominos servi, in patronos liberti; et quibus deerat inimicus, per amicos oppressi. (3) non tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. comitatae profugos liberos matres, secutae maritos in exilia coniuges; propinqui audentes, constantes generi; contumax etiam adversus tormenta servorum fides; supremae clarorum virorum necessitates, ipsa *necis* necessitas fortiter tolerata et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. praeter multiplices rerum humanarum casus caelo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum praesagia, laeta tristia, ambigua manifesta. nec enim umquam atrocioribus populi Romani cladibus magisve iustis indiciis adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.

3 steriles (*corr.* 2*m*) 4 comitate 5 audientes *sed littera* i *erasa vel evanida, super* au 2*m scr.* obe constates 7 ipsa necessitas *om. b* necis *add. Meiser* toleratae (*om.* et) *b* 8 pare *super lin. add.* s 2*m* humarū (*corr.* 2*m*) 10 tristitia 11 magisve iustis *Rhenanus*: magis uetustis vindictis *Meiser* de his (*corr.* 2*m*).

exempla ab *Heraeo* collecta ad 2, 70 *intueri mirari.* — *odio et terrore*] cf. 2, 31: *addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae.* — *corrupti* — *oppressi*] cf. 4, 1: *nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos; alii ab amicis monstrabantur.* 2, 63 refert de Dolabella per amicum oppresso.

3. *secutae maritos in exilia coniuges*] ut Fannia, Helvidi Prisci coniux, Thraseae filia, de qua Plinius ep. 7, 19, 4: *bis maritum secuta in exilium est, tertio ipsa propter maritum relegata.* — *constantes generi*] qualem 4, 5 Helvidium, Thraseae generum describit. — *servorum fides*] cf. 4, 50 servi fidelis exemplum. — *supremae* — *tolerata*] quae in Mediceo leguntur ferri nequeunt, nisi ad v. *necessitas* aut *necis* addas (2, 6 *servitii necessitas*, Ann. 11, 4. 13, 1 *causa necis*) aut corrigas *ipsa necis* (Halm) vel *ipsae neces* (Heraeus). de forma sententiae cf. 2, 62 *exhausti* — *principes civitatum*, *vastabantur ipsae civitates*; 2, 87 *nec coloniae modo* — *sed ipsi cultores arvaque* — *vastabantur*. ad *supremae cl. v. nec.* ex sequenti membro supple *fortiter toleratae*; et vv. *supremae nec.* ad ea referenda sunt, quae ultimo vitae tempore ante mortem patienda erant, ut Ann. 11, 37 *florenti filiae haud concors*, *supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta erat*, (cf. H. 1, 72 *accepto* — *supremae necessitatis nuntio*; Ann. 15, 61 *qui necessitatem ultimam denuntiaret*) *ipsa necis nec.* de morte ipsa sunt intellegenda. *necessitas* — *tolerata* dixit, ut 2, 4 *ad tolerandas necessitates.* egregia quidem, sed nimis violenta est huius loci emendatio, quae exstat in codice *b*; minus placet quod olim *Ioh. Samuel Müller* (1766), postea *Ruperti*, nuper *Madvig* proposuit: *supremae clarorum virorum necessitates ipsa necessitate fortiter toleratae.* — *antiquorum*] ut Socratis, Phocionis, Demosthenis, Catonis. — *caelo terraque*] Ann. 6, 37 *terra caelove.* Sall. Iug. 17, 5 *caelo terraque.* Curtius 4, 7, 6 *terra caeloque.* Cic. de fin. 5 § 9 *caelo, mari, terra, ut poetice loquar.* — *laeta tristia, ambigua manifesta*] de asyndeto cf. *Nägelsbach* lat. Stil. § 173, 1; *Ioh. Müller* Beiträge *etc.* 1 p. 11 s.; *Dräger* Syntax *etc.* § 137. — *magisve iustis indiciis*] iusta indicia sunt indicia, qualia debent esse, certa, manifesta. 4, 21 *iusti iam exercitus ductor.* 4, 46 *iusta stipendia.* Ann. 2, 5 *iustis locis.* 14, 32 *sine iustis armis.* ceterum ex Lucani loco infra laudato admodum probabile est pro *indiciis* scribendum esse *vindictis*, quod in textum recepissem, nisi *indiciis* aliquatenus sequenti verbo *adprobatum est* stabiliri videretur. cf. 4, 40, ubi eiusdem vocabuli corruptelam statuo. — *securitatem*] „vitam li-

(4) Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit, ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur. finis Neronis ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evolgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. sed

4 plerisque *L. Spengel.*

beram a curis et discriminibus ideoque beatam." Quantopere autem haec sententia, cui similes reperies Ann. 6, 22. et 16, 33., sane acerbior, excruciarit nostros philologos Christianos, vide iam apud Lipsium et nostra aetate apud Hoffmeister *die Weltanschauung des Tacitus.* Essen 1831. p. 110. Ceterum hic v. *securitatem* minus recte vertit *der Römer Sicherheit;* melius Louandre: *les dieux ne s'occupent pas du bonheur de l'homme, mais du soin de le punir.* Neque vero comprobare possum Duebneri interpretationem: „*securitatem*] per quam patienter ferimus tam indigna fieri." — *ultionem*] Cf. Lucanus 4, 807: *Felix Roma quidem civesque habitura beatos, Si libertatis superis tam cura placeret, Quam vindicta placet,* quem locum animo Taciti obversatum esse recte *Lipsius* arbitrari videtur. Ceterum v. *securitas* refertur ad omnium civium vitam imperturbatam, *ultio* cum ad singulorum, ut Caligulae, Neronis, Domitiani, iustissimas poenas, tum vero ad calamitates supra significatas, quibus poenas tot scelerum velut universum populum Romanum luisse dicit. Noli autem oblivisci per totam hanc Historiarum curam libentius etiam Tacitum rhetoricis coloribus uti quam in Annalibus provectiore iam aetate compositis.

4. *in toto terrarum orbe*] de praepositione addita v. *Wölfflin* Philol. 27 p. 125 s. 4, 58 *toto terrarum orbe.* — *aegrum*] 2, 86 *quidquid usquam aegrum foret.* cf. *Gerber* et *Greef* Lexicon Tac. — *casus eventusque rerum*] cf. Cic. pro Balbo § 9 (de Pompeio): *quid enim abest huic homini —? an ingenium? cum etiam ipsi casus eventusque rerum non duces, sed comites eius consiliorum fuerint?* pro Marcello § 23 *ad humanos casus incertosque eventus valetudinis.* — *plerumque fortuiti*] Lipsium philosophia Stoicochristiana, quam sectabatur, eo abripuit, ut proponeret *plerumque haud fortuiti.* Recte refutarunt inanem hanc sententiam Pichena et Walther. Nimirum hoc dicit: „Singuli quidem casus, ut victoriae, clades, mortes, successiones principum, plerumque fortuiti sunt neque ulla eorum certa causa afferri potest: at vero totus rerum progressus atque universus vicissitudinum imperii tenor ad certam rationem causasque revocari potest, id quod veri historici summum est officium." — *causaeque noscantur*] cf. notum illud Verg. Georg. II 490 *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* — *sed omnes*] de praepositione non repetita v. *Dräger* Syntax § 103. — *evolgato imperii arcano*] Etenim inde ab Augusti temporibus pro certo crediderant homines nusquam alibi quam Romae, et primum quidem specie senatus, deinde, ut factum erat in Claudio et Nerone, saltem per urbanum militem, id est, per praetorianos, quempiam ad imperium evehi posse: iam vero Galba in Hispania ab legionibus principe creato (5, 16 *principem Galbam sextae legionis auctoritate factum*), apparuit fore, ut postea alii quoque duces idem sequerentur exemplum. (Iam olim in vetere republica iudicabant *mali exempli esse imperatores legi ab exercitibus et sollemne auspicatorum comitiorum in castra et provincias procul ab legibus magistratibusque ad militarem temeritatem transferri.* Liv. 26, 2. Gronov.) *imperii arcanum* intellegit imperii adipiscendi arcanum; contra Ann. 2, 36 *arcana imperii* et 59 *dominationis arcana* vocat artes imperii certae familiae certove principi servandi, hominum vulgo ignotas atque occul-

patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem; primores equitum proximi gaudio patrum; pars populi integra et magnis domibus adnexa, clientes libertique damnatorum et exulum in spem erecti: plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur, maesti et rumorum avidi. (5) miles urbanus longo Caesarum sacramento inbutus et ad destituendum Neronem arte magis et inpulsu quam suo ingenio traductus, postquam neque dari donativum sub nomine Galbae promissum neque magnis meritis ac praemiis eundem in pace quem in bello locum praeventamque gratiam intellegit apud principem a legionibus factum, pronus ad novas res scelere insuper Nymphidii Sabini

1 laetius usurpatā statim libertatē 3 integrā 4 suetas *sed litt.* s *erasa* 6 mesti

tatas. — *ut erga principem*] de hoc usu coniunctionis *ut* (= *ut fieri solet*) v. *Dräger* Syntax § 178. — *primores equitum*] sunt equites censu senatorio (qui erat decies sestertium Ann. 1, 75), lato clavo insignes; iidem vocantur Ann. 16, 17 *equites Romani dignitate senatoria;* 2, 59 *equites R. inlustres;* 11, 5 *insignis eques R.* — *pars populi integra*] Suet. Nero 12 *quadringentos senatores sescentosque equites Romanos et quosdam fortunae atque existimationis integrae.* Sall. Or. Cottae 5 *fama et fortunis integer.* Cic. pro Murena § 50 *integrorum et fortunatorum promissis saucios et miseros credere non oportere.* *Lipsius* interpretatur: ‚sincera et lascivia temporum non corrupta.‘ — *magnis domibus adnexa*] varias per necessitudines, ut puta, per clientelas, per procurationes redituum ac latifundiorum, per rem etiam fenebrem; hi autem opponuntur *plebi sordidae.* — *in spem erecti*] quippe qui, patronis damnatis vel in exilium pulsis, sportulis reliquisque clientelae commodis adhuc caruissent; hi tunc spem conceperunt fore, ut exulibus atque necatorum heredibus bona olim publicata restituerentur, quapropter ipsi quoque priores clientelarum fructus reciperarent. — *plebs sordida*] 3, 74 *sordida pars plebis.* — *adesis bonis*] Ann. 13, 21 *adesis omnibus fortunis.*

5. *arte magis et inpulsu*] ἓν διὰ δυοῖν pro *artificioso impulsu,* quod Tacitus dicere noluit nec potuit. Roth. Secus mihi videtur. *Ars* spectat ad dolum, quo decipiebantur, *impulsus* ad vim, qua per exemplum ceterorum subito abrepti sunt. Walth. — *donativum*] Plut. Galba 2: Νυμφίδιος δωρεὰν ὑπέσχετο κατ᾽ ἄνδρα τοῖς αὐλικοῖς καὶ στρατηγικοῖς προσαγορευομένοις δραχμὰς ἑπτακισχιλίας πεντακοσίας, τοῖς δὲ ἐκτὸς στρατευομένοις πεντήκοντα καὶ διακοσίας ἐπὶ χιλίαις. — *praeventamque gratiam*] occupatam iam ab iis militibus, qui Galbam in Hispania imperatorem crearant. *praeveniri* hic posuit de re, aliis locis de hominibus 1, 53 *in eo ipso sacramento — praeventus erat.* Ann. 14, 7 *nisi praeveniretur Agrippina.* cf. Sall. Iug. 71, 5 *dicit, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa.* — *Nymphidii S. praefecti*] praetorio cum Tigellino. Hic primum commentus erat Neronem meditari fugam in Aegyptum et praetorianos grandi *donativo sub nomine Galbae promisso* perpulerat, ut eum imperatorem salutarent. Deinde imperium ipse sibi molitus, sed a militibus obtruncatus est. Suet. Galb. 11. Ibid. 16: *cum in verba eius absentis iurantibus donativum grandius solito praepositi pronuntiassent* cet. Dio 64, 2. Plutarch. Galb. 8., qui lepida nonnulla de homine perverso narrat, velut C. 9: οὐχ ἔφευγε Γαΐου Καίσαρος υἱὸς λέγεσθαι τοῦ μετὰ Τιβέριον ἄρξαντος· - - ἔργον μὲν αὐτοῦ μόνου τὴν Νέρωνος ἐποιεῖτο κατάλυσιν, ἆθλα δὲ αὐτῆς οὐ νομίζων ἱκανὰ καρποῦσθαι τὰς τιμὰς καὶ τὰ χρήματα καὶ τὸ Σπόρῳ τοῦ Νέρωνος συγκαθεύδειν, ὃν εὐθὺς ἀπὸ τῆς πυρᾶς ἔτι καιομένου τοῦ νεκροῦ μεταπεμψάμενος ἐκεῖνος ἐν γαμετῆς εἶχε τάξει καὶ Ποππαίαν προσηγόρευεν, ἐπὶ τὴν δια-

praefecti imperium sibi molientis agitatur. et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: set quamvis capite defectionis ablato manebat plerisque militum conscientia, nec deerant sermones senium atque avaritiam Galbae increpantium. laudata olim et militari fama celebrata severitas eius angebat aspernantes veterem disciplinam atque ita quattuordecim annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia principum amarent quam olim virtutes verebantur. accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. nec enim ad hanc formam cetera erant. (6) invalidum senem Titus Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum contemptu inertiae destruebant. tardum Galbae iter et cruentum interfectis Cingonio Varrone consule designato et Petronio Turpiliano consulari:

n
2 set *Rhenanus:* et 3 conscentia 5 a|aspernantes 8 hac 1m 10 ater 12 ciconio barrone

δοχὴν παρεδύετο τῆς ἡγεμονίας. — *agitatur*] „Malim *agitatus;* non enim cum maxime fiebat illud, sed iam ante adventum Galbae factum erat." I. Fr. Gronov. „Factum erat; sed etiamtunc miles urbanus ex illo motu agitabatur (*war noch in unruhiger Bewegung davon*) et supererant Nymphidii socii. Cf. C. seq." Walth. — *senium*] Plut. Galb. 8: ἦν γὰρ ἐτῶν τριῶν καὶ ἑβδομήκοντα. — *avaritiam*] Dio 64, 2: χρήματά τε ἀπλήστως, ἅτε καὶ πολλῶν δεόμενος, ἤθροιζε καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐλάχιστα ἀνήλισκεν, ὥστε μηδὲ δραχμὰς ἔστιν οἷς ἀλλ' ὀβολοὺς χαρίζεσθαι. Suet. G. 6. 12. — *verebantur*] simplex pro composito *reverebantur*, quod sine causa substituendum censebant Pichena et Acidalius. (Doederlein Syn. II p. 185: „ita venerabantur, ut timerent.") — *pro re publica*] „quae e re publica esset et populi Romani principem valde deceret." Optime explicat Plutarchus l. l. Non est, ut vertit Louandre *pour la république*, pro vetere re publica Romana, quo sensu is accepisse videtur. praepositionem *pro* cum adiectivo *honestus* iunxit, ut 3, 7 *decorum pro causa*. de hoc usu praepositionis *pro* v. *Dräger* Syntax § 90. — *legi a se*] Plutarch. G. 18: ἀφῆκε φωνὴν ἡγεμόνι μεγάλῳ πρέπουσαν εἰπὼν εἰωθέναι καταλέγειν στρατιώτας, οὐκ ἀγοράζειν. Suet. G. 16. Dio 64, 3. — *cetera*] ceteri Galbae mores eiusque senium, immo et tempora ipsa et militum animus non congruebant cum severitate prodita illa tam magnifica voce. cf. infra 18 *nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus.*

6. *T. Vinius*] Vide imprimis Cap. 48. Plut. Galba 12: ἦν δὲ Οὐίνιος ἀργυρίου μὲν ἐσχάτως καὶ παρ' ὁντινοῦν ἥττων, ἔνοχος δὲ καὶ τοῖς περὶ γυναῖκας ἁμαρτήμασιν. Suet. G. 14: *Vinius — cupiditatis immensae.* — *Cornelius Laco*] Cap. 24. 46. Suet. l. l.: *Laco — arrogantia socordiaque intolerabilis.* — *oneratum — destruebant*] his vitiis populari fama ex amicis in ipsum ut consentientem translatis perverterant. Duebn. cf. Ann. 4, 68 *audentius iam onerat Seianum;* 2, 63 *suaque in destruendo eo* (sc. hoste) *consilia extulit.* — *Galbae iter*] ex Hispania Tarraconensi sive citeriore post octavum administrationis annum. Plut. G. 4. Galba videtur iter ingressus, ut *Savilius* computat, circa mensis Iulii initium et Romam circa Septembrem pervenisse, tardo itinere via longa et impedimentis gravi. — *Cingonio Varrone*] qui Nymphidio imperium sibi molienti orationem ad praetorianos composuerat. Plut. G. 14 et 15. cf. infra c. 37. Ann. 14, 45. — *Petronio Turpiliano*] consule a. 814, p. Ch. 61. Cf. Ann. 14, 29. 39. 15, 72. Agr. 16. Plut. G. 15. eum vocat γέροντα γυμνὸν καὶ ἄνοπλον. —

ille ut Nymphidi socius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefensi tanquam innocentes perierant. introitus in urbem trucidatis tot milibus inermium militum infaustus omine atque ipsis etiam qui occiderant formidolosus. inducta legione Hispana, remanente ea, quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu insolito; multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis

1 nimphydi 3 homine 4 legiones *sed litt.* s *erasa* 6 brittannia illirico

dux Neronis] in Britannia. Cf. Ann. 14, 39 et 15, 72: *triumphale decus Petronio Turpiliano — tribuit.* — *inauditi atque indefensi*] 2, 10 *indefensum et inauditum;* Ann. 2, 77 et Dial. 16 *inauditum et indefensum.* — *tanquam innocentes*] quia non a iudicibus damnati neque culpae convicti erant, id quod Galbae invidiam concitavit. Cf. etiam locum Plinii Epp. 4, 11, 8 de Cornelia vestali: *Dixit, donec ad supplicium, nescio an innocens, certe tamquam innocens ducta est.* Ac Turpilianus quidem teste Plut. G. 17. occisus est, ὅτι μὴ προεδίδου μηδὲ ἐμίσει τὸν ἡγεμόνα (Neronem) τοιοῦτον ὄντα μισούμενος, ἄλλο δὲ μηδὲ ἓν μέγα συναδικήσας. — *trucidatis tot milibus*] Cf. C. 31. 37. 87. Suet. G. 12: *ut primum urbem introiit —, classiarios — non modo inmisso equite disiecit, sed decimavit etiam.* Plut. G. 15: Ἐπεὶ δὲ προσιὼν ἀπεῖχε τῆς πόλεως περὶ πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους, ἐνετύγχανεν ἀκοσμίᾳ καὶ θορύβῳ τῶν ἐρετῶν τὴν ὁδὸν προκατεχόντων καὶ περικεχυμένων πανταχόθεν. Οὗτοι δὲ ἦσαν, οὓς εἰς ἓν τάγμα ὁ Νέρων συλλοχίσας ἀπέφηνε στρατιώτας· καὶ τότε παρόντες ἐκβεβαιώσασθαι τὴν στρατείαν οὔτ' ὀφθῆναι τοῖς ἀπαντῶσιν οὔτ' ἀκουσθῆναι παρίεσαν τὸν αὐτοκράτορα, ἀλλ' ἐθορύβουν βοῇ σημεῖα τῷ τάγματι καὶ χώραν αἰτοῦντες· — ἐνίων δὲ καὶ τὰς μαχαίρας σπασαμένων ἐκέλευσε τοὺς ἱππεῖς ἐμβαλεῖν αὐτοῖς ὁ Γάλβας· ὑπέστη δὲ οὐδεὶς ἐκείνων, ἀλλ' οἱ μὲν εὐθὺς ἀνατραπέντες, οἱ δὲ φεύγοντες διεφθάρησαν οὐ χρηστὸν οὐδὲ αἴσιον ποιοῦντες τῷ Γάλβᾳ τὸν οἰωνὸν εἰσιόντι διὰ πολλοῦ φόνου καὶ νεκρῶν τοσούτων εἰς τὴν πόλιν. Dio 64. 3: ἀπήντησαν αὐτῷ οἱ δορυφόροι (deberet esse οἱ ἐρέται· vide Reimarum:) τοῦ Νέρωνος —· ἐφῆκέ σφισι τὸ στράτευμα. καὶ οἱ μὲν παραχρῆμα ἐς ἑπτακισχιλίους ἀπέθανον, οἱ δὲ καὶ μετὰ τοῦτο δεκατευθέντες. — *legione Hispana*] VII Galbiana cf. 2, 11. 86. 3, 7. 10. 21. 22. 25. Suet. Galba 10: *e plebe quidem provinciae legiones* [immo legionem] *et auxilia conscripsit.* v. *W. Pfitzner:* Geschichte der römischen Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrianus. Leipzig 1881. p. 46. 104. 243 s. — *e classe*] c. 31 *legio classica*, 36 *classicorum l.*, 2, 11. 23. 24 *prima l.*, 2, 67 *prima classicorum l.*, 2, 43. 3, 44 *prima Adiutrix.* Nihil autem haec habuit commune cum ἐρέταις supra memoratis, quos trucidari iussit Galba. Horum qui caedem evaserant, postea demum Otho *in numeros legionis composuit.* C. 87. De tota hac re accurate disseruit Pfitzner in *Bergk* und *Caesar* Zeitschrift 1846. I. p. 14., cuius expositionem dabimus in Excursu ad h. l. — *numeri*] Hoc est, cohortes, manipuli, vexilla, turmae; quicunque non conscripti in iustam legionem. Duebn. cf. c. 87 *in numeros legionis.* Agr. 18: *sparsi per provinciam numeri.* Suet. Vesp. 6. — *Caspiarum*] Suet. Ner. 19., ubi ut vulgo vocantur *Caspiae portae*, αἱ Κάσπιαι πύλαι, unica via, quae ex Asiae occidentalis parte Septentrionem versus sita ducebat in Persidem orientalem et Indiam; hinc Dionysio Perieg. 1064: κλῇδες γαίης Ἀσιήτιδος. *Forbiger* Geographie II. p. 47. cf. Ann. 6, 33 *Caspia via.* contra Plinius h. n. VI. 11, 30 *portae Caucasiae, magno errore multis Caspiae dictae,* 13, 40 *corrigendus est hoc loco error multorum, etiam qui in Armenia res proxime cum Corbulone gessere. namque hi Caspias appellavere portas Hiberiae, quas Caucasias diximus vocari, situsque depicti et inde missi hoc nomen inscriptum habent. et Neronis principis comminatio ad Caspias portas tendere dicebatur, cum peteret illas, quae per Hiberiam in Sarmatas tendunt.* — *in Albanos*] Suet. l. l.: *Parabat et ad Caspias portas expeditionem,*

Vindicis coeptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata. (7) forte congruerat ut Clodii Macri et Fontei Capitonis caedes nuntiarentur. Macrum in Africa haud dubie turbantem Trebonius Garutianus procurator iussu Galbae, Capitonem in Germania, cum similia coeptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens legati legionum interfecerant, antequam iuberentur. fuere qui crederent Capitonem ut avaritia et libidine foedum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse; sed a legatis bellum suadentibus postquam inpellere nequiverint, crimen ac dolum ultro compositum; et Galbam mobilitate ingenii, an ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. ceterum utraque caedes sinistre accepta, et inviso semel principi seu bene seu male facta perniciem

1 cępti 2 audienti 5 cęptaret 7 fędum 10 mobilitate *sed* mo *a* 2*m* 11 sinistrę 12 perniciem *Meiser:* p̄minuit lā (parem invidiam *Bezzenberger*).

conscripta ex Italicis senum pedum tironibus nova legione, quam magni Alexandri phalanga appellabat. — *Vindicis*] C. Iulius Vindex, qui Galliam pro praetore obtinebat, proximo superiore anno a Nerone desciverat, non sibi sed Galbae principatum paraturus. Plut. G. 4: ὁ Οὐίνδιξ ἔγραψε τῷ Γάλβᾳ παρακαλῶν ἀναδέξασθαι τὴν ἡγεμονίαν. Facile superatus ad Vesontionem (*Besançon*) a Verginio Rufo, qui Germaniae superiori praeerat, manum sibi intulit. Dio 63, 22. Suet. Ner. 40. Plut. G. 4 et 6.

7. *Clodii Macri*] qui legatus in Africa naves frumentarias retinebat, ut annonae inopia urbem in suam potestatem redigeret, cuius culpae certe insimulabatur a Nymphidio. cf. c. 73. Suet. Galba 11. Plut. G. 13. collato item c. 6: ὁ Κλώδιος ἐν ἁρπαγαῖς πραγμάτων γεγονὼς καὶ φόνοις ἀνδρῶν δι' ὠμότητα καὶ πλεονεξίαν δῆλος ἦν ἐν τῷ μήτε κατέχειν μήτε ἀφιέναι τὴν ἀρχὴν δύνασθαι περιφερόμενος. — *Capitonis*] qui consul fuerat a. 820, p. Chr. 67. Cf. de eo C. 58. 3, 62. Plut. G. 15. Dio 64, 2. — *foedum ac maculosum*] Cf. infra c. 52: *sordes et avaritiam Fontei Capitonis.* „Nomina adiectiva h. l. non ita separanda sunt, ut prius ad *avaritiam*, alterum ad *libidinem* pertineat, sed utrumque eodem iure de avaro et libidinoso dicitur. *Maculosus* Tacito est Graecum στιγματίας translata significatione, designatque eum, qui flagitiis manifestis ac praecipue infami libidini obnoxius tenetur. Igitur Caecina Valentem Hist. 2, 30. inridet ut *foedum ac maculosum*, et idem Valens 1, 66. stupra et adulteria sectatus dicitur. Cf. 3, 41. L. Vitellius 3, 38: *omni dedecore maculosus*, 3. 77. autem *infamis* sive libidine pessumdatus appellatur. Quamobrem cum Cilices Cossutianum Capitonem deferunt Ann. 13, 33: *maculosum foedumque et idem ius audaciae in provincia ratum, quod in urbe exercuerat*, postremis verbis indicatur eundem aliis quoque flagitiis coopertum fuisse.“ Ritter. — *dolum*] quem eius caedes secuta est. cf. c. 58 *tanquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset.* — *an ne — scrutaretur*] de hoc usu particulae *an* cf. *Dräger* Syntax § 158, 1. — *perniciem adferebant*] cf. c. 6 *Invalidum senem — destruebant.* 3, 39 *ne dilata Blaesi mors maturam perniciem — ferret.* Ann. 1, 79 *ipsis perniciem adferret.* 11, 4 *ipsi fratrique perniciem allatam.* vitium in codice ortum est ex varia scriptura vocabuli *pernicies* (2, 70 in codice est *permitiem*) et ex prava vocabuli divisione (*permit iem*). *Bezzenbergeri* emendatio magis speciosa est quam vera. neque enim verum est dicere *inviso — invidiam adferebant:* nam qui invisus est, summam iam sibi invidiam contraxit; neque dicere debebat *parem invidiam adferebant*, sed aut simpliciter *invidiam adferebant* aut certe *perinde invidiam adferebant*, ut 4, 36 *sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accende-*

adferebant. venalia cuncta, praepotentes liberti; servorum manus subitis avidae et tanquam apud senem festinantes; eademque novae aulae mala, aeque gravia, non aeque excusata. ipsa aetas Galbae inrisui ac fastidio erat adsuetis iuventae Neronis et imperatores forma ac decore corporis, ut est mos volgi, comparantibus. (8) et hic quidem Romae, tanquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit. e provinciis Hispaniae praeerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. Galliae super memoriam Vindicis obligatae recenti dono Romanae civitatis et in posterum tributi levamento. proximae tamen Germanicis exercitibus Galliarum civitates non eodem honore habitae, quaedam etiam finibus ademptis pari dolore commoda aliena ac suas iniurias metiebantur.

4 Iuuente 6 fit 7 artib; *in fine versus*, artibus clarus *Agricola* 8 dom''ino *sic in rasura a 2m* 9 proxime Germanicis *Agricola:* germa|nis 11 sua *sed corr. 2m.*

batur. Ann. 2, 2 *perinde odium pravis et honestis.* — *subitis*] subita fortunae mutatione; c. 69 *ut est mos vulgo, mutabilem subitis.* — *forma ac decore*] re vera Neronem pulcherrimum fuisse monstrant eius effigies et nummi. v. *Mongez* Icon. rom. II. p. 219.

8. *tanquam in tanta multitudine*] „quemadmodum aliter fieri nequibat, quam ut in urbe innumerabili hominum multitudine referta multi semper sermones variaque iudicia de Galba eiusque familiaribus fierent.“ Dictum est, ut illud Horatii Sat. 1, 6, 79: *In magno ut populo.* Ac prorsus similiter Plut. G. 26. in describenda varietate affectuum multitudinis urbanae erga Galbam vel adversus eundem: οἷα δὲ ἐν πλήθει τοσούτῳ. (Aliter quidem Walther et Bachius: „quatenus in tanta multitudine animorum habitus intellegi poterat.“ Sed hoc potius significare voluit: „immensi ponderis fuisse ad Galbae interitum accelerandum tantae multitudinis fastidium odiumque adversus eum.“) — *Cluvius Rufus*] scriptor historicus *facundus*, qui res Neronis, Galbae, Othonis, Vitellii tradidit. Cf. Ann. 13, 20. 14, 2. Hist. 1, 76. 2, 58. 65. 3, 65. 4, 39. 43. Plin. Epp. 9, 19. consul fuit ante annum 41 p. Ch. v. Ios. ant. 19, 1, 13. cf. de eo *Th. Mommsen* Hermes IV. 318. — *pacis artibus*] Est ablativus qualitatis, ad quos olim supplebant ὤν, praeditus, instructus, abundans et *pacis artibus* idem valet quod *civilibus artibus* (Agr. 39 *studia fori et civilium artium decus*). cf. *Dräger* Syntax § 61, sed nullum simile exemplum adfertur et aliquid deesse verisimile est. Alii per zeugma sane durius ex v. *inexpertus* elici iubent *expertus.* — *bellis*] Male alii *belli.* „*Bellis inexpertus* est, qui nullas res bello gessit, quibus scientia militaris cognosceretur; *belli inexpertus*, qui bellum nunquam vidit.“ Ern. et Oberl. Sic H. 2, 75: *legiones civili bello inexpertas.* Ann. 16, 5 *lascivia inexperti.* — *memoriam Vindicis*] cuius illustris sui popularis interitum lugebant. Is autem Galbae imperium obtulerat (Dio 63, 23.); quocirca, qui eius partes amplexi erant, ipsi quoque illi, cum principatum adeptus erat, favebant. („*Les Gaulois qui avaient combattu sous Vindex avaient en quelque sorte donné des gages à la cause de Galba, et ce souvenir semblait lui répondre de leur fidélité.*“ Burnouf.) — *Romanae civitatis*] Plut. G. 18: Ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πραττόμενα διαβολὴν εἶχεν, ὡς τὰ πρὸς τοὺς Γαλάτας Οὐίνδικι συναραμένους· ἐδόκουν γὰρ οὐ φιλανθρωπίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀλλ' ὠνούμενοι παρὰ Οὐινίου τυγχάνειν ἀνέσεώς τε δασμῶν καὶ πολιτείας. Primores Galliae prius id ius acceperant. Cf. Ann. 11, 23. Iam promiscue datum est. Walth. — *tributi*] quartae eius

Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis victoriae et metu tanquam alias partes fovissent. tarde a Nerone desciverant; nec statim pro Galba Verginius: an imperare noluisset dubium: delatum ei a milite imperium conveniebat. Fonteium Capitonem occisum etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. dux deerat, abducto Verginio per simulationem amicitiae; quem non remitti atque etiam reum esse tanquam suum crimen accipiebant. (9) superior exercitus legatum Hordeonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate, ne quieto quidem milite regimen: adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. inferioris Germaniae legiones diutius sine consulari fuere, donec missu Galbae A. Vitellius aderat, censoris Vitellii ac ter consulis filius: id satis videbatur. in Britannico exercitu nihil irarum: non sane aliae legiones per omnes civilium bellorum motus innocentius egerunt, seu quia procul et Oceano divisae, seu crebris expeditionibus doctae hostem potius odisse. quies et Illyrico, quanquam excitae a Nerone

1 germani 2 metus 3 uergenius 6 uergenio 11 consulari // (*litt.* s *erasa videtur*) 13 brittannico sanę 14 omne (s *add.* 2*m*) 16 excite

partis. Cf. C. 51. — *Germanicis exerc.*] His *proximas Galliarum civitates*, nominatim *Treveros ac Lingones*, *damno finium perculerat* (C. 53.) Galba, id est, partem finium vicinis attribuerat, unde accisi earum civitatum erant reditus publici. Sed cur ita multatae sunt? Propterea quod *pars Galliarum, quae Rhenum accolit*, Verginii Rufi et legionum Germanicarum *partes secuta erat.* Cf. C. 51. — *solliciti et irati*] Suet. Galb. 16: *sed maxime fremebat superioris Germaniae exercitus fraudari se praemiis navatae adversus Gallos et Vindicem operae.* Plut. G. 22. Dio 64, 4. — *alias partes*] Verginii, de quo praestantissimo viro lege Plin. Epp. 2, 1: (*Verginius*) *laudatus est a consule Cornelio Tacito; nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit, laudator eloquentissimus.* 6, 10: *Mandaverat caveratque, ut divinum illud et inmortale factum versibus inscriberetur: Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam Imperium adseruit non sibi, sed patriae.* Cf. Hist. 2, 68. Dio 64, 4: Ὁ Ῥοῦφος πρὸς Γάλβαν ἦλθε· καὶ παρὰ μὲν ἐκείνου οὐδὲν ὅ τι ἄξιον εἰπεῖν εὕρατο, εἰ μή τις αὐτὸ τοῦτ᾽ ἐκλογίσαιτο, ὅτι πολλάκις αὐτοκράτωρ ὀνομασθεὶς ἔζησε. Plut. G. 10: (ὁ Οὐεργίνιος) παραδοὺς ἐκείνῳ τὴν δύναμιν αὐτὸς ἀπήντησε τῷ Γάλβᾳ πρόσω χωροῦντι καὶ συνανέστρεφεν οὔτε ὀργῆς οὔτε τιμῆς ἐπιδήλου τυγχάνων. *Reum* autem eum factum esse suspicio videtur fuisse militum, quippe qui saltem scirent Galbam ei non fidere, vel, ut ait Plut. G. 22., indignabantur, quod esset ἀπεῤῥιμμένος ἀτίμως.

9. *debilitate pedum invalidum*] podagricum Plut. Galba 18: τὸν Φλάκκον ὑπὸ συντόνου ποδάγρας ἀδύνατον ὄντα τῷ σώματι καὶ πραγμάτων ἄπειρον ἐν οὐδενὶ λόγῳ τὸ παράπαν ἐποιοῦντο. — *adeo*] *adeo* dicitur pro *multo magis*, ut 3, 64. 4, 39. 80; *adeo non* pro *multo minus*, ut 3, 39. Ann. 3, 34. 6, 15. cf. *Hand* Turs. 1, 154. *Dräger* Synt. § 24. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. — *sine consulari*] post occisum Fonteium Capitonem. — *censoris Vitellii*] Lucii. — *id satis videbatur*] „si consularis filius pro consulari mitteretur, id huic exercitui sufficere debere iudicabat Galba,“ qui si voluisset, facile tot e consularibus quempiam mittere potuisset; scilicet maiorem honorem militibus ab se alienatis tribuere nolebat. (Lipsius et Burnouf praeeunte qui-

legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur. (10) Oriens adhuc inmotus. Syriam et quattuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque iuxta famosus. insignes amicitias iuvenis ambitiose coluerat; mox attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiae sepositus tam prope ab exule fuit quam postea a principe. luxuria industria, comitate adrogantia, malis bonisque artibus mixtus. nimiae voluptates, cum vacaret: quotiens expedierat, magnae virtutes. palam laudares: secreta male audiebant. sed apud subiectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens, et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere. bellum Iudaicum Flavius Vespasianus (ducem eum Nero delegerat) tribus legionibus administrabat. nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus: quippe Titum filium ad venerationem cultumque eius miserat, ut suo loco memorabimus. occulta fati et ostentis ac responsis destinatum Vespa-

1 cunctatur *Classen* 6 atteritis *sed litt.* e *erasa* 7 asyae sepositus *Acidalius:* repositus 9 se expedierat *Ritter* 10 malę 11 set *Madvig* 12 Iudęi cum (*corr.* 2*m*) 13 amministrabat 16 lege fati *dett.*, fati vi *Madvig.*

dem Dione 64, 4. explicant: satis id visum esse militibus: sed imperfectum magis favet priori interpretationi.) — *dum — cunctantur*] *Classeni* emendationem ut nimis incertam recipere dubitavi: nam nihil impedire videtur, quominus statuamus legiones Illyricas venisse quidem in Italiam, sed a Galba statim esse remissas, priusquam vitia ac vires miscerent. cf. *Pfitzner:* Geschichte der röm. Kaiserlegionen p. 47, 142, 151, 154. neque Tacitus, si de Nerone sermo esset, *in Italia* addidisset, sed dixisset *dum is cunctatur*. — *nec vitiis*] Nec vitia sua inter se velut per contagionem communicare nec se coniungere et vires suas mutuo augere poterant. Ern.

10. *Licinius Mucianus*] De C. Licinio Muciano scripsit *L. Brunn.* Lipsiae 1870. ter consul fuit: I a. inc. ante a. 67, II a. 70, III a. 72 (*Ios. Klein:* Fasti consulares etc. Lipsiae 1881.) Plinius n. h. 12, 1, 9: *Licinius Mucianus ter consul et nuper provinciae eius* (Lyciae) *legatus.* — *suspecta*] quam, etsi haud proruperat, tamen timebat Mucianus ideoque libentissime in Asiam secessit. — *secretum Asiae*] 3, 63 *secreta Campaniae;* Ann. 4, 57 *Rhodi secreto.* — *sepositus*] c. 13 *suspectum — in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit.* c. 46 *Laco praefectus, tanquam in insulam seponeretur.* c. 88 *sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem.* 2, 63 *in col. Aqu. sepositum.* cf. *Boetticher* Lex. Tac. — *postea a principe*] De qua re multis in libro secundo. Duebn. — *expedierat*] *Expedire* hic significat in expeditionem sive ad bellum proficisci, ut infra C. 88. Ern. Hanc autem veram esse interpretationem demonstrat oppositum *vacaret*, pleno ubi otio frueretur. Alii minus recte illud exponunt, „quoties ei conduxerat, profuerat,“ ut Louandre: *mais il avait, au besoin, de grandes vertus.* — *palam*] quasi τὰ ἀναφανδόν, in iis, quae palam agebat. Duebn. — *laudares*] ἐπῄνεις ἄν, tunc cum vivebat. — *collegas*] Intellige Iudaeae, Cappadociae, Aegypti, omnino finitimarum provinciarum praesides, ut Agr. 9. Bach. — *votum*] ut oppresso Galba ipse principatu potiretur; nec alioquin ab eo alienatus erat. — *suo loco*] 2, 1. — *occulta fati*] „τὰ κρυπτὰ τῆς εἱμαρμένης, arcanam quandam fuisse fati necessitatem.“ Arbitrarium est supplementum *lege fati.* — *ostentis*] 2, 78. 4, 81. Dio 66, 1. Suet. Vesp. 5.

siano liberisque eius imperium post fortunam credidimus. (11) Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, iam inde a divo Augusto equites Romani obtinent loco regum: ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, domi retinere. regebat tum Tiberius Alexander, eiusdem nationis. Africa ac legiones in ea interfecto Clodio

1 ęgiptum 3 difficile 4 superstitionem 5 ignara domui *Ricklefs* 6 legio *Lipsius*.

11. *coerceretur*] Ernestius malebat *coercetur*, sed illud est: *quibus coerceri debebat.* — *a divo Augusto*] Ann. 2, 59: *Augustus inter alia dominationis arcana vetitis nisi permissu ingredi senatoribus aut equitibus Romanis inlustribus seposuit Aegyptum.* (Equites igitur inferioris gradus negotiandi causa in Aegyptum proficisci poterant.) — *loco regum*] est: „iique tantum dignitatis habent, ut nihil prope nisi nomen regium desit.“ Ern. Optimus interpres est Strabo 17, 12. p. 797: Ἐπαρχία δὲ νῦν ἐστι, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. Ὁ μὲν οὖν πεμφθεὶς τὴν τοῦ βασιλέως ἔχει τάξιν· id est, eam arbitratu suo aeque regit, ac si rex esset, nulli nisi principi actorum suorum rationem redditurus. Ac propter hoc ipsum repetundarum rei ex Aegypto nusquam memorantur inter tot reos ex provinciis senatus. (Ruperti vv. *loco regum* simpliciter exponit „pro regibus, qui olim ibi regnarant.“) cf. *Nipperdey* ad Ann. 12, 60. — *fecundam*] Quoniam Italia iam incolis nimium referta erat atque propter locupletium villas immensas agriculturam negligens frumentis ex Aegypto praesertim importandis indigebat, ante omnia hoc administrationis genere cavendum erat, ne unquam commeatus ex Aegypto a seditioso praeside intercluderetur. Iustinus 2, 1: *solum (Aegypti) ita fecundum, ut alimentorum in usum hominum nulla terra feracior fuerit.* — *lascivia*] Iuven. 15, 45: *luxuria, quantum ipse notavi, Barbara famoso non cedit turba Canopo.* — *mobilem*] Curtius 4, 1, 30: *Aegyptii, vana gens et novandis quam gerendis aptior rebus.* Plinius Paneg. 31: *percrebuerat antiquitus urbem nostram nisi opibus Aegypti ali sustentarique non posse. superbiebat ventosa et insolens natio* etc. bell. Alex. 24: *fallacem gentem semperque alia cogitantem alia simulantem bene cognitam habebat.* Vopisc. in Saturnino 8: *Aegyptum — totam didici levem, pendulam et ad omnia famae momenta volitantem.* — *ignaram magistratuum*] „quae non facile proconsulibus obedisset eam ex veteris rei publicae more et Romanis ex legibus, quas incolae haud norant, administrantibus.“ — *domi retinere*] per Caesaris procuratores administrare. (Sibi et principibus successoribus peculiarem servare. Duebn.) Minus recte Brotierius vv. *domi retinere* interpretatur: „ut nihil externum cogitaret nullaque esset novarum rerum cupido.“ — *Tiberius Alexander*] Ego hunc illum puto, qui in castris et gratia Corbulonis A. 15, 28, qui et Iudaeae procurator apud Iosephum ant. 20, 5. Pater eius item Tiberius Alexander, qui alabarches Alexandriae et frater Philonis Iudaei, cuius nunc scripta habemus. Lips. Dicitur *eiusdem nationis*, quia in Aegypto natus erat ex familia Iudaica illa quidem, sed quae Alexandriae sedes fortunarum haberet, ceterum dudum civitate Romana donata et equestrem gradum adepta. Ern. Cf. Hist. 2, 74. 79. — *ac legiones in ea*] Haec vv. secundum suspicionem ab Ernestio motam, quia una dumtaxat tunc fuerit in Africa legio III. Aug., seclusa a Rittero ac Duebnero recte ita defendit *Pfitzner* in *Bergk* u. *Caesar* Zeitschrift 1846 I p. 18: „*Clodius Macer veranstaltete zu eigenem Vortheil Aushebungen* (Hist. 2, 97: *in Africa legio cohortesque delectae a Clodio Macro, mox a Galba dimissae*). *Als Vitellius die von Galba entlassene Legion des Clodius Macer wieder zum Kriegsdienste einberief, bildete er nur Cohorten aus derselben. Daher kann zu der Zeit, von welcher Tacitus spricht, immerhin eine zweite Legion in Afrika bestanden haben.*“ cf. *Pfitzner*: Gesch. d. röm. Kaiserlegionen. Leipzig 1881, p. 47 s., 199. Atque rem conficiunt Clodii Macri nummi, in

Macro contenta qualicumque principe post experimentum domini minoris. duae Mauritaniae, Raetia, Noricum, Thracia et quae aliae procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinae, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. inermes provinciae atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessurae erant. hic fuit rerum Romanarum status, cum Servius Galba iterum Titus Vinius consules inchoavere annum sibi ultimum, rei publicae prope supremum.

(12) Paucis post kalendas Ianuarias diebus Pompei Propinqui procuratoris e Belgica litterae adferuntur, superioris Germaniae legiones rupta sacramenti reverentia imperatorem alium flagitare et senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere, quo seditio mollius acciperetur. maturavit ea res consilium Galbae iam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat, primum licentia ac libidine talia loquendi, dein

2 retia 3 faborem 5 cessura 6 romanorum 9 kl *cum lin. transversa in litt.* l 12 arbitriō (*corr.* 2*m*) 14 sanę

quorum uno: L. CLODI. MACRI. S. C. (Victoriae effigies.) in parte aversa: LiB. AVG. LEG. III. (Aquila legionis inter duo signa militaria.); in alio (sunt omnes decem diversi, sed similes): L. CLOD. MACRI. LIBERATRIX. S. C. (Africae caput.), in p. av.: MACRIANA. LIB. LEG. LEG. I. (signa militaria tria.) Cf. Akerman I. p. 167. Erant igitur pro certo in Africa tunc duae legiones, *legio III. Aug.* et *legio Macriana liberatrix.* — *contenta*] Numero singulari utitur, quia primaria notio hic est *Africa.* — *domini minoris*] Macri tantummodo praesidis; opponitur *domino maiori*, Caesari. Illius tyrannidem testatur Plut. G. 6. Ceterum *Ritter*: „quod vv. *contenta* — *minoris* enarratur, id non nisi de provincialibus apte dici potest; illi enim crudelitatem Clodii Macri senserant, milites crudelitatis eius instrumenta non item.“ At facile haec ad legiones illas referri possunt, hoc modo: „legiones quoque sentiebant neque Clodium parem futurum fuisse ad certamen cum reliquo imperio Romano ineundum; iam vero post eius necem nihil ipsis remanere, nisi ut una cum provincialibus qualicumque principe contenti forent.“ — *duae Mauritaniae*] Tingitana et Caesariensis. Hanc divisionem Plinius acceptam fert Caesari Caligulae. 5, 1: *Principio terrarum Mauretaniae appellantur, usque ad C. Caesarem Germanici F. regna, saevitia eius* (occiso Ptolemaeo rege) *in duas divisae provincias.* At Dio palam adversus Claudio attribuit 60, 9: πραχθέντων δὲ τούτων ὁ Κλαύδιος διχῇ τοὺς Μαύρους τοὺς ὑπηκόους ἔνειμεν ἔς τε τὰ περὶ Τέγγιν καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, ἀφ' ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται, καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσι προσέταξεν. Lips. — *in favorem aut odium*] Galbae eorumve, qui imperium affectarent, *agebantur contactu valentiorum*, communione et exemplo eorum incitati. Rup. — *inermes*] in quibus nullae legiones Romanae tendebant, ut Achaia, Sicilia cet. — *in pretium*] c. 70: *Noricos in certa victoriae praemia cessuros.* Ann. 11, 35: *in pretium probri cessisse.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 15, 45. — *Ser. Galba*] a. u. 822, p. Ch. 69. Primus eius consulatus incidit in a. u. 786, p. Ch. 33.

12. *Belgica*] scil. Gallia. Sic iam Plinius 15, 25, (30), 103. — *licentia ac libidine*] Haec inter synonyma habet Roth, alii pro ἓν διὰ δυοῖν. Verum *licentia* est, quod nemo vetabatur talia loqui; *libido* est studium talia

fessa iam aetate Galbae. paucis iudicium aut rei publicae amor: multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in Titi Vini odium, qui in dies quanto potentior, eodem auctu invisior erat. quippe hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat, cum apud infirmum et credulum minore metu et maiore praemio peccaretur. (13) potentia principatus divisa in Titum Vinium consulem, Cornelium Laconem praetorii praefectum; nec minor gratia Icelo Galbae liberto, quem anulis donatum equestri nomine Marcianum vocitabant. hi discordes et rebus minoribus sibi quisque tendentes circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro M. Othone: Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant quam alium. neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vini amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium, quia Vinio vidua filia, caelebs Otho, gener ac socer destinabantur. credo

1 rei p. militis tulta 2 ambitiosis *Agricola:* ambitionis 3 et Iam In titi uinio diū 4 auctu *Lectius:* actu 7 et Cornelium *dett.* 8 Icęlo 11 consensū 12 Ignotā 13 nichil 14 cęlęps

loquendi, quod oriebatur e licentia. WALTH. — *fessa iam aetate*] 3, 67 *fessa aetate parens* et saepius in Ann. cf. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. — *stulta spe*] quippe temere concepta et vana amicorum et clientium adulatione exorta. WALTH. Stultitia praesertim in eo cernebatur, quod tales illi destinabant, quos Galba nunquam adoptaturus erat, tales, qui, si forte successorem haud designasset repentina morte exstinctus, tamen ad principatum nunquam pervenire potuissent. — *ambitiosis*] Ambitiosi rumores erant, quibus suo quisque amico favorem Galbae acquirere conabantur. — *in T. Vini odium*] „ut odium suum in T. Vinium explerent et satiarent.“ WALTH. Monendum erat propter Wissowae suspicionem *in T. Vinium odio.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 13 et 14, 63; *Dräger* Synt. § 80 *In consecutivum.* — *eodem auctu*] 1, 86 *immenso auctu*, 4, 28 *immensis auctibus*, 4, 63 *opulentia auctuque.* — *hiantes — cupiditates*] Sic Cicero Verr. 2, 54 § 134 *avaritia semper hiante atque imminente.*

13. *potentia — divisa*] Suet. Galba 14: *Regebatur trium arbitrio, quos una et intra Palatium habitantis nec umquam non adhaerentis paedagogos vulgo vocabnat. Ii erant T. Vinius legatus eius in Hispania, cupiditatis immensae; Cornelius Laco ex assessore praefectus praetorii, arrogantia socordiaque intolerabilis; libertus Icelus, paulo ante anulis aureis et Marciani cognomine ornatus ac iam summae equestris gradus candidatus.* — *Cornelium*] de asyndeto cf. *Nipperdey* ad Ann. 6, 7. *Joh. Müller* Beiträge etc. I, 9. *Dräger* Syntax § 134. — *Icelo*] Plut. Galba 7: τῷ δ' ἀπελευθέρῳ δακτυλίους τε χρυσοῦς ἔδωκε καὶ Μαρκιανὸς ὁ Ἴκελος ἤδη καλούμενος εἶχε τὴν πρώτην ἐν τοῖς ἀπελευθέροις δύναμιν. — *anulis*] „Tac. gebraucht anulus im Singular Germ. 31. Ann. 2, 2. 16, 19, den Plural wie es scheint nur von dem aureus anulus, wenn er das Zeichen der Ritterwürde ist: ebenso Hist. 2, 57. 4, 3.“ *Wölfflin* Philolog. 27, 128. — *circa consilium*] id est, „quod spectat ad consilium.“ Hic usus praepositionis ab aurea aetate alienus, Tacito tamen familiaris, ut A. 11, 15. 29. 16, 8. Germ. 28. Dial. 3. 22. Cicero autem nisi circumscribit sententiam, utitur praepositione *de* aut *in*, quibus eandem fere tribuit vim, quam h. l. obtinet *circa*. Cf. *Hand* Turs. II. p. 66 sqq. BACH. — *vidua*] ut Liv. 1, 46, 7 *et se rectius viduam et illum caelibem futurum*

et rei publicae curam subisse frustra a Nerone translatae, si apud Othonem relinqueretur. namque Otho pueritiam incuriose, adulescentiam petulanter egerat, gratus Neroni aemulatione luxus. eoque Poppaeam Sabinam, principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur. mox suspectum in eadem Poppaea in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho comiter administrata provincia primus in partes transgressus nec segnis et, donec bellum fuit, inter praesentes splendidissimus spem adoptionis statim conceptam acrius in dies rapiebat, faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis ut similem. (14) sed Galba post nuntios Germanicae seditionis, quanquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia imperii transigit; adhibitoque super Vinium ac Laconem Mario Celso consule designato ac Ducenio Gemino praefecto urbis pauca praefatus de sua senectute Pisonem Licinianum accersiri iubet, seu propria electione sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed callide ut ignotum fovebat et prospera de Pisone fama consilio eius fidem addiderat. Piso M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, voltu

1 rei. p. 3 petulanter *sed* r *in ras. a 2m ex* s, *ut videtur* Poppaeam *Acidalius:* Iam poppe *sup.* e *add.* ā 2*m* 4 principalē (corr. 1*m*) 5 poppea 6 prouincia se posuit 7 nec segnis, donec bellum fuit, et *Acidalius* (nec, donec bellum fuit, segnis et *Heraeus*) 9 In die *sup.* e *add.* m 2*m* 11 nichil qͦnā *nota litt.* m *a* 2*m* 13 transsigit 15 accersi *Muretus*, arcessi *I. Fr. Gronovius.*

fuisse. — *subisse*] scil. mentem Galbae. Duebn. — *frustra — translatae*] quia Romanorum sors aeque miseranda fuisset futura ac sub Nerone fuerat. — *Poppaeam*] Res verius, ut credi par est, narratur in Annalibus posterius scriptis 13, 45 sqq. Duebn. — *seposuit*] Totidem verbis Suet. Oth. 3: *sepositus est per causam legationis in Lusitaniam.* Lips. Cf. Plut. G. 20. — *rapiebat*] Ab Hor. Epod. 13, 3: *rapere occasionem* similiter dicitur de homine omnis morae impatiente ac metuente, ne occasio elabatur. Cf. Suet. Oth. 5: *Speraverat autem fore, ut adoptaretur a Galba; idque in dies exspectabat.* Rup. Cur autem hanc spem Otho concipere potuerit, explicat Plut. G. 20: Ἀποστάντος δὲ Γάλβα πρῶτος αὐτὸς προσεχώρησε τῶν ἡγεμόνων· . . καὶ βαδίζοντι τὴν ὁδὸν ἅπασαν ἐφ' ἡμέρας πολλὰς συνοχούμενος διετέλεσεν.

14. *comitia imperii*] Locutio a vetere re publica petita, qua v. c. *comitia consularia* habebantur ad creandos consules. — *Mario Celso*] qui legatus XV. legionis ex Pannonia ad Corbulonem missae. A. 15, 25. — *Ducenio Gemino*] qui consularis et vectigalibus publicis praepositus. A. 15, 18. Ryck. — *accersiri*] incertum est, utrum haec forma ferri possit necne, cf. Liv. 3, 45, 3 *placere itaque patrem arcessiri.* *Sirker* Tac. Formenlehre p. 55 s. fortasse scribendum est *acciri iubet*, ut 1, 71 *consulem — acciri — iubet,* 1, 80 *cohortem — acciri Otho iusserat.* Ann. 15, 55 *accirique reum iussit.* forma *accersiri* posteriore aetate in usu fuisse videtur cf. Dares Phryg. c. 35 *ad pugnam accersiri;* 43 *Antenorem accersiri iubet.* — *Rubellium Plautum*] de quo Ann. 13, 19. 14, 22 et 57 sqq. — *M. Crasso*] Puto illo M. Crasso Frugi,

habituque moris antiqui et aestimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur. ea pars morum eius quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat. (15) igitur Galba adprehensa Pisonis manu in hunc modum locutus fertur: „si te privatus lege curiata apud pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Cn. Pompei et M. Crassi subolem in penates meos adsciscere et tibi insigne Sulpiciae ac Lutatiae decora nobilitati tuae adiecisse. nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum praeclara indoles tua et amor patriae impulit, ut principatum, de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus quiescenti offeram, exemplo divi Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem

1 et] ex *Wurm* aestimatione *Beroaldus:* extimatione 5 michi Cn. *Freinsheim:* nunc

qui consul fuit cum C. Laecanio Basso a. 817 sub Nerone, qui ipse e Calpurniis Frugi in Liciniam gentem adoptione transiit, ut ex cognomine apparet; sicut hic noster iterum e Liciniis ad Calpurnios ivit. Lips. Rupertus ad Reines. p. 429 et 679 atque Ryckius rectius, ut videtur, intelligunt Crassum, qui a. 780 cum Pisone consul fuit; fratrem autem Pisonis putant, quem Lipsius patrem credebat. cf. *Nipperdey* ad Ann. 4, 62. 15, 33. *Klein* Fasti consulares ad a. 780, 27 p. Ch. — *Scribonia*] nepte Sex. Pompeii filii Cn. Pompeii Magni. Seneca in Ludo 11: *Caius Caesar Crassi filium vetuit Magnum vocari; hic* (Claudius) *nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit in una domo Crassum Magnum, Scriboniam* cet. Contra, sed vix verius Plut. Galba 23: ἄφνω μηδὲν προειπὼν μετεπέμψατο Πείσωνα, Κράσσου καὶ Σκριβωνίας ἔκγονον, οὓς Νέρων ἀνῃρήκει. — *moris antiqui*] 2, 64 *Sextilia, antiqui moris.* — *aestimatione recta*] Curtius 4, 7, 29 *vera et salubri aestimatione.* — *quo*] Ut saepe hic ante v. *adoptanti* cogitatione supple *eo magis.* Qui hunc Taciti usum ignorabat, scripsit *quae.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 68. *Dräger* Synt. § 181.

15. *privatus lege curiata apud pontifices*] Antiquo tempore si quis in aliam familiam vel gentem transiret, id lege a XXX. curiis accipienda sanciebatur, eaque lex *curiata* appellabatur vel *populi rogatio.* Sed cum dignitas et munera curiarum post legem Maeniam latam a. u. 468. (qua sancitum, ut patres sive patricii in comitiis curiatis in incertum comitiorum eventum auctores fierent) paullatim exolescerent, pontifices earum in adoptandis liberis munia exsequebantur, quorum adoptionis cuiusque approbatio etiam tunc *lex curiata* appellata est. Cf. Gellius 5, 19: *Adrogantur hi, qui cum sui iuris sunt* (Piso talis erat, non filius familias), *in alienam sese potestatem tradunt eiusque rei ipsi auctores fiunt. sed adrogationes non temere nec inexplorate committuntur. nam comitia arbitris pontificibus praebentur, quae curiata appellantur.* Princeps Galba pontifex maximus erat, itaque solus arrogare Pisonem imperiique comitia transigere poterat. Contra Augustus tamquam privatus nepotem Agrippam Postumum privignumque Tiberium adoptavit in foro *lege curiata*, hoc est auctoribus pontificibus. Cf. Sueton. Oct. 65. Ritter. Adde simulacrum istud comitiorum curiatorum per triginta dumtaxat lictores *adumbratum* esse, ut ait Cicero Agr. 2, § 31. Aderant autem pontifices ad servanda domestica cuiusque gentis sacra. — *Sulpiciae ac Lutatiae*] Ex his gentibus erat Galba, ex Lutatiis per matrem. Duebn. Scilicet matrem habuit Mummiam Achaicam, neptem Q. Lutatii Catuli Capitolini, proneptem L. Mummii, qui Corinthum excidit. Suet. G. 2 et 3. Ernestius credebat excidisse v. *gentis.* Freinshemius et Heinsius malebant *Sulpicia ac Lutatia decora.* — *maiores nostri armis*] Quatenus Ser. Sulpicius Galba, imperatoris pater, sub Caesare contra Pompeium dimicaverat, Pisonis abavum. — *nepotes suos*] C. et L. Caesares, ex Iulia

privignum in proximo sibi fastigio collocavit. sed Augustus in domo successorem quaesivit, ego in re publica, non quia propinquos aut socios belli non habeam: sed neque ipse imperium ambitione accepi, et iudicii mei documentum sit non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuae. est tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. ea aetas tua, quae cupiditates adulescentiae iam effugerit; ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas. fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. fidem libertatem amicitiam, praecipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis, sed alii per obsequium imminuent. inrumpet adulatio blanditiae, pessimum veri affectus venenum, sua cuique etiam utilitas.

1 augs̃ 2 re.p. 4 sint *Lipsius* (*Rhenanus:* ‚*malim* sint‘) 5 est] Et 7 nichil 10 praecipuā *notam del.* 2*m* 11 irrumpent *dett.* 12 et pessimum *Freudenberg* etiam utilitas *Meiser:* utilitas. etiā (etenim *Agricola*, etiam si *Halm*).

Agrippae natos. — *in domo*] Ernestio non dubium erat Tacitum scripsisse *in domo sua* et v. *sua* absorptum esse per primam sequentis v. syllabam. Verum simplex vocabulum hic sufficit, quia opponitur rei publicae. *In domo sua* Tacitus scripsisset, si alia domus opposita esset. Cf. A. 1, 3: *integra etiam tum domo sua* (Augusti). Walth. — *frater*] Crassus Scribonianus, de quo infra c. 47 s. 4, 39. — *excusandum habeas*] *excusandum habere* F. A. Wolfio iudice Scriptt. miscell. p. 160 genus loquendi est Ciceronis saeculo prope ignotum, at Tacito eiusque aequalibus valde adamatum. Sic 4, 77: *aliud excusandum habeo.* Ann. 4, 40: *tolerandum haberet.* 14, 44: *si nunc primum statuendum haberemus.* Cf. Dial. 8. 19. 31. 36. 37. Bach. *Dräger* Synt. § 27 c. — *fortunam — adversam*] patre, matre, fratre a Claudio interfectis, fratre altero caeso a Nerone et ipse diu exul. Brot. cf. c. 21. 48. — *secundae res*] Hae cupiditatem ac libidines acrius irritando efficiunt, ut, qui virtutem sectatur, multo magis, ne vitiis obnoxius fiat, niti debeat. Explorant igitur hominem, utrum eius virtus sit vera, *animosa atque fortis*, an nimis facile illecebris cedat. Cf. Sil. 4, 603: *Explorant adversa viros.* Plin. Pan. 31: *cum secunda felices, adversa magnos probent.* — *felicitate corrumpimur*] sententia passim obvia, ut Xenoph. Cyrop. 8, 4, 14 δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς φέροντα ἢ τὰ κακά· τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. Corn. Nepos Conon 5 *accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda quam in adversa esset fortuna.* Timoleon 1, 2 *et, id quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam quam adversam fortunam.* Curtius 3, 2, 17: *erat Dareo mite ac tractabile ingenium, nisi etiam naturam plerumque fortuna corrumperet.* — *imminuent*] „per obedientiam prope servilem tuas virtutes debilitabunt.“ — *adulatio blanditiae — adsentatio*] Admodum artificiose h. l. cumulavit vv., quae synonymorum speciem habent, quamvis sint significationis satis diversae: *Schmeichelei, Liebkosungen —, unbedingtes Beistimmen; flatteries, caresses, servile approbation.* cf. Cic. Lael. § 91 *nullam in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem blanditiam assentationem.* Plin. Pan. 85: *Iam et in privatorum animis exoleverat priscum mortalium bonum, amicitia, cuius in locum migraverant adsentationes, blanditiae et peior odio amoris simulatio.* — *pessimum veri affectus venenum*] maxima sinceri animi, sensus corruptela. Rup. — *sua cuique utilitas*] Haec vv. Pichena aliique per appositionem cum vv. *pessimum v. a. venenum* iungunt: sed tali verborum sensu Tacitus ea his praeposuisset aut copula addita dixisset

ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur: ceteri libentius cum fortuna nostra quam nobiscum. nam suadere principi, quod oporteat, multi laboris: adsentatio erga quemcumque principem sine affectu peragitur. (16) si inmensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo res publica inciperet: nunc eo necessitatis iam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus populo Romano posset quam bonum successorem nec tua plus iuventa quam bonum principem. sub Tiberio et Gaio et Claudio unius familiae quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit quod eligi coepimus, et finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet. nam generari et nasci a principibus fortuitum nec ultra aestimatur: adoptandi iudicium integrum; et si velis eligere, consensu monstratur. sit ante oculos Nero, quem longa Caesarum serie tumentem non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, sed sua immanitas, sua luxuria cervicibus publicis depulerunt; neque erat adhuc damnati principis exemplum. nos bello et ab aestimantibus adsciti cum invidia, quamvis egregii, erimus.

1 cęteri 5 res.p. 7 possit *Rhenanus* 9 elegi cepimus Iuuorum, *corr.* 1m 10 quenq; 11 aestimatur *Beroaldus:* extimatur 13 serię 15 depulerχ (depulerit *ed. princ. cf.* 1, 84 depoposcerit).

pessimumque vel *et pessimum*. Gutmann. appositionem *pessimum — venenum* ad praecedentia pertinere satis aperte monstrare videntur quae sequuntur *adsentatio — sine affectu peragitur*. quod ne ambiguum esset et cum in sequenti voc. *etiam* vitium lateat, transposito hoc vocabulo scripsi *sua cuique etiam utilitas*. nam hoc dicit: „inrumpet adulatio blanditiae — inrumpet etiam sua cuique utilitas.“ — *cum fortuna nostra*] Ann. 2, 71 *flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius quam fortunam meam fovebatis.* — *sine affectu*] cf. 4, 31 *quis nec amor neque odium in partes, militia sine affectu.*

16. *inciperet*] „conveniens erat, ut a me libertas publica inciperet, voluntate Romanorum electo, non imposito.“ Duebn. *res publica* ut c. 50 *mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam.* Ann. 1, 3 *quotus quisque reliquus, qui rem publicam vidisset?* — *posset*] ubi *possit* exspectes, sed cf. Cic. in Verr. act. 1 § 2: *adduxi enim hominem, in quo — satisfacere exteris nationibus possetis.* Q. Cic. de pet. cons. 4 *quoniam, quae subsidia novitatis haberes et habere posses, exposui* etc. — *Claudio*] perverse Ritter, quem alii secuti sunt, addidit *ac Nerone*, quasi Nero quoque heredem imperii reliquisset. — *eligi coepimus*] *coepi* cum inf. pass. *Dräger* Synt. § 26 b. — *consensu monstratur*] sc. eligendus. — *cum una legione*] Una tantum? Atqui antea tres in illa parte Hispaniae, τρία τάγματα, collocat sub Augusto Strabo 3. p. 156. Etiam sub Tiberio Tacitus A. 4, 5. *Hispaniae*, inquit, *recens perdomitae tribus habebantur*. Sed iis ipsis verbis adsignificat id mutatum et imminutas legiones animis eius gentis tempore imminutis et fractis. Itaque in Tarraconensi, cui Galba praefuit, una tunc legio. Suetonius in Galba 10. ostendit exercitum fuisse *legionis unius*, *alarum duarum*, *trium cohortium*. Lips. Sextam legionem fuisse docemur H. 5, 16. Ern. — *cervicibus publicis*] id est cervicibus populi Romani, quibus Nero quasi onus sive moles insederat, quemadmodum boum cervicibus iugum solet imponi. Cic. Cat. 3 § 17: *non facile hanc tantam molem mali a vestris cervicibus depulissem.* Bach. Liv. 4, 12, 6 *regno prope — in cervices accepto:* atque omnino

ne tamen territus fueris, si duae legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt. ne ipse quidem ad securas res accessi; et audita adoptione desinam videri senex, quod nunc mihi unum obicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. monere diutius neque temporis huius et impletum est omne consilium, si te bene elegi. utilissimus idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum dilectus est cogitare, quid aut volueris sub alio principe aut nolueris. neque enim hic, ut gentibus quae regnantur, certa dominorum domus et ceteri servi, sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem." et Galba quidem haec ac talia, tanquam principem faceret, ceteri tanquam cum facto loquebantur. (17) Pisonem ferunt statim intuentibus et mox coniectis in eum omnium oculis nullum turbati aut exultantis animi motum prodidisse. sermo erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus; nihil in voltu habituque mutatum, quasi imperare posset magis quam vellet. consultatum inde, pro rostris an in senatu an in castris adoptio nuncuparetur. iri in castra placuit: honorificum id militibus fore, quorum favorem ut largitione et ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum. circumsteterat interim Palatium publica expectatio, magni secreti inpatiens; et male coercitam famam supprimentes augebant. (18) quartum idus Ianuarias, foedum imbribus diem, tonitrua et fulgura et caelestes minae ultra solitum turbaverant. ob-

4 michi 6 utilissimus bonarum idem ac breuissimus bonarum 7 a | aut (a *del.* 2*m*) 8 ut in ceteris gentibus *ed. princ.* 9 cęteri 21 Idum (*corr.* 1*m*) fędum 22 et *post* fulgura *del. L. Spengel.*

frequens est imago. — *duae legiones*] superioris Germaniae IV. Macedonica et XXII. Primigenia c. 18. — *regnantur*] ut Germ. 25. 43. Ann. 13, 54. *Dräger* Synt. § 26 a. — *tanquam cum facto*] iamiam adulatione ac blanditiis erga eum utentes.

17. *nihil in voltu*] Plut. G. 23: Τοῦ δὲ Πείσωνος οἱ παρόντες ἐθαύμασαν τῇ τε φωνῇ τεκμαιρόμενοι καὶ τῷ προσώπῳ τὸ τηλικαύτην χάριν ἀνεμπλήκτως, οὐ μὴν ἀναισθήτως δεχόμενον. Prorsus enim imparatus ad hanc adoptionem arcessitus erat. — *in castris*] praetorianorum, ante portas urbis Viminalem et Collinam. — *circumsteterat — expectatio*] poëtice pro: „populus magnum secretum impatienter exspectans circumsteterat Palatium." Bach. *La curiosité publique assiégeait le palais* audere potuit etiam Louandre. — *augebant*] id est, „rumorem subinde per quosdam garrulos aut suspicaces emanantem illi ipsi, qui refutando compescebant et inhibere conabantur, propagabant." Ryck.

18. *quartum idus Ian.*] die 10. Ianuarii. Illustre huius adoptionis superest monumentum in Actis Fr. Arv. *Guil. Henzen* p. XCI: *isdem* co(n)s(ulibus) IIII idus Ian(*uarias*) adoptio facta L. Li(*ciniani*) *magisterio* Ser. Galbae imp(eratoris) Caesaris Aug(usti), pro*magistro L. Salvio Othone Titiano*, colleg(i)fr*atrum* Arval(ium) nom(ine) im*molatum in Capitolio ob ad*optionem *Ser. Sulpici Gal*bae *Caesaris Iovi b*(*ovem*) *m*(*arem*), *Iunoni vacc*(*am*), *Minervae vacc*(*am*), *Saluti publicae p*(*opuli*) *R*(*omani*) (?) *vacc*(*am*) . . . Provi*dentiae vacc*(*am*), . . . *vac*c(am), Securi*tati vacc*(*am*), . . . *Genio ipsius* taurum . . . — *caelestes minae*] Plut. G. 23;

servatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret, contemptorem talium ut fortuitorum, seu quae fato manent, quamvis significata, non vitantur. apud frequentem militum contionem imperatoria brevitate adoptari a se Pisonem exemplo divi Augusti et more militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. ac ne dissimulata seditio in maius crederetur, ultro adseverat quartam et duoetvicensimam legiones paucis seditionis auctoribus non ultra verba ac voces errasse et brevi in officio fore. nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. tribuni tamen centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros maestitia ac silentium, tanquam usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. constat potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui iam pares non sumus. (19) inde apud senatum non comptior Galbae, non longior quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. et patrum favor aderat: multi voluntate, effusius qui noluerant, medii ac plurimi obvio obsequio, privatas spes agitantes sine publica cura. nec aliud sequenti quadriduo, quod medium inter adoptionem et caedem fuit, dictum a Pisone in publico factumve. crebrioribus in dies Germanicae defectionis nuntiis et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant patres mittendos ad Germanicum exercitum legatos. agitatum secreto, num et Piso pro-

2 contemptore 3 signi facta 4 Imperatoriā *notam del.* 1*m* exemplo — more *Ferretus:* more — exemplo 6 duodeuicesimā *sed* de *in rasura a* 2*m*, *sup. syll.* ces *add.* n 1*m* (duo et vicesimam *Pichena*) 8 addita ut 9 audito 10 *mestitia* et etiam, *corr.* 1*m* 15 fabor (*corr.* 1*m*) 16 medii *Freinsheim:* medie 18 pisonē *notam del.* 1*m* 19 Indie

τοσαυτάκις ἐβρόντησε καὶ κατήστραψε καὶ τοσοῦτος ὄμβρος καὶ ζόφος ἐξεχύθη εἰς τὸ στρατόπεδον καὶ τὴν πόλιν. — *observatum*] neque neglectum. Duebn. — *dirimendis*] Cic. de Divin. 2, 18 § 42: *in nostris commentariis scriptum habemus: IOVE TONANTE FVLGVRANTE COMITIA POPVLI HABERE NEFAS.* — *exemplo d. Augusti*] isdem verbis utitur c. 15. — *more militari*] c. 38 *sine more et ordine militiae*, 68 *more militiae exercita.* Ann. 2, 52 et 12, 69 *more militiae.* Caes. b. c. 1, 66 et 3, 38 *militari more.* Sall. Iug. 44, 5 *more militari* item Liv. 5, 19, 4. 47, 9. — *vir virum*] Cum a duce militibus potestas fieret, ut singuli singulos, notos sibi quorumque virtute confiderent, legerent: atque id potissimum, cum periculum aliquod maius instaret atque aliquis gravior casus urgeret. Cf. Liv. 9, 39. 10, 38. Victorius Var. Lectt. 18, 19. cf. *Weissenborn* ad Liv. 4, 26, 3. — *verba ac voces*] V. *voces* praesertim ad dissonum fremitum murmurque refertur. 3, 65 *verba vocesque.* — *usurpatam etiam in pace*] Cf. A. 12, 41. 69.

19. *multi voluntate*] scil. favebant Pisoni. — *effusius qui noluerant*] cf. c. 45 *quantoque magis falsa erant quae fiebant, tanto plura facere. effusius* ut Germ. 21 *effusius indulget.* Curt. 9, 3, 3 *contione effusius flente.* Plin. ep. 1, 20, 20 *qui effusius dicit.* — *medii*] 4, 8 *etiam mediis patrum adnitentibus.* Liv. 2, 27, 8 *medium se gerendo.* — *obvio obsequio*] ut Ann. 2, 2: *obvia comitas.* — *quadriduo*] III. Idus, pridie Idus, Idus, XIX. Kal. Febr. (14. d. Ian.) Occisus autem est XVIII.

ficisceretur, maiore praetexto, illi auctoritatem senatus, hic dignationem Caesaris laturus. placebat et Laconem praetorii praefectum simul mitti: is consilio intercessit. legati quoque (nam senatus electionem Galbae permiserat) foeda inconstantia nominati excusati substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes inpulerat. (20) proxima pecuniae cura; et cuncta scrutantibus iustissimum visum est inde repeti, ubi inopiae causa erat. bis et vicies milies sestertium donationibus Nero effuderat. appellari singulos iussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. at illis vix decumae super portiones erant, isdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri aut faenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. exactioni triginta equites Romani praepositi, novum officii genus et ambitu ac numero onerosum. ubique hasta et sector et inquieta urbs auctionibus. ac tamen grande gaudium, quod tam pauperes forent quibus donasset

1 praetexto *Wölfflin:* praetextu (praetextū 2*m*) ille 3 his 4 fęda excusatis *sed corr.* 5 quenq; 7 milies *Lipsius:* mille 8 quenq; 9 illi 12 exactionis (*corr.* 2*m*) 13 auctionibus *Rhenanus:* actionibus 14 donassent *sed* n *del.* 2*m.*

Kal. Febr. (15 d. Ian.) — *maiore praetexto*] maioris dignitatis specie, ut πρόσχημα. c. 76 *sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus.* Cf. Sen. Ep. 71, 9: *illud pulcherrimum rei publicae praetextum, optimates*, ubi vide Gronovium. Minus recte Walther: „agitatum est, num et Piso proficisceretur ad sedandam militum seditionem, ita tamen, ut non haec, sed alia quaedam gravior causa profectioni praetenderetur.“ Quaenam, quaeso, gravior causa tunc ipsum obtentui sumi poterat? Recte Louandre: *pour donner plus de solennité à l'ambassade.* — *laturus*] eo redit, quod nunc dicunt *repraesentaturus.* Duebn. Ceterum audaciore constructione usus est, nam *illi* refertur ad *legati*, quod cogitatione supplendum est: *agitatum secreto, num et Piso proficisceretur* scil. non legati tantum. — *ambitu*] „Dum alii per gratiam consequuntur, ut liberentur a legatione, alii ire cupiunt.“ Ern.

20. Res in hoc capite narrata multo prius incepta erat; etenim per quadriduum illud hanc exactionem exsequi nequaquam poterant triginta illi equites; et Dio 63, 14 clare testatur dona eiusmodi inde e Graecia repetita esse: (ὁ Νέρων) τῇ Πυθίᾳ δέκα μυριάδας ἔδωκεν, ὅτι τινὰ κατὰ γνώμην αὐτοῦ ἐθέσπισεν, ἃς ὁ Γάλβας ἐκομίσατο. Hic vero narratur ideo potissimum, quia hae ipsae exactiones in causa erant, cur tot cives propterea irati atque irritati eo promptius a Galba et Pisone desciscerent. Ceterum cf. Plut. G. 16. Suet. G. 15. — *super portiones erant*] per tmesin pro *supererant.* Verg. Aen. 2, 567 *Iamque adeo super unus eram.* 7, 559 *si qua super fortuna laborum est.* Ecl. 6, 6 *super tibi erunt.* Ovid. Fast. 5, 600 *nox erit una super.* Corn. Nep. Alc. 8 *praeter arma et navis nihil erat super.* — *prodegerant*] Plut. l. l.: ἀνηλώκεσαν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν λαβόντων, ἐφήμεροι καὶ σατυρικοὶ τοῖς βίοις ἄνθρωποι. — *triginta*] Suet. G. 15 habet *quinquaginta;* quam diversitatem Casaubonus ita componit, ut ob difficultatem negotii triginta prioribus viginti additos suspicetur. Walth. — *ambitu ac numero onerosum*] „intellige civitati (id docent verba sqq. *ubique hasta* etc.), non equitibus ad id delectis. *ambitu* h. e. potestate latius patente (Umfang, ausgedehnter Wirkungskreis). *numero* sc. quod triginta tam onerosa potestate erant praediti, non duo vel tres.“ haec Waltheri explicatio et simplicitate et veritate probatur, alii aliter locum interpretantur. ad *ambitum* cf. Plut. G. 16: τοῦ δὲ πράγματος ὅρον οὐκ ἔχοντος, ἀλλὰ

Nero quam quibus abstulisset. exauctorati per eos dies tribuni, e praetorio Antonius Taurus et Antonius Naso, ex urbanis cohortibus Aemilius Pacensis, e vigilibus Iulius Fronto. nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium, tanquam per artem et formidinem singuli pellerentur omnibus suspectis.

(21) Interea Othonem, cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul extimulabant, luxuria etiam principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. fingebat et metum, quo magis concupisceret. praegravem se Neroni fuisse nec Lusitaniam rursus et alterius exilii honorem expectandum. suspectum semper invisumque dominantibus qui proximus destinaretur. nocuisse id sibi apud senem principem, magis nociturum apud iuvenem ingenio trucem et longo exilio efferatum. occidi Othonem posse. proinde agendum audendumque, dum Galbae auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. opportunos magnis conatibus transitus rerum, nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies quam temeritas. mortem omnibus ex

2 taurus *sed syll.* rus *incerta, videtur potius fuisse* reus (*ed. princ.* Thaurius) emilius 3 e vigilibus *Meiser:* euigililis (2*m del.* s), euigilius *det. et ed. princ.*, e vigiliis *Beroaldus* 4 formidine *Heraeus* 8 galba 10 rursūs *notam del.* 2*m* 11 nocuisset 14 audiendumque 15 oportunos

πόρρω νεμομένου καὶ προιόντος ἐπὶ πολλούς, αὐτὸς μὲν ἠδόξει etc. — *Antonius Naso*] Certe *Antonius* vitiosum. Dixisset enim *Antonii, Taurus et Naso.* Ern. Utique, si fratres fuissent; sed de hominibus familiae prorsus diversae, ea lex vix tam accurate sequenda erat. „*Antonius Naso* firmatur nummis apud Borghesium opp. I. 509.“ Nipperdey. — *e vigilibus*] sic scripsi pro Beroaldi *vigiliis*, quia Tac. nusquam cohortes vigilum *vigilias* dicit. c. 46 *vigilibus praepositum*, c. 72 *praefecturam vigilum*, 3, 64 *vigilum cohortes*, 3, 69 *vigiles.* — *per — formidinem*] Ann. 1, 56 *astu magis quam per formidinem cessit.* — *omnibus suspectis*] ne a Galba ac Pisone defecturi essent.

21. *toleranda*] De maximo eius aere alieno narrat Suet. Oth. 5. Plut G. 21 eum vocat πεντακισχιλίων μυριάδων ὀφλήμασι βεβαπτισμένον. — *fingebat*] coram intimis amicis; non enim ea, quae sequuntur, cum nonnullis pro μονολογίᾳ habenda sunt. Cf. Suet. l. l.: *neque enim* *dissimulabat* *nisi principem se stare non posse nihilque referre ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.* Et quibuscum hominibus haec conquestus sit Otho, declarat Plutarchus G. 23: πλεῖστοι δὲ τῶν περὶ Τιγελλῖνον καὶ Νυμφίδιον ἐν τιμῇ γεγονότων ἀπερριμμένοι τότε καὶ ταπεινὰ πράττοντες ἐφθείροντο πρὸς αὐτὸν καὶ συνηγανάκτουν καὶ παρώξυνον. — *occidi Othonem posse*] Miro iudicio usi Antonius Augustinus, vir ceteroqui perquam ingeniosus, ac Groslotius substitutum volebant *Pisonem.* Est: „eo usque atrocitatis progredi posse Galbam et Pisonem, ut ipsum occiderent.“ Nuper *Ritter* et *Urlichs* haec verba spuria iudicaverunt, quae ferri non posse demonstrari nequit. — *agendum audendumque*] Sic Liv. 22, 14, 14: *audendo atque agendo res Romana crevit.* Oberl. cf. *Wölfflin:* Die allitterierenden Verbindungen der lateinischen Sprache p. 47. — *coaluisset*] „confirmata esset, convaluisset.“ Sic A. 14, 1: *vetustate imperii coalita audacia.* Hist. 4, 55: *coalita libertate.* Male Ryckius: „scilicet cum auctoritate Galbae.“ Ern. cf. *Nipperdey* ad Ann. 14, 1. — *transitus*] conversiones, commutationes imperii, cum ab uno ad alterum transit. Sic c. 29: *res — translatas.* Ern.

natura aequalem, oblivione apud posteros vel gloria distingui. ac si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse merito perire. (22) non erat Othonis mollis et corpori similis animus. et intimi libertorum servorumque corruptius quam in privata domo habiti aulam Neronis et luxus, adulteria matrimonia ceterasque regnorum libidines avido talium, si auderet, ut sua ostentantes, quiescenti ut aliena exprobrabant, urgentibus etiam mathematicis, dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum adfirmant, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur. multos secreta Poppaeae mathematicos, pessimum principalis matrimonii instrumentum, habuerant; e quibus Ptolemaeus Othoni in Hispania comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, coniectura iam et rumore senium Galbae et iuventam Othonis computantium persuaserat fore ut in imperium asciceretur. sed Otho tamquam peritia et monitu fatorum praedicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi. (23) nec deerat Ptolemaeus, iam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab eiusmodi voto transitur. sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum

3 Othoni *Pichena* 8 syderum 9 spernantibus 10 poppeę ma | mathematicos (*pr.* ma *del.* 2*m*) 11 ptoloms̄ 14 inperium 16 credendi *Pichena*: cre|di 17 ptoloms̄ *notam del.* 2*m* ad] a, *sed corr.* 2*m*.

22. *non erat Othonis mollis*] Plut. G. 25: οὐ κατὰ τὴν τοῦ σώματος μαλακίαν καὶ θηλύτητα τῇ ψυχῇ διατεθρυμμένος, ἀλλ' ἰταμὸς ὢν πρὸς τὰ δεινὰ καὶ ἄτρεπτος. — *adulteria matrimonia*] Hoc significant liberti eum principem factum alienis uxoribus libere frui et, quandocunque moecha aliqua diutius placitura foret, priorem uxorem illico repudiare illamque in matrimonium ducere posse: sic progressu temporis Caligula quattuor, Claudius sex uxores duxerat. cf. Suet. Calig. 25: *Matrimonia contraxerit turpius an dimiserit an tenuerit, non est facile discernere.* ceterum *Lipsius* malebat *adultera matrimonia*, *Ryckius*, cui suspecta vox *matrimonia* fuit, *adulteria matronarum*, *Ritter* et *Urlichs* voc. *matrimonia* spurium iudicaverunt. — *libidines*] Significantur praesertim stupra puerorum ingenuorum ac nobilium, in quae provolutus erat Tiberius. Ann. 6, 1. — *ut aliena*] ut quibus propter desidiam atque meram ignaviam ipse uti nequiret atque ea aliis relinquere coactus foret. — *vetabitur semper*] Cf. Ann. 2, 32. 12, 52. — *instrumentum*] „quibus, scelerum plerumque instinctoribus, et princeps ipse et aulici ad fines varios, sed semper perversos atque illicitos utuntur.“ Apte Burnouf: *détestable ameublement d'un ménage impérial.* — *Ptolemaeus*] Eum, qui hoc praedixerit, *Seleucum* vocat Suet. O. 4, quem ad locum Oudendorp: „Hunc Vespasiani mathematicum Tacito Hist. 2, 78 videtur auctor confundere cum Neronis mathematico Ptolemaeo, ut eum nominant Tacitus et Plutarchus G. 23, quibus hic tutius quam Suetonio censeo credi: nisi homo is duplex habuerit nomen:“ (id quod in Graeculo probabile non est.) — *Othoni in Hispania comes*] Otho a Nerone in provinciam Lusitaniam sepositus erat (c. 13); unde *Acidalius in Hispaniam* scribendum censuit, *Ritter* vv. *in Hispania* uncis inclusit, *Urlichs* scribi voluit *in provincia* pro vv. *in Hisp.*, sed nihil certum de re incerta statuere licet.

23. *repens*] Cf. A. 6, 7. Sic hoc v., uti

iam pridem spe successionis aut paratu facinoris adfectaverat, in itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans ac memoria Neroniani comitatus contubernales appellando; alios agnoscere, quosdam requirere et pecunia aut gratia iuvare, inserendo saepius querellas et ambiguos de Galba sermones, quaeque alia turbamenta volgi. labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii atrocius accipiebantur, cum Campaniae lacus et Achaiae urbes classibus adire soliti Pyrenaeum et Alpes et inmensa viarum spatia aegre sub armis eniterentur. (24) flagrantibus iam militum animis velut faces addiderat Maevius Pudens, e proximis Tigellini. is mobilissimum quemque ingenio aut pecuniae indigum et in novas cupiditates praecipitem alliciendo eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret; quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos praemiis intendebat, adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo speculatori

2 quenque 6 inopiā 8 pyreneum 9 flagratib; n *superscr.* 1*m* uelud 10 tigillini quenque 12 conuii (*corr.* 2*m*) 14 uelud

videtur, utitur Tacitus solus. — *itinere*] ex Hispania in urbem; ut elucet ex tertio membro *in stationibus*, distinguendum est *iter* ab *agmine* ita, ut hoc sit „una cum cunctis Galbae copiis incedens“, illud „eas aliquando aut praecedens aut subsequens“, ita tamen, ut eum comitaretur militum praesidium, quos corrumpere posset.“ Non ergo cum Walthero habendum pro ἓν διὰ δυοῖν, ut sane est A. 3, 9: *in agmine a t q u e itinere*, ad cuius loci similitudinem hic scribendum censet *Nipperdey in itinere et agmine*. (Aliter *Doederlein* Synon. 4. p. 68: „Iter *bezieht sich nur auf den M a r s c h*, agmen *auf jedes Zusammentreten in R e i h e u n d G l i e d*, *z. B. bei den Exercirübungen*. Liv. 32, 13: *Ingens iter agminis, sed metus urgebat.*“) His autem artibus perversis Otho, etsi fortasse iam tum sperabat se a Galba adoptatum iri (C. 13), nihilominus iamiam aggrediebatur animos militum, ut eorum favorem praeciperet, si forte Galba optatis illis haud satisfaceret. Eo autem tutius corruptorem agere poterat, quod senem Galbam plurima fallebant. Etenim is *amicorum libertorumque* —, *si mali forent, usque ad culpam ignarus* erat. C. 49. — *soliti*] Neronem olim comitantes. „Savilius hic Tacitum carpit, quod legionariis Galbae tribuat, quod praetorianis Neronis proprie competebat. Fortasse pars praetorianorum, Galbae obviam missa, respicitur, quod narraverat auctor in actis a. 821, quae periere.“ Ryck.

24. *novas cupiditates*] rerum novarum. Ern. — *convivii*] Sportularum titulo erogatio ea facta, nisi fallor. Lips. Sportularum divisionis mentio fit in Inscrr. m. Lat. 80· cf. *Ioachim Marquardt:* Das Privatleben der Römer, Leipzig 1879 p. 208. — *animosus corruptor*] id est, qui plurimum pecuniae per largitiones profundere audet, ut apud Suet. Iul. 47: *animosissime comparare*, cupidissime vel insanis pretiis emere. Ern. Fr. 29. fam. ercisc. 10, 2: *si obiiciatur creditori, quod animose licitus est.* Fr. 36 § 1. mand. 17, 1: *quod animosiorem eius rei emptorem esse quam tibi mandatum est, cognoveris.* — *speculatori*] Erant hi delecti ex praetoriis cohortibus satellites principis; arma iis clipeus et lancea. Ioseph. B. I. 3, 5, 5: φέρουσι δὲ οἱ μὲν περὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι πεζοὶ λόγχην καὶ ἀσπίδα. Ibid. 6, 2 eos vocat λογχοφόρους, Suidas δορυφόρους. Suet. Claud. 35: *neque convivia inire ausus est nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent.* Frequenter memorantur in Inscrr., ut Grut. 540, 10. Cf.

de parte finium cum vicino ambigenti universum vicini agrum sua pecunia emptum dono dederit, per socordiam praefecti, quem nota pariter et occulta fallebant. (25) sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum tesserarium speculatorum et Veturium optionem eorundem perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertemptandos plurium animos. suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum et transtulerunt. in conscientiam facinoris pauci adsciti. suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant, primores militum per beneficia Nymphidi ut suspectos, volgus et ceteros ira et desperatione dilati totiens donativi. erant quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiae accenderet: in commune omnes metu mutandae militiae terrebantur. (26) infecit ea tabes legionum quoque et auxiliorum motas iam mentes, postquam volgatum erat labare Germanici exercitus fidem. adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit,

5 eorūndē *pr. notam del. 2m* 8 transtuler̄ 12 commune *Rhenanus:* communi 12/13 militī ętrebant (r superscr.) (*2m superscr.* exterrebantur).

Eckhel D. N. VI. p. 53. Ex Lips. et Oberl. Cf. H. 2, 11: *ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus. Böttiger* in *Amalthea* III. p. 335. — *per socordiam praefecti*] Laconis, ignavissimi mortalium, qui tamen tam manifestam corruptionem vetare debuisset.

25. *tesserarium*] eum inter speculatores qui tesseram (*la parole* vel iussum aliquod) in tabella scriptam ab imperatore (in legionibus a tribuno) accipiebat et per contubernia nuntiabat. Duebn. Plut. G. 24: Ἐν δὲ τούτοις Οὐετούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος (οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ διαγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες) κτλ. — *optionem*] Festus p. 184. Muell.: „Optio in re militari appellatus is, quem decurio aut centurio *optat* (eligit) sibi rerum privatarum administrum, quo facilius obeat publica officia.“ Cf. idem p. 198 et Varro apud Nonium p. 68. Vegetius 2, 7: *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus aegritudine praepeditis hi tamquam adoptati eorum atque vicarii solent universa curare.* Comparant nostrum *Adjutant*. — *manipulares*] gregarii milites, quibus haud multum superiores erant optiones ac tesserarii. Facinoris autem indignitatem hoc ipso v. delecto augere studuit. Ceterum differt Suet. Oth. 5: *primo quinque speculatoribus commissa res est.* — *per beneficia Nymphidi*] Id est, qui promoti essent per Nymphidium praefectum (C. 5), eos incitare et irritare, ut Galbae suspectos, quia Nymphidium invisum ipsi sustulerat. Lips. — *volgus et ceteros*] cf. 3, 3 *ut cautos quoque ac providos permoveret, volgus et ceteri unum virum ducemque — laudibus ferrent.* falso igitur *Mart. Hertz* nostro loco *et ceteros* deleri iussit. — *mutandae militiae*] ne per legiones dispersi in provincias transmitterentur, ubi militia multo adstrictior atque durior, minore etiam stipendio.

26. *legionum*] non opus est *Ritteri* correctione *legionariorum:* cf. *W. Pfitzner:* Gesch. d. röm. Kaiserlegionen p. 49: „Es blieb also in Rom nur die eine leg. class., und wenn Tacitus hist. 1, 26 noch von legiones spricht, so sind mit solchem Plural auch die Legionssoldaten der germanischen, britannischen und illyrischen vexilla einbegriffen, wie Tac. solche Bezeichnung öfter angewandt hat (hist. 1, 70. 2, 22).“ — *postquam*] de plusquamperfecto hanc particulam sequente v. *Dräger* Synt. § 166 b. — *dissimulatio*] taciturnitas

ut postero iduum die redeuntem a cena Othonem rapturi fuerint, ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent, non rei publicae cura, quam foedare principis sui sanguine sobrii parabant, sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa: quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit, ignarus militarium animorum consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus et adversus peritos pervicax. (27) octavo decimo kalendas Februarias sacrificanti pro aede Apollinis Galbae haruspex Umbricius tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem praedicit, audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque ut laetum e contrario et suis cogitationibus prosperum interpretante. nec multo post libertus Onomastus nuntiat expectari eum ab architecto et redemptoribus; quae significatio coeuntium iam militum et paratae coniurationis convenerat. Otho causam digressus requirentibus cum emi sibi praedia vetustate suspecta eoque prius exploranda finxisset, innixus liberto per Tibe-

1 iduum die *dett:* Iduū dierū, *sed* dierum *incertum est*, *cum praeter litt.* d *et* ū *vix quidquam dignosci possit*, *ceterum syll.* rum *aut totum voc.* dierum *lineola transversa inductum fuisse videtur* (2*m superscr.* yduū dierū, *sed litt.* d *incerta*) iduum Ianuariarum *Pichena* 2 Int̄ emulentos 3 fędare 6 erūpentib; *sed* s *super* b *scr.* 1*m* 7 galba 9 afferet 10 kl feb. *cum lin. transversa in litt.* l *et* b. 11 tristitia 12 adsisterat 13 Intptantes (s *del.* 2*m*) 15 parate

eorum qui ceteroquin insontes, tamen indicium deferre nolebant, quia Galbae partes aperte amplecti haud satis tutum iudicabant. — *postero iduum die*] iduum scil. Ianuariarum, quod ex c. 12 (*paucis post kalendas Ianuarias diebus*) et c. 18 (*quartum idus Ianuarias*) facile intellegitur. *postero* autem *iduum die* est die idus sequente, ut apud Ciceronem pro Sulla § 52 *nocte ea quae consecuta est posterum diem nonarum Novembrium* est nocte inter 6. et 7. d. Nov. nostra igitur ex ratione prius consilium omissum incidit in XIX. Kal. Febr., (14. Ian.) diem ante ipsam caedem patratam. Quod autem dicit: *multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa,* refer ad omnes illos post adoptionem dies, inter IV. Id. Ian. et XIX. Kal. Febr., qui dies 14. Ian. prius ad rapiendum Othonem constitutus erat; scite enim Gutmannus interrogavit: „Quomodo tandem inter 14. et 15. Ian. *multa* eiusmodi *indicia* et oriri et opprimi potuissent?“ Ceterum Suet. Oth. 6, quem locum hic immiscent interpretes, ad rem pro certo enucleandam nihil prorsus iuvat. — *rapturi fuerint*] scil. ut imperatorem renuntiarent. notanda est mira dicendi brevitas. cf. c. 27 et 29. — *militum castra*] Cf. c. 6 atque de *Germanico exercitu,* id est, *Germanicis vexillis,* imprimis c. 31. — *nec facilem*] negatio tantum ad *facilem* pertinet (= *et non facilem*). *Dräger* Synt. § 120. — *elusit*] *Eludere* proprie dictum de pugnantibus, flexu corporis adversarii ictum declinare. Duebn. Hoc igitur loco Francogallis simili figura *déjouer* vel propius etiam *éluder* (Burnouf), nobis *leichthin ablenken, entkräften.* Persuasit enim Galbae omnia ista indicia inania esse atque falsissima, sua vanitate atque imperitia actus.

27. *Apollinis*] Palatini in regione urbis X. Cf. Canina *Indicazione di Roma antica. Terza ed. Roma.* 1841. p. 253. — *emi sibi*] Plut. G. 24: εἰπών, ὅτι παλαιὰν ἐωνημένος οἰκίαν βούλεται τὰ ὕποπτα δεῖξαι τοῖς πωληταῖς. Suet. O. 6: *quasi venalem domum inspecturus ab-*

rianam domum in Velabrum, inde ad miliarium aureum sub aedem Saturni pergit. ibi tres et viginti speculatores consalutatum imperatorem ac paucitate salutantium trepidum et sellae festinanter impositum strictis mucronibus rapiunt. totidem ferme milites in itinere adgregantur, alii conscientia, plerique miraculo, pars clamore et gaudiis, pars silentio, animum ex eventu sumpturi. (28) stationem in castris agebat Iulius Martialis

1 sub eadē (a *punctis del.* 2m) 3 selle 5 gaudiis *Faernus:* gladiis (gaudio *Pichena*) *Urlichs* et gladiis *post* mucronibus (*v.* 4) *ponit;* [et gladiis] *Ritter.*

scessit. — *Tiberianam domum*] pone Palatium ad radices Palatini montis. *L'aggiunta fatta da Tiberio alla casa di Augusto, allorchè fu stabilita ivi la sede imperiale.* Canina *Indicazione p.* 255. Consulto autem Otho usque ad Velabrum viam aversam a castris praetorianis primum ingreditur, ne quo tendat statim animadvertatur, deinde flectit iter ad miliarium aureum, a quo recta in castra illa pervenire poterat. — *Velabrum*] vicus inter Forum, Tiberim et Aventinum montem. — *miliarium aureum*] Plut. l. l.: διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς ἐβάδιζεν εἰς ἀγοράν, οὗ χρυσοῦς εἱστήκει κίων, εἰς ὃν αἱ τετμημέναι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι τελευτῶσιν. Dio 54, 8 de Augusto: αὐτός τε προστάτης τῶν περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς καὶ τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκλημένον ἔστησε. Plin. H. N. 3, 9, 66: (*Urbis*) *spatium, mensura currente a miliario in capite Romani Fori statuto ad singulas portas, quae sunt hodie numero XXXVII.*, — *efficit passuum per directum XXM. DCCLXV.* Erat columna aurea in capite Fori sub aede Saturni. Suet. O. 6: *ut se in Foro sub aede Saturni ad miliarium aureum opperirentur.* Cf. *Bunsen:* Rom's Forum p. 102. Canina *Indicazione* p. 160. *Lo stesso Descrizione del foro romano. Ivi*, 1834. p. 110: *Se da questa colonna milliaria avessero principio tutte le vie consolari d'Italia, o se sulla medesima stessero soltanto registrate le misure delle stesse vie, ora non bene si può conoscere.* (Ceterum admodum controversus est locus Macri in Dig. 50, 16, 154, ubi Mommsen in Ed. sua Berolini 1866—1870 dedit: *MILLE PASSUS non a miliario urbis, sed a continentibus aedificiis numerandi sunt;* sed vulgo: *non a muro urbis* cet. et Dion. Gothofredus inverso ordine proposuit *non a continentibus aedificiis, sed a miliario urbis.*) — *sellae — impositum*] Sueton. l. l.: *abditus propere muliebri sella.* — *miraculo*] quia mirabilis illius spectaculi cupidi erant nondum scientes, quo tota res abitura foret. Sic 4, 49: *subitae rei miraculo.* duas rationes affert Tacitus, cur sese adgregarint; alii id fecere propter facinoris conscientiam, alii propter meram mirationem et curiositatem. — *clamore et gaudiis*] Med. *gladiis* defendit Duebner ex Plut. G. 25: ἀνακαλούμενοι Καίσαρα καὶ γυμνὰ τὰ ξίφη προϊσχόμενοι, item de posteriore adiutorum caterva; de prima idem narrat τοῖς ξίφεσι γυμνοῖς περιιόντες αὐτοῦ τὸ φορεῖον. Sed Tacitum idem repetisse post vv. *strictis mucronibus* et quidem tam inconcinna iunctura *clamore et gladiis* vix credibile. Displicet etiam affectata ista variatio *gladiis* post *strictos* illos *mucrones*, etsi pernotum mihi est, quantopere summus scriptor eam figuram adamarit, verum ubi scita est ac naturalis, non fucata. Quid multa? Med. *clamore et gladiis* nihil aliud est, quam quod Itali vocant *un seicentismo:* neque satis hoc excusaveris interpretando cum Doederleinio *gladiis* non *strictis*, sed *concussis*, quod si volebat Tacitus, necessario addere debebat, quia per se mos, qui barbarorum potius erat, Romanis sic tacite tribui nequibat. Pluralem autem, qui significat gaudium varias ob causas in singulis ortum, ut est Ann. 14, 4: *facili feminarum credulitate ad gaudia*, praetuli Pichenae *gaudio* (ut 2, 70: *clamore et gaudio*), quia minus a Med. abit. Numerum et ordinem inversum habes 4, 49: *gaudio clamoribusque.*

28. *Iulius Martialis*] Plut. G. 25: τῶν δὲ χιλιάρχων ὁ τὴν φυλακὴν ἔχων τοῦ στρατοπέδου Μαρτίαλις, ὥς φασι, μὴ συνειδώς, ἐκπλαγεὶς δὲ τῷ ἀπροσδοκήτῳ καὶ φοβηθεὶς

tribunus. is magnitudine subiti sceleris, an corrupta latius castra et, si contra tenderet, exitium metuens praebuit plerisque suspicionem conscientiae. anteposuere ceteri quoque tribuni centurionesque praesentia dubiis et honestis, isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

(29) Ignarus interim Galba et sacris intentus fatigabat alieni iam imperii deos, cum adfertur rumor rapi in castra incertum quem senatorem, mox Othonem esse qui raperetur; simul ex tota urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidine augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. igitur consultantibus placuit pertemptari animum cohortis, quae in Palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam, cuius integra auctoritas maioribus remediis servabatur. Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est: „sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen sive timendum erat, Caesar adscitus sum. quo domus nostrae aut rei publicae fato, in vestra manu positum est, non quia meo nomine tristiorem casum paveam, ut qui adversas res expertus cum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere: patris et senatus et ipsius imperii vicem

1 his 4 hisque 7 dōs incertūq; senatorem 15 re p. fatū *nota a 2m* 17 rem *sed* m *in* s *mut. 2m* discam *Freinsheim:* dicam

ἐφῆκεν εἰσελθεῖν. — *magnitudine subiti sceleris*] βραχυλογία· nam ex v. *metuens* facile lector supplet „exterritus, perculsus." — *praesentia dubiis et honestis*] malim *praesentia et turpia*, ut Ann. 1, 2 *tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent.* Ann. 4, 3 *ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta expectaret.* Ann. 1, 58 *vetera novis et quieta turbidis antehabeo.* contra *Heraeus* comparat Ann. 15, 29 *omissis praecipitibus tuta et salutaria capessentem.*

29. *fatigabat — deos*] scilicet dum aliam super aliam victimam caedi iubet, si tandem litare posset. Ern. Plut. l. l.: παρόντος ἔτι τοῦ θύτου καὶ τῶν ἱερῶν ἐν χερσὶν ὄντων. Dicitur etiam de impensis precibus. Lucr. 4, 1231: *Nequiquam divom numen sortisque fatigant.* Prop. 3, 20, 3: *Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas? — incertum*] Neutro genere; *quem*, τίνα. Structura accommodata est ad notissimam illam formulae *nescio quis.* — *simul ex tota urbe*] scil. adferunt, nuntiant, quod ex praecedentibus *adfertur rumor* facile intellegitur, ne cum Rittero *nuntii* excidisse putes. — *pro gradibus*] de gradibus domus, ut Ann. 2, 81: *pro muris*, „stans in muris", non „ante muros"; ex his gradibus imperatores in urbe contionari solebant. Suet. Ner. 8. Vit. 15. Dio 68, 5: Πλωτῖνα — ὅτε πρῶτον ἐς τὸ παλάτιον ἐσῄει, ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς καὶ πρὸς τὸ πλῆθος μεταστραφεῖσα εἶπε κτλ. — *sextus dies*] ex Romanorum dies computandi more, ubi nos uno minus numeramus. Ceterum mirum est Plutarchum nullam prorsus orationis huius mentionem fecisse. — *Caesar adscitus sum*] c. 19 *Piso — dignationem Caesaris laturus.* c. 30 *me Galba — Caesarem dixit.* c. 48 *Piso — quadriduo Caesar.* — *quo — fato*] scil. Caesar adscitus sim, *in vestra manu positum est;* cf. 2, 76 *quam salutare — in tua manu positum est.* Sall. Iug. 31, 5 *verum id frustra an ob rem faciam, in vostra manu situm est.* — *non quia*] cogitatione supplendum est: quod dico, *non quia — paveam.* — *cum maxime*] ut *nunc ipsum* temporis praesentis significationem habere hodie pervulgatum est. Ern. — *vicem doleo*] Cf. me ad Horat. Epod. 17, 42. —

doleo, si nobis aut perire hodie necesse est aut, quod aeque apud bonos miserum est, occidere. solacium proximi motus habebamus incruentam urbem et res sine discordia translatas. provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset. (30) nihil adrogabo mihi nobilitatis aut modestiae: neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum imperatoris ageret. habitune et incessu an illo muliebri ornatu mereretur imperium? falluntur quibus luxuria specie liberalitatis inponit. perdere iste sciet, donare nesciet. stupra nunc et comissationes et feminarum coetus volvit animo: haec principatus praemia putat, quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. nemo enim umquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba consentientibus vobis Caesarem dixit. si res publica et senatus et populus vacua nomina sunt, vestra, commilitones, interest ne imperatorem pessimi faciant. legionum seditio adversus duces suos audita est aliquando: vestra fides famaque inlaesa ad hunc diem mansit. et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. minus triginta transfugae et desertores, quos centurionem aut tribunum sibi eligentes nemo ferret, imperium adsignabunt? admittitis exemplum et quiescendo commune crimen facitis? transcendet haec licentia in provin-

2 incruenta *notam add.* 2*m* 3 re (s *superscr.* 2*m*) translat|as (as *in fine versus add.* 1*m*) 4 nichil 8 meretur *Acidalius* specie *Rhenanus:* speciē 9 comessationes 11 dec; (*corr.* 2*m*) 14 res.p. vana *dett.* 16 fide 20 trascendet

proximi motus] per quem Neroni deiecto substitutus Galba. Duebn. — *incruentam urbem*] Classiariorum VII. milia Galba urbem intrante occisa non computans hoc dicit nullam inter togatos caedem perpetratam esse. — *ne post Galbam quidem*] „de cuius successione, nisi me adoptasset, sine dubio bellum civile ortum foret.“ Germanicam seditionem facile oppressum iri opinatus huius nullam omnino mentionem inicit; etenim vv. *legionum seditio* — *aliquando* generalem continent sententiam.

30. *relatu*] Germ. 3 *carmina*, *quorum relatu*. vocabulum est, quod ante Tacitum non reperitur et a poetis posterioris demum aetatis usurpatur, ut Auson. Eph. ult. 33 *varioque trahant eventa relatu*. — *amicum imperatoris ageret*] „velut histrio amicum se Neronis simularet.“ — *mereretur*] si scriptura integra est, intellege deliberativum vel dubitativum praeteriti temporis: Sollte er verdient haben? — *falluntur*, *quibus* — *inponit*] egregie concordat, notante Walthero, Plin. Epp. 2, 6: *Ne tibi*, *optimae indolis iuveni*, *quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis inponat*. — *vacua nomina*] Hoc sane rarius quam *vana*, quod e gloss. substitutum est, et *inania* H. 4, 14. Sensus: „Si senatus et populus iam impedire nequeunt, quominus vel pessimus quisque principatu potiatur, vestra interest, praetoriani, malo huic obsistere, quod in vos ipsos potissimum redundaturum esset.“ — *transcendet haec licentia*] His verbis praetorianorum despicientiam in legiones per provincias collocatas excitat. Subit tamen mirari, cur memor non fuerit, istam ipsam *licentiam* haud diu ante a Galbae exercitu

cias et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt. nec est plus quod pro caede principis quam quod innocentibus datur, sed proinde a nobis donativom ob fidem quam ab aliis pro facinore accipietis.“ (31) dilapsis speculatoribus cetera cohors non aspernata contionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio rapit signa *quam,* quod postea creditum est, insidiis et simulatione. missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus Vipsania in porticu tendentes. praeceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino primipilaribus, ut Germanicos milites e Libertatis atrio accerserent. legioni classicae diffidebatur infestae ob caedem commilitonum, quos primo statim introitu trucidaverat Galba. pergunt etiam in castra praetorianorum tribuni Cetrius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus, si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur. tribunorum Subrium et Cetrium adorti milites minis, Longinum manibus coercent exarmantque, quia non ordine

2 Innocentiib; (*corr.* 1*m*) perinde *Rhenanus* 3 donatiuo 5 evenit forte *Pichena:* euentior te nullo *Freinsheim:* nonnullo rapit signa *Meiser:* par signas (parat signa *Agricola*) quam *add. Freinsheim et N. Heinsius* (seu *Meiser*) 6 missus — tendentes *Acidalius post* accerserent (*v.* 9) *ponit.* (*a voc.* Missus *in codice pagina incipit.*) 8 amullio 9 diffidebatur *Acidalius:* diffidebat 12 et nondum *dett.* (necdum *Nipperdey*) 13 [tribunorum] *Nipperdey* adhorti 14 longin; ordinē (*nota fort. a* 2*m*)

iam usurpatam esse. — *scelerum exitus*] caedes nostra, principum.

31. *speculatoribus*] additis, ut primoribus, *cohorti*, *quae in Palatio stationem agebat* (c. 29), qui iamiam corrupti erant ab Othone eiusque internuntiis. — *et nullo*] de particula *et* cum negatione iuncta cf. *Draeger* Synt. § 111, *Nipperdey* ad Ann. 1, 38. — *Celsus Marius*] consul designatus, qui in Illyrico militaverat c. 14. ceterum transpositionem, quam *Acidalius* suadebat, admodum probabilem esse, docui *Kritische Studien zu den Hist. des Tac.* p. 9. — *electos*] a Nerone c. 6. — *Vipsania*] exstructa a M. Vipsanio Agrippa, alibi dicta Neptuni, item Argonautarum, quorum res gestae ibi pictae erant, in regione nona sita erat. Canina *Indicazione* p. 226. aliter W. A. *Becker* röm. Alterthümer I 597. „Miles, extra ordinem in urbe, agere plerumque solitus in porticibus aut templis. Infra 2, 93: *miles — in porticibus aut delubris* cet.“ Lips. — *primipilaribus*] „Diejenigen, welche Führer der ersten Centurie einer Legion gewesen waren (primipilaris von primipilus in derselben Bedeutung wie consularis von consul), erhielten Rittercensus und bekleideten, wenn sie weiter dienten, Tribunen- oder Präfektenstellen.“ *Nipperdey* ad Ann. 2, 11. *Bötticher* Lex. Tac. — *Libertatis atrio*] quod ubi fuerit parum liquet. cf. *Preller* röm. Mythol.[2] p. 616. *Becker* röm. Altert. I 458 sqq. — *trucidaverat*] Vide ad c. 6 et 36. — *et necdum*] posterioris Latinitatis haec iunctura. Plin. Pan. 14 et 56. cf. *Draeger* Synt. § 118. — *tribunorum*] hoc voc. eiciendum esse *Nipperdey* mihi non persuasit, abesse posse nemo negabit. — *non ordine militiae*] locus difficilis et fortasse non integer, quem *Io. Müller* (Beiträge I p. 21) ita interpretatur: „An Longinus legen sie Hand an und entwaffnen ihn, weil er nicht in Folge seiner militärischen Charge (wie die beiden anderen), sondern aus persönlicher Freundschaft seinem Fürsten treu ergeben und so den Abtrünnigen verdächtiger war als Subrius und Cetrius.“ sed fortasse particula *et* transponenda est (*sed e Galbae amicis et fidus principi suo* cf. c. 45 *Galbae — amicum fidumque*), ut vocabula *non ordine militiae* cum iis quae sequuntur *suspectior erat* coniungi possint. *Nipperdey* post

militiae, sed e Galbae amicis, fidus principi suo et desciscentibus suspectior erat. legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur. Illyrici exercitus electi Celsum infestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere, invalidis adhuc corporibus et placatis animis, quod eos a Nerone Alexandriam praemissos atque inde rursus longa navigatione aegros inpensiore cura Galba refovebat. (32) universa iam plebs Palatium implebat, mixtis servitiis et dissono clamore caedem Othonis et coniuratorum exitium poscentium, ut si in circo aut theatro ludicrum aliquod postularent: neque illis iudicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed tradito more quemcumque principem adulandi licentia adclamationum et studiis inanibus. interim Galbam duae sententiae distinebant. Titus Vinius manendum intra domum, opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos censebat. daret malorum paenitentiae, daret bonorum consensui spatium. scelera impetu, bona consilia mora valescere. denique eundi ultro, si ratio sit, eandem mox facultatem; regressum, si paeniteat, in aliena potestate. (33) festinandum ceteris videbatur, antequam cresceret invalida adhuc coniuratio paucorum. trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari principem

1 principis (*litt. s erasa videtur*) 2 yllirici 3 exercitu (s *superscr.* 2*m*) Celsum infestis] festum incestis (Celsum ingestis *alii*) 6 refouebat *syll.* ba *in rasura* 1*m* 8 exitium *Acidalius:* exilium aut *ed. princ.:* a (ac *alii*) aliquot *sed corr.* 1*m* 9 diē (*notam del.* 1*m*) 10 certa minę p postulaturis (*pr.* p *del.* 1*m*) quę cūq; 14 penitentiae 15 si ratio] spiratio 16 regressum *Ritter:* regressus peniteat

vv. *ordine militiae* participium *provectus* inserit. — *principi suo*] „quem solum ut principem agnoscebat, et quidem sibi amicum." Miro iudicio usus Ernestius v. *suo* suspectum habuit. Videlicet non recordabatur c. 26: *principis sui sanguine.* c. 40: *imperatorem suum.* — *Germanica vexilla*] electi e Germanico exercitu: c. 6 *multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis coeptis revocaverat.* erat autem vexillum signum eorum, qui e maiore militum copia electi vel ob aliquam causam singulares in ordines compositi aliquo mittebantur. (Caesar b. G. 6, 36, 3. 40, 4.) *Boetticher* Lex. Tac. *Nipperdey* ad Ann. 1, 17. — *Alexandriam*] quo profecturus erat: c. 70 *a Nerone, ut in Aegyptum praemitterentur exciti et ob bellum Vindicis revocati.* Suet. Nero 19. — *inde rursus*] *Döderlein* suspicatus erat *inde reversos* vel *revorsos;* sed cum *inde rursus longa navigatione* idem sit quod *inde rursus diu navigando*, non opus est tali emendatione neque mihi persuadeo Tacitum scripsisse: *eos — praemissos — reversos — aegros.*

32. *iudicium*] non ideo, quod iis sincero iudicio usis Otho deterior princeps quam Galba futurus esse videbatur. „*Iudicium* spectat ad rem bene consideratam atque intellectam." Walth. — *veritas*] verus in Galbam affectus; ut est supra c. 15 et Ann. 14, 1: *verum animum.* — *eundi ultro*] suapte sponte in castra praetoria. Opponitur *regressum* — *in aliena potestate*, scil. praetorianorum. (Walther hoc quoque loco interpretatur *insuper, überdiess.*)

33. *terentium tempus*] eorum, qui haesitarent etiamtunc nec statim contra irent. — *imitari principem discat*] tempus quasi lucre-

discat. non expectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis ianua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. et praeclarum in servis auxilium, si consensus tantae multitudinis et, quae plurimum valet, prima indignatio elanguescat. proinde intuta quae indecora. vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini: id Othoni invidiosius et ipsis honestum. repugnantem huic sententiae Vinium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo privati odii pertinacia in publicum exitium. (34) nec diutius Galba cunctatus speciosiora suadentibus accessit. praemissus tamen in castra Piso ut iuvenis magno nomine, recenti favore et infensus Tito Vinio, seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur. vixdum egresso Pisone occisum in castris Othonem vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse adfirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. multi arbitrabantur compositum auctumque rumorem mixtis iam Othonianis, qui ad evocandum Galbam laeta falso volgaverint. (35) tum vero

3 obsidione toleraturos 4 consensū 5 valeat *Ritter* indignatio elanguescat *Iac. Gronovius:* indignatione languescat (relanguescat *Halm*) perinde *Nipperdey* 6 occurendū (r *superscr.* 2m) 8 hicęlo 14 adfirmabat (n *superscr.* 1m) 15 multa arbitrantur *Urlichs* 16 uolgauerit (n *superscr.* 1m)

tur, quo trepidus antea iam se praeparet ad principis partes agendas. — *Capitolium adeat*] de more, ut auspicaturus imperium sacrificet. Ern. — *ianua ac limine tenus*] intra ianuam ac limen, ut ultra progredi non audeat. *ianuam ac limen* iunxit, ut Caesar b. c. 105, 2 *simulacrum Victoriae — ad valvas se templi limenque convertisse.* — *cludit*] eadem forma est Ann. 15, 64 (Agr. 45) Germ. 34. 45. dial. 30. 35. de constructione particulae *dum* v. *Dräger* Synt. § 168. — *invidiosius*] ultimum hoc saltem quaerendum solacium, fore, ut propter hanc Othonis invidiam Galbae nex aliquando vindicaretur. — *stimulante Icelo*] Plutarch. c. 26: Κέλσου δὲ καὶ Λάκωνος παρορμώντων· ubi Ruperti corrigi iubet Ἰκέλου.

34. *speciosiora suadentibus accessit*] Suetonius his adversatur G. 19: *Haud multo post cognoscit teneri castra ab Othone; ac plerisque, ut eodem quam primum pergeret, suadentibus (posse enim auctoritate et praesentia praevalere), nihil amplius quam continere se statuit et legionariorum firmare praesidiis, qui multifariam diverseque tendebant.* Ryck. De Pisone in castra misso sane nihil Suetonius. — *infensus T. Vinio*] contrariae sententiae auctori; quocirca fore, ut Piso maiore cum animo atque studio munus sibi impositum exsequeretur. — *credula fama*] „Passive *credula* dixit; nisi si ποιητικώτερον *famam* de hominibus dissipantibus rem temere creditam capias.“ Ern. „Alii affirmant, alii temere credunt et dispergunt.“ Walth. „*Credulā famā* dictum pro *credente fama*, de *fama*, quae ut persona adumbratur (ut Ann. 4, 11. Agr. 9) et quaecunque dicuntur vulganturve facile ac temere credere fingitur. Sic *credulus* pro *facile credens* C. 12. 2, 23 et *volgus credulum* 4, 49, „quod statim credit, fidem habet nuntio et rei.“ Roth ad Agr. p. 210. — *arbitrabantur*] si non tum ipsum, cum res fiebat, at certe paulo post eventum, ut fieri solet, multi arbitrabantur compositum rumorem esse ab Othonianis. nolui igitur *Urlichsium* secutus *arbitrabantur* in *arbitrantur* mutare. cf. 3, 37 *adnotabant periti.* Suetonius G. 19 pro certo rem narrat: *sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati, ut eum in publicum elicerent, de industria dissiparant* etc.

non populus tantum et imperita plebs in plausus et inmodica studia, sed equitum plerique ac senatorum, posito metu incauti, refractis Palatii foribus ruere intus ac se Galbae ostentare, praereptam sibi ultionem querentes, ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus nimii verbis, linguae feroces; nemo scire et omnes adfirmare, donec inopia veri et consensu errantium victus sumpto thorace Galba inruenti turbae neque aetate neque corpore resistens sella levaretur. obvius in Palatio Iulius Atticus speculator cruentum gladium ostentans occisum a se Othonem exclamavit; et Galba „commilito“, inquit, „quis iussit?“ insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes incorruptus.

(36) Haud dubiae iam in castris omnium mentes tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paulo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. nec tribunis aut centurionibus adeundi locus: gregarius miles caveri insuper praepositos iubebat. strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non tanquam in populo ac plebe variis segni adulatione vocibus, sed ut quemque adfluentium militum aspexerant, prensare mani-

3 reuere (*prim.* e *puncto del.* 1m) intro *Acidalius* 5 feroces *Lipsius:* ferocis (lingua feroces *Georges*) 7 resistens *Faernus* et *Lipsius:* sistens 12 dubę 14 circumdaret (n *superscr.* 1m) 15 grẹgarius 16 exortatione 18 quenq; p̄ressare (*notam del.* 1m)

35. *in plausus*] scil. prorumpere, effundi quod eliciendum e seq. v. *ruere;* pertinent autem haec ad populum et plebem. — *intus*] haec referuntur ad equites et senatores. *Eo intus; intro sum* soloecismis adnumerat Quintil. 1, 5, 50. Habet tamen Cato R. R. 157, 7: *omnia sana faciet* (brassica), *intro quae dolitabunt;* et Caesar b. c. 3, 26: *quo simul atque intus* (alii codd. *intro*) *est itum.* Oberl. Hand Turs. III. p. 442 et 449, ubi monstrat Celsum quater v. *intus* sic usurpasse. — *linguae feroces.*] Ann. 1, 32 *animi ferox;* 4, 12 *ferox scelerum* cf. *Dräger* Synt. § 71 b. — *thorace*] Suet. G. 19: *loricam tamen induit linteam.* — *Iulius Atticus*] Rem sic narrat Plutarchus G. 26: μετὰ μικρὸν ὤφθη Ἰούλιος Ἄττικος τῶν οὐκ ἀσήμων ἐν τοῖς δορυφόροις στρατευόμενος γυμνῷ τῷ ξίφει προσφερόμενος καὶ βοῶν ἀνῃρηκέναι τὸν Καίσαρος πολέμιον· ὠσάμενος δὲ διὰ τῶν προεστώτων ἔδειξε τῷ Γάλβᾳ τὸ ξίφος ᾑμαγμένον. Ὁ δὲ βλέψας πρὸς αὐτόν „Τίς σε“ εἶπεν „ἐκέλευσε;“ Τοῦ δὲ ἀνθρώπου τὴν πίστιν εἰπόντος καὶ τὸν ὅρκον, ὃν ὤμοσε, καὶ τοῦ πλήθους ἐπιβοῶντος, ὡς εὖ, καὶ κροτοῦντος, ἐμβὰς εἰς τὸ φορεῖον ἐκομίζετο τῷ τε Διὶ θῦσαι καὶ φανῆναι τοῖς πολίταις βουλόμενος. cf. Suet. G. 19. Dio 64, 6.

36. *agmine et corporibus*] agmine facto suis corporibus Othonem circumdare, quod verbum ex sequentibus huc retrahendum. Duebn. — *in suggestu*] et quidem ita, ut quot militibus ibi locus esset, suggestum escenderent; ceteri densis ordinibus infra adstabant. — *Galbae statua*] Apparet ita tunc receptum in castris. A. 15, 29: *Medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat.* Lips. — *prensare*] Hoc loco, ubi iungitur ablativus, recipi haud poterat Med. *pressare*, et vix rectum videtur eiusdem A. 14, 10;

bus, conplecti armis, conlocare iuxta, praeire sacramentum, modo imperatorem militibus, modo milites imperatori commendare. nec deerat Otho protendens manus adorare volgum, iacere oscula et omnia serviliter pro dominatione. postquam universa classicorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus, et quos adhuc singulos extimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita coepit: (37) „quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum, quia nec privatum me vocare sustineo princeps a vobis nominatus nec principem alio imperante. vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis. auditisne, ut poena mea et supplicium vestrum simul postulentur? adeo manifestum est neque perire nos neque salvos esse nisi una posse. et cuius lenitatis est Galba, iam fortasse promisit, ut qui nullo exposcente tot milia innocentissimorum militum trucidaverit. horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum et hanc solam Galbae victoriam, cum in oculis urbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. his auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad principatum attulit nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fontei

3 uolgūs (*s del.* 1*m*) 6 cępit 7 processerī// (*litt.* t *erasa, notam add.* 2*m*) 10 an] ad (n *superscr.* 1*m*) pęna 17. 18 obultronus ablni (obultronii albini 2*m*)

pressantium manum. — *conplecti armis*] armatis bracchiis, sinistra clipeum, dextra gladium vel pilum tenentibus. cf. Verg. Aen. 12, 432: *Postquam habilis lateri clipeus loricaque tergo est, Ascanium fusis circum conplectitur armis.* Duebn. *Armis*, id est, clipeo, quo in complexu artius admovetur pectori amicus. Et sunt tales amplexus apud Homerum. Ern. Contra Ryckius *armis* ab *armus* deducendum esse putat. cf. c. 38 *aperire deinde armamentarium iussit. rapta statim arma.* — *praeire sacramentum*] recitare iis, qui nondum in ipsius verba iuraverant, prout affluebant. — *adorare volgum, iacere oscula*] Utrumque gestum ita iungit Dio 64, 8: φιλήματα ὡς ἑκάστοις διὰ τῶν δακτύλων ἔπεμπε. cf. Appul. Met. 4, 28: (*Psychen*) *admoventes oribus suis dexteram, primore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* Idem Apol. 56: *adorandi gratia manum labris admovere.* — *serviliter*] scil. *facere* cf. *Bötticher* Lex. p. LXXXV. — *classicorum legio*] Haec una legio tunc in urbe tendebat; septima Galbiana, quacum eam ingressus erat Galba, paullo post in Pannoniam missa. Praeter hanc *numeri* dumtaxat *e Germania ac Britannia et Illyrico.* c. 6.

37. *poena mea*] cf. c. 32: *dissono clamore caedem Othonis et coniuratorum exitium poscentium.* In castris ergo fori tumultus exaudiri poterat. Respondent his illa c. 39: *vocibus in urbem usque resonantibus* e castris. — *cuius lenitatis est*] „quali lenitate est, pro sua lenitate.“ Crudelitatem dicit. Ad v. *promisit* ex superioribus supplendum *poenam meam et supplicium vestrum.* Duebn. — *tot milia*] septem, si fides Dioni 64, 3. — *in fidem acceperat*] Nam qui reliqui septem milibus occisis se Galbae dediderant, eos decimari iussit. Duebn. Suet. G. 12. — *Obultronii Sabini*] Videtur ille quaestor aerarii Ann. 13, 28. — *Marcelli*] de quo Ann. 16, 8. Suet. G. 9. 12. — *Betui Chilonis*] Grut. 375, 4: *C. BETVO.* *TRO* (mentina tribu). *CILONI.* unde Ritter *Cilonis* scripsit, sed titulus apud Grut. spurius videtur. *Nipperdey.* — *Fontei Capitonis*] supra

Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via, Turpiliani in urbe, Nymphidi in castris? quae usquam provincia, quae castra sunt nisi cruenta et maculata aut, ut ipse praedicat, emendata et correcta? nam quae alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus severitatem pro saevitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras disciplinam appellat. septem a Neronis fine menses sunt et iam plus rapuit Icelus, quam Polycliti et Vatinii et Aegiali, quoad perierunt. minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset: nunc et subiectos nos habuit tanquam suos et viles ut alienos. una illa domus sufficit donativo, quod vobis numquam datur et cotidie exprobratur. (38) ac ne qua saltem in successore Galbae spes esset, accersit ab exilio, quem tristitia et avaritia sui simillimum iudicabat. vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam deos infaustam adoptionem aversantes. idem senatus, idem populi Romani animus est. vestra virtus expectatur, apud quos omne honestis consiliis robur et sine quibus quamvis egregia invalida sunt. non ad bellum vos nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. cum vos aspexerit, cum signum meum

2 castra] In castris 4 aliis *sed litt.* s *erasa* 5 auaritiā *nota erasa* 6 etiam 7 quam — quoad *Meiser:* quā quod (quam quo *Haase*, quam ob quod *Madvig*) uatini Aegiali *Orelli:* ęgialii (*ultima litt.* i *vel evanida vel erasa*) qui alii *Walther*, Helii *Lipsius*, Helii et Tigellini *I. F. Gronovius*, Egnatii *Bezzenberger* paraverunt *dett.*, pepererunt *Heinsius* 11 exprobatur succesore 12 accersivit *Ritter*, accersiit *Sirker* aab (*pr.* a *eras.*) quę̄ 14 aversantes *Agricola:* aduersantes 15 oms̄

c. 7. — *Clodii Macri*] c. 7. 11. — *Cingonii*] A. 14, 45. H. 1, 6. — *Turpiliani*] Ibid. — *Nymphidi*] c. 5. 25. — *Polycliti*] A. 14, 39. — *Vatinii*] scurrae. A. 15, 34. — *Aegiali*] Nisi immanis latet error, sic sane scribendum erit; Graecum enim nomen est Αἰγιαλός (Conon Narr. 2), Latinum *Aegialus Aug. libertus* apud Grut. 175, 9. *Aegialius* vero neque Graecum nec Latinum. Suo arbitratu, haud sane probabiliter, nec tamen inscite ex Ann. 12, 66. 13, 1. Suet. G. 15 Ryckius suspicabatur *et Helii et Haloti*. „Quod Aegialus libertus aliunde haud notus est, mirum videri non potest: nam ingentem horum hominum multitudinem aula Neroniana aluit, sed paucorum nomina nobis tradita sunt.“ Ritter. — *quoad perierunt*] sic corruptam codicis scripturam (*quod — perierunt*) emendavi, quia sensus hoc flagitare videtur: „septem mensibus plus rapuit Icelus quam alii per totam vitam.“ *quoad* in *quod* corruptum ac deinde transpositum esse suspicor. a Galba Neronis libertos punitos legimus c. 49. Plutarchus Galba 17 οἷον ἦν τὸ περὶ τὰς κολάσεις τῶν Νερωνιανῶν. ἀπέκτεινε γὰρ τοὺς πονηρούς, ἐν οἷς ἦν ὁ Ἥλιος καὶ Πολύκλειτος καὶ Πετῖνος καὶ Πατρόβιος. ceterum ad tôtum locum confer similem 2, 95: *nondum quartus a victoria mensis et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat.* — *exprobratur*] Hoc dicit: „cotidie cum suis vobis obiectat Galba, quam largum donativum militi promiserit, sed id numquam repraesentat.“

38. *una cohors togata*] praetoria illa, quae ante Palatium in urbe excubabat, togam pro sago sumebat, galeas et clipeos in castris relinquebat gladiis tantum lanceisque contenta. Martialis de Fusco, praefecto praetorii, 6, 76: *Ille sacri lateris custos Martisque togati, Credita cui summi castra fuere ducis, Hic situs est Fuscus.* Ex Lips. — *detinet*]

acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum inputet. nullus cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari nisi peractum.“ aperire deinde armamentarium iussit. rapta statim arma, sine more et ordine militiae, ut praetorianus aut legionarius insignibus suis distingueretur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque, nullo tribunorum centurionumve adhortante, sibi quisque dux et instigator; et praecipuum pessimorum incitamentum, quod boni maerebant.

(39) Iam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis et vocibus in urbem usque resonantibus egressum interim Galbam et foro appropinquantem adsecutus erat, iam Marius Celsus haud laeta rettulerat, cum alii in Palatium redire, alii Capitolium petere, plerique rostra occupanda censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat. agitasse Laco ignaro Galba de occidendo Tito Vinio dicitur, sive ut poena eius animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum vel odio. haesitationem attulit tempus ac locus, quia initio caedis orto difficilis modus, et turbavere consilium trepidi nuntii

2 cunctationis 3 aperiri *Muretus* raptū (*nota erasa*) 7 merebant 9 propinquantem *ed. princ.* 11 peteret (t *del.* 2*m*) 12 ut quę 13 quorum] morū 14 loco (*corr.* 2*m*) 15 pęna 16 postremum *Rhenanus:* posterū

„impedit, quo minus fugam capiat latebrasve quaerat.“ Exaggerarunt Burnouf et Louandre *elle le tient prisonnier.* — *inputet*] „quis maximum debitum meae computationi inferat,“ id est, „maxima in me beneficia conferat, quae ei referre debeam.“ Duebn. (Verbum *imputare* pro Ciceroniano *assignare*, *ascribere alicui aliquid* (*anrechnen*) sive attribuere causam, culpam alicuius rei, poetarum (Ovid. Met. 2, 400. 15, 470) et posterioris Latinitatis est. cf. c. 55. 71. 2, 31. 60. 85. 3, 86. 4, 14. 5. 24. Germ. 21. Agr. 27. 34. Casaubon. ad Suet. Tib. 53. Bach.) — *ut praetorianus*] scilicet, qui mos praecipiebat, *ut* cet. Id. Quae simplicior videtur explicatio quam Ritteri: „Negandi vis, quae inest praepositioni *sine*, pertinet etiam ad vv. *ut* — *distingueretur.*“ (in editione sua a. 1864 Ritter *ut non* — *distinguerentur* scripsit.) Pergit idem: „Scilicet legionarii non sua *pila* omnes, neque rursus praetoriani suas *lanceas* omnes, sed plures legionarii lanceas, praetoriani plures pila rapiebant. Haec in armis ad impetum faciendum comparatis perturbatio, alia autem in armis ad corpus tuendum aptis enarratur; quippe legionarii praetorianique galeas scutaque auxiliaribus copiis in armamentario reservata passim arripiebant. „Insignia praetorianorum, legionum et auxiliarium videre est in nummis, in antiquis monumentis et maxime in columna Traiani.“ Brot.

39. *appropinquantem*] verbum compositum Tacitus habet Agr. 37. Ann. 6, 50, ceteris locis permultis simplex *propinquare* cf. *Heraeus* ad 3, 82, 9. — *exterritus Piso*] Illico is viderat ingredi castra militesque alloqui se nequaquam posse; ergo revertitur Palatium versus et in Foro Galbae obviam fit. — *redire* — *petere*] de infinitivo praesentis activi cum verbo *censere* iuncto cf. Cic. or. § 115 *ergo eum censeo* — *non esse earum rerum omnino rudem.* Sall. Iug. 21, 4 *velle et censere eos ab armis discedere.* Liv. 21, 20, 4 *censere* — *ipsos id avertere in se.* 45, 12, 13 *eum tum ius dicere Romae* — *patres censuerant.* de variata structura cf. *Dräger* Synt. § 283, 12. Nipperdey scribit *rediret* — *peteret.* — *initio* — *orto*] de hoc genere pleonasmi cf. *Dräger* Synt. § 241, locos ab He-

ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis, qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant. (40) agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis inpulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu. neque populi aut plebis ulla vox, sed attoniti voltus et conversae ad omnia aures. non tumultus, non quies, quale magni metus et magnae irae silentium est. Othoni tamen armari plebem nuntiabatur. ire praecipites et occupare pericula iubet. igitur milites Romani, quasi Vologaesum aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri ac non imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disiecta plebe, proculcato senatu, truces armis, rapidi equis forum irrumpunt. nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio et priores et futuri principes terruere, quo minus facerent scelus, cuius ultor est quisquis successit. (41) viso comminus armatorum agmine vexillarius comitatae Galbam cohortis (Atilium Vergilionem fuisse tradunt) dereptam Galbae imaginem solo adflixit. eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. iuxta Curtii lacum trepidatione ferentium Galba proiectus e sella ac provolutus est. extremam eius vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere: alii suppliciter interrogasse quid mali meruisset,

2 ostentauerint 4 trospectu (prospectu *b*, aspectu *a*) conuerse 6 *post* silentium est *crucem* (*lacunae signum?*) *superscr.* 2*m* plebe (*notam add.* 2*m*) plebes *Ritter* 10 rapidis *dett.* 13 successit *sed* sit *in rasura* 14 Galbam *Rhenanus:* galbę adiliū 18 ammiratio 19 uarię prodere meruisset et *Halm*

raeo ad hunc locum collectos. — *diffugia*] Voc. nunc ἅπαξ εἰρημένον, formatum a v. *diffugere* ad instar vv. *refugium*, *suffugium* etc. Bach. Vv. Tacito propria et insolentioris formae collegit Ruperti Ind. III. p. 839. *Dräger* Synt. § 249, 2.

40. *fluctuantis*] Plut. G. 26: τοῦ φορείου καθάπερ ἐν κλύδωνι δεῦρο κἀκεῖ διαφερομένου καὶ πυκνὸν ἀπονεύοντος. — *basilicis*] quae forum cingebant, amplis pleraeque porticibus circumdatae. Vitruv. 5, 1, 4: *Basilicarum loca adiuncta foris quam calidissimis partibus oportet constitui* etc. Nominat Canina in *Foro Romano* p. 167 basilicam Iuliam (Plin. Epp. 5, 9 (21)), Semproniam, Opimiam, Fulviam sive argentariam, Aemiliam (Ann. 3, 72). — *silentium*] Fortasse recordabatur Xenophontis Ages. 2, 12: καὶ κραυγὴ μὲν οὐδεμία παρῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή· φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη, οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν. Burnouf. — *armari plebem nuntiabatur*] 3, 79 *plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur.* Ritterum non sequendum esse docet *Wölfflin* Philol. 26, 118. — *Vologaesum*] de hoc nomine v. *Nipperdey* ad Ann. 12, 14. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 16. — *rapidi equis*] 2, 40 *citus equo Numida.* — *imminentium templorum*] 3, 71: *inminentia foro templa.* cf. Liv. 7, 6, 4.

41. *vexillarius*] pro *signifero;* quoniam Galbae imaginem vexillo deripuit. Et sic est etiam H. 3, 17, non ut alibi apud Tacitum, veteranus molestiore militia solutus. cf. Walch. ad Agr. p. 240 seqq. — *Galbam*] Med. *Galbae*, etsi praelatum a Duebnero, merus tamen error videtur, ortus per ἀβλεψίαν vel ex praecedente *comitatae* vel ex sequente *Galbae.* Est autem illa cohors, *quae in Palatio stationem agebat.* c. 29. — *Atilium*] Plut. G. 26: Ἀτιλλίου δὲ Βεργελίωνος εἰκόνα Γάλβα προσουδίσαντος κτλ. — *Curtii lacum*] locus in medio foro. Liv. 1, 13. 7, 6. — *quid mali*

paucos dies exolvendo donativo deprecatum; plures obtulisse ultro percussoribus iugulum: agerent ac ferirent, si ita *e* re publica videretur. non interfuit occidentium quid diceret. de percussore non satis constat. quidam Terentium evocatum, alii Laecanium; crebrior fama tradidit Camurium quintae decimae legionis militem inpresso gladio iugulum eius hausisse. ceteri crura brachiaque (nam pectus tegebatur) foede laniavere; pleraque volnera feritate et saevitia trunco iam corpori adiecta. (42) Titum inde Vinium invasere. de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem eius instans metus, an proclamaverit non esse ab Othone mandatum, ut occideretur. quod seu finxit formidine seu conscientiam coniurationis confessus est, huc potius eius vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cuius causa erat. ante aedem divi Iulii iacuit primo ictu in poplitem, mox ab Iulio Caro legionario milite in utrumque latus

2 e *om.* re. p. 4 lecanium (*cf. Ann.* 15, 33) 6 fęde 7 adacta *Groslotius* 9 othonē (*notam del.* 1*m*) 10 formi|ne (di *add.* 2*m*) conscientiam *Acidalius:* conscientia 12 ictus *Meiser* 13 Caro *Rhenanus:* cario

meruisset] Sic etiam Dio 64, 6 et Vol. IX. ed. Sturz p. 110: τοῦτο μόνον εἶπε· Τί γὰρ κακὸν ἐποίησα; De donativo nihil adiungit. — *plures*] quibuscum facit Plutarchus c. 27: Ὁ δὲ τὴν σφαγὴν προτείνας, Δρᾶτε, εἶπεν, εἰ τοῦτο τῷ δήμῳ Ῥωμαίων ἄμεινόν ἐστι. Suet. G. 20: *Sunt qui tradant ad primum tumultum proclamasse eum: Quid agitis commilitones? Ego vester sum et vos mei! donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt optulisse ultro iugulum et, ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur, hortatum.* — *agerent*] ex formula in sacris usitata: *hoc age!* Brisson. de formul. 1, 17. Muretus et Acidalius *hoc agerent*, ut est apud Suetonium, scribendum esse putabant. — *Terentium*] Plut. l. l. fluctuare scriptores dicit inter Camurium, Terentium, Arcadium, Fabium Fabullum. — *evocatum*] vel simpliciter aliquem, qui post emerita stipendia sub signis manebat, vel ex *evocatis Galbae*, qui *delegit et equestris ordinis iuvenes, qui manente anulorum aureorum usu evocati appellarentur excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent.* Suet. G. 10. Dübn. — *quintae decimae*] quae tunc tendebat in Germania inferiore (4, 35); sed Camurius unus ex electis Germanicis militibus, de quibus vide c. 6 et 31. — *hausisse*] perfodisse. Liv. 7, 10, 10: *uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit.* Curt. 7, 2, 27: *eius latus gladio haurit.* — *tegebatur*] thorace, quem sumpserat Galba c. 35. — *adiecta*] Hoc est super priora illa vulnera, quibus occisus est, addita. Walther.

42. *conscientiam*] Walther ita Med. *conscientia* explicat: „aut mentitus est formidine aut vera dixit conscientia coniurationis." Verum illa lectio vix aliud potest significare quam „confessus est non esse necem suam ab Othone mandatam"; id quod absurdum est. Mihi falso adaptatum videtur ad v. praecedens *formidine*. cf. Plut. loco statim afferendo. Ceterum nota tria vv. continua per *con* incipientia. — *conscius sceleris*] Plut. l. l.: Ἀπεσφάττετο δὲ καὶ Οὐίνιος ὁμολογῶν κοινωνὸς γεγονέναι τῆς ἐπὶ τὸν Γάλβαν συνωμοσίας· ἐβόα γὰρ ἀποθνήσκειν παρὰ τὴν Ὄθωνος γνώμην. — *cuius causa erat*] quia transversum egerat Galbam. c. 6. — *aedem divi Iulii*] in medio foro (Dio 64, 6), ab Augusto exstructam. Ovid. Met. 15, 840: *Hanc animam interea caeso de corpore raptam Fac iubar, ut semper Capitolia nostra forumque Divus ab excelsa prospectet Iulius aede.* — *Iulio Caro*] Duplex nomen gentile Med. *Iulio Cario* locum vix habet, etsi *Carius* est apud

transverberatus. (43) insignem illa die virum Sempronium Densum aetas nostra vidit. centurio is praetoriae cohortis, a Galba custodiae Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans ac modo manu modo voce vertendo in se percussores quanquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in aedem Vestae pervasit exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus non religione nec caerimoniis sed latebra imminens exitium differebat, cum advenere missu Othonis nominatim in caedem eius ardentis Sulpicius Florus e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus speculator, a quibus protractus Piso in foribus templi trucidatur. (44) nullam caedem Otho maiore laetitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur, seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio coeperat, seu recordatio maiestatis in Galba, amicitiae in Tito Vinio quamvis inmitem animum imagine tristi confuderat:

1 illā (*notam del.* 1*m*) 2 his a Galba custodiae Pisonis *Lipsius:* a galbę custodię (*ult.* ę *in* a *mutat* 2*m*) a pisonis 5 eadē (a *puncto del.* 2*m*) 6 misericordia] mĩa 7 cerimoniis 8 ardentis *Heinsius:* ardentes brittannicis 9 a *om.* (*sup. lin. add.* 2*m*) 10 trucidatus (trucidatus est *Halm.*) 11 capud 13 uagare ceperat 14 imaginē (*notam del.* 1*m*)

Grut. 687, 1 et *Caria Servata* apud Mur. 1318, 16. — *transverberatus*] dicit *transverberatus in*, ut similiter Livius *transfixus per* (2, 6, 9 *contrario ictu per parmam uterque transfixus.* 2, 20, 9 *uno ictu transfixum per latus*). Io. Fr. Gronovius posterius, Nic. Heinsius utrumque *in* delendum esse censebat.

43. *Sempronium Densum*] Galbae eum succurrisse narrat Plutarchus G. 26 diversus in nomine: Ἤμυνε δὲ οὐδεὶς οὐδὲ ὑπέστη πλὴν ἑνὸς ἀνδρός, ὃν μόνον ἥλιος ἐπεῖδεν ἐν μυριάσι τοσαύταις ἄξιον τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας· Σεμπρώνιος Ἴνδρισος (ἦν Δῆνσος Sintenis) ἑκατοντάρχης οὐδὲν ἰδίᾳ χρηστὸν ὑπὸ Γάλβα πεπονθώς, τῷ δὲ καλῷ καὶ τῷ νόμῳ βοηθῶν προέστη τοῦ φορείου κτλ. Item Dio 64, 6: Καὶ αὐτῷ Σεμπρώνιος Δῆνσος ἑκατόνταρχος ἐπαμύνας ἐς ὅσον ἠδυνήθη, τέλος, ὡς οὐδὲν ἤνυσεν, ἐπεσφάγη. Καὶ διὰ τοῦτό γε καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνέγραψα, ὅτι ἀξιώτατός ἐστι μνημονεύεσθαι. — *custodiae Pisonis*] in castra praetoria ituri. — *publici servi*] cuius generis erant praeter alios publicis sumptibus emptos, nutritos et varias ad operas etiam scribarum educatos ii quoque, qui in templis apparebant, Graecorum ἱερόδουλοι. Liv. 9, 29, 9: *Appio* (Caeco) *auctore Potitii, gens, cuius ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos ministerii delegandi causa sollemnia eius sacri docuerant.* — *contubernio*] cella (Horat. Sat. 1, 8, 8), ubi habitabat cum contubernali sive focaria sua. cf. 3, 74. — *ardentis*] Plut. G. 27: Τὸν δ' Ὄθωνα τῆς κεφαλῆς (Galbae) κομισθείσης ἀνακραγεῖν λέγουσιν· Οὐδέν ἐστι τοῦτο, ὦ συστρατιῶται· τὴν Πείσωνός μοι κεφαλὴν δείξατε. Μετ' ὀλίγον δὲ ἧκε κομιζομένη· τρωθεὶς γὰρ ἔφευγεν ὁ νεανίσκος καὶ καταδιωχθεὶς ὑπὸ Μούρκου τινὸς ἀπεσφάγη πρὸς τῷ ἱερῷ τῆς Ἑστίας.

44. *vacare gaudio*] indulgere, effuse sese dedere gaudio. — *imagine tristi*] Othonis post Galbae necem tristitiam ac terrorem pulchre expressit Dio 64, 7, qui locus, quippe *moralis*, non videtur mutilatus a Xiphilino: θύοντί τε γὰρ αὐτῷ τὴν θυσίαν πρώτην τὰ ἱερὰ πονηρὰ ὤφθη· ὥστ' αὐτὸν μεταγνόντα ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις εἰπεῖν· Τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; ἔστι δὲ τοῦτο δημῶδες ἐς παροιμίαν φέρον ἐπὶ τῶν ἔξω τι τοῦ προσφόρου σφίσι ποιούντων. καὶ μετὰ τοῦτο τῆς νυκτὸς οὕτω δή τι ἐν τοῖς ὕπνοις ἐταράχθη, ὥστε καὶ ἐκ τῆς εὐνῆς ἐκπεσεῖν

Pisonis ut inimici et aemuli caede laetari ius fasque credebat. praefixa contis capita gestabantur inter signa cohortium, iuxta aquilam legionis, certatim ostentantibus cruentas manus qui occiderant, qui interfuerant, qui vere qui falso ut pulchrum et memorabile facinus iactabant. plures quam centum viginti libellos praemium exposcentium ob aliquam notabilem illa die operam Vitellius postea invenit omnesque conquiri et interfici iussit, non honori Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem.

(45) Alium crederes senatum, alium populum. ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exosculari Othonis manum; quantoque magis falsa erant quae fiebant, tanto plura facere. nec aspernabatur singulos Otho avidum et minacem militum animum voce vultuque temperans. Marium Celsum consulem designatum et Galbae usque in extremas res amicum fidumque *ad* supplicium expostulabant, industriae eius innocentiaeque quasi malis artibus infensi. caedis et praedarum initium et optimo cuique perniciem quaeri apparebat. sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: iubere iam poterat. ita simulatione irae vinciri

1 emuli 4 quiue uere (quique vere *Ritter*) 6 illā diē (*notas del.* 1*m*, illo *in marg. add.* 2*m*) uetellius 7 honori *Nipperdey:* honore 10 ante hire 12 erat (n *superscr.* 1*m*) flebant (*ut ed. princ.*) 14 celso consulem | signatum 15 ad *om.* innocentiae quę 18 scęlus

τούς τε προσκοιτοῦντας ἐκπλῆξαι· ἐσπηδήσαντες οὖν εὗρον αὐτὸν χαμαὶ κείμενον. — *animum — confuderat*] Hom. Il. 9, 612 μή μοι σύγχει θυμόν. 24, 358. — *qui vere qui falso — iactabant*] cf. Liv. 2, 54, 10 *adeoque neminem noxiae paenitebat, ut etiam insontes fecisse videri vellent.* — *legionis*] *classicae.* c. 31. 36. — *plures quam centum viginti*] Plut. l. l.: Ὡς δέ φησιν Ἀρχίλοχος· Ἑπτὰ γὰρ νεκρῶν πεσόντων, οὓς ἐμάρψαμεν ποσίν, Χίλιοι φονῆες ἐσμέν· οὕτως τότε πολλοὶ τοῦ φόνου μὴ συνεφαψάμενοι, χεῖρας δὲ καὶ ξίφη καθαιμάσσοντες ἐπεδείκνυντο καὶ δωρεὰς ᾔτουν βιβλία διδόντες τῷ Ὄθωνι. Εἴκοσι γοῦν καὶ ἑκατὸν εὑρέθησαν ὕστερον ἐκ τῶν γραμματίων, οὓς ὁ Οὐιτέλλιος ἀναζητήσας ἅπαντας ἀπέκτεινεν. — *praemium*] „singuli, sibi quisque." Ceteros propter plurales talem hic quoque requiri sine causa opinatus est Puteolanus, quem ante Waltherum omnes secuti sunt praeter Iac. Gronovium. — *ultionem*] Accusativi usus in appositione non substantivi alicuius, sed enuntiationis totius, qualem notavimus ad Ann. 1, 27: *manus intentantes, causam discordiae et initium armorum.* cf. *Nipperdey* ad hunc locum, *Dräger* Synt. § 77. Sensus autem loci est: sic puniendo principes et statim imperium sibi muniunt et in posterum eiusmodi scelera non inulta fore ostendunt. cf. c. 40 *scelus, cuius ultor est quisquis successit.* noli igitur cum Acidalio transponere aut *ultionem ad praesens, in posterum munimentum*, aut, quod idem Mureto placebat, *munimentum in posterum, ad praesens ultionem.*

45. *alium populum*] Iuven. 10, 72: *Sed quid Turba Remi? Sequitur fortunam, ut semper, et odit Damnatos.* — *militum iudicium*] ideo, quod Othonem Galbae merito praetulissent. — *Marium Celsum*] cf. c. 14. 71. Plut. G. 27. Oth. 1. — *simulatione irae*] Seneca explicat, qui callide hoc ad primam magnamque iram adhibendum suadet de ira

iussum et maiores poenas daturum adfirmans praesenti exitio subtraxit. (46) omnia deinde arbitrio militum acta. praetorii praefectos sibi ipsi legere, Plotium Firmum e manipularibus quondam, tum vigilibus praepositum et incolumi adhuc Galba partes Othonis secutum; adiungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis suspectus consilia eius fovisse. urbi Flavium Sabinum praefecere iudicium Neronis secuti, sub quo eandem curam obtinuerat, plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. flagitatum, ut vacationes praestari centurionibus solitae remitterentur: namque gregarius miles ut tributum annuum pendebat. quarta pars manipuli sparsa per commeatus aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exolveret, neque modum oneris quisquam neque genus quaestus pensi habebat: per latrocinia et raptus aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. tum locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret. ubi sumptibus exhaustus socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo in manipulum redibat; ac rursus alius atque alius eadem egestate ac licentia corrupti ad seditiones et discordias et ad extremum

1 pęnas praesenti ti (*poster.* ti *del.* 1*m*, *sed ita, ut tantum litt.* t *deleta sit*) exilio 5 suspecta 6 sauinū 9 Nanq; 10 manipuli sparsa *Pichena:* manipulis . pars 11 centurionisxolueret (s *in* e *mut.* 1*m*) 12 questūs (*notam del.* 1*m*) 14 ua|tionē (ua *in fine paginae*) 15 insuper] ins (*cum lineola curvata in litt.* s)

3, 39, 5: *ipsum quoque impetum, quem non audet lenire, fallet: removebit omnia ultionis instrumenta. simulabit,* inquit, *iram, ut tamquam adiutor et doloris comes plus auctoritatis in consiliis habeat. moras nectet, et dum maiorem poenam quaerit, praesentem differet.* ipsa haec nostra sunt, et moniti illius clarum hic exemplum. Lipsius.

46. *arbitrio militum*] Dio 64, 9: τὴν μὲν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον παρ᾽ οὐδὲν ἦγε, τοὺς δὲ στρατιώτας ἐπεπείκει καὶ τοῦϑ᾽, ὅτι ἀποκτεῖναι Καίσαρα καὶ ποιῆσαι δύνανται. — *Plotium Firmum*] c. 82. 2, 46. 49. — *Licinius Proculus*] c. 82. 87. 2, 33. 39 sq. 44. 60. — *Sabinum praefecere*] Id quod ultro approbavit Otho. Plut. O. 5: Τῆς δὲ Ῥώμης φύλακα Φλαούιον Σαβῖνον — κατέστησεν, εἴτε καὶ τοῦτο πράξας ἐπὶ τιμῇ Νέρωνος (παρ᾽ ἐκείνου γὰρ εἰλήφει τὴν ἀρχὴν ὁ Σαβῖνος, ἀφείλετο δὲ Γάλβας αὐτόν), εἴτε μᾶλλον εὔνοιαν ἐνεδείκνυτο Οὐεσπεσιανῷ καὶ πίστιν αὔξων Σαβῖνον. — *vacationes*] pecunia, qua vacationes munerum a centurionibus redimere solebant milites, qui quidem habebant, unde possent. cf. Ann. 1, 17. Duebn. *dum*] pro *dummodo*, ut saepe. Male nonnulli acceperunt pro *donec*. — *pensi habebat*] „Neque centuriones curabant modum oneris, quod ad vacationes concedendas militibus imponebant, sed quantum pretii cuique libebat, ab iis petebant; neque milites qualecunque genus quaestus etiam illiciti, vel latrocinii, dummodo vacationes illas redimerent, spernebant.“ Formulam *nihil pensi habere* solet usurpare praesertim Sallustius. cf. *Nipperdey* ad Ann. 13, 15. *Dräger* Synt. § 73. *Jacobs-Wirz* ad Sall. Cat. 5, 6. — *servilibus ministeriis*] per domos privatas, quae ministeria aquandi, ligna caedendi, baiulandi, cetera, ingenuis militibus indigna erant. — *tum locupletissimus*] Particula *tum* continuat orationem „praeterea, insuper.“ Suet. Iul. 27: *tum reorum* etc. Walth. — *emeret*] Non poterat repetere v. *redimere* ac tamen cum acerbia ironia significare volebat vacationes illas a centurionibus quasi mercem aliquam

bella civilia ruebant. sed Otho, ne volgi largitione centurionum animos averteret, fiscum suum vacationes annuas exsoluturum promisit, rem haud dubie utilem et a bonis postea principibus perpetuitate disciplinae firmatam. Laco praefectus, tanquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad caedem eius Otho praemiserat, confossus; in Marcianum Icelum ut in libertum palam animadversum.

(47) Exacto per scelera die novissimum malorum fuit laetitia. vocat senatum praetor urbanus; certant adulationibus ceteri magistratus. adcurrunt patres; decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores, adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quae promisce iacta haesisse animo eius nemo sensit: omisisset offensas an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho cruento adhuc foro per stragem iacentium in Capitolium atque inde in Palatium vectus concedi corpora sepulturae cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, Titum Vinium Crispina filia composuere, quaesitis redemptisque capitibus, quae venalia interfectores servaverant. (48) Piso unum et tricesimum aetatis annum explebat, fama meliore quam fortuna. fratres eius Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant: ipse diu exul, quadriduo Caesar, properata adoptione ad hoc tan-

2 averteret *Iac. Gronovius:* auerteret et 3 dubię 4 euocatoq; ad 7 uacat 11 omisisse tot fensas 13 strage 15 frs 18 interfecerat (n *superscr.* 1*m*) 19 diuexui

propositas esse. cf. *Doederlein* Synon. IIII. p. 118. — *bella*] Heinsius scribebat *in bella;* sed de praepositione non repetita cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 68. *Dräger* Synt. § 103. — *volgi largitione*] in vulgus (gregarium militem) collata. Duebn. — *fiscum suum*] Fecit hoc etiam Vitellius. c. 58. — *Laco*] cf. Plutarchus G. 27. — *tanquam — seponeretur*] idem est quod *specie sepositionis*, ut nulla correctione opus sit. alii hanc brevitatem ferri posse negant: Io. Müller *praefectus* in *profectus* mutandum, Heraeus *ablegatus*, Nipperdey *amotus* ante *ab* supplendum esse censebant. — *libertum*] Hoc maiore cum despicientia dictum quam *libertinum*, quod v. sine idonea causa illi substituit Ernestius. cf. Bremi ad Suet. Claud. 24.

47. *praetor urbanus*] Consulum hoc munus, sed tum ambo caesi erant Duebn. Isque mos absentibus vel mortuis consulibus semper obtinebat. cf. Cic. ad Fam. 10, 12. Cic. Phil. 14 § 37. Liv. 26, 3. — *adnitentibus cunctis*] Eutrop. 8, 14 *omnibus certatim adnitentibus.* de infinitivo huic verbo iuncto cf. *Dräger* Synt. § 145. — *cruento adhuc foro*] Plut. G. 28: Καίσαρα καὶ Σεβαστὸν ἀνηγόρευον ἔτι τῶν νεκρῶν ἀκεφάλων ἐν ταῖς ὑπατικαῖς ἐσθῆσιν ἐῤῥιμμένων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς. — *concedi — permisit*] de accusativo cum infinitivo verbo *permittere* iuncto cf. *Dräger* Synt. § 146. — *Verania*] Plut. l. l.: Ταῖς δὲ κεφαλαῖς ὡς οὐδὲν εἶχον ἔτι χρῆσθαι, τὴν μὲν Οὐινίου τῇ θυγατρὶ δισχιλίων καὶ πεντακοσίων δραχμῶν ἀπέδοντο, τὴν δὲ Πείσωνος ἡ γυνὴ ἔλαβεν Οὐερανία δεηθεῖσα. Plin. Epp. 2, 20: *Verania Pisonis graviter iacebat (huius dico Pisonis, quem Galba adoptavit); ad hanc Regulus venit* etc.

48. *explebat*] „tum, cum interfectus est, in eo erat, ut XXXI. annum expleret.“ Monendum hoc propter Ernestium, qui malebat *explerat;* alii quoque interpretes haec vv. argutiis persecuti sunt. — *Magnum* etc.] cf.

tum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur. Titus Vinius quinquaginta septem annos variis moribus egit. pater illi praetoria familia, maternus avus e proscriptis. prima militia infamis legatum Calvisium Sabinum habuerat, cuius uxor mala cupidine visendi situm castrorum per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias et cetera militiae munia eadem lascivia temerasset, in ipsis principiis stuprum ausa; et criminis huius reus Titus Vinius arguebatur. igitur iussu G. Caesaris oneratus catenis, mox mutatione temporum dimissus, cursu honorum inoffenso legioni post praeturam praepositus probatusque, servili deinceps probro respersus est, tanquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus; et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari iussit. sed Vinius proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit, mox Galbae amicitia in abruptum tractus, audax callidus promptus et, prout animum intendisset, pravus aut industrius eadem vi. testamentum Titi

6 temerasset *Rhenanus:* tēperasset (temptasset *Puteolanus*) et] est *Ritter*, est et *Nipperdey* 11 dies (s *del.* 1*m*) solionniū (*corr.* 2*m*, *ut videtur*) 12 proconsul *Muretus*, pro consule *Halm* seueri *librarius scripturus erat*, *sed inter scribendum ipse correxit* 13 calidus 14 ignavus *Nipperdey*

ad c. 14. — *maternus avus*] Ego censuissem, paternum. Nam reperio in Dione 47, 7. Titum Vinium proscriptum a triumviris et mira fide atque astu ab uxore Tanusia servatum. Fieri autem potest, ut huius avi etsi materni nomen sumpserit, testamento, an adoptione. Lips. — *Calvisium Sabinum*] Ann. 4, 46. 6, 9. Pessimos eius mores vituperat Seneca Ep. 27. Dio 59, 18: Καλουίσιος δὲ δὴ Σαβῖνος ἔν τε τοῖς πρώτοις τῆς βουλῆς ὢν καὶ τότε ἐκ τῆς ἐν τῇ Παννονίᾳ ἀρχῆς ἀφιγμένος, ἥ τε γυνὴ αὐτοῦ Κορνηλία γραφέντες (καὶ γὰρ ἐκείνη ὡς φυλακάς τε ἐφοδεύσασα καὶ τοὺς στρατιώτας ἀσκοῦντας ἰδοῦσα αἰτίαν ἔσχεν) οὐχ ὑπέμειναν τὴν κρίσιν, ἀλλ' ἑαυτοὺς προανάλωσαν. — *situm*] rationem, qua disposita essent. Duebn. — *cum — temerasset, in ipsis principiis*] quae pro sacris habita, quia ibi aquila et signa reposita, di militares. Id. Propterea v. unice aptum *temerasset*, non *temptasset*; cf. 4, 58 *si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari*, *at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis.* Ann. 1, 30 *castra infausta temerataque.* plures locos, ubi Tac. hoc v. usus est, collegit *Bötticher* Lex. Tac. de severitate, qua Romani feminas a re militari arcebant. cf. Ann. 1, 69. 2, 55. 3, 33. Plut. G. 12: στρατευόμενος ὑπὸ Καλβισίῳ Σαβίνῳ τὴν πρώτην στρατείαν ἀκόλαστον οὖσαν τὴν γυναῖκα τοῦ ἡγεμόνος παρεισήγαγε νύκτωρ εἰς τὸ στρατόπεδον ἐν ἐσθῆτι στρατιωτικῇ καὶ διέφθειρεν ἐν τοῖς ἀρχείοις, ἃ πριγκίπια καλοῦσι Ῥωμαῖοι. — *ausa*] eo usque impiae temeritatis progressa, ut se stuprari sineret a Vinio. Frustra Ernestius malebat *passa.* — *scyphum aureum*] Plut. l. l.: ποτήριον ἀργυροῦν. — *in abruptum tractus*] Non est: „in perniciem raptus," (*entraîné dans l'abîme* Louandre), sed: „ipsa potentia sua inductus ad pessima quaeque facinora perpetranda." Cato apud Gell. 6 (7), 3, 14: *secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo.* — *pravus aut industrius*] est φαῦλος ἢ σπουδαῖος, ut fere idem sit quod *malus aut bonus* (cf. supra *probatus* et *severe integreque rexit*); nam *industrius* bonarum artium studium designat. falsum esse, quod Nipperdey coniecit, *ignavus* et quae praecedunt *prout animum intendisset* et quae sequuntur *eadem vi* satis docent. quis enim umquam animum *intendere* aut *vi* niti dicetur, ut sit *ignavus?*

Vini magnitudine opum inritum, Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit. (49) Galbae corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis eius hortis contexit. caput per lixas calonesque suffixum laceratumque ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato iam corpori admixtum est. hunc exitum habuit Servius Galba, tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus et alieno imperio felicior quam suo. vetus in familia nobilitas, magnae opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. famae nec incuriosus nec venditator; pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus. amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens, si mali forent, usque ad culpam ignarus. sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat sapientia vocaretur. dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit. pro consule Africam moderate, iam senior citeriorem Hispaniam pari iustitia continuit, maior privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.

(50) Trepidam urbem ac simul atrocitatem recentis sceleris simul veteres Othonis mores paventem novus insuper de Vitellio nuntius exterruit ante caedem Galbae suppressus, ut tantum superioris Germaniae exercitum descivisse crederetur. tum duos omnium mortalium inpudicitia ignavia luxuria deterrimos velut ad perdendum imperium fataliter electos

1 sup̄ma 2 licentia tenebrarum *post* vexatum *ponit Doederlein* 4 capud 5 his 10 magnis 13 ignavus *Acidalius* 18 consensū *notam del.* 1m 22 exercitūs s *del.* 1m (exercitus *Ritter*) 23 uelud

49. *ludibriis vexatum*] Plut. G. 28. — *Argius*] Ἀργεῖος ἀπελεύθερος. Plut. 1. l. — *prioribus*] quos ante principatum habuerat. Haud opus Faerni *primoribus*, quod sane dictum foret ut A. 4, 10: *inter primores ministros.* Miro iudicio usus Ruperti deleta volebat v. *e prioribus servis.* Consulto hoc addidit Tacitus, ut significaret, cur praesertim Argius Galbae iam a multis inde annis assuetus herumque grato animo colens, ei sepulturae officium praestiterit. — *per lixas*] Suet. G. 20: *Caput* Galbae Otho *lixis calonibusque donavit, qui hasta suffixum non sine ludibrio circum castra portarunt.* — *libertus*] et inter *odiorum nomina.* 2, 95. — *cremato*] Helvidii Prisci officio, cui id permiserat Otho. Plut. G. 28. — *tribus et septuaginta*] Dio 64, 6: ἔζησε δὲ Γάλβας ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ἀφ' ὧν ἦρξε μῆνας ἐννέα καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς Aetati addit Zonaras 11, 14: καὶ ἡμέρας τρεῖς καὶ εἴκοσιν. cf. etiam Suet. G. 4 et 23. V. Ryckium. — *metus temporum*] in causa erat, ut homines crederent Galbam a vita magis actuosa sapienter sese retinere, ne principibus tam saevis suspectus fieret; verum erat segnitia tantummodo. cf. Agr. 6 *gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia erat.* — *apud Germanias*] in Chattis, a. u. 794. Dio 60, 8. Plut. G. 3. Suet. G. 3.

non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura rei publicae, sed volgus quoque palam maerere. nec iam recentia saevae pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae, direptiones provinciarum, Pharsaliam Philippos et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina, loquebantur. prope eversum orbem, etiam cum de principatu inter bonos certaretur; sed mansisse G. Iulio, mansisse Caesare Augusto victore imperium; mansuram fuisse sub Pompeio Brutoque rem publicam. nunc pro Othone an pro Vitellio in templa ituros? utrasque impias preces, utraque detestanda vota inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore qui vicisset. erant qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur, et ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clades horrebant. et ambigua de Vespasiano fama solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.

(51) Nunc initia causasque motus Vitelliani expediam. caeso cum omnibus copiis Iulio Vindice ferox praeda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat. diu infructuosam et asperam militiam toleraverant ingenio loci caelique et severitate disciplinae, quam in pace inexorabilem discordiae civium resolvunt, paratis utrimque corruptoribus et perfidia inpunita. viri arma equi ad usum et ad decus supererant. sed ante bellum centurias tantum suas turmasque noverant; exercitus finibus provinciarum discernebantur. tum adversus Vindicem

1 rei . p. 2 merere 4 pars aliā 5 persiā (u *post* per *superscr.* 2*m*) [et Perusiam ac Mutinam] *E. Grunauer* claudiū 7 cęsarē *notam del.* 1*m* 8 rem . p. othonē *notam del.* 1*m* 9 tēplo 13 principū Imelius 14 mu|tus 15 Nūc *notam del.* 1*m* 18 mallebat 19 toleraberant *librarius scripturus inter scribendum correxit* 21 dedecus

50. *pars*] qui partem aliquam publicorum negotiorum administrabant; *cura* autem sincerus patriae amor. — *Pharsaliam*] proprie est tractus, in quo Pharsalus sita erat (2, 38 *in Pharsalia ac Philippis.* Ov. metam. 15, 822 *Illius auspiciis obsessae moenia pacem Victa petent Mutinae, Pharsalia sentiet illum, Emathiaque iterum madefient caede Philippi*). *Pharsali*, Caesar in Pompeium a. 706, *Mutinae* (quae pr. ante *Philippos* et *Perusiam* ponenda fuisset), res publica in M. Antonium a. 711, *Philippis*, Octavianus in Brutum et Cassium a. 712, *Perusiae*, Octavianus in L. Antonium, triumviri fratrem, a. 713. — *Vespasianum et arma Orientis*] exercitum Iudaicum; atque insuper Mucianum, qui Syriam obtinebat, illi favere notum erat. — *ambigua de Vespasiano fama*] maxime propter avaritiam. — *in melius*] Ausonius Tetrast. 10: de Vespasiano: *Olim qui dubiam privato in tempore famam, Rarum aliis, princeps transtulit in melius.* Lips.

51. *Iulio Vindice*] c. 6. — *expeditionem et aciem*] ἓν διὰ δυοῖν pro *bellum.* „Additurus *cupiebat* vel simile aliquid constructionem mutat, quasi dixisset *expeditionem quam otium.*“ Duebn. — *praemia*] novam praedam ac donativum. Ann. 1, 16: *et ex civili bello spem praemiorum ostendebat.* — *ad decus*] c. 57 iisdem tribuit: *balteos phalerasque, insignia armorum argento decora.* — *supererant*] ut c. 83. Agr. 45. Germ. 6. 26. Ann. 14, 54. — *discernebantur*] Et superior et inferior exercitus suarum provinciarum (superioris et

contractae legiones seque et Gallias expertae quaerere rursus arma novasque discordias; nec socios, ut olim, sed hostes et victos vocabant. nec deerat pars Galliarum, quae Rhenum accolit, easdem partes secuta ac tum acerrima instigatrix adversum Galbianos: hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant. igitur Sequanis Aeduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo, super avaritiam et arrogantiam, praecipua validiorum vitia, contumacia Gallorum inritati, qui remissam sibi a Galba quartam tributorum partem et publice donatos in ignominiam exercitus iactabant. accessit callide volgatum, temere creditum decumari legiones et promptissimum quemque centurionum dimitti. undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama; infensa Lugdunensis colonia et pertinaci pro Nerone fide fecunda rumoribus. sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris odio metu et, ubi vires suas respexerant, securitate. (52) sub ipsas superioris anni kalendas Decembres Aulus Vitellius inferiorem Germaniam ingressus hiberna legionum cum cura adierat. redditi plerisque ordines, remissa

1 contractae *Rhenanus:* confractę rursūs *notam del.* 1*m* 3 qua herenū 4 acerrimā *notam del.* 1*m* 7 pęnatium hauser̃ (hauserant *Al. Ruperti*) super] s *cum lineola curvata in* s 9 publicę 11 quenq; 12 //sinistra (*litt.* s *erasa videtur*) lugdonensis 13 facunda 15 ipsa 15/16 kl dec. *cum lin. transversis in* l *et* d

inferioris Germaniae) finibus continebantur. Duebn. Ceterum ad v. *noverant* supple „singuli milites“. Etenim falsa est Acidalii atque Rupertii distinctio: *noverant exercitus; finibus* etc. — *seque et Gallias*] „Cum usu didicissent se esse fortiores Gallis, quos vicissent, novum cum ipsis bellum certa victoriae spe optabant.“ Ern. — *Galbianos*] nimirum eos Gallos, quos Vindex pro Galba concitaverat. Duebn. Iam vero hos, qui Vindicem amiserant propter cladem ab omnibus iam fastiditum, *Galbianos* adversarii appellabant quasi vilius etiam hoc esset nomen quam *Vindicianorum.* — *Sequanis*] quorum caput Vesontio, *Besançon;* eorum tractus hodie *Franche-Comté*, *Bourgogne* et pars Alsatiae. — *Aeduis*] gens Galliae Lugdunensis, continui Sequanis; eorum caput Augustodunum, hodie *Autun.* — *hauserunt animo*] cupidissime appetiverunt; *ihr Gemüth lechzete darnach* Gutmann, *ils dévoraient en espoir les villes* cet. Louandre. cf. ad c. 8. — *et publice donatos*] scil. civitate Romana (c. 8) et agris, quos Galba Treviris aliisque eripuit. Duebn. De agris donatis dubitant Ferlet et Burnouf; nusquam enim disertis verbis tradere Tacitum. Sed *fines* adempti quibusdam civitatibus (c. 8. 53) cuinam assignari poterant quam vicinis Galbae sequacibus, ex ratione tunc recepta Gallias sub dicione Romani imperii administrandi? Infelicissima est Bipontinorum coniectura ab Oberlino recepta: *eos publice damnatos.* In eam autem inciderunt, quia parum intellegebant vv. *in ignominiam exercitus*, videlicet Germanici sub Verginio, propterea offensi, et quia nulla praemia accepisset et quia ipsius sequaces per Gallias a Galba multati essent. Iungo igitur vv. *in ignominiam exercitus* cum v. *iactabant*, non quemadmodum alii cum v. *donatos.* — *pro Nerone fide*] Nero enim cladem Lugdunensem (Sen. ep. 91) quadragies sestertio solatus erat. Ann. 16, 13 et infra c. 65.

52. *superioris anni*] a. u. 821, p. Chr.

ignominia, adlevatae notae; plura ambitione, quaedam iudicio, in quibus sordes et avaritiam Fontei Capitonis adimendis adsignandisve militiae ordinibus integre mutaverat. nec consularis legati mensura, sed in maius omnia accipiebantur. et *ut* Vitellius apud severos humilis, ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena; simul aviditate ei parendi ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali et strenui. sed profusa cupidine et insigni temeritate legati legionum Alienus Caecina et Fabius Valens; e quibus Valens infensus Galbae, tanquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium ardorem militum ostentans: ipsum celebri ubique fama, nullam in Flacco Hordeonio moram; adfore Britanniam, secutura Germanorum auxilia; male fidas provincias,

1 plurā *sed nota erasa* 2 sordes *Acidalius:* sorde (sordem *dett.*) adsignandissuę (*prius* s *del.* 1*m*) 4 ut *add. Rhenanus* (et Vitellius ut *Agricola*) 6 ei parendi *Meiser:* Imperandi (*syll.* ra *vel evanida vel erasa*), impetrandi *Agricola*, imperi dandi *Nipperdey* 9 et Fabius] et | bius 11 obtentans 12 nulla 13 adforē brittanniam secuturā (*notam del.* 1*m*) malę

68. — *ignominia*] ignominiosa missio eorum, qui tamen post eam in Germania remanserant. cf. Suet. Vit. 8. — *adlevatae notae*] quas diligenter locupletibus semper testibus usus enumerat Lipsius de Mil. Rom. 5, 18. V. c. ut eis hordeum pro tritico daretur, ut *aere diruti* fierent, ut extra vallum tenderent, ut toga laciniis abscissis amicti decinctaque tunica induti a mane in noctem usque ad principia adessent, ut discincti fossam foderent, reliquo exercitu spectante. — *sordes*] c. 60 *per avaritiam ac sordes.* c. 84 *sordes et obscuritatem.* cf. *Sirker* Tacit. Formenlehre p. 27. — *integre*] dignis reddens, indignis adimens, sine gratiae aut quaestus respectu. Ern. — *mensura*] „Nec vero militum existimatione solitus erat consularis legatus, ut ceteri huius gradus; sed iamiam eum ad superiorem posse aspirare opinabantur, ipse tandem fortasse ut principatu dignus iudicaretur.“ — *humilis*] Vitellius recta aestimatione hominum gravium et disciplinae studiosorum nimis se demittebat abiciebatque et indignis persona sua ac propemodum vernilibus blanditiis utebatur. Suet. V. 7: *Tota via caligatorum quoque militum obvios exosculans; perque stabula ac deversoria mulionibus ac viatoribus praeter modum comis, ut mane singulos, iamne ientassent, sciscitaretur seque fecisse ructu quoque ostenderet.* Hanc vilitatem sui illi *comitatem* vocabant, quemadmodum etiam *bonitatem* appellabant, *quod sine modo, sine iudicio donaret sua, largiretur aliena.* Nempe *bonitas* est Tacito liberalitas vel munificentia, quemadmodum alibi *malitiam* dicit pro avaritia, ut A. 13, 30 et 15, 21. Gron. — *aviditate ei parendi*] talem parendi aviditatem, quamquam de Othone, bene describit Plutarchus Otho 17 fin. ἀλλ᾽ ἔοικε μηδενὶ τῶν πώποτε τυράννων ἢ βασιλέων δεινὸς οὕτως ἔρως ἐγγενέσθαι καὶ περιμανὴς τοῦ ἄρχειν, ὡς ἐκεῖνοι τοῦ ἄρχεσθαι καὶ ὑπακούειν Ὄθωνος ἠράσθησαν. cf. 2, 19 *obsequium et parendi amor.* — *mali*] immodesti, oppositi *modestis* illis. — *strenui*] *Strenuus* est δραστήριος, promptus ad quidvis audendum; neque semper bonam in partem dicitur. Ern. — *Caecina*] Hic primum a Tacito memoratur; *Fabius Valens* c. 7. — *cunctationem*] cum aliquantisper haesitasset, utrum Galbae principatum cederet, an ipse eo potiretur, illud tandem praetulit. c. 8: *nec statim pro Galba Verginius.* — *ingrate tulisset*] a se accepisset, sibi deberet, neque tamen praemio digno se affecisset. Ern. — *Hordeonio*] superioris exercitus le-

precarium seni imperium et brevi transiturum. panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret. merito dubitasse Verginium equestri familia, ignoto patre, inparem, si recepisset imperium, tutum, si recusasset. Vitellio tres patris consulatus, censuram, collegium Caesaris et inponere iam pridem imperatoris dignationem et auferre privati securitatem. (53) quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis quam ut speraret. at in superiore Germania Caecina decorus iuventa, corpore ingens, animi inmodicus, scito sermone, erecto incessu studia militum inlexerat. hunc iuvenem Galba, quaestorem in Baetica inpigre in partes suas transgressum, legioni praeposuit; mox compertum publicam pecuniam avertisse ut peculatorem flagitari iussit. Caecina aegre passus miscere cuncta et privata volnera rei publicae malis operire statuit. nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat. et Treveri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur; unde seditiosa colloquia et inter paganos corruptior miles, et in Verginium favor cuicumque alii profuturus. (54) miserat civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus dextras, hospitii insigne. legati

1 p̄carib (b *in* ū *mutat* 1*m*) 2 fortuna (ę *super* a *scr.* 1*m*) 3 titū 7 ad decorus *Baiter:* decori (decora *dett.*) 8 scito *Lipsius:* cito 9 galbā *notam del.* 1*m* 10 // mox 11 id Caecina *Heinsius* 12 rei . p. 14 galba 15 Inferiorib; (b; *in* s *mutat.* 1*m*) 19 uergenium fabor (b *in* v *mutat* 1*m*) longonū (*pr.* o *in* i *mutat* 1*m*)

gato, homine *sine constantia, sine auctoritate.* c. 9. — *precarium*] quasi precibus concessum ac propterea, quandocunque lubeat, rursus adimendum, non in ipsius potentia situm atque firmum. cf. A. 1, 42. — *panderet modo sinum*] Nonnulli volunt tropum esse a velis passis ductum. Ovid. A. A. 3, 500: *Plenaque curvato pandere vela sinu.* Quintil. 12, 10, 37: *validior spiritus nostros sinus tendat.* Id. 6, 1, 52: de oratoribus: *asperis evecti tuto pandere possumus vela.* Ita ut explicemus, nos inducere possunt seqq. vv. *et — occurreret.* At magis placet imaginem repetere ab eo, qui togae sinu expasso ad accipiendum donum insperatum vel avide exspectatum *occurrit*, obviam currit illi, qui offert. — *collegium Caesaris*] Claudii, cuius collega bis Lucius pater fuerat in consulatu a. u. 796 et 800. Consulatus autem eius primus incidit in a. 787 cum Paullo Fabio Persico. Cum Claudio item censuram gesserat. Suet. Vit. 2.

53. *scito*] Med. *cito* restituit Duebner. „Ciceroni est,“ inquit, „eloquendi celeritas.“ At de Or. 3, 57 § 216: *vox acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva;* in quibus omnibus neque laus inest neque vituperatio; nec vero *citus sermo* ad studia hominum illicienda per se aptus nisi adiuncta eloquentia. — *Treveri*] populus Germanicus inter Rhenum et Mosam, hodie *Trier*, *Trèves.* — *Lingones*] populus Galliae Lugdunensis, in ripis Sequanae, hodie *Langres.* — *paganos*] Ita appellantur omnes, qui non sunt milites, etiam oppidorum incolae. Duebn. cf. Hist. 3, 24. Plin. Epp. 10, 18: *et milites et pagani.* Iuven. 16, 33.

54. *dextras*] argenteas, et quidem iunctas,

eorum in squalorem maestitiamque compositi per principia per contubernia modo suas iniurias modo vicinarum civitatium praemia et, ubi pronis militum auribus accipiebantur, ipsius exercitus pericula et contumelias conquerentes accendebant animos. nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus abire legatos, utque occultior digressus esset, nocte castris excedere iubet. inde atrox rumor, adfirmantibus plerisque interfectos ac, nisi ipsi consulerent, fore ut acerrimi militum et praesentia conquesti per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur. obstringuntur inter se tacito foedere legiones; adsciscitur auxiliorum miles, primo suspectus, tanquam circumdatis cohortibus alisque impetus in legiones pararetur, mox eadem acrius volvens, faciliore inter malos consensu ad bellum quam in pace ad concordiam. (55) inferioris tamen Germaniae legiones sollemni kalendarum Ianuariarum sacramento pro Galba adactae, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus, ceteri silentio proximi cuiusque audaciam expectantes, insita mortalibus natura propere sequi quae piget inchoare. sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum. primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbae imagines iecerint: quinta decuma ac sexta decuma legiones nihil ultra fremitum et minas ausae initium erumpendi circumspectabant. at in superiore exercitu quarta ac duoetvicesima legiones isdem hibernis tendentes ipso kalendarum Ianuariarum die dirumpunt imagines Galbae, quarta legio promptius, duoetvicensima cunctanter, mox consensu. ac ne reverentiam imperii exuere viderentur, senatus populique Romani obliterata iam nomina sacramento advocabant, nullo legatorum tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius

1 mestitiamque 2 Insuas (In *delendum lineola notat* 2*m*) 7 ni sibi *Rhenanus*, ni sibi ipsi *Halm* 8 conquęsti 9 fędere 11 legione 13 kl *cum linea transversa in* l 16 pigit 17 saxe *librarius scripturus* e *in* a *mutavit* 19 nichil fremitu 20 hisdē 21 kl *cum lin. transversa in* l dirrūpunt (diruunt *vel* deripiunt *Acidalius*, derumpunt *Ritter*) 22 promptus (i *superscr.* 2*m*) duo et uicesima (n *superscr.* 1*m*) 24 sacramta (*ult.* a *in* o *corr.* 1*m*)

hospitii, fidei, pacis, concordiae (H. 2, 8) insigne; quales visuntur in nummis Iulii Caesaris apud Akerman I. p. 106: *PAX. S. C.* et in M. Antonii, ubi caduceum tenent. Ibid. p. 26. (Sic etiam apud Graecos. Xenoph. Ages. 3, 4: δεξιὰν πέμποντι. Anab. 2, 4, 1: δεξιὰς ἔνιοι παρὰ βασιλέως ἔφερον.) — *consulerent*] „*Consulere* interdum absolute dicitur sine dativo pro prospicere, mederi malis.“ Ern.

55. *quae piget inchoare*] cf. H. 2, 80: *dum quaeritur tempus locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox.* Lips. — *dirumpunt*] scindunt, frangunt in partes. Dolabris enim instructus miles quamcunque materiem *dirumpere* valebat. Florus 4, 10: *sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, cum argentum eius passim dolabris concideretur, — perfugit in Syriam.* Ryck. — *ut in tumultu*] sc. fieri solet. cf. c. 4. A. 1, 65. —

turbantibus. non tamen quisquam in modum contionis aut suggestu locutus: neque enim erat adhuc cui inputaretur. (56) spectator flagitii Hordeonius Flaccus consularis legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus, sed segnis pavidus et socordia innocens. quattuor centuriones duoetvicensimae legionis, Nonius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbae imagines, impetu militum abrepti vinctique. nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.

Nocte quae kalendas Ianuarias secuta est in coloniam Agrippinensem aquilifer quartae legionis epulanti Vitellio nuntiat quartam et duoetvicensimam legiones proiectis Galbae imaginibus in senatus ac populi Romani verba iurasse. id sacramentum inane visum: occupari nutantem fortunam et offerri principem placuit. missi a Vitellio ad legiones legatosque, qui descivisse a Galba superiorem exercitum nuntiarent: proinde aut bellandum adversus desciscentes aut, si concordia et pax placeat, faciendum imperatorem; et minore discrimine sumi principem quam quaeri. (57) proxima legionis primae hiberna erant et promptissimus e legatis Fabius Valens. is die proximo coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus imperatorem Vitellium consalutavit. secutae ingenti certamine eiusdem provinciae legiones; et su-

4 cohartari 5 duo et uincesimę (n *del. et super* e *scr.* 1*m*) 7 abrecti 9 Inde 10 kl *cum lin. transversa in* l 11 quarte 18 queri 19 proximo] *in marg.* al. postero 2*m* agrippiniensē 20 gressus

aut suggestu] De his vv. sine ulla causa in dubium vocatis rectissime disputavit Doederlein: „Hic ablativus restituendus est, sine praepositione, quam addere in promptu fuit, *e* vel *pro* vel *in* vel *de*. In omittendis tam levibus orationis particulis prope dixerim nihil non ausum esse Tacitum, ut brevitati et ponderoso numero consuleret. cf. 3, 29: *Cum — superiacta tela testudine laberentur.* 5, 23: *Gallia adventantes.* 3, 15: *et Britannia Galliaque et Hispania auxilia Vitellius acciverat.* Nedum Rittero accedam vv. *aut suggestu* pro more suo prorsus eicienti tamquam glossema vv. *in modum contionis.* Nam duas ac diversas res tunc factas esse negat Tacitus: primum a nemine iustam orationem vel *contionem* habitam esse, id quod vel e plano vel super humeris proximorum fieri potuisset, ut a Vibuleno Ann. 1, 22; deinde non *suggestum* exstructum esse, unde aliquis vel brevibus verbis turbidos alloqueretur."

56. *ruentes*] caeco impetu abreptos ac tumultuantes. Liv. 3, 11, 10: *accusator pati reum ruere*, turbas concitare. — *socordia innocens*] ipse seditionis expers, culpa vacuus, sed tantum ob socordem ignaviam. Duebn. Prorsus similis Faenii Rufi *segnis innocentia* A. 14, 51. Mirum est I. Fr. Gronovium voluisse *nocens* et hoc melius visum esse Ernestio. — *sacramenti*] quod per Verginium Galbae praestiterant post interitum Neronis. Duebn. — *unde plures*] „a quibus partibus plures stabant, his omnes accesserunt." Bach. — *nutantem*] quasi ipsam dubitantem quo se vertat; adhuc incertam, illique fauturam, qui primus eam occupasset.

57. *legionis primae*] 4, 25: *Bonnam, hiberna primae legionis.* cf. ibid. c. 19. —

perior exercitus speciosis senatus populique Romani nominibus relictis tertium nonas Ianuarias Vitellio accessit: scires illum priore biduo non penes rem publicam fuisse. ardorem exercituum Agrippinenses Treviri Lingones aequabant auxilia equos arma pecuniam offerentes, ut quisque corpore opibus ingenio validus. nec principes modo coloniarum aut castrorum, quibus praesentia ex affluenti et parta victoria magnae spes, sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora, loco pecuniae tradebant instinctu et impetu et avaritia. (58) igitur laudata militum alacritate Vitellius ministeria principatus per libertos agi solita in equites Romanos disponit; vacationes centurionibus ex fisco numerat; saevitiam militum plerosque ad poenam exposcentium saepius adprobat, raro simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus procurator Belgicae statim interfectus; Iulium Burdonem Germanicae classis praefectum astu subtraxit. exarserat in eum iracundia exercitus, tanquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset. grata erat memoria Capitonis; et apud saevientes occidere palam, ignoscere non nisi fallendo licebat. ita in custodia habitus et post victoriam demum stratis iam militum odiis

2 tertio *ed. princ.* 3 pęnes rem. p. agrippienses 4 pecunia (s *del. et notam litterae* m *add.* 1*m*) 5 corporeo (*ult.* o *del.* 2*m*) ualidis colaniarum (*corr.* 1*m*) 7 falerasq; 11 sevitiam 12 pęnā sepius raro *Iacob:* paro 13 belligicę 14 burdunem 17 sevientes 18 stratis *dett.:* statis (satiatis *Freinsheim*, sedatis *Döderlein*, fractis *Meiser*)

III. Nonas Ian.] 3. die Ianuarii. — *penes rem publicam*] a partibus rei publicae, libertatis. Duebn. — *ingenio*] *Erfindungsgabe*, sollertia, qua qualiacumque auxilia et instrumenta belli excogitabant. — *coloniarum aut castrorum*] Illi sunt decuriones, etiam ceteri ditiores (*Häuptlinge*); hi tribuni, praefecti castrorum, signiferi, aquiliferi, optiones cet., ut recte Savilius. Alii tamen volunt esse *Burgen, châteaux*, pro *castellorum;* verum hoc vix probandum, quippe nimis ambiguum. — *ex affluenti*] Graecum ἐκ περιττοῦ, pro adiectivo, affluentia. Duebn. Sic *ex abundanti* Quintil. 4, 5, 15 *ex facili* 3, 49. Agric. 15. cf. omnino Hand Turs. II. p. 653 seqq. *Draeger* Synt. § 96. — *phalerasque*] ornamenta et equorum et virorum. Silius 15, 255: *phaleris hic pectora fulget; Hic torque aurato circumdat bellica colla.* — *instinctu et impetu*] haec iungenda sunt, quibus alterum membrum additur *et avaritia:* quod ut magis appareat, Wölfflin scribit *vel avaritia.* cf. Ann. 14, 16 *impetu et instinctu.* Hist. 2, 46 *furore quodam et instinctu.* — *avaritia*] quod crederent se quae darent cum ingenti lucro recepturos. cf. 2, 84: *Mucianus largus privatim, quod avidius de re publica sumeret.* Freinsh.

58. *in equites Romanos*] ut horum favorem sibi primo quoque tempore conciliaret; libertorum fidem aliis donis firmare iam poterat, uti Asiaticum, *foedum mancipium, honoravit anulis* 2, 57., *primo imperii die*, ait Suetonius V. 12. Nisi vero hoc dicit, quia non satis libertorum cum maxime apud se habuerit, eo rem devenisse, ut tunc imponenda essent equitibus Romanis talia ministeria, etiamsi huic ordini minus convenientia. Rem sane tunc insolitam fuisse monstrat Spartian. in Hadriano 22: *Ab epistulis et a libellis primus equites Romanos habuit.* — *vacationes*] cf. 1, 46. Ann. 1, 17. 35. — *saepius — raro*] Germ. 22 *raro conviciis, saepius caede*, 42 *raro armis nostris, saepius pecunia.* — *Pompeius Propinquus*] cf. c. 12. — *Fonteio Capitoni*] cf. c. 7. — *stratis*] sedatis,

dimissus est. interim ut piaculum obicitur centurio Crispinus; sanguine Capitonis *se* cruentaverat eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit. (59) Iulius deinde Civilis periculo exemptus, praepotens inter Batavos, ne supplicio eius ferox gens alienaretur. et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartae decimae legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressae, prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium centuriones, de quibus supra rettulimus, occidi iussit, damnatos fidei crimine, gravissimo inter desciscentes. accessere partibus Valerius Asiaticus Belgicae provinciae legatus, quem mox Vitellius generum adscivit, et Iunius Blaesus Lugdunensis Galliae rector cum Italica legione et ala Tauriana Lugduni tendentibus. nec in Raeticis copiis mora, quo minus statim adiungerentur. ne in Britannia quidem dubitatum. (60) praeerat Trebellius Maximus per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. accendebat odium eius Roscius Caelius legatus vicensimae legionis, olim discors, sed occasione civilium armo-

1 qui se sanguine *dett.* (is se sanguine *Haase*) 2 capitoni|s se *add. Iac. Gronovius* 4 batabos *librarius scripturus poster.* b *in* u *mutat* 9 disciscentes (*item ed. princ.*) 10 quē̜ 11 blesus 12 reticis 13 brittania 14 trebellin; sorde

placatis. Sic Statius Silv. 2, 5, 1 ad Domitiani leonem: *Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?* Aeschylus Prom. 193: τὴν ἀτέραμνον στορέσας ὀργήν. Thucyd. 6, 18: ἵνα Πελοποννησίων τε στορέσωμεν τὸ φρόνημα.

59. *Iulius Civilis*] Sic eum appellant etiam Plut. Ἐρωτ. p. 770 et Frontinus Strat. 4, 3, 14. Sed infra 4, 13: *Claudius Civilis* vocatur; unde Ryckius integrum putat fortasse nomen ei fuisse *Claudio Iulio Civili.* Et quidem iam hac aetate idem interdum duplex nomen gentile gerit, ut c. 60: *Roscius Caelius.* Ceterum diversus sane ab hoc Civile alter ille in inscr. Eboracensi apud Grut. 87, 2: *BELATV|| CADRO ||IVL. CI||VILIS|| OPTio|| V.S.L.M.* — *quartae decimae legionis*] quam e Britannia acciverat Nero 2, 11. 66; verum, ut ex hoc loco colligitur, eius auxilia in civitate Lingonum relicta erant. — *momentum*] Lucan. 4, 819: *Momentumque fuit mutatus Curio rerum.* Lips. — *supra*] c. 56. — *Valerius Asiaticus*] fortasse filius eius, de quo A. 11, 1. Ryck. — *Iunius Blaesus*] Ann. 6, 40 duo Blaesi voluntario exitu cecidisse narrantur, quorum alterutrius hic noster filius est. *Nipperdey* ad Ann. 6, 40. — *Italica legione*] Prima Italica tunc in Gallia tendebat. — *ala Tauriana*] „ala I Flavia Gallorum Tauriana vel I Gallorum Tauriana nota est e duobus titulis Africanis (CILVIII 2394, 2395) eidem Sertio M. Plotio Fausto praefecto alae I Flaviae Gallorum positis; certi tamen ex iis nihil de ala possumus afferre, quia M. Plotius Faustus ille tum, cum tituli dedicati sunt, postquam militare desiit, sacerdos urbis Thamgadi erat. haud scio an haec ala eadem sit, quae a Tacito dicitur ala Tauriana, quae cum legione Italica Lugduni tendens inter eas copias recensetur, quae ad Vitellii partes transierint. denominatam esse alam Henzenus (Jahrb. d. Ver. v. Alt. im Rhnld. vol. XIII p. 79) recte suspicari mihi videtur a Tauro quodam, qui vel constituit alam vel aliquamdiu ei praefuit.“ *Ios. Vaders:* de alis exercitus Romani etc. Halis Saxonum a. 1883 p. 30.

60. *Trebellius Maximus*] A. 14, 46. Agr. 16. — *avaritiam ac sordes*] cf. c. 52 *sordes et avaritiam.* — *Roscius Caelius*] cui succes-

rum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat, cum interim foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta eoque discordiae ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus et adgregantibus se Caelio cohortibus alisque desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit. quies provinciae quanquam remoto consulari mansit: rexere legati legionum, pares iure, Caelius audendo potentior.

(61) Adiuncto Britannico exercitu ingens viribus opibusque Vitellius duos duces, duo itinera bello destinavit. Fabius valens allicere vel, si abnuerent, vastare Gallias et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere, Caecina propiore transitu Poeninis iugis degredi iussus. Valenti inferioris exercitus electi cum aquila quintae legionis et cohortibus alisque ad quadraginta milia armatorum data; triginta milia Caecina e superiore Germania ducebat, quorum robur legio unaetvicensima fuit. addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias sup-

1 proruperat *super* a *scr.* n 1*m* 2 celius tribellio 3 fęd; 5 celio 7 audiendo 9 brittannico 11 abnuerent *Rhenanus:* abnuerint italia 12 priore *librarius scripturus in* propiore *mutavit* Poeninis *Rhenanus:* pęnnis 13 aquilę *sed* ę *in* a *mut.* 1*m* (*unde* aquilex *ed. princ.*) 15 una et uicesima *dett. et ed. princ.:* una prima et uicensima (unetvicesima *Sirker*)

sor Agricola in Britannia. Agr. 7. — *proruperat*] Roscius in discordiam atque odium adversus Trebellium exercendum. Alii supplent *odium*, id quod haud patiuntur verba praecedentia, imprimis vv. *olim* (iampridem) *discors*.

61. *Britannico exercitu*] 2, 57: *ipse* (Vitellius) *e Britannico delecta octo milia sibi adiunxit.* Et Cremonae in Vitelliano exercitu erant vexilla nonae secundaeque et vicesimae Britannicarum legionum. 3, 22. „Etiam reliquum exercitum Britannicum secutum clarissime patet ex eo, quod Vitellius in Trebellii Maximi locum paullo post miserit Vettium Bolanum (2, 65), qui ab exercitu agnitus, auditis postea Vespasiani molitionibus, ambiguus factus est. (2, 97.)" Ryck. — *Cottianis*] quibus Delphinatus dirimitur a Pedemontio, *mont Viso*, *mont Genèvre, mont Cenis;* olim *Cottianae* sive *Cottiae* c. 87 vocabantur a Cottio rege, cuius regia fuit Segusium, hodie *Susa.* — *Poeninis iugis*] *le grand Saint-Bernard.* Liv. 21, 38, 9: *Neque hercule montibus his — ab transitu Poenorum ullo Seduni Veragri, incolae iugi eius, nomen norint inditum, sed ab eo, quem in summo sacratum vertice Poeninum montani appellant.* In Inscr. m. Lat. NN. 228—246 constanter est *POENINO* vel *IOVI POENINO*, semel N. 247: *DEO PENINO.* — *quintae legionis*] Alaudae. Quod autem dicit *cum aquila*, circum quam sane stabat robur legionis, nolim tamen cum Rittero interpretari de tota legione; cur enim tam insolite scripsisset pro *cum quinta legione?* Sed significari puto cohortes saltem auxiliarias in Germania inferiore relictas esse unaque certum numerum Romanorum militum eiusdem legionis, uti constare Burnouf arbitratur ex 4, 35: *mille delectos e quinta et quinta decima legionibus apud Vetera obsessis.* Ac sane vix credibile tam cito post Vitellii interitum *aquilam legionis quintae*, quae hic inter Vitellianos memoratur, in Germaniam remitti potuisse. — *unaetvicensima*] Rapax, quae Vindonissae in Helvetia tendebat. Eius mentio in lateribus ibi repertis. Inscr. m. Lat. N. 440. de scriptura loci cf. *Sirker* Tacit. Formenlehre p. 41. — *Germanorum auxilia*] etiam Transrhenanorum. 2, 17; ple-

plevit, tota mole belli secuturus. (62) mira inter exercitum imperatoremque diversitas. instare miles, arma poscere, dum Galliae trepident, dum Hispaniae cunctentur: non obstare hiemem neque ignavae pacis moras; invadendam Italiam, occupandam urbem; nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis quam consulto opus esset. torpebat Vitellius et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat, medio diei temulentus et sagina gravis, cum tamen ardor et vis militum ultro ducis munia implebat, ut si adesset imperator et strenuis vel ignavis spem metumve adderet. instructi intentique signum profectionis exposcunt. nomen Germanici Vitellio statim additum: Caesarem se appellari etiam victor prohibuit. laetum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit; longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritae alitis fuit, ut haud dubium magnae et prosperae rei omen acciperetur. (63) et Treviros quidem, ut socios, securi adiere. Divoduri (Mediomatricorum id oppidum est) quanquam omni comitate exceptos subitus

1 mira inter *dett.*: mirante 3 ignaue 4 ciuilibus *dett.*: uilibus 5 festinatius | ne tutius (*corr.* 2*m*) 6 fortuna Inmerti 9 metūqıę (*sic*) *librarius* q; *scripturus* q *in* uę *mutavit inferiore parte litterae* q *lineola deleta* 10 Nom̄ addito (v̄ *superscr.* 2*m*) cesarē 11 ualentē (*corr.* 1*m*) 12 exercitui quę profectiones 13 leni *Acidalius*: leui 14|15 Int̄rita | ea litis 15 omen *dett.*: nom̄ accipiretur

raque tamen videntur esse delecta inter Germanos Cisrhenanos.

62. *neque ignavae pacis moras*] Referuntur haec ad Vitellii torporem per βραχυλογίαν quasi dixisset: „haud diutius se passuros tantam ignaviam, quasi pax adhuc esset, cum contrarias iam partes amplexi essent.“ (Doederlein sic distingui iubet: „*non obstare hiemem; neque ignavae pacis moras!*“ ἀποσιωπητικῶς, scilicet „ferendas esse, ut Ann. 14, 57: *nec ultra moras*,“ ubi nos *mora* sublata geminatione litterae *s* orta ex seq. v. *Sulla*.) — *sagina gravis*] Suet. V. 13: *Ut autem homo non profundae modo, sed intempestivae quoque ac sordidae gulae ne in sacrificio quidem umquam aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus et farra paene rapta e foco manderet, circaque viarum popinas fumantia obsonia, vel pridiana atque semesa.* Adde Dionem 65, 2 seqq. — *cum tamen — implebat*] de indicativo particulis *cum tamen* iuncto cf. *Draeger* Synt. § 164, exemplis ab Heraeo collectis adde Vergil. Aen. 10, 508 *Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert, Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!* 9, 513. Ovid. metam. 12, 587 *Cum tamen ille — Vivit adhuc.* — *Caesarem*] Hinc in nummis ab eo Romae signatis vocatur tantum *AVGVSTVS*. cf. Akerman I p. 176—180. (Aegyptium nummum cum elogio *Caesaris* exhibet Pellerin in *Mélange* I. Tab. 13. Vide Eckhel D. N. IV p. 56 et VI p. 309. cf. et infra 2, 62 et 3, 58. Suet. V. 8. Oberlin.) — *meatu*] poetice dictum de volatu semper aequabili, ut Ann. 6, 28 *ubi par oneri, par meatui sit* (avis phoenix). Petron. Sat. 122 v. 177 *Haec ubi personuit, de caelo Delphicus ales Omina laeta dedit pepulitque meatibus auras.* Silius 12, 102 *pro nubivago — meatu.*

63. *Divoduri*] hodie *Metz*, quod nomen oppido venit ex *Mediomatricorum* populo Gal-

pavor terruit, raptis repente armis ad caedem innoxiae civitatis, non ob praedam aut spoliandi cupidine, set furore et rabie et causis incertis eoque difficilioribus remediis, donec precibus ducis mitigati ab excidio civitatis temperavere: caesa tamen ad quattuor milia hominum. isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universae civitates cum magistratibus et precibus occurrerent, stratis per vias feminis puerisque, quaeque alia placamenta hostilis irae non quidem in bello sed pro pace tendebantur. (64) nuntium de caede Galbae et imperio Othonis Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. nec militum animus in gaudium aut formidine permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. proxima Lingonum civitas erat fida partibus. benigne excepti modestia certavere. sed brevis laetitia fuit cohortium intemperie, quas a legione quarta decima, ut supra memoravimus, digressas exercitui suo Fabius Valens adiunxerat. iurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in praelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset.

1 raptis repente *a b:* raptisae | repente (ae *in fine versus per errorem additae sunt, delendas esse corrector lineola in litt.* e *indicavit cf. quae de hoc loco in Fleckeiseni annal. a.* 1882 *p.* 138 *disputavi*) derepente *Io. Fr. Gronovius* cedē 2 cupidinē *notam del.* 1*m* set] et furorē *notam del.* 1*m* rabię 4 ad] a 9 leucorum *ed. princ.:* leuchrorū 10 formidinē 2*m* volvebant *Heinsius* (volebant *Graevius*) et] est *Halm*, etenim *Nipperdey* 12 excepiti (*pr.* i *del.* 1*m*) 13 Intēperię (*notam infra* e *del.* 2*m*) 13/14 quattuordecī 15 adiuncxerat rixae *O. Güthling* batabos *librarius scripturus post.* b *in* u *mutavit* 16 is 17 animaduersionē *notam del.* 1*m*

liae Belgicae ad Mosellam. — *raptis — armis*] de usu ablativi absoluti cf. *Draeger* Synt. § 209. — *temperavere*] se continuerunt, eadem constructione, qua Verg. Aen. 2, 8: *quis — temperet a lacrimis?* — *magistratibus et precibus*] magistratibus praecedentibus et una cum reliqua multitudine veniam precantibus. pro *precibus* Wex proponebat *principibus.* et mire sane Tac. *cum magistratibus et precibus* coniunxit, sed sunt aliae eiusmodi iuncturae, quae non minus offendant, ut 2, 3 *precibus et igne puro altaria adolentur*, 2, 88 *cum terrore et armatorum catervis*, 3, 22 *per iram ac tenebras*, 3, 41 *eo metu et paucis — comitantibus*, 4, 55 *corpore atque adulterio*, 4, 57 *Galbam et infracta tributa.* — *alia placamenta*] infulae et velamenta. c. 66. 3, 31. Adde Cic. Verr. 4, 50 § 110, ubi *infulae et verbenae.* Ovid. A. A. 2, 401: *vittae et laurus.* Ern. Adde Caesar. B. C. 2, 11. — *non quidem in bello*] Erant preces et supplicia, ut in bello; neque bellum erat, sed tamen timebant hostilia et pacem sic orabant. Lipsius.

64. *Leucorum*] populi Galliae Belgicae inter Matronam (*Marne*) et Mosellam, cuius caput *Tullum*, hodie *Toul.* — *formidine*] Rursus variata constructione, quae oblitterari haud debebat. — *Lingonum*] cf. c. 53 et 54. — *cohortium*] Batavorum. c. 59. — *iurgia primum*] Ex v. *exarsere* per zeugma elicienda ad haec vv. *orta sunt.* — *imperii*] ad utrumque verbum pertinet et *oblitos* et *admonuisset.*

frustra adversus Aeduos quaesita belli causa: iussi pecuniam atque arma deferre gratuitos insuper commeatus praebuere. quod Aedui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. sed legio Italica et ala Tauriana abductae: cohortem duodevicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens legatus Italicae legionis, quanquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum.

(65) Veterem inter Lugdunenses *et Viennenses* discordiam proximum bellum accenderat. multae in vicem clades, crebrius infestiusque quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. et Galba reditus Lugdunensium occasione irae in fiscum verterat; multus contra in Viennenses honor. unde aemulatio et invidia et uno amne discretis conexum odium. igitur Lugdunenses extimulare singulos militum et in eversionem Viennensium impellere, obsessam ab illis coloniam suam, adiutos Vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in praesidium Galbae referendo. et ubi causas odiorum praetenderant, magnitudinem praedae ostendebant. nec iam secreta exhortatio, sed publicae preces: irent ultores, excinderent sedem Gallici belli. cuncta illic externa et hostilia: se coloniam

2 deferret (deferrent *ed. princ.*) 3 Italicę *sed* ę *in* a *mut.* 1*m* taurina (v. c. 59) 4 XVIII (decimam octavam *ed. princ*, octavam decimam *Ritter*, *cf. Sirker* Tac. Formenlehre p. 41), tertiam decimam *Th. Mommsen* lugdi|ni 7 ignarū̃s (s *del.* 1*m*) 1—9 *cum scriptura loci vetustate evanida esset, recentissima manus totum locum* (frustra — proximum) *in marg. repetivit ita, ut v.* 2 deferre *corrigeret*, *v.* 4 sibi *omitteret.* 9 et uienenses (*sic*) *in marg. b add.* 2*m* (Viennensesque *Puteolanus*, ac Viennenses *Ritter*) 17 magnitudine 18 exortatio 19 c̄uncta (*nota erasa*) colpniā (*sic; h. e.* colperniam)

Walth. — *Aeduos*] c. 51. — *Lugdunenses gaudio*] ut qui Galbae infensi essent (cf. c. 51 et 65) partes Vitellii tamquam Neronis ultoris libenter amplectebantur. — *cohortem duodevicesimam*] Cohortes singulas praeter legiones habitas (cf. Ann. 1, 8) numero distingui docet etiam locus c. 80, ubi *cohors XVII* memoratur. Walth. aliter *Nipperdey* ad Ann. 3, 41 Mommsenum secutus.

65. *proximum bellum*] Vindicis. — *uno amne*] Rhodano. — *externa et hostilia*] quoniam Vienna antiquum erat oppidum Allobrogum. Strabo 4 p. 185: Οὐίενναν τὴν τῶν Ἀλλοβρίγων μητρόπολιν. Quando autem et quomodo colonia Romana facta sit, parum constat; id quod notandum contra Lipsii ὑπόθεσιν statim afferendam. Ceterum haud improbabile est post Viennensium seditionem, de qua Velleius 2, 121, ad eos in posterum coercendos a Tiberio Viennam deductam esse coloniam; sic rhetorice saltem de *longo tempore* loqui poterat Claudius. — *se coloniam Romanam*] „Quid ergo? non etiam Vienna inter Romanas colonias? Vero pridem. Vel Claudio imperatori credamus in oratione, quam pro Gallis habuit: *Ornatissima ecce colonia valentissimaque Viennensium quam longo iam tempore senatores huic curiae confert!* (Vide Excursum ad Ann. 11, 23.) Sed et noster statim de eadem: *tum vetustas dignitasque coloniae valuit.* Equidem haud satis haec concilio. Nisi si Viennenses prisci, id est, Allobroges sive Galli, donati colonico iure, etsi militibus aut Romanis civibus non deductis, Lugdunum autem contra magnam partem Romanis familiis stetit. Nam

Romanam et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios. si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur. (66) his et pluribus in eundem modum perpulerant, ut ne legati quidem ac duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur, cum haud ignari discriminis sui Viennenses velamenta et infulas praeferentes, ubi agmen incesserat, arma genua vestigia prensando flexere militum animos. addidit Valens trecenos singulis militibus sestertios. tum vetustas dignitasque coloniae valuit et verba Fabi salutem incolumitatemque Viennensium commendantis aequis auribus accepta. publice tamen armis multati privatis et promiscuis copiis iuvere militem. sed fama constans fuit ipsum Valentem magna pecunia emptum. is diu sordidus, repente dives mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus inmoderatus et inopi iuventa senex prodigus. lento deinde agmine per fines Allobrogum ac Vocontiorum ductus exercitus, ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante duce, foedis pactionibus adversus possessores agrorum et magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur. quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. sic ad Alpes perventum.

(67) Plus praedae ac sanguinis per Caecinam haustum. inritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox

2 c̃traderet 3 ne *Io. Fr. Gronovius:* nec 4 posset 5 ignaris 7 uetusta 8 uiensiū 9 auribus *b:* saxurib; (mox auribus *Meiser*) publicę 10 privatis et] privatim *L. Spengel* 12 mutatio | tionē (*sic*) 13 agminine 14 Allobrogūa | ac uocantiorum (*in marg.* conti 2*m*) 15 fędis 20 per Caecinam haustum *Meiser:* p̄ cęcina hausit 21 helueti olim *Rhenanus:* solim

et hic externos immixtos Dio suadet 46, 50 ad a. u. 711, ubi narrat milites Antonii et L. Munatii Planci, ne quid turbarent, a senatu iussos esse τοὺς ἐκ Οὐιέννης τῆς Ναρβωνησίας ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων ποτὲ ἐκπεσόντας καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Ἀράριδος, ᾗ συμμίγνυνται ἀλλήλοις, ἱδρυθέντας συνοικίσαι· καὶ οὕτως ἐκεῖνοι ὑπομείναντες τὸ Λουγούδουνον μὲν ὀνομασθὲν νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον ἔκτισαν." Lips. Ceterum Paulus fr. 8. § 1. D. 50, 15 de Cens.: *Lugdunenses Galli, item Viennenses in Narbonensi iuris Italici sunt.* cf. Puchta *Geschichte des Rechts bei dem röm. Volk. Zweite Aufl. Leipzig* 1845. p. 412 seqq. Id quod non impedit, quo minus iam *longo tempore* ante Claudium Viennensium primoribus, qui domi suae magistratus, v. c. duumviratum iuri dicundo, gessissent, aditus in curiam patuerit. — *si fortuna contra daret*] Idem εὐφημισμός Ann. 15, 13 „si fortuna in contrariam partem iret, faveret adversariis."

66. *Vocontiorum*] populi Galliae Narbonensis, hodie *Dauphiné* et partim *Provence.* Eorum caput Vasio, hodie *Vaison.* — *spatia*] per fines populorum, qui eum corruperant, itinera diurna faciebat maiora, quo citius sumptibus levarentur; apud eos, qui pecunias non solverant, diutius commorabatur. — *Luco*] Lucus Augusti, Plin. 3, 4, 37, hodie *Luc.* — *pecuniae materia*] Non intellegam occasionem, praetextum postulandae, sed facultatem dandae: „ubi propter inopiam pecunia non posset solvi."

67. *olim*] antequam devicti essent a Cae-

memoria nominis clara, de caede Galbae ignari et Vitellii inperium abnuentes. initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicensimae legionis. rapuerant pecuniam missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur. aegre id passi Helvetii, interceptis epistulis, quae nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Caecina belli avidus proximam quamque culpam, antequam paeniteret, ultum ibat. mota propere castra, vastati agri, direptus longa pace in modum municipii extructus locus, amoeno salubrium aquarum usu frequens. missi ad Raetica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios a tergo adgrederentur. (68) illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quanquam primo tumultu Claudium Severum ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere. exitiosum adversus veteranos proelium, intuta obsidio dilapsis vetustate moenibus. hinc Caecina cum valido exercitu, inde Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum iuventus sueta armis et more militiae exercita. undique populatio et caedes. ipsi medio vagi abiectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. ac statim inmissa cohorte Thracum depulsi et consectantibus Germanis Raetisque per silvas atque in ipsis latebris trucidati. multa hominum milia caesa, multa sub corona venundata. cumque dirutis omnibus Aventicum gentis

1 cede 2 una et uicensima (*ult.* a *in* ę *mut.* 1*m*) (unetvicesimae *Pichena*) 3 mis|ssam stipendio *librarius scripturus* o *in* ū *mutavit* 5 eplis *cum lin. transversa in* l 7 quanque 10 retica heluitios 12 quanqua 14 ꝓeliū 15 reticę 16 rethorum undeque 17 nagi (v *super* n *scr.* 2*m*) 19 cohortē *notam del.* 1*m* rhetisq;

sare. — *de caede Galbae ignari*] Tacitus ita dixit pro *caedis Galbae ignari*, ut vitaretur concursus genitivorum ex se pendentium. Rup. — *rapuerant*] ante Caecinae adventum ex Germania; legio Rapax autem tendebat Vindonissae (*Windisch*) haud procul a vico Aquensi. c. 61. — *tuebantur*] contra Germanorum, puto, latrocinia atque incursiones. — *centurionem*] cui mandatum erat, ut epistulas illas in Pannoniam perferret. — *locus*] *vicus Aquensis*, ut est in Inscrr. m. L. N. 457, hodie *Baden* prope Turicum, ad Limagum flumen, in pago Argoviensi. — *in modum municipii*] tanto ambitu atque incolarum frequentia, ut instar municipii alicuius esset. — *amoeno — aquarum usu*] Qualis hic usus fuerit postea per mediam, quam dicunt, aetatem, egregie descripsit Poggius in celebrata illa epistola ad Nicolaum Nicolium missa. Epp. ed. Th. de Tonellis. Vol. I. p. 1.

68. *non arma noscere*] Armis uti nesciebant. Dübn. — *veteranos*] veteres et exercitati milites ad differentiam tironum, non veterani proprie dicti. — *ipsorum Raetorum iuventus*] non conscripta a Romanis, sed ultro ad latrocinium exercendum profecta. — *more militiae*] cf. c. 18. Sall. Iug. 54 *meritos in proeliis more militiae donat.* non opus est *Romanae* (Heinsius et Ritter) vel *nostrae* (Sirker) addere. — *medio*] Puteolanus *in medio* scripsit, at cf. de hoc usu ablativi sine praepositione *Dräger* Synt. § 57. — *montem Vocetium*] partem Iurae, hodie *Boezberg* prope vicum Aquensem, tres fere leucas inde distantem; per quem montem nunc iter a Turico Basileam versus ducit. — *Aventicum*] hodie

caput iusto agmine peteretur, missi qui dederent civitatem; et deditio accepta. in Iulium Alpinum e principibus ut concitorem belli Caecina animadvertit: ceteros veniae vel saevitiae Vitellii reliquit. (69) haud facile dictu est, legati Helvetiorum minus placabilem imperatorem an militem invenerint. civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. ne Vitellius quidem verbis et minis temperabat, cum Claudius Cossus, unus ex legatis, notae facundiae, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit, ut est mos vulgo, mutabilem subitis et tam pronum in misericordiam quam inmodicus saevitia fuerat: effusis lacrimis et meliora constantius postulando impunitatem salutemque civitati impetravere. (70) Caecina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiae Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, laetum ex Italia nuntium

1 capud deder̄ 2 cęcinā *notam del.* 1*m* 3 animā adūtit 4 *post* placa | *folium* 57 *codicis Medicei desinit: omnia a syll.* bilem *usque ad c.* 75 incertum *desunt M., cuius in margine infima recentissima manus adnotavit:* Deest Carta *h. e. unum folium. ad hunc locum iam ante Victorium deficientem post Baiterum contuli duos alios codices Florentinos bibliothecae Laurentianae plutei* 68 *cod.* 4 *et* 5 (*nobis a, b*) *saeculo* 15 *ex M. descriptas, antequam charta illa periisset.* (*cf. Fleckeiseni annal. a.* 1882 *p.* 139 *sqq.*) 5 nouitatis *a b* 6 intemptant *b* et] ac *a* (minis ac verbis *alii*) 7 quum *b* cossutianus *b* e *a* (*non b*) 8 multis *b* (miltis (*sic*) *corr.*) 9 uulgo *alii:* uulgus *a b* mutabile *a b* misericordia *a b* 10 inmodicus *Freinsheim:* īmodicum *a*, in modicum *b* 12 Cecina *a b*

Avenches, Germanice *Wiflisburg*, haud procul a Friburgo, cuius Inscriptiones dedi N. 360—400. Post Flavios deinde gloriosus eius titulus fuit *COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA HELVETIORUM.* Inscr. m. L. N. 363, qui satis demonstrat eam a Vespasiano in damni hoc bello dati levamen factam esse coloniam. Sub Constantio iam desertam testatur Ammianus Marcellinus 15, 11, 12: *Aventicum, desertam quidem civitatem, sed non ignobilem quondam, ut aedificia semiruta nunc quoque demonstrant.* Ryck. Quo tempore ita dirutum sit, parum constat. — *Iulium Alpinum*] de quo illa inscriptio N. 400 tantopere celebrata ab Io. de Mueller et Byronio: *IVLIA ALPINVLA HIC IACEO*|| *INFELICIS PATRIS INFELIX PROLES*|| *DEAE AVENT. SACERD*||*EXORARE PATRIS NECEM NON POTVI*||*MALE MORI IN FATIS ILLI ERAT*||*VIXI ANNOS XXIII.* conficta a Paulo Gulielmo. Filiae eius Iuliae Alpinulae nomen falsarius desumpsit ex inscriptione Aquensi N. 457 *ALPINIA APLINULA.*

69. *civitatis excidium*] non omnium Helvetiorum (ut credebat Mueller *Schweizergesch.* 1, 6 p. 55), sed Aventici, quod *gentis caput* fuit. (c. 68.) Gutmann. — *verbis et minis*] 3, 24 *minis et verbis.* — *Claudius Cossus*] MS. Oxon. *Cornelius Cossus*, quod placebat Iac. Gronovio. Sane *Cossus* est cognomen Corneliorum, non Claudiorum; idque et ipse verum puto. Ern. Immo verissimum esset Ciceronis tempore; sed hac aetate praesertim per provincias maxima iam erat nominum confusio, adeo ut in Tacito omnia nitantur sola duorum Codd. Medd. fide. — *ut est mos vulgo*] c. 7 *ut est mos vulgi*, Ann. 1, 39 *utque mos vulgo*, 4, 64 *qui mos vulgo*, 12, 47 *mos est regibus.* — *mutabilem* — *fuerat*] non generalis, sed specialis est sententia: *militis animum mitigavit*, qui erat (*ut est mos vulgo*) *mutabilis subitis et tam pronus in misericordiam quam inmodicus saevitia fuerat.* — *meliora*] bene Ernesti scripturam codicum noto illo *di meliora* tuetur, ut non opus sit *molliora* (Acidalius et Lipsius) vel *mitiora* (Meiser) corrigere.

accipit alam Silianam circa Padum agentem sacramento Vitellii accessisse. pro consule Vitellium Siliani in Africa habuerant; mox a Nerone, ut in Aegyptum praemitterentur, exciti et ob bellum Vindicis revocati ac tum in Italia manentes instinctu decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obstricti robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus attollebant, transiere in partes et ut donum aliquod novo principi firmissima Transpadanae regionis municipia Mediolanum ac Novariam et Eporediam et Vercellas adiunxere. id Caecinae per ipsos compertum. et quia praesidio alae unius latissima Italiae pars defendi nequibat, praemissis Gallorum Lusitanorumque et Britannorum cohortibus et Germanorum vexillis cum ala Petriana, ipse paulum cunctatus est, num Raeticis iugis in Noricum flecteret adversus Petronium Urbicum procuratorem, qui concitis auxiliis et interruptis fluminum pontibus fidus Othoni putabatur. sed metu, ne amitteret praemissas iam cohortes alasque, simul reputans plus gloriae retenta Italia, et ubicumque certatum foret, Noricos in certa victoriae praemia cessuros, Poenino itinere subsignanum militem et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus transduxit.

1 accepit *b* Silianam *Bipontini:* silanum *a b* (silanam b^2) 2 proconsulem *b* Siliani *Bipontini:* silani *a b* habuert̃ *b* 3 ęgyptum n *b* (n *puncto del.* b^2) acciti (*super* ac *scr.* ex) *a*, exacciti *b* prouocati *a b* 4 tamen (*superscr.* uel tum) *a* 6 transire *a b* domum *a b* (*corr.* b^2) 7 religionis *a* 8 nouaria *a* Epopediam *a b* (*in marg.* al. iporediã b^2) cecinę *a b* 10 britrannorũ (*sic*) *a* 11 ala Petriana *Boecking* (ala Petrina *Savilius*): alpe triaria *a b* 12 num *Puteolanus:* ut *a b* rethicis *a b* Urbicum *Freinsheim* (Ann. 11, 35): urbi *a b* 14 moetu *b* ammitteret *a* 15 simulare putans *a b* (*corr.* b^2) ubicunq; *b* 16 cetera *alii* pennino *a b* 17 [legionum] *Nipperdey* 18 traduxit *alii*

70. *alam Silianam*] quia infra 2, 17 Med. (is hic deficit) eandem alam *Silianam* vocat, et quoniam veri similius visum est hanc alam a *C. Silio* superioris sub Tiberio Germaniae legato (cf. A. 1, 31. 72. 2, 6. 7. 25. 3, 42. 45. 4, 18) et viro clarissimo nomen accepisse quam ab obscuro quodam praefecto, cui Sullae nomen fuerit, equidem cum Bipontinis et hoc loco *Silianam* dedi et paullo post *Siliani*. Ritter. — *in Aegyptum*] cf. c. 31. — *Eporediam*] hodie *Ivrea*. — *Germanorum vexillis*] sunt electi e Germanorum auxiliis sub vexillis compositi; nam supra c. 61 dixerat: *addita utrique* (Valenti et Caecinae) *Germanorum auxilia*. — *ala Petriana*] quae et 4, 49 in partibus Vitellianis, nominata videtur ab *equitibus Romanis illustribus, quibus Petra cognomentum*. A. 11, 4. — *subsignanum*] H. l. non aliud significare potest quam legionarios, totam legionem XXI. Rapacem; praemiserat enim auxiliares copias, ut cum ala Petriana *latissimae Italiae parti* praesidio essent. Ceterum cf. Ernestium ad H. 4, 33, ubi idem vocabulum. — *et grave legionum agmen*] Haec vv. inserviunt ἐπεξηγήσει vv. *subsignanum militem;* nec ab iis divelli possunt, ut illa aliud genus militum significent. Quodsi quid inest in num. plur. *legionum*, id indicabit praeter legionem XXI. fuisse etiam aliarum vexilla nonnulla (*détachements*) in Caecinae exercitu. — *hibernis Alpibus*] Sic iam Furius Bibaculus apud Horat. Sat. 2, 5, 41: *Iuppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.* Hic autem *Alpes* sunt illae ipsae iugi Poenini, quod monendum erat propter illos, qui perverse opinabantur, sub-

(71) Otho interim contra spem omnium non deliciis neque desidia torpescere: dilatae voluptates, dissimulata luxuria et cuncta ad decorem imperii composita; eoque plus formidinis afferebant falsae virtutes et vitia reditura. Marium Celsum consulem designatum, per speciem vinculorum saevitiae militum subtractum, acciri in Capitolium iubet. clementiae titulus e viro claro et partibus inviso petebatur. Celsus constanter servatae erga Galbam fidei crimen confessus exemplum ultro imputavit. nec Otho quasi ignosceret, sed, ne hostem metueret, consiliatorem adhibens statim inter intimos amicos habuit et mox bello inter duces delegit. mansitque Celso velut fataliter etiam pro Othone

1 delitiis *a* 3 formidiu (s *superscr.*) (*sic*) *b* 7 seruare *a* fidem *b* (*corr.* b^2) 8 hostem *Meiser*: hostes *a b* (hostem eum *Ritter*) moetueret *b* consiliatorem *Meiser*: consiliationis *b*, conciliationis *a* 10 mansiq; (t *superscr.*) *a*

signanum militem Poenino itinere traductum, aliud nescio quod grave legionum agmen aliis Alpibus; quibus, dicere non poterant. *Grave* autem adiunxit, quo uno saltem verbo huius itineris difficultatem significaret.

71. *dilatae voluptates*] quas tranquilliore tempore resumeret. Aliter Iuven. 2, 99: *Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis, Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat Armatum, cum iam tolli vexilla iuberet. — Nimirum summi ducis est occidere Galbam, Et curare cutem* (*humecto pane faciem linere* Schol.). Dio 64, 8: ὅ τε γὰρ βίος αὐτοῦ καὶ ἡ δίαιτα τό τε τῷ Σπόρῳ συνεῖναι καὶ τὸ τοῖς λοιποῖς τοῖς Νερωνείοις χρῆσθαι πάνυ πάντας ἐξεφόβει. — *Marium Celsum*] cf. Plut. Otho 1: Ὁ δὲ νεώτερος αὐτοκράτωρ ἅμ' ἡμέρᾳ προελθὼν εἰς τὸ Καπιτώλιον ἔθυσε· καὶ κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως καὶ παρεκάλεσε τῆς αἰτίας ἐπιλαθέσθαι μᾶλλον ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν. Τοῦ δὲ Κέλσου μήτ' ἀγεννῶς ἀποκριναμένου μήτ' ἀναισθήτως, ἀλλὰ φήσαντος αὐτοῦ τοῦ τρόπου διδόναι τὸ ἔγκλημα πίστιν, ἐγκεκλῆσθαι γάρ, ὅτι Γάλβᾳ βέβαιον ἑαυτὸν παρέσχεν, ᾧ χάριν οὐδεμίαν ὤφειλεν, ἠγάσθησαν οἱ παρόντες ἀμφοτέρων καὶ τὸ στρατιωτικὸν ἐπήνεσεν. — *titulus*] honor, gloria, ut Ovid. metam. 4, 645 *et hunc praedae titulum Iove natus habebit*, 7, 56 *magna sequar: titulum servatae pubis Achivae.* cf. c. 75 *clementiae gloriam tulit.* — *partibus inviso*] Othonianis. — *exemplum ultro imputavit*] „Tam generose locutus est, ut non solum pro se non deprecaretur, quasi quid in Othonem deliquisset, verum etiam *ultro*, id est, insuper demonstraret exemplum fidei a se editum gratum esse Othoni debere; interesse enim et ipsius fidos amicos habere; talemque se in eius amicitia futurum, qualis in Galbae fuisset.“ cf. c. 38: *hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum inputet.* — *nec Otho quasi ignosceret*] h. e. nec Otho ita se gessit, quasi esset quod ignosceret, nullam omnino culpam in eo agnoscebat. — *ne hostem metueret*] scil. eum, quod per se intellegitur. *hosti* autem hoc loco Tacitus, ut est antitheti studiosus, *consiliatorem* opponit, ut similiter c. 37 *donec dubitabitur, imperatorem populi Romani in castris an hostem habeatis.* c. 88 *nec ut imperatoris fratrem nec ut hostis.* tota sententia aeque conformata est ac 4, 13 *sed Civilis — ne ut hosti obviam iretur — Vespasiani amicitiam studiumque partium praetendit.* — *consiliatorem adhibens*] c. 90 *quando, ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galeri Trachali ingenio Othonem uti credebatur.* substantiva in *tor* exeuntia, quibus Tacitus amat uti, collegit *Draeger* Synt. § 6. *consiliator* est apud Plin. ep. 4, 17, 6 *ille in gerendis consiliator et rector.* Phaedr. 2, 7 (6), 2 *consiliator maleficus.* Ceterum sententiae, quam Tacitus h. l. expressit, ex parte saltem respondent illa Dionis 64, 7: ἀλλ' οὐ γὰρ εἶχεν, ἅπαξ ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐσελθών, ἀναδῦναι· καὶ ἐνέμεινεν ἐν αὐτῇ καὶ δίκην ἔδωκε, καίτοι πολλὰ καὶ

fides integra et infelix. laeta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celsi salus ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus, cui irascebantur. (72) par inde exultatio disparibus causis consecuta impetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, foeda pueritia, impudica senecta, praefecturam vigilum et praetorii et alia praemia virtutum, quia velocius erat, vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, virilia scelera, exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone, quaedam ignaro ausus ac postremo eiusdem desertor ac proditor. unde non alium pertinacius ad poenam flagitaverunt, diverso affectu, quibus odium Neronis inerat et quibus desiderium. apud Galbam Titi Vinii potentia defensus praetexentis servatam ab eo filiam. haud dubie servaverat non clementia, quippe tot interfectis, sed effugium in futurum, quia pessimus quisque diffidentia praesentium mutationem pavens adversus publicum odium privatam gratiam praeparat; unde nulla innocentiae cura, sed vices impunitatis. eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti Titi Vinii invidia, concurrere ex tota urbe in Palatium ac fora, et ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi seditiosis vocibus strepere, donec Tigellinus accepto apud Sinues-

1 et foelix (*om.* in) *b* primoribus *Rhenanus:* promoribus *a*, pro moribus *b* cęlebrata *b* 2 āmirātibus *a*, ammirantib; *b* 3 quui *b* consequuta *b* 4 tigillini *a b* Sophonius *Lipsius:* Ophonius *a b* tigillinus *a b* 5 fęda *a* puericia *b* 6/7 mox crudelitatem *Wölfflin et L. Spengel* 7 auariciam *b* 8 ac] at *a b* 9 flagitauere *alii* 11 titi iu| *a* (nii *in marg. add.* a^2), T. iunii *b* defensus est *Nipperdey* praetexentis (x *in ras.*) *a*, pretex (*deinde spatio trium quattuorve litterarum relicto sine rasura*) cutis (*sic*) *b* et haud *alii* 13 mutatione *a* 15 vicis *L. Spengel* 16 tigillini *a b* iunii *a b* inuidiam *b* (m *del.* b^2) concurrere in palatium et tota urbe *a b* ex *Heraeus:* e *alii* 17 circum et *b* 18 seditionibus *a b* (*corr.* b^2), seditionis *alius* obstrepere *alii* tigillinus *a b*

μέτρια πρὸς θεραπείαν τῶν ἀνθρώπων ποιήσας· οὐχ ὅτι οὕτως ἐπεφύκει, ἀλλ' ὅτι οἰδούντων αὐτῷ διὰ τὸν Βιτέλλιον τῶν πραγμάτων οὐκ ἤθελε καὶ τοὺς ἄλλους ἐκπολεμῶσαι. — *integra et infelix*] „intemerata quidem, sed eadem infelix,“ quia Celsus Othonem pariter atque Galbam amisit et ad Vitellii clementiam confugere cogebatur. cf. 2, 60.

72. *praetorii*] cf. Ann. 14, 51 et seqq. passim. — *virilia scelera*] qualia viri exercere seque iis foedare solent: refer ad ea quae praecedunt *foeda pueritia*, *impudica senecta*. quod dixit *crudelitatem* — *avaritiam* — *exercuit*, isdem verbis usus est, quibus Sueton. Nero 26 *Petulantiam*, *libidinem*, *luxuriam*, *avaritiam*, *crudelitatem sensim quidem primo et occulte et velut iuvenili errore exercuit*. — *desertor ac proditor*] 2, 44 *desertorem proditoremque increpant*. Ann. 2, 10 *desertor et proditor*. item *deserere ac prodere* iungit Cic. pro Flacco 33 § 81. in Verr. 1, 33 § 84. Caes. b. c. 2, 32, 6. — *effugium*] ut supra c. 44: *non honori Galbae, sed tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem*. — *vices impunitatis*] „Ea res facit, ut homines non tam innocentia saluti suae consulere studeant, sed fiducia vicis sibi reddendae: ipsos impunitatem aliis impetrasse, sibi vicem reddituros, qui potentes essent, si qua mutatio ingruat.“ Ern. „*Vices impunitatis* sunt impunitas, quam quis concedit alicui, ut invicem sibi concedatur.“ Walth. — *seditiosis vocibus strepere*] Plut. Oth. 2 de Tigellino: ἐλελήθει μὲν γὰρ ἤδη κολαζόμενος αὐτῷ τῷ φόβῳ τῆς κολάσεως, ἣν ὡς χρέος ἀπῄτει δημόσιον ἡ πόλις. — *Sinuessanas aquas*] Plut. l. l.: Ἔπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ

sanas aquas supremae necessitatis nuntio inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras sectis novacula faucibus infamem vitam foedavit etiam exitu sero et inhonesto. (73) per idem tempus expostulata ad supplicium Calvia Crispinilla variis frustrationibus et adversa dissimulantis principis fama periculo exempta est. magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam ad instigandum in arma Clodium Macrum famem populo Romano haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit, consulari matrimonio subnixa et apud Galbam Othonem Vitellium illaesa, mox potens pecunia et orbitate, quae bonis malisque temporibus iuxta valent.

(74) Crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistulae offerebant pecuniam et gratiam et quemcumque

1 suppraeme *a* 2 obscula *a* fędauit *a* 4 Calvia *Lipsius:* galuia *a*, Gallura *b* frustationib; *a b*[2] 6 trangressa *a* affricam *a* 7 po . r . *a*, p . r . *b* mollita *b* 8 optinuit *a* matrinio^a *a* 9 illesa *a* 10 iuxa *a b* (*corr. b*[2]) 11 Crebre *a b* mulierib; *b* infecte *b* 12 epulac *a*, ępulę *b* (ępistolę *b*[2]) offerebant *Rhenanus:* offerebantur *a b* quaecumq; *a*, quęcunq; *b*

Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγρούς· ἐκεῖ γὰρ διῃτᾶτο πλοίων παρορμούντων, ὡς φευξόμενος ἀπωτέρω. Καὶ τόν γε πεμφθέντα χρυσίῳ πολλῷ πείθειν ἐπεχείρησε παρεῖναι, μὴ πεισθέντι δὲ δῶρα μὲν ἔδωκεν οὐδὲν ἧττον, ἐδεήθη δὲ ὑπομεῖναι, ἕως ἂν ἀποξύρηται τὸ γένειον· καὶ λαβὼν αὐτὸς ἑαυτὸν ἐλαιμοτόμησεν. „Aquae autem eae inter salubres habitae. Plinius 31, 4, 8: *In eadem Campaniae regione Sinuessanae aquae sterilitatem feminarum et virorum insaniam abolere produntur.* Et quia ad vitia muliebria, ideo in Martiale 11, 7, 11: *Diceret hystericam se forsitan altera moecha In Sinuessano velle sedere lacu.* cf. Ann. 12, 66.“ Lips.

73. *Calvia Crispinilla*] Dio 63, 12: Χωρὶς δὲ ὅ τε Πολύκλειτος καὶ Καλουΐα Κρισπινίλλα ἦγον, ἐπόρθουν, ἐσύλων πάνθ' ὅσα ἐνεδέχετο· ἐκεῖνος μὲν μετὰ τοῦ Ἡλίου ἐν τῇ Ῥώμῃ, αὕτη δὲ μετά τε τοῦ Νέρωνος καὶ μετὰ τῆς Σαβίνης τοῦ Σπόρου (cum Sporo, qui Sabinae nomen iam gerebat). τήν τε γὰρ φυλακὴν αὐτοῦ καὶ τὴν ἐπιτροπείαν τὴν περὶ ἐσθῆτα, καίπερ γυνὴ καὶ ἐπιφανὴς οὖσα, ἐπεπίστευτο καὶ δι' αὐτῆς πάντες ἀπεδύοντο. — *magistra libidinum Neronis*] Similiter ut A. 16, 18: *Petronius Neroni assumptus est elegantiae arbiter;* sic Calvia praeparabat variabatque libidines Neronis. — *Clodium Macrum*] ut Neronis ultionem susciperet. c. 7: *Macrum in Africa haud dubie turbantem* etc. — *famem populo Romano*] Hist. 3, 48: *ut urbem externae opis indigam fame urgeret —, Africam — invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus.* „Aegyptus enim et Africa populi Romani horrea erant, et Aegypto in cuiusque anni quadrimestre conferente frumentum Africa in reliquos octo menses suppeditabat. Iosephus B. I. 2, 16, 4“ (Bekk. p. 186 s.). Savil. — *consulari matrimonio*] nobis ignoto. — *subnixa*] tuta ab accusationibus ideoque confidens et elata. cf. Silium 8, 245: *Subnixus rapto plebeii muneris ostro* (consulatu) *Saevit iam Rostris Varro,* quod, uti videtur, duxit ex Verg. Aen. 4, 216: *Maeonia mentum mitra crinemque madentem Subnixus rapto potitur*, ubi est sensu proprio, „mitra subligatum habens mentum crinemque unguentis madentem“, addita item superbiae notione. — *bonis — temporibus*] ut vel sub Augusto, Ann. 3, 25: *praevalida orbitate.* Plin. 14, 1, 5: *captatio* (testamentorum) *in quaestu fertilissimo.*

74. *gratiam*] Immo et consortionem imperii. Dio 64, 10: Ὁ δὲ Ὄθων, ἐπειδὴ καὶ μὴ ἔπειθε τὸν Βιτέλλιον, ἐς κοινωνίαν αὐτὸν τῆς ἀρχῆς πολλάκις παρακαλῶν, ἐς πόλεμον λοιπὸν φανερὸν καθίστατο. Ita et Suet. Oth. 8: *Per internuntios ac litteras consortem im-*

quietis locum prodigae vitae legisset. paria Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrimque et indecora simulatione: mox quasi rixantes stupra et flagitia in vicem obiectavere, neuter falso. Otho, revocatis quos Galba miserat legatis, rursus ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam easque quae Lugduni agebant copias specie senatus misit. legati apud Vitellium remansere, promptius quam ut retenti viderentur. praetoriani, quos per simulationem officii legatis Otho adiunxerat, remissi, antequam legionibus miscerentur. addidit epistulas Fabius Valens nomine Germanici exercitus ad praetorias et urbanas cohortes de viribus partium magnificas et concordiam offerentes; increpabat ultro, quod tanto ante traditum Vitellio imperium ad Othonem vertissent. (75) ita promissis simul ac minis temptabantur, ut bello impares, in pace nihil amissuri; neque ideo praetorianorum fides mutata. sed insidiatores ab Othone in Germaniam, a Vitellio in urbem missi. utrisque frustra fuit, Vitellianis impune, per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus: Othoniani novitate vultus, omnibus in vicem gnaris, prodebantur. Vitellius litteras ad Titianum fratrem Othonis conposuit, exitium ipsi filioque eius minitans, ni incolumes sibi

1 locis *a* (*non b*) obstentabat *b* 2 utrinq; *b* risantes *a* 3 et] ac *a* 4 rursus alios *alii* utrunq; *b* 5 quas *a b* (*corr.* *b*²) species *a* 7 Praetoriam *a b* (*corr.* *a*² *b*²) 8 addit *b* (*non a*) epulas *a*, ępulas *b* (ępistolas *b*²) 9 et *om. b* 10 increpabant *a* (*corr.* *a*²), increpat *b* 11 tanto *om. a* 12 tendebatur *a* 13 impartes *a* (*corr.* *a*²) admissuri *a b* (*corr.* *b*²) pretorianorū *a* 14 sed et *Heraeus* 17 gnaris *Rhenanus:* ignaris *a b* Titianum *Rhenanus:* tutianū *a*, Tutianum *b* 18 composuit *b* incolumis *a b*

perii generumque se Vitellio optulit. Sed cum Tacito facit Plutarchus Oth. 4: ἔγραψεν Οὐιτελλίῳ παραινῶν στρατιωτικὰ φρονεῖν, ὡς χρήματα πολλὰ δώσοντος αὐτοῦ καὶ πόλιν, ἐν ᾗ βιώσεται ῥᾷστον καὶ ἥδιστον βίον μεθ' ἡσυχίας. Ἀντέγραψε δὲ κἀκεῖνος αὐτῷ κατειρωνευόμενος ἡσυχῇ πρῶτον· ἐκ δὲ τούτου διερεθιζόμενοι πολλὰ βλάσφημα καὶ ἀσελγῆ χλευάζοντες ἀλλήλοις ἔγραφον, οὐ ψευδῶς μέν, ἀνοήτως δὲ καὶ γελοίως θατέρου τὸν ἕτερον ἃ προσῆν ἀμφοτέροις ὀνείδη λοιδοροῦντος κτλ. — *in vicem*] idem quod *inter se*: *Draeger* Synt. § 40, f. — *quos Galba miserat*] c. 19. — *quae Lugduni*] alam Taurianam. c. 59 et 64. — *magnificas*] idem fere ac *magniloquas*, quibus vires partium magnificis verbis extollebantur. — *tanto ante*] Vitellium inferior exercitus postridie Kal. Ian. salutavit imperatorem, superior III. Non. Ian. c. 57. Galba caesus XVIII. Kal. Febr. c. 27. Eo adhuc vivo nuntius de Vitellio Romam adlatus. c. 14 et 50. Militi longum id spatium visum, quo alios praevenisset. OBERLIN. Erant XII. dies.

75. *ut bello impares*] h. e. *ut* qui essent *bello impares*, *in pace nihil amissuri*. *ut* hoc loco particula causalis est: *Draeger* Synt. § 179. — *gnaris*] „quia Vitelliani omnes sibi invicem noti erant, illico ab his agnoscebantur insidiatores illi Othoniani." Lectionem *ignaris* acriter defendit Ernestius. „Nec aliter", inquit, „sensus constat. Ignoti vultus prodidere, cum nemo alterum nosset invicem eaque ignorantia suspecta esset." At si hoc voluisset Tacitus, *utrisque* (Othonianis et Vitellianis) non *omnibus* scripsisset. — *Titianum fratrem Othonis*] de hoc cf. Ann. 12, 52. Agr. 6 et infra c. 77. 90 *Salvio Titiano fratri*. 2, 23 etc.

mater ac liberi servarentur. et stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor clementiae gloriam tulit. (76) primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius iurasse in eum Dalmatiae ac Pannoniae et Moesiae legiones. idem ex Hispania adlatum laudatusque per edictum Cluvius Rufus, set statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam. ne Aquitania quidem, quanquam ab Iulio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit. nusquam fides aut amor: metu ac necessitate huc illuc mutabantur. eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. longinquae provinciae et quicquid armorum mari dirimitur penes Othonem manebat, non partium studio, sed erat grande momentum in nomine urbis ac praetexto senatus et occupaverat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespanianus, Syriae legiones Mucianus sacramento Othonis adegere; simul Aegyptus omnesque versae in Orientem provinciae nomine eius tenebantur. idem Africae obsequium, initio Carthagine orto: neque expectata Vipstani Aproniani proconsulis auctoritate Crescens Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se rei publicae

2 an metu] *ab his verbis defectu abruptum orationis filum rursus excipit Mediceus* (*folium* 58) 5 set *Ritter*: et 6 quāńquā (*sic*) 8 nutabant *Al. Ruperti* prouincia (*notam litt.* m *add.* 2*m*) 9 longinq; 11 manebant *dett.* 12 pretexto Iudeicū 14 oṁsq; ūsā (*notae a* 1*m*) 15 tenebatur 16 Vipstani *Ryckius*: uipsani 17 rei . p.

76. *Dalmatiae* cet.] In Dalmatia tunc erat legio XI. Claudia, XIV. Gemina Martia Victrix, in Pannonia l. XIII. Gemina, VII. Galbiana, in Moesia l. III. Gallica, VII. Claudia, VIII. Augusta. — *ex Hispania*] ubi legio VI. Victrix, X. Gemina. — *Cluvius Rufus*] Hispaniae praeses. cf. c. 8. Apud Plutarchum Oth. 3 per errorem vel ipsius vel librariorum est Κλαύδιος (Κλούβιος Lipsius) δὲ Ῥοῦφος εἰς Ἰβηρίαν φησὶ κομισθῆναι διπλώματα, οἷς ἐκπέμπουσι τοὺς γραμματηφόρους, τὸ τοῦ Νέρωνος θετὸν ὄνομα προσγεγραμμένον ἔχοντα τῷ τοῦ Ὄθωνος. cf. c. 78. — *Iulio Cordo*] qui hoc tantum loco memoratur a Tacito. — *huc illuc*] Verg. Aen. 4, 363 *huc illuc volvens oculos* 5, 408. 12, 764. — *mari dirimitur*] Similiter A. 2, 43: *provinciae, quae mari dividuntur.* — *manebat*] de numero singulari praedicati cf. 2, 70 *et erant, quos varia sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret.* 2, 78 *triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus inplesse fidem ominis videbatur.* 5, 16 *praemiaque et quies in posterum sperabatur.* praeterea 1, 84 *depoposcerit Draeger* Synt. § 29. — *praetexto*] c. 19 *maiore praetexto.* c. 77. 2, 100. 3, 80. *Wölfflin* Philol. 27, 130. — *auditus*] participium est non substantivum: *Nipperdey* ad Ann. 4, 23. *Draeger* Synt. § 210, 2. — *Iudaicum*] legionem V. Macedonicam, X. Fretensem, XV. Apollinarem. c. 2, 6. — *Syriae legiones*] IV. Scythicam, VI. Ferratam, XII. Fulminatam. — *Vipstani Aproniani*] cf. Ann. 14, 1 saepius commemoratur in actis fratrum Arvalium *Guil. Henzen* p. 201. — *nam et hi — partem se rei publicae faciunt*] cf. Ann. 14, 39. Germ. 25 *liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quae regnantur. ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt: apud ceteros impares libertini libertatis argumentum sunt.* —

faciunt) epulum plebi ob laetitiam recentis imperii obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceterae civitates secutae.

(77) Sic distractis exercitibus ac provinciis Vitellio quidem ad capessendam principatus fortunam bello opus erat, Otho ut in multa pace munia imperii obibat, quaedam ex dignitate rei publicae, pleraque contra decus ex praesenti usu properando. consul cum Titiano fratre in kalendas Martias ipse; proximos menses Verginio destinat ut aliquod exercitui Germanico delenimentum. iungitur Verginio Pompeius Vopiscus praetexto veteris amicitiae; plerique Viennensium honori datum interpretabantur. ceteri consulatus ex destinatione Neronis aut Galbae mansere, Caelio ac Flavio Sabinis in Iulias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres; quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis addidit aut recens ab exilio reversos nobiles adulescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solacium recoluit. Redditus Cadio Rufo,

1 ob liti|tiā (*sed* i *post* l *a correctore, videtur fuisse* ç) 3 distractis ciu| *librarius in praecedens voc.* ciuitates *aberravisse videtur et ipse has litteras delevit; codex Budensis falso* ciu *in* eius *mutavit* 5 rei . p. 6|7 kl mar̄ *cum lin. transversa in litt.* l 7 aliquot 9 uiennensiū (nensiū *in rasura* 2*m*) Intptabatur 11 coelio ac flabio (b *in* v *mutat* 2*m*) sauinis kalendas Iulias *Ritter* Antonino *Lipsius:* antonio 12 honoris (honoribus *Haase*) 15 reculuit. Redditus (*sic, non* reditus)

pleraque] Intellige ea, quae fieri solent sub initium novi imperii. WALTH. (Sacrificia, vota sollemnia, sacramentum in principis verba cet.)

77. *distractis exercitibus*] in contrarias partes, ut plene A. 4, 40: *si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset.* — *consul — ipse*] Otho consul renuntiatus est VII kal. Febr. cf. Acta Arv. a. 69 *Henzen* p. XCII (*Ios. Klein* fasti consulares etc. p. 42). — *Viennensium honori*] Viennensis ergo ille fuit. „Viennenses autem Vindicis partes secuti tunc plurimum valebant in Gallia, afflicti contra Lugdunenses.“ BROT. cf. c. 65. 66. — *Caelio*] Caelius Sabinus ICtus, de quo Pomponius Dig. 1, 2, 2, 47: *plurimum temporibus Vespasiani potuit. Flavius* autem *Sabinus*, consul designatus, diversus a cognomine praefecto urbis, fratre Vespasiani. cf. Tillemont *Histoire des empereurs. Paris* 1720. I. p. 363. Clare distinguuntur Hist. 2, 36. 51 et 55. — *Arrio Antonino*] Fuit avus Antonini Pii imperatoris. V. Capitolinus in huius vita 1: *Mater Arria Fadilla, avus maternus Arrius Antoninus, bis consul, homo sanctus et qui Nervam miseratus esset, quod imperare coepisset.* RYCK. *Antoninus* fuisse cognomen *Arriorum* praeclare docet etiam Vignolius ad Columm. Anton. Pii c. 6. p. 89. ERN. Plin. Epp. 4, 3 et 5, 15 Graeca Arrii Antonini carmina celebrat. OBERL. (De ceteris eiusdem anni 822. coss. infra Tacitus exponit 2, 60. 71. 3, 37. 68. 73. RITTER. cf. *Ios. Klein* fasti consulares l. l.) — *pontificatus auguratusque*] num. plur. per appositionem iuncti cum vv. *cumulum dignitatis*. Plut. Oth. 1: τοῖς δὲ ἀποδεδειγμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἢ Γάλβα πᾶσιν ἐτήρησε τὰς ὑπατείας· ἱερωσύναις δὲ τοὺς καθ' ἡλικίαν προήκοντας ἢ δόξαν ἐκόσμησε. — *honoratis*] qui summis olim essent honoribus functi. Noli cum Walthero intelligere Caelium et Flavium Sabinos, Arrium et Marium, sed generatim consulares ac praetorios nullo adhuc sacerdotio praeditos. — *in solacium*] exilii, quod perpessi erant, item honoravit paternis sacerdotiis. — *Cadio Rufo*] Qui lege repetundarum damnatus accusantibus Bithynis. A. 12, 22. —

Pedio Blaeso, Saevino Pontio senatorius locus. repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant: placuit ignoscentibus verso nomine, quod avaritia fuerat, videri maiestatem, cuius tum odio etiam bonae leges peribant. (78) eadem largitione civitatium quoque ac provinciarum animos adgressus Hispalensibus et Emeritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit; nova iura Cappadociae, nova Africae, ostentui magis quam mansura. inter quae necessitate praesentium rerum et instantibus curis excusata ne tum quidem immemor amorum statuas Poppaeae per senatus consultum reposuit. creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse spe volgum alliciendi. et fuere qui imagines Neronis proponerent; atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tanquam nobilitatem ac decus adstruerent, Neroni

1 bleso Scaevino *dett.* Pontio *dett.*: ꝑtis (m v *supra*) (*litt.* s *incerta*, *item in marg.* promptius *a vetere, quamquam non a* 1*m*), proprius *a*, promptio *b* (*nomen incertum*: Pomptino *Brotier*, Porcio *Haase*, Prisco *Ritter*) *cf. Fleckeiseni annal.* 1882 *p.* 135 5 Hispalensibus *Faernus*: hispaniensibus 6 prouincie beticę 7 nova iura] ualura (no *supra lin. add.* 1*m*, *in marg.* noua 2*m*) 8 ostentai (*sic; sed videtur fuisse* ostentui) 10 poppeę

Pedio Blaeso] Ann. 14, 18 *Motus senatu et Pedius Blaesus accusantibus Cyrenensibus* cet. — *placuit ignoscentibus*] Othoni patribusque. „*Placuit* crimen reorum *verso nomine* mutari et, *quod avaritia fuerat*, siquidem repetundarum criminibus ceciderant, *maiestatem* appellari: quod quidem maiestatis crimen tanto *odio* erat propter tot innocentes olim damnatos, ut etiam *bonae leges perirent*, irritae fierent. Quisquis enim maiestatis accusabatur, insons videbatur, licet multorum aliorum criminum foret reus." Brot.

78. *Hispalensibus*] Hispalis in Hispania ulteriore sive Baetica (Plin. 3, 1, 13) nunc *Sevilla*, Emerita Augusta, in quam Augustus coloniam deduxerat, in Lusitania nunc *Merida*. — *familiarum adiectiones*] Ita solebant Romani coloniarum infrequentiae subvenire, nova familiarum aliquot adiectione. Livius 43, 17: *Postulantibus Aquileiensium legatis, ut numerum colonorum augerent, mille et quingentae familiae ex SC. scriptae.* Lips. cf. Ann. 13, 31. 14, 27. — *Lingonibus*] *Langres*; explicant: „quia hi Vitellio vehementer dediti erant, eos Otho sibi conciliare conatus est." Verum iam a Lipsio aliisque recte dubitatum est, an non hic lateat *Hispanicae* gentis alicuius nomen; sed quod proposuere Bipontini, *Langonibus*, quasi Langobrigae Lusitaniae incolis, omni caret auctoritate. — *Maurorum civitates*] imprimis Tingin et Lixum, nunc *Tandja* et *Alkasr*. V. Aldrete *varias antiguedades de España, Africa y otras provincias.* 4, c. 21. Voluit, ut *Maurorum civitates* iura peterent ab Hispania *Baetica* eiusque conventus iuridicos adirent. Brot. Insuper hac constitutione augebantur Baeticae reditus publici, quibus internis suis necessitatibus, operibus publicis exstruendis, viis muniendis, satisfaciebat. — *ostentui*] quoniam mox antiquata sunt nova ista iura. cf. 3, 35 *ostentui misere. Draeger* Synt. § 52. — *ne tum quidem immemor amorum* cet.] Priora illa facile excusabantur, haec non item. — *statuas*] prorutas. cf. Ann. 14, 61. — *spe volgum alliciendi*] Nam plebs faverat Neroni et lugebat eius mortem. cf. c. 4 et Suet. Ner. 57. — *proponerent*] „in locis publicis iniussi ponerent imagines Neronis." Ern. Hunc usum v. *proponere* Gronovius firmavit ex Plinio 35, 4, 22. Suet. Cal. 41. — *quibusdam diebus*] Aperte significat hoc tantummodo interdum factum, aliis diebus omissum esse. Mire Lipsius in his haesit, *Quinquatruum diebus*, Heinsius *iisdem diebus* tentans. — *Neroni Othoni*] cf. ad c. 76 similem Cluvii Rufi narrationem

Othoni acclamavit. ipse in suspenso tenuit vetandi metu vel agnoscendi pudore.

(79) Conversis ad civile bellum animis externa sine cura habebantur. eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme caesis duabus cohortibus, magna spe Moesiam inruperant, ad novem milia equitum, ex ferocia et successu praedae magis quam pugnae intenta. igitur vagos et incuriosos tertia legio adiunctis auxiliis repente invasit. apud Romanos omnia proelio apta: Sarmatae dispersi aut cupidine praedae graves onere sarcinarum et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate velut vincti caedebantur. namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. sed tum umido die et soluto gelu neque conti neque gladii, quos praelongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et catafractarum pondere. id principibus

1 metū 2 pudorē 4 Rhoxolani *Beroaldus:* rhosolanis (*poster.* s *del.* 2*m*) cesis 5 Moesiam inruperant ad *Acidalius:* ad moesiam inruperant 8 p̃lio sarmata dispersi cupidine praedae aut *Acidalius* 9 adēptę quorū pertiicitate (*sic; in textu corrigit et in marg. addit* perni 2*m*) 10 uelud Nanq; dictū (*notam del.* 1m) 11 uelud nichil 12 umido (h *super* u *scr.* 2*m*) 14 catafra|fractarum (*pr.* fra *del.* 1*m*)

a Plutarcho servatam et Suet. Oth. 7. — *in suspenso*] „in incerto tenuit utrum vetaret an agnosceret, vetandi metu vel agnoscendi facinorosi principis cognominis pudore."

79. *Rhoxolani*] inter Tanaim et Borysthenem, ad sinistrum latus paludis Maeoticae. cf. Inscr. m. Lat. 750. 833. — *tertia legio*] Gallica, quam in Moesia fuisse patet etiam ex 2, 74. Savilius frustra coniecit *tres legiones*, quia tres legati consularia ornamenta accepisse dicuntur. Tot legiones in Moesia tunc fuisse verum est; vide Suet. Vesp. c. 6, sed non omnes contra novem milia barbarorum ductae. Una legio cum suis auxiliis sufficiebat. Honos tamen cum legatis omnibus communicatus. Ern. In quo vides rursus Othonis studium etiam Moesicum hunc exercitum totum sibi conciliandi. — *Sarmatae dispersi aut cupidine praedae graves*] Etsi speciosa est transpositio ab Acidalio et Freinshemio facta *Sarmatae dispersi cupidine praedae aut graves*, nihilominus Med. lectio habet, quo se defendat. Etenim ea duplex Sarmatarum incommodum exprimitur: alteri etiamtunc dispersi palabantur, sine dubio praedabundi ex barbarorum more; alteri iamiam expleta cupidine praedae graves onere sarcinarum ad locum, unde profecti erant, iamiam reverterant. et bene *Walther* codicis scripturam ita tuetur: „verba *cupidine praedae* pertinent ad *graves onere sarcinarum*, ut constet, quod sarcinarum onus intellegendum sit. non enim sunt graves onere sarcinarum, quas miles secum portat in itinere, ut infra 2, 40: sed quas rapuerunt cupidine praedae. duplex ablativus *cupidine* et *onere* in eodem membro non est alienus a Taciti genere dicendi. cf. Ann. 2, 23 *qui tumidis Germaniae terris, profundis amnibus immenso nubium tractu validus* et 12, 33 *sed tum astu locorum fraude prior* etc." — *gladii, quos praelongos* cet.] Epitheton per attractionem in sententiam relativam translatum est, quo magis efferretur vis adiectivi, quam si dixisset scriptor: *gladii praelongi, quos utraque manu regunt.* Sic Ann. 6, 31: *fretus bellis, quae secunda exercuerat.* Bach. — *catafractarum*] cf. Amm. Marc. 16, 10, 8: *sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persae, thoracum muniti tegminibus et limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros; quos lamminarum circuli tenues apti cor-

et nobilissimo cuique tegimen, ferreis lamminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus inpenetrabile, ita impetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum. simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facilis lorica et missili pilo aut lanceis adsultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim scuto defendi mos est) comminus fodiebat, donec pauci, qui proelio superfuerant, paludibus abderentur. ibi saevitia hiemis ac volnerum absumpti. postquam id Romae compertum, M. Aponius Moesiam obtinens triumphali statua, Fulvus Aurelius et Iulianus Tettius ac Numisius Lupus legati legionum consularibus ornamentis donantur, laeto Othone et gloriam in se trahente, tanquam et ipse felix bello et suis ducibus suisque exercitibus rem publicam auxisset.

(80) Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. septumam decumam cohortem e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho iusserat; armandae eius cura Vario Crispino tribuno e praetorianis data. is quo magis vacuus quietis castris iussa exequeretur, vehicula cohortis incipiente nocte onerari aperto armamentario

1 lāminis 2 Inpetrabile (ne *superscr.* 2m) 6 p̃lio 7 hiemis ac *Doederlein:* hic m͠ıa (hiemis aut *Car. Schneider*, hiemis et vi *Muretus*) 9 Fulvus *Borghesi:* fuluius Tettius *Ritter:* et titius 12 rem . p. 13 Interim Interim nichil 14 coloniā 17 oneraria| (*poster.* a *del.* 1m)

poris flexibus ambiebant per omnia membra deducti, ut, quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret iunctura cohaerenter aptata. — *facilis lorica*] lorica tantum, non ponderosa illa catafracta tectus atque ideo aptus ad se quoquo versus movendum. cf. Cic. Brutus 48 § 180 *fuit etiam facilis et expeditus ad dicendum.* Verg. Aen. 8, 310 *Miratur facilisque oculos fert omnia circum.* — *saevitia hiemis ac volnerum*] non audacius dictum quam Ann. 2, 87 *sàevitiam annonae incusante plebe.* Doederlein. — *triumphali statua*] laureata et quae monstraret vestem triumphalem. (Cum is tantum triumphare posset, cuius *auspiciis* victus hostis, auspicia autem essent perpetuo imperatoris, ducibus insignia dumtaxat triumphalia, quasi symbola triumphi, decernebantur. Duebn.) — *Fulvus Aurelius*] consul a. 85 p. Chr., avus imperatoris Antonini Pii: Capitolinus v. Pii 1, 2. — *Iulianus Tettius*] 2, 85 *Tettium Iulianum, septimae legionis legatum.* cf. 4, 39. 40. — *Numisius Lupus*] 3, 10 *tertiam Tillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant.* — *legati legionum*] tertiae Gallicae, septimae Claudiae, octavae Augustae. — *suis ducibus — auxisset*] Ablativus instrumenti personis additus, ubi plerumque ponitur *per.* cf. Roth ad Agr. Excurs. XV. 2, qui laudat Ann. 2, 79: *ne castra corruptoribus temptet.* Bach. cf. *Draeger* Synt. § 59. *Nipperdey* ad Ann. 2, 79.

80. *unde nihil timebatur*] *unde* h. e. vel *a quo* (initio) vel ab iis, *a quibus* (scil. praetorianis): seditionem enim dicit praetorianorum ad urbem in castris praetoriis ortam, non Ostiae septumae decumae cohortis. — *septumam decumam cohortem*] Tales cohortes legionibus non aggregatae nec, ut ex h. l. discitur, iustis legionariorum armis instructae numerabantur ut legiones et inde nomen accipiebant. Ad totam autem hanc narrat. cf. Suet. Oth. 8 cum Baumgarten-Crusii adnotatione, item Plutarch. Oth. 3. Dio 64, 9. — *Ostiensi*] Suet. Claud. 25: *Puteolis et Ostiae singulas cohortes ad arcendos incendiorum casus collocavit.* Lips. — *quietis castris*] Quia

iubet. tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum evaluit; et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. fremit miles et tribunos centurionesque proditionis arguit, tanquam familiae senatorum ad perniciem Othonis armarentur, pars ignari et vino graves, pessimus quisque in occasionem praedarum, volgus, ut mos est, cuiuscumque motus novi cupidum; et obsequia meliorum nox abstulerat. resistentem seditioni tribunum et severissimos centurionum obtruncant, rapta arma, nudati gladii, insidentes equis urbem ac Palatium petunt. (81) erat Othoni celebre convivium primoribus feminis virisque; qui trepidi, fortuitusne militum furor an dolus imperatoris, manere ac deprehendi an fugere et dispergi periculosius foret, modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis voltum intueri: utque evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. sed haud secus discrimine senatus quam suo territus et praefectos praetorii ad mitigandas militum iras statim miserat et abire propere omnes e convivio iussit. tum vero passim magistratus proiectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminaeque per tenebras diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta et, ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere. (82) militum impetus ne foribus quidem Palatii coercitus, quo minus convivium inrumperent, ostendi sibi Othonem expostulantes, volnerato Iulio Martiale tribuno et Vitellio Sa-

1 Inspicionē (su *superscr.* 2*m*) 3 et centurionesq; (et *del.* 1*m*) 6 cupidūs (s *del.* 1*m*) 7 seditionē 13 adspicionē 17 frequentias (s *del.* 1*m*) 20 palati// (*litt.* i *erasa, ut videtur* cf. c. 35) quomi|in; (*sic*)

vigiliae iam tunc constitutae et omnes in contuberniis exceptis vigilibus. Lips. — *in tumultum evaluit*] Sic A. 14, 58: *multa secutura, quae adusque bellum evalescerent.* — *cupidinem sui*] Hom. Od. 16, 294 αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. — *fremit miles*] credens vel fingens arma in ipsam urbem avectum iri ad instruenda iis senatorum mancipia. — *in occasionem praedarum*] cf. 4, 42 *in spem potentiae.* *Nipperdey* ad Ann. 2, 13. 14, 63. *Draeger* Synt. § 80 b *In consecutivum.* — *severissimos centurionum*] Plutarch. l. l.: τοὺς ἐνισταμένους ἑκατοντάρχας δύο καὶ τὸν Κρισπῖνον αὐτὸν ἀπέκτειναν. — *rapta arma*] ex vehiculis cohortis, quae onerari iusserat Crispinus, et ex aperto armamentario.

81. *celebre convivium*] Plut. Oth. 3: παρακαλέσαντος ἀλλήλους Καίσαρι βοηθεῖν ἤλαυνον εἰς τὴν Ῥώμην καὶ πυθόμενοι παρ' αὐτῷ δειπνεῖν ὀγδοήκοντα συγκλητικοὺς ἐφέροντο πρὸς τὰ βασίλεια, νῦν καιρὸν εἶναι λέγοντες ἐν ταὐτῷ πάντας ἀνελεῖν τοὺς Καίσαρος πολεμίους κτλ. cf. Dio 64, 9. — *formidine detegi*] „simulatam tantummodo esse constantiam illam ostendentes.“ Duebn. — *cum timeret Otho, timebatur*] Plut. l. l.: τὸν Ὄθωνα δεινὴ κατελάμβανεν ἀπορία· φοβούμενος γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν αὐτὸς ἦν φοβερὸς ἐκείνοις καὶ πρὸς αὐτὸν ἀνηρτημένους ἑώρα ταῖς ὄψεσιν ἀναύδους καὶ περιδεεῖς, ἐνίους καὶ μετὰ γυναικῶν ἥκοντας ἐπὶ τὸ δεῖπνον. — *abire propere*] Plut. l. l.: τοὺς κεκλημένους ἄνδρας ἀναστήσας καθ' ἑτέρας θύρας ἀφῆκε. — *incertas*] „quas nemo facile divinaret“; non „intutas“, ut alii volunt. Recte Louandre *ignorées.*

82. *tribuno*] cohortis praetoriae. c. 28. —

turnino praefecto legionis, dum ruentibus obsistunt. undique arma et minae, modo in centuriones tribunosque, modo in senatum universum, lymphatis caeco pavore animis, et quia neminem unum destinare irae poterant, licentiam in omnes poscentibus, donec Otho contra decus imperii toro insistens precibus et lacrimis aegre cohibuit, redieruntque in castra inviti neque innocentes. postera die velut capta urbe clausae domus, rarus per vias populus, maesta plebs; deiecti in terram militum voltus ac plus tristitiae quam paenitentiae. manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus praefecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. finis sermonis in eo, ut quina milia nummum singulis militibus numerarentur. tum Otho ingredi castra ausus. atque illum tribuni centurionesque circumsistunt, abiectis militiae insignibus otium et salutem flagitantes. sensit invidiam miles et compositus in obsequium auctores seditionis ad supplicium ultro postulabat. (83) Otho, quanquam turbidis rebus et diversis militum animis, cum optimus quisque remedium praesentis licentiae posceret, volgus et plures seditionibus

1 Undeq; (e *in* i *mutat et in marg.* di *scr.* 2*m*) 3 neminē munū (*notam super litt.* e *del.* 1*m*) 6 uelud 8 penitentię 9 Proculus *Rhenanus:* et proculus 10 nūmū 14 postulauat (postulavit *Weissenborn*) 15 quānquā (*priorem notam del.* 1*m*) 16 peiores *L. Spengel*

praefecto legionis] classicae, quae in urbe tendebat. „Apud Tacitum nusquam praefectos legionum memorari vere monuit Savilius: est de iis caput apud Vegetium 2, 9.“ (Cuius praecipua verba apposita, ni fallor, etiam ad Taciti aetatem sunt haec: *praefectus legionis* —, *qui absente legato* (legionis) *tamquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat.*) „At non negandum hunc unum locum esse in antiquioribus, ubi id nomen occurrat. Sunt, qui tribunum intelligant: male; nam diserte h. l. a tribuno distinguitur. Antiquissimam huius honoris mentionem ego quidem repperi in Inscr. apud Gruter. p. 465, 2, quae ad M. Aurelii Antonini tempora pertinet.“ Ex Ern. (Adde Grut. p. 347, 1. Inscr. m. Lat. N. 3423: *L. CIRPINIO T. F. VEL.* ‖ *PRI. PIL. ITER. PRAEF.* ‖ *LEG. XXII. IIVIR. ITERVM* ‖ *QVINQ. MVNICIPES.* Maceratae.) cf. *Marquardt* R. Staatsverwaltung II p. 443 sqq. *Otto Hirschfeld* Hermes 12 p. 142 sq. (1876). *Madvig* Verf. u. Verw. des r. St. II p. 560 sq. — *militiae insignibus*] Insigne tribunorum mil. erat anulus aureus et tunica vel laticlavia vel angusticlavia (Iuven. 7, 89), non vero pugio, quod multi perperam colligunt ex Martiale 14, 32: *Parazonium. Militiae decus hoc gratique erit omen honoris, Arma tribunicium cingere digna latus.* Ibi enim non pugionem, sed παραζώνιον, cingulum, tam affabre factum et ita auro argentove ornatum, ut vel tribuno dignum sit, significari, et pugionem militibus quoque praeter gladium fuisse sed multo praestantiorem tribunis, iam monuit Lipsius Anal. ad mil. Rom. lib. III. Dial. III. Ruperti. Centurionum autem insigne vitis castigandis, qui delinquerent, militibus. cf. Oliv. Marm. Pis. p. 24. LV. Murat. 797, 3. Et in Inscriptionibus est centuriatus nota ❯.

83. *Otho quanquam*] Consequens est *postremo ita disseruit;* sensus autem totius sententiae nimis implicatae est: Otho, quamquam sic se res habebant, ut inter severitatem et clementiam dubius haesitaret, postremo ita disseruit, ut componeret magis quam coerceret milites. — *volgus et plures*] „iique propterea plures.“ cf. c. 25 *volgus et ceteros*, 3, 3 *volgus*

et ambitioso imperio laeti per turbas et raptus facilius ad civile bellum inpellerentur, simul reputans non posse principatum scelere quaesitum subita modestia et prisca gravitate retineri, sed discrimine urbis et periculo senatus anxius, postremo ita disseruit: „neque ut affectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer (utraque enim egregie supersunt), sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestrae fortitudinis et erga me modum caritatis. tumultus proximi initium non cupiditate vel odio, quae multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit. nam saepe honestas rerum causas, ni iudicium adhibeas, perniciosi exitus consecuntur. imus ad bellum. num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? tam nescire quaedam milites quam scire oportet. ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. si, cur iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. an et illic nocte

8 cupiditate *dett.*: cupidite (cupidine *ed. princ.*) 9 egre 10 consideratius *dett.*: c̃siderat 16 si cur *Agricola*: sic ubi Iuue|antur 17 intercidet *Heinsius*

et ceteri. *Draeger* Synt. § 118. — *ambitioso imperio*] in quo princeps ambitione uteretur, quae est in captanda militum vulgique benevolentia et gratia. Suet. Oct. 42: *ut salubrem magis quam ambitiosum principem scires.* Ern. cf. 2, 12 *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat.* — *subita modestia*] moderatione, qua post illud scelus repente et praeter opinionem uteretur. — *supersunt*] abundant, ut c. 51. — *initium* — *periculorum*] „ortum est", supplendum cogitatione ex seqq. *pietas* — *excitavit;* nihil enim excidit, ut nonnulli suspicati sunt. Ut solet, constructionem variavit. — *nimia pietas*] Omissa particula adversativa vehementiorem reddit antithesin. cf. *Nipperdey* ad Ann. 4, 35. — *acrius quam consideratius*] 2, 24 *avidius quam consultius*, 4, 40 *ambitiosius quam honestius*, 4, 65 *avidius quam cautius.* quod Walther suspicatus erat *acrius quam considerate*, uno loco defenditur Agric. 4 *vehementius quam caute*, quo tamen ipso Nipperdey *cautius* in textum recepit. cf. *Draeger* Synt. § 181 c. — *ducum auctoritas*] ad totam sententiam de divisis ducum et militum officiis cf. Antonii orationem 3, 20 *divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo consultando cunctatione saepius quam temeritate prodesse. ut pro virili parte armis ac manu victoriam iuverit, ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum.* Caesar b. G. 1, 40 *vehementer eos incusavit: primum quod aut quam in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quaerendum aut cogitandum putarent.* Livius 44, 34 *Unum imperatorem in exercitu providere et consulere, quid agendum sit, debere, nunc per se nunc cum iis, quos advocarit in consilium: qui non sint advocati, eos nec palam nec secreto iactare consilia sua. militem haec tria curare debere, corpus ut quam validissimum et pernicissimum habeat, arma apta, cibum paratum ad subita imperia: cetera scire de se diis immortalibus et imperatori suo curae esse. in quo exercitu milites consultent, imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse. se, quod sit officium imperatoris, provisurum, ut bene gerendae rei occasionem iis praebeat: illos nihil, quid futurum sit, quaerere debere; ubi datum signum sit, tum militarem operam navare.* —

intempesta rapientur arma? unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium inrumpet? (84) vos quidem istud pro me: sed in discursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus me potest. si Vitellio et satellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes inprecentur, quid aliud quam seditionem et discordiam optabunt? ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur, hinc confusi pedites equitesque in exitium ruamus. parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando res militares continentur; et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestrae regimen relinquite. paucorum culpa fuit, duorum poena erit: ceteri abolete memoriam foedissimae noctis. nec illas adversus senatum voces ullus usquam exercitus audiat. caput imperii et decora omnium provinciarum ad poenam vocare non hercule illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant: ulline Italiae alumni et Romana vere iuventus ad sanguinem et caedem depoposcerit ordinem, cuius splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium praestringimus? nationes

3 tribunis (s *del.* 1*m*) 6 eligengi (*corr.* 1*m*) quę 7 aliut 8 nec centurio 11 discrime 13 pęna 14 fędissimę senatūs (s *del.* 1*m*) 16 pęnā 18 depoposcerχ (h. e. depoposcerit: *syll.* ri *uno ductu, ut solet, scripta et litt.* t *inversa, ut similitudinem referat syllabae* runt *per compendium scriptae, quae tamen in nostro codice fere semper compendio* r̄ *scribitur.*) depoposcerint *Iac. Gronovius* 19 praestringimus *Io. Fr. Gronovius:* pstringim; (*h. e.* perstringimus)

perditus ac temulentus] Lipsius malebat *percitus*, ut est apud Liv. 21, 53, 8: *ingenium percitum ac ferox.* Haud tamen necessaria haec est correctio: *perditi*, qui ceteroqui ad deterrima quaeque facinora patranda prompti sunt, nunc insuper *temulenti* ac propterea etiam magis temerarii. — *consternatione*] confusione rerum, inconsiderato tumultu. Sic Liv. 34, 2: *consternatio muliebris.*

84. *nobis*] Rhenanus malebat *vobis;* sed non necesse. Oratorio artificio utitur princeps. Oberl. similiter paulo post dicit *in exitium ruamus.* — *ne centurio*] „Adde: nonne imprecentur, *ne* cet.: quae deinde in positivam φράσιν exeunt: et ut *hinc confusi* cet., qualis ratio notatur etiam Ann. 1, 77 et saepius. Duebn. cf. *Draeger* Synt. § 142. — *res militares continentur*] expectes potius *res militaris continetur:* paulo aliter Curtius 6, 2, 1 *animus militarium rerum quam quietis otiique patientior.* — *nec — audiat*] 2, 47 *nec tempus conputaveritis*, ibid. *nec diu moremur*, 2, 76 *nec speciem adulantis expaveris.* *Nipperdey* ad Ann. 1, 43. *Draeger* Synt. § 28 c. — *caput imperii*] Speciose ita vocat senatum, cuius tamen auctoritas per se iam nulla erat, nisi ubi principes eam comprobarent. — *decora omnium provinciarum*] quatenus in eum tunc etiam ex provinciis splendidi viri legebantur. Duebn. — *audeant*] coniunctivus potentialis est, item quod sequitur *depoposcerit: Draeger* Synt. § 28 b. — *depoposcerit*] de numero singulari cf. paulo supra: *vobis arma et animus sit* et ad c. 76 *manebat.* — *praestringimus*] „hebetamus, obumbramus". At recte mox: *perstringendos mulcendosque animos.* Hoc enim, quod Persius 1, 107: *mordaci radere vero.* Gron.

aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet: senatus nobiscum est. sic fit ut hinc res publica, inde hostes rei publicae constiterint. quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? muta ista et inanima intercidere ac reparari promisca sunt: aeternitas rerum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur. hunc auspicato a parente et conditore urbis nostrae institutum et a regibus usque ad principes continuum et inmortalem, sicut a maioribus accepimus, sic posteris tradamus. nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur." (85) et oratio apta ad perstringendos mulcendosque militum animos et severitatis modus (neque enim in plures quam in duos animadverti iusserat) grate accepta, compositique ad praesens qui coerceri non poterant. non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli, mili-

2 res. p. inde] In 4 multa inanima *Lipsius:* inania 5 promiscue possunt *dett.* 6 incolumi|te 7 conditores 8 sicamatorib; 9 exenatorib; 10 oratio apta ad perstringendos *Meiser:* oratiopodpstringendos (*unde ed. princ. syllaba* od *omissa* oratio per perstringendos) oratio *adcommodata* ad perstringendos *Ritter*, *qui confert Ann.* 14, 62 13 urbi *Rhenanus:* urbis belli *Döderlein:* belli et (belli erat *dett.*, belli et metus *Meiser;* et *post* habitu *delent*, *ut* maligna cura *nominativus sit*, *Classen et L. Spengel*)

cf. Oud. ad Suet. Oct. 29. Kritz. ad Vellei. 2, 118, 4. — *domibus et tectis*] Sic Augustus in oratione ad populum apud Dion. 56, 5, 3: Ἄνθρωποι γάρ που πόλις ἐστίν, ἀλλ' οὐκ οἰκίαι οὐδὲ στοαὶ οὐδ' ἀγοραὶ ἀνδρῶν κεναί. Lips. Camillus apud Liv. 5, 54, 2: *in superficie tignisque caritas nobis patriae pendet?* Ern. — *promisca sunt*] „Attractio Graeco sermoni consueta: „sine discrimine intercidunt et reparantur." Duebn. Explica, quasi esset *promiscum est* (nihil refert, ἀδιάφορόν ἐστι) *muta ista — intercidere* cet. Bach. cf. *Draeger* Synt. § 152 b. — *aeternitas rerum*] Intellige rem publicam Romanam. Ern. — *sicut — sic*] Agr. 31 *ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est, sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur.* — *ex vobis senatores*] „Quatenus sunt inter vos, qui honores adipiscentur, vel, ut olim a censoribus, sic nunc a principe in senatum allegentur."

85. *et oratio*] Huic *et* respondet alterius membri *et severitatis modus*, nec mutandum erat in *ea*. — *apta ad*] cum vix latine dici possit *oratio ad perstringendos animos* et in codice aperte vitium lateat, *apta* inserui: cf. 2, 14 *apta ad iaciendum etiam paganorum manus.* 3, 41 *neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum.* inter *o* et *a* vocalis *a* vocabuli *apta* absorpta esse et ex trunco *pt* praepositio *per* facta videtur. Curtius 6, 2, 20 *polliceri militum quoque obsequium, si animos eorum leni et apta oratione permulcere voluisset.* — *compositi — coerceri*] sedati et placati quidem erant ad tempus nec tamen severae disciplinae subici poterant. — *quies urbi redierat*] 3, 66 *non ipsi, non amicis eius, non denique exercitibus securitatem — redituram.* — *belli, militibus*] Doederlinum secutus sum, qui suspicatur Medicei *belli et* ex dittographia natum esse. *Boetticher* et *Ruperti* ita adprobant *et*, ut verborum complexionem usque ad *credebant* continuent. „ita, inquit Ruperti, lucebunt haec verba, minori distinctione pro maxima, quae in omnibus libris reperitur, post *obiecerat* posita, ut verbis *Vitellianos quoque milites — credebant* ἀπόδοσις contineatur." at sic *strepitus telorum et facies belli* nimis abrupta et nude dicta sunt. debebat scriptor indicare, quaenam illa facies belli fuerit et qua in re manifesta facta sit, quod aptissime et suo more fecit addito ablativo absoluto *militibus — sparsis.* verbis

tibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu et maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus obiecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda plerique credebant. unde plena omnia suspicionum et vix secreta domuum sine formidine. sed plurimum trepidationis in publico, ut quemque nuntium fama adtulisset, animum voltumque conversis, ne diffidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. coacto vero in curiam senatu arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta libertas; et privato Othoni nuper atque eadem dicenti nota adulatio. igitur versare sententias et huc atque illuc torquere, hostem et parricidam Vitellium vocantes, providentissimus quisque vulgaribus conviciis, quidam vera probra iacere, in clamore tamen et ubi plurimae voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes. (86) prodigia insuper terrebant diversis auctoribus volgata: in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae, cui Victoria institerat; erupisse

1 nichil 2 aliquas 6 ut *dett.*: uim quenq; 7 conversi *dett.* aut *Ursinus* 8 senatū (*notam del.* 1m) arduū 9 priuata (*corr.* 1m) 10 dicenti *Lipsius*: dicen|di 14 terrebat (n *superscr.* 1m) 15 uigę

Vitellianos quoque etc. novum aliquid additur, quod formidinem augebat, quod minus bene cum praecedentibus in unum coniungi videtur. — *occulto habitu*] Significat milites in plebeia aut pacata veste, sine gladiis, domos perlustrasse, sermones excepisse adversus principem aut rerum statum praesentem. Arrianus eum morem mihi suggerit Diss. Epicteti 4, 13: Οὕτω καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προπετεῖς λαμβάνονται. Παρακεκάθικέ σοι στρατιώτης ἐν σχήματι ἰδιωτικῷ, καὶ ἀρξάμενος κακῶς λέγειν τὸν Καίσαρα, εἶτα σύ, ὥσπερ ἐνέχυρον παρ' αὐτοῦ λαβὼν τῆς πίστεως τὸ αὐτὸν τῆς λοιδορίας κατῆρχθαι, λέγεις καὶ αὐτὸς ὅσα φρονεῖς· εἶτα δεθεὶς ἀπάγῃ. Lips. — *animum voltumque*] de accusativo graeco cf. *Draeger* Synt. § 39. — *conversis*] ablativus potius absolutus quam dativus est (cf. *Draeger* Synt. § 212 b); hoc enim dicit: *sed plurimum trepidationis in publico* erat, cum ad singulos nuntios animo voltuque converterentur, scil. ei quibus nuntium fama adtulisset. — *rerum omnium modus*] „In omnibus rebus modum tenere arduum et difficile erat, *ne* esse videretur *contumax silentium* cet.“ Duebn. — *atque eadem dicenti*] „difficilis, inquit, in senatu rerum omnium modus. taceres? silentium pro contumacia esset. diceres libere et censeres? invisa libertas. ad gratiam loquerere? non faceres fidem, quia privatus nuper Otho peritus harum artium et iisdem adulationibus exercitus.“ Lipsius. in verbo *dicenti* complures haeserunt: Classen *timenti*, Prammer *fingenti* proposuit, ipse transponendum censui *eadem atque dicenti*, quamquam Walther existimaverat neminem dubitare Lipsium verissime locum emendasse. — *aut tumultu*] „Probra iaciebant aut in clamore ceterorum et ubi plurimae voces, ut ita clamor ceterorum ac voces obstreperent, aut tumultu verborum (praepropere prolatorum) sibi ipsi obstrepentes.“ Walth.

86. *omissas*] elapsas esse deae manibus: *une Victoire, disait-on, avait laissé échapper les rênes de son char.* Louandre. — *bigae*] notandus numerus singularis huius vocabuli: Sueton. Tib. 26 *unius bigae adiectione.* Statius Silv. 3, 4, 46 *Tollit olorinaque iubet considere biga.* Theb. 1, 338 *Rorifera gelidum tenuaverat aera biga.* cf. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 27. — *Victoria*] de Victoriis in Capitolio positis cf. *Preller* röm. Mythol.[2] p. 207 sq. 609 sq. — *erupissec ella*] Ann. 12, 7 *erum-*

cella Iunonis maiorem humana speciem; statuam divi Iulii in insula Tiberini amnis sereno et immoto die ab Occidente in Orientem conversam; prolocutum in Etruria bovem, insolitos animalium partus et plura alia rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum in metu audiuntur. sed praecipuus et cum praesenti exitio etiam futuri pavor subita inundatione Tiberis, qui inmenso auctu, proruto ponte sublicio ac strage obstantis molis refusus, non modo iacentia et plana urbis loca, sed secura eiusmodi casuum implevit. rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. fames in volgus inopia quaestus et penuria alimentorum. corrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein remeante flumine dilapsa. utque primum vacuus a periculo animus

1 e cella *Halm et L. Spengel* specie tiberini *sed* ni *in rasura a* 1*m* (*videtur fuisse* nū, *nam nota litterae* m *supra erasa est*) 3 Insolitas (*in textu corr. et in marg. addit* o 1*m*) 4 sęclis (*cum lin. transversa in* l) 6 proruto *Io. Fr. Gronovius:* prorupto 7 adiacentia *Ritter* 9 et] ex In uolgv̄ (s *supra*)| *hic desinit folium* 59; *quae sequuntur* inopia *usque ad lib.* 2, 2 Cyprum *nunc desunt in Mediceo, cuius in margine inferiore recens manus:* hic deficit unum folium dimittatur spatium pro dicto (*littera* d *incerta*) folio. *Indicavimus rursus varietatem codicum* a b 11 ut qui *a b* (ut quę *b*[2])

perent curia. Sallust. Iug. 99, 2 *portis erumpere iubet.* — *cella Iunonis*] in templo Capitolino, quod idem Iovis quoque et Minervae erat. Duebn. — *maiorem humana*] Sic A. 11, 21: *oblata ei species muliebris ultra modum humanum.* Druso item in Germania bellanti apparuit *species barbarae mulieris humana amplior.* Suet. Claud. 1. Ceterum cf. de hisce prodigiis Plutarch. O. 4. — *Tiberini amnis*] Liv. 29, 14, 11 *postquam navis ad ostium amnis Tiberini accessit.* Servius ad Verg. Aen. 8, 31 *in sacris Tiberinus, in coenolexia Tiberis, in poemate Tibris vocatur.* — *immoto die*] caelo nulla procella nec tempestate turbato, neque terra mota. Plut. l. l.: μήτε σεισμοῦ γεγονότος μήτε πνεύματος. — *in Orientem conversam*] id quod interpretabantur de transferendo imperio ad alterum utrum Orientis ducem, plerique de Vespasiano. Plut. l. l.: ὅ φασι συμβῆναι περὶ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, ἐν αἷς οἱ περὶ Οὐεσπασιανὸν ἐμφανῶς ἤδη τῶν πραγμάτων ἀντελαμβάνοντο. — *in metu audiuntur*] cf. A. 1, 28. Claudian. de Bello Getico 238: *Tunc anni signa prioris Et, si quod fortasse quies neglexerat omen, Addit cura novis.* Lips. — *etiam futuri pavor*] Tiberis enim, ut ait Plinius 3, 5, 55, *vates intellegitur potius ac monitor auctu semper religiosus verius quam saevus.* Sic explanavit Lipsius: nisi si simplicius interpreteris: „ortus est pavor, ne postea tales inundationes perniciosae frequentiores etiam fierent." — *sublicio*] ligneo, qui ducebat ad Ianiculum prope portam Trigeminam (Liv. 1, 33, 6. 5, 40, 8. *Becker* röm. Altert. I p. 693—698); de quo Plinius 36, 15, 100: *Cyzici et buleuterium vocant aedificium amplum sine ferreo clavo ita disposita contignatione, ut eximantur trabes sine fulturis ac reponantur. quod item Romae in ponte sublicio religiosum est, posteaquam Coclite Horatio defendente aegre revolsus est.* — *strage obstantis molis*] pontis proruti. — *iacentia — loca*] humilia, depressa: cf. Verg. Aen. 1, 224 *Despiciens mare velivolum terrasque iacentis.* 8, 689 *Thapsumque iacentem.* Ovid. met. 4, 144 *vultusque attolle iacentes.* 10, 194 *sic vultus moriens iacet.* 11, 618 *iacentes vix oculos tollens.* — *sed secura*] de particulis *non modo — sed* (sine *etiam*) cf. *Draeger* Synt. § 128, *Nipperdey* ad Ann. 1, 60. — *secura — casuum*] cf. 3, 41 *dedecoris securos.* Curtius 9, 9, 8 *securi casus eius, qui supervenit ignaris.* 5, 10, 15 *securus periculi, quod instabat.* Ovid. met. 6, 137 *secura futuri.* Hor. Ep. 2, 2, 17 *poenae securus.* *Draeger* Synt. § 71 b. — *penuria alimentorum*] Causam praecipuam indicat Plut. Oth. 4: καταχλύσας πολὺ μέρος τῆς πόλεως, πλεῖστον

fuit, id ipsum quod paranti expeditionem Othoni campus Martius et via Flaminia iter belli esset obstructum, a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur.

(87) Otho lustrata urbe et expensis belli consiliis, quando Poeninae Cottiaeque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida et partibus fida, quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodia habitos in numeros legionis composuerat, facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiae. addidit classi urbanas cohortes et plerosque e praetorianis, vires et robur exercitus atque ipsis ducibus consilium et custodes. summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi primipilaribus, Aemilio Pacensi, cui ademptum a Galba tribunatum reddiderat, permissa. curam navium Moschus libertus retinebat ad observandam honestiorum fidem immutatus. peditum equitumque copiis

1 quod] quidem *a b* (quidem quod *b*²) 3 claudium *a* 4 et *om. b* belli *Rhenanus:* bello *a b* Poeninae *Puteolanus:* penninae *a b* 5 Cottiaeque *Rhenanus:* coctiaeq; *a b* (Cottianaeque *Ritter*) 7 caesarum *a b* (*corr. b*²) miluium *a*, milinum *b* 8 custodiam *a b* (*corr. b*²) spe *Io. Fr. Gronovius:* spes *a b* 9 honoratę *a b* 10 vires et *Lipsius:* uiris ut *a b* 11 suelio *a b* 12 emulio *a b* pascensi *b* (*corr. b*²) quui *b* 13 Moschus *Orelli:* oschus *a b*, oscus *alii* 14 invitatus *vel* imitatus *alii*, [immutatus] *Muretus*

δὲ ἐν ᾧ τὸν ἐπὶ πράσει διαπωλοῦσι σῖτον, ὡς δεινὴν ἀπορίαν ἡμερῶν συχνῶν κατασχεῖν. — *obstructum*] Suet. O. 8: *primo egressu inundationibus Tiberis retardatus, ad XX. etiam lapidem ruina aedificiorum praeclusam viam offendit.* de constructione praedicati ad appositionem accommodati v. *Draeger* Synt. § 78.

87. *lustrata urbe*] ob prodigia infausta. cf. A. 13, 24. — *classe valida*] in portu Foroiuliensi. — *caesorum*] cf. c. 6. 37. Erant classiarii. — *in numeros*] *in Fähnlein;* cf. supra c. 6. Agr. 18 „in cohortes et centurias eos descripsit, in quas, ad explendum, si forte expediret, totius legionis numerum, postea accedentes copiae recenserentur." Duebn. De his intellige 2, 11: *ipsum Othonem comitabantur — classicorum ingens numerus.* — *honoratioris — militiae*] quam erat classica; ut igitur fierent legionarii vel etiam praetoriani. cf. Liv. 32, 23: *navales socii, relictis nuper classibus ad spem honoratioris militiae transgressi.* — *plerosque*] permultos, ut Ann. 4, 9. Quintil. 6, 4, 9: *videas plerosque ira percitos exclamantes.* Memorantur hi praetoriani rursus 2, 14. — *vires et robur*] 'Εναργείας ergo iungit haec synonyma etiam 2, 11: *plus virium ac roboris.* Eiusdem generis c. 88: *occultare et abdere.* cf. *Draeger* Syntax § 242. — *primipilaribus*] v. c. 31. — *tribunatum*] cohortis urbanae. c. 20. — *curam navium*] ubi peditum equitumque copiae in Galliam appulissent, is remigibus praeesse et, si quid detrimenti passae essent naves, eas reficiendas curare debebat. — *immutatus*] Sensus est, ut Lipsius ait in Dispunctione Cod. Mirandulani Ed. Antverp. 1607. p. 27: „Sententia clara, libertum istum (cui generi principes maxime credebant) datum ab Othone ad observandam fidem honestiorum, ducum scilicet, qui praeerant classi Gallicanae. Vitium modo est in v. *invitatus*, quod Florentino est *immutatus*. Hoc expedi, (Frehere!) et vir es." (Louandre: *avec mission de suivre et de surveiller ceux qui valaient mieux que lui;* sed *honestiores* sunt ingenui atque nobiliores.) *Döderlein* suspectum voc. *immutatus* ita defendit: „Quem non mutaverat Otho alio navium curatore, libertum potissimum maximeque idoneum ratus ad observandam honestiorum fidem, qui flagitiosum Othonis imperium detrectaturi essent. Poterat sane omitti

Suetonius Paulinus, Marius Celsus, Annius Gallus rectores destinati. sed plurima fides Licinio Proculo praetorii praefecto. is urbanae militiae impiger, bellorum insolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celsi, maturitatem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus bonos et modestos anteibat. (88) sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia neque obscura, nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus. multos e magistratibus, magnam consularium partem Otho non participes aut ministros bello, sed comitum specie secum expedire iubet; in quis et Lucium Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut imperatoris fratrem nec ut hostis. igitur motae urbis curae; nullus ordo metu aut periculo vacuus. primores senatus aetate invalidi et longa pace desides, segnis et oblita bellorum nobilitas, ignarus militiae eques, quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. nec deerant e contrario qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et irritamenta

4 quuiq; *b* 6 dolobella *b* equitantē *a b* (*corr.* *b*[2]) 7/8 sed — multos *om.* *b*[1] 9 particeps *b* (particepes *b*[2]) speciae *a* se secum *Ritter* expediri *Faernus* 10 et] ut *a b* (*corr.* *b*[2]) 11 mota urbis cura *alii* 12 moetu *b* inualida *a b* 13 bellorum *om.* *a b*[1]

immutatus post *retinebat*, sed ad sensum tantummodo, non item ad numeros vel periodi elegantiam; non magis quam participium 2, 98 *Plures fefellere fide amicorum aut suomet astu occultati.*" cf. 4, 14 *tradi se praefectis centurionibusque; quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari.* — *militiae impiger*] Ann. 3, 48 *impiger militiae.* cf. *Draeger* Synt. § 71 a. — *maturitatem*] experientiam rerum sanumque iudicium, ut nos *den reifen Verstand.* Sic Vell. 2, 125: *veteris imperatoris maturitas.*

88. *sepositus*] Sic Suet. Tit. 9: *fratrem — neque occidere neque seponere — sustinuit.* cf. c. 10. — *Cornelius Dolabella*] *Gnaeum* dicit Suet. Galb. 12. Eum simul cum Othone et Pisone adoptionem Galbae ambisse auctor Plutarchus G. 23: Γινώσκων δὲ τῶν φίλων ἐνίους μὲν ὑπὲρ Δολαβέλλα, τοὺς δὲ πλείστους ὑπὲρ Ὄθωνος ἀρχαιρεσιάζοντας, ὧν οὐδέτερον ἐδοκίμαζεν αὐτός, ἄφνω μηδὲν προειπὼν μετεπέμψατο Πείσωνα. Occisus postea Vitellii iussu; infra 2, 63. — *Aquinatem*] oppidum Latii, etiam nunc *Aquino.* — *neque obscura*] non in carcerem conditus est, sed magistratui alicui Aquinati in liberam custodiam datus. Ceterum cf. Plutarch. O. 5: ἐν Ῥώμῃ Δολοβέλλας, εὐπατρίδης ἀνήρ, ὑποψίαν παρεῖχε τοῖς μισθοφόροις νεώτερα φρονεῖν. Ἐκεῖνον μὲν οὖν εἴτε αὐτὸν εἴτε ἄλλον δεδοικὼς εἰς πόλιν Ἀκύνιον παρέπεμψε παραθαρρύνας. — *propinquitate*] nobis ignota. — *expedire*] in bellum ire, expeditionem comitari, ut c. 10. — *eodem — cultu*] „quem Otho eadem qua ceteros ratione coluit ac tractavit." — *metu aut periculo*] pro vulgari *metu periculi.* Ceterum in his respexit potissimum ad cives honestiores, senatores equitesque, adeo ut nulla sit contradictio in vv. c. 89: *communium curarum expers populus.* — *desides, segnis*] Utrumque voc. iungit H. 2, 21: *ut segnem et desidem — militem — increpabant.* *Desides*, proprie qui compressis manibus sedent, *die Hände in den Schofs legen; segnis* opponitur *prompto*, idem fere ac tardus. cf. *Doederlein* Synon. IV p. 215. Bach. (*amollis; enervés* Louandre.) — *quidam — mercarentur*] anacoluthia quaedam: nam aut *mercarentur* post *equos* ponendum aut *qui* pro *quidam* scribendum fuit. — *irri-*

libidinum ut instrumenta belli mercarentur. sapientibus quietis et rei publicae cura; levissimus quisque et futuri improvidus spe vana tumens; multi afflicta fide in pace usi turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi. (89) sed vulgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus sentire paulatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis; quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque velut externum fuit. nam ex quo divus Augustus res Caesarum composuit, procul et in unius sollicitudinem aut decus populus Romanus bellaverat; sub Tiberio et Gaio tantum pacis adversa *ad* rem publicam pertinuere; Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita; Nero nuntiis magis et rumoribus quam armis depulsus. tum legiones classesque et, quod raro alias, praetorianus urbanusque miles in aciem deducti; Oriens Occidensque et quicquid utrimque virium est a tergo: si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent: aspernatus est omnem cunctationem ut Neroni quoque

1 ut *in rasura b* instrumentum *a b* 1/2 rei . p. *a*, r . p. *b* 3 multis afflicta fides *a b* usi *Meiser:* ac si *a b* (ac *alii*), anxii *Nolte* 6 prętiis *b* 7 proinde *a b*² (prouide *b*) et] a *alii* prouincili *a* (*corr.* 1*m*) 9 in *om. a b*¹ 10 p. r. *b* Tyberio *b* caio *a* 11 ad *om. codices* r. p. pertinuere *a b:* rei p. pertimuere *alii* inepta *a b*¹ 12 cohercita *a b*² 14 utrīq; *b*, utrinque *a* 16 relligionēq; *a* 17 ancilium scutum uel arma cęlestia *a b* (*glossam expungit b*²);

tamenta libidinum] ut exoletos formosos. — *quietis et rei publicae*] „bellum civile detestantes, principem et Othone et Vitellio meliorem optabant.“ — *afflicta fide — usi*] propter ingens aes alienum; *bei gesunkenem Credit* Gutmann, *qui avaient perdu tout crédit* Louandre. *Adfectam fidem* dicit H. 3, 65. cf. 4, 28 *meliore usi fide quam fortuna.* Sall. Iug. 111, 2 *fluxa fide usus.* — *per incerta tutissimi*] in eo ipso securitatem suam reponebant, quod belli civilis exitus incertissimus erat.

89. *magnitudine nimia*] Immensus pauperiorum numerus cotidianis tantummodo vitae necessitatibus providere coactus erat neque ulla sollicitudine afficiebatur de imperii salute; sunt enim *communes curae* eae, quae cunctis civibus communes esse debent; non ut volebat Walther, „quibus uterque ordo, senatorius et equester, angebatur.“ — *pacis adversa*] delationes, exsilia, insontium saepe supplicia rem publicam afflixere, quippe cum bella externa tunc gesta nulla imperio pericula minitarentur. — *ad rem p. pertinuere*] cf. c. 30 *ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt.* 3, 19 *expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere.* 4, 7 *pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem.* 4, 52 *prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant.* — *Scriboniani*] Suet. Claud. 13: (a. u. 795 p. Ch 42) *bellum civile movit* (M.) *Furius Camillus Scribonianus, Delmatiae legatus; verum intra quintum diem oppressus est.* Dio 60, 15. cf. Ann. 12, 52. — *Oriens* cet.] Tunc nondum certum erat, ad utrum, Othonemne an Vitellium sese inclinaturus foret Oriens cum viribus suis, in Syria et Iudaea sub Muciano et Vespasiano, item Aegyptus, Occidensque, Britannia, Hispania, Africa. Uterque autem bellantibus erat *a tergo*, *im Hintergrunde* vel, ut recte vertunt et Burnouf et similiter Louandre, *l'Orient et l'Occident apparaissaient en seconde ligne avec toutes leurs forces.* — *ancilium*] Suet. O. 8: *Expeditionem autem inpigre atque etiam*

exitiosam; et Caecina iam Alpes transgressus extimulabat. (90) pridie idus Martias commendata patribus re publica reliquias Neronianarum sectionum nondum in fiscum conversas revocatis ab exilio concessit, iustissimum donum et in speciem magnificum, sed festinata iam pridem exactione usu sterile. mox vocata contione maiestatem urbis et consensum populi ac senatus pro se attollens adversum Vitellianas partes modeste disseruit, inscitiam potius legionum quam audaciam increpans, nulla Vitellii mentione, sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis sibi metuens contumeliis in Vitellium abstinuit, quando, ut in consiliis militiae Suetonio Paulino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galeri Trachali ingenio Othonem uti credebatur; et erant qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre et ad implendas populi aures latum et sonans. clamor vocesque vulgi ex more adulandi nimiae et

1 cecina *a b* trangressus *a* (*corr.* 1*m*) Pridiae *a* 2 ydus *b* re . p. *a*, r. p. *b* relliquias *a* 4 pridie *b* (*corr.* *b*²) 5 sterile *Lipsius:* sterili 8 imentione *b* (*corr.* *b*²) 11 [Othonem] *Acidalius* credebant *L. Spengel* 12 cęlebre *b* et *om.* *a b* 13 nimie *b*

praepropere inchoavit, nulla ne religionum quidem cura, sed et motis necdum conditis ancilibus, quod antiquitus infaustum habetur. Movebantur duodecim ancilia, hoc est promebantur e templo Martis ad sollemnem Saliorum saltationem cum tripudiis kal. Martiis durabatque id sollemne triginta dies, auctore Polybio 21, 10, 12. cf. Ovid. Fast. 3, 387. Liv. 1, 20. Otho autem profectus est pridie idus Martias (*Henzen* acta fratrum Arvalium p. XCIII et 115), ancilibus igitur nondum conditis.

90. *sectionum*] auctionum. Lipsius in Dispunctione p. 27: *sectionum*] Tuus liber (fictus) *exactionum*. Quid ita? quia scriptor aut tu, quid *sectio*, non cepistis. At Tacitus dicit, e bonis damnatorum sub hasta divenditis reliqua concessa nuper exulibus iuste, quia ex ipsorum aut parentum bonis. cf. Plut. Oth. 1: τοῖς δὲ ἐπὶ Νέρωνος φυγοῦσι καὶ κατελθοῦσιν ἐπὶ Γάλβα συγκλητικοῖς πᾶσιν ἀπέδωκεν ὅσα μὴ πεπραμένα τῶν κτημάτων ἑκάστων ἐξεύρισκεν. — *exactione*] ab ipsis, qui fisco praeerant; qui festinantes et, ut in talibus, diffidentes, exegerant vel ante diem: pactione etiam aliqua aut remissione. Lips. — *Galeri Trachali*] Praenomen fuit Marcus. cf. 2, 60. Quintil. 10, 1, 119. 12, 5, 5. 12, 10, 11. Consul fuit a. u. 821, p. Ch. 68 cum Silio Italico. cf. Meyeri Orat. Roman. Fragm. Ed. II. p. 592. — *Othonem uti credebatur*] Graeca constructione apud Tacitum haud rara. A. 2, 69: *quis creditur animas numinibus infernis sacrari.* 4, 57. Hist. 1, 40. 3, 79. cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 69. *Draeger* Syntax § 152; contra *Wölfflin* (Philol. 26, 119) Acidalii rationem probat. — *ad implendas populi aures*] Consentit iudicium Quintiliani 10, 1, 119: *erant clara et nuper ingenia. nam et Trachalus plerumque sublimis et satis apertus fuit et quem velle optima crederes, auditus tamen maior: nam et vocis, quantam in nullo cognovi, felicitas et pronuntiatio vel scaenis suffectura et decor, omnia denique ei, quae sunt extra, superfuerunt.* — *latum*] *breitströmend*, *abondant*. Opponitur adstricta oratio. cf. Cic. Brutus § 120: *nam ut Stoicorum astrictior est oratio aliquantoque contractior quam aures populi requirunt, sic illorum liberior et latior quam patitur consuetudo iudiciorum et fori.* de fin. 2, 6, 17: *quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius.* Quintilian. 10, 1, 106: *ille concludit astrictius, hic latius.* Haec autem laus h. l. nescio quid ambigui habet: significat propter verborum copiam auditores vel ex populo facile eius sententias assequi potuisse. Optimo sensu contra Plinius ep. 1, 10, 5: *Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit.* — *sonans*]

falsae: quasi dictatorem Caesarem aut imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant, nec metu aut amore, sed ex libidine servitii: ut in familiis, privata cuique stimulatio et vile iam decus publicum. profectus Otho quietem urbis curasque imperii Salvio Titiano fratri permisit.

1 false *a* cesarem *b* 2 moetu *b* ex] et *b* (*corr.* *b*[2]) 3 quuiq; *b* simulatio *a b* 4 Prȩfectus *b* (*corr.* *b*[2]) 5 Tatiano *b* CORNELII · TACITI · LIBER · XVII · EXPLICIT · INCIPIT · XVIII · *b*

Quintil. 12, 10, 11 *sonum Trachali.* — *libidine servitii*] perversa ad servitium propensione, *entraînement pour la servitude* Louandre. — *ut in familiis*] Populus serviendi studio eadem faciebat, quae in privatis aedibus familia servorum solet. Ern. Scilicet unus quisque exaggerata adulatione atque promptiore obedientia ceteros conservos vincere atque maiorem sibi apud herum favorem conciliare studet. — *profectus Otho*] eo ipso die, ut supra diximus ad c. 89, h. e. pridie idus Martias (14. die Martii), contra secundum Suet. Oth. 8: *die, quo cultores deum matris lamentari et plangere incipiunt. Dies* hic erat *sanguinis,* quo celebrabant Galli, Cybelae sacerdotes, memoriam Attidis pueri evirati, IX. kal. April. (24. die Martii. cf. Trebell. Poll. Claud. 4.) Quodsi Otho a. d. XVI. kal. Maias (16. die Aprilis) se interfecit (v. *L. Krauss:* de vitarum imperatoris Othonis fide quaestiones. Zweibrücken 1880 p. 44 s.), consequens inter profectionem ex urbe eiusque mortem interlapsos esse dies XXXIV aut, si Suetonio fides habenda est, XXIV, quibus gesta quae describuntur libro sequente usque ad caput quinquagesimum.

EXCURSUS I.
AD LIB. I. CAP. VI.

W. PFITZNER *allgemeine Geschichte der Kaiser-Legionen von August bis Hadrian in* Bergk *und* Caesar *Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft.* 1846. *I. S. 14.*

„*Wir könnten sogleich zu den Veränderungen des Galba übergehen, wenn nicht noch gegen eine Angabe des Dio Cassius, der man bisher unbedingt Glauben geschenkt, dem Nero die Aufrichtung der* legio classica, *bald* I. Adiutrix *genannt, zu vindiciren wäre. In den Ausgaben des Tacitus findet man über dieselbe die widersprechendsten Angaben. Schon Reimarus versuchte die Schwierigkeiten zu lösen, und mit so vielem Glück, dass wir auf dem Grunde, den er zu Dio c. 64, 3, Anm. 16 gelegt, ruhig weiter bauen können. Aus den bezüglichen Stellen* (D. C. 64, 3. Suet. Galb. 12. Plut. Galb. p. 1059. (c. 15.) Tac. Hist. 1, 6. 31. 37. 87) *geht hervor, dass Nero viele Tausende von Schiffssoldaten und Ruderern bei der Bedrohung seines Thrones nach Rom versammelte. Aus diesen wurde die* legio classica, *vollständig mit Fahnen und Adler ausgerüstet, gegründet. Die übrige grosse Masse war noch nicht geordnet, und wurde als Reserve zurückbehalten mit der Aussicht auf Legionendienst und Sold. Als Galba in Rom einzog, liess er die* legio classica *bestehen* (cf. Tac. Hist. 1, 6: remanente ea, quam e classe Nero conscripserat. 31: legioni classicae diffidebat. — Legio classica nihil cunctata praetorianis adiungitur.) *Die übrige noch ungeordnete Masse sollte ihren Hoffnungen entsagen und zu dem niedrigeren Schiffsdienst zurückkehren. Die Getäuschten*

treten gegen einen solchen Befehl zusammen, werden aber von dem Sieger Galba bestraft. Suet. Galb. 12. *Durch den Kampf an dem* pons Mulvius *und die darauf erfolgte Decimirung kamen gegen 7000 um. Dies hat Xiphil. 64, 3 irrthümlich auf die Praetorianer bezogen. Die Ueberlebenden wurden als Kriegsgefangene behandelt* (cf. Tac. Hist. 1, 87: quod reliquos caesorum ad pontem Mulvium et saevitia Galbae in custodia habitos.) *Sobald Otho sich gegen Galba erhob, traten sie sogleich nebst ihren früheren Commilitonen der* legio classica *zu dem neuen Kaiser über* (cf. Tac. Hist. 1, 36: universa classicorum legio). *In dem Kampfe gegen Vitellius zieht die* legio classica *unter Spurinna gegen Caecina* (Tac. Hist. 2, 11). *Die übrigen* classiarii *werden in Fähnlein geordnet, ohne jedoch eine Legion zu bilden* (Tac. Hist. 1, 87 in numeros legionis composuerat). *Auch denjenigeo, welche damals noch auf den Schiffen waren, wird Hoffnung auf ehrenvolleren Dienst gemacht* (facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiae). *Eine grosse Masse der* classicorum *behält Otho bei sich* (Tac. Hist. 2, 11: ipsum Othonem comitabantur — classicorum ingens numerus). *Einige Fähnlein derselben sind bei der Schiffsexpedition gegen Gallia Narbonensis unter Suetonius Clemens* (Tac. Hist. 2, 12. 14), *andere sind bei der eigentlichen* legio classica *unter Spurinna geblieben* (Tac. Hist. 2, 17. 22). *Endlich kommt die* legio classica, *die Tacitus jetzt zum erstenmale* legio Adiutrix *nennt, zum Kampf mit der* legio XXI. Rapax *und ist begierig, sich ihrer Auszeichnung würdig zu zeigen* (Tac. Hist. 2, 43: non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida). *Die Errichtung dieser* legio classica *oder* I. Adiutrix *hat Dio Cassius 55, 24 dem Galba zugeschrieben.*" cf. quae de eadem re *Pfitzner* disputavit in libro novissime edito: *Geschichte der römischen Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrianus.* Leipzig 1881 p. 42 s. 218 s.

BURNOUFII EXCURSUS II.

AD LIBRI I. C. LXXXVI.

Liv. 43, 13: *Non sum nescius ab eadem neglegentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant neque nuntiari admodum nulla prodigia in publicum neque in annales referri. Ceterum et mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quae in meos annales referam.* Quo loco allato ita pergit Burnouf: „*Voilà le véritable point de vue où doit se placer l'historien: ces phénomènes, tout faux qu'ils étaient, donnaient lieu à des actes de gouvernement; dès lors ils apartiennent à l'histoire. De plus, ils agitaient vivement l'imagination de la multitude, et une croyance chimérique devenait souvent la cause d'événemens trop réels. Enfin, dans l'histoire de l'esprit humain, les erreurs ne sont pas la partie la moins curieuse ni la moins instructive.*

His addemus, quae ad c. 89 excerpsit idem Burnouf: *Et quicquid utrimque virium est*] „*Quelle belle et grande image!*" *dit Ferlet:* „*les armées d'Othon et de Vitellius marchant pour se heurter dans les plaines de l'Italie; et derrière elles l'Orient et l'Occident prêts avec toutes leurs forces, comme deux champions redoutables, à entrer en lice pour la même querelle, si elle n'eût pas été vidée si promptement.*"

HISTORIARUM
LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Titus ad Galbam missus nuntio mortis eius accepto vertit iter. 2. Paphiae Veneris templum adit. 3. huius origo et deae cultus. 4. ibi futura edoctus aucto animo ad patrem, qui bellum Iudaicum profligaverat, redit. 5. Vespasiani Mucianique ingenium ac mores diversi. hi duces positis odiis in medium consulunt. inde 6. 7. civilis belli occasio intumescentibus Orientis legionibus. 8. 9. Falsi Neronis ludibrium ab Asprenate compressum. 10. In urbe parvae res magnis motibus actae. Vibius Crispus Annium Faustum, delatorem fratris sui, pervertit.

11. Laeta Othoni principia belli. 12. miles eius in Alpinos saevit. 13. In Albintimilium iras vertit. egregium maternae pietatis exemplum. 14. imminet provinciae Narbonensi Othoniana classis. Vitelliani caesi. 15. nec Othonianis incruenta victoria. 16. Pacarium procuratorem iuvare Vitellium Corsorum viribus parantem insulani necant. 17. Vitellianorum res secundae in Italia. 18. 19. Spurinna Placentiam munit contra Vitellianos. 20. eam Caecina dum oppugnat, 21. amphitheatrum urbi proximum conflagrat. 22. obsidione soluta Cremonam Caecina petit, ubi 23. Othoniani prospere pugnant. vincentium impetum reprimunt duces, inde suspecti fiunt suis. 24. Caecinae insidias in ipsum vertit Suetonius Paulinus, cuius 25. cunctatione Vitelliani servantur. 26. utrimque tumultuantur milites.

27. Valens in Italiam copias ducit. 28. 29. gravis in eius exercitu orta Batavorum seditio Alfeni Vari consilio composita. 30. iunctis armis, aemulatione suppressa, Caecina ac Valens Vitellium fovent, Othoni probra obiectant. eorum 31. Othonisque et Vitellii comparatio. Otho consultat de ratione belli. 32. Suetonius Paulinus moram suadet. 33. Titiani fratris et Proculi consilia praevalent. Otho cum valida manu Brixellum concedit. 34. Vitelliani transitum Padi simulant; 35. 36. quem prohibentes Othoniani caeduntur. 37. vanus rumor, pavore belli fastidiove utriusque principis pacis consilia inter exercitus fuisse agitata. 38. excursus de prioribus populi Romani civilibus bellis. 39. 40. Titianus et Proculus ad quartum a Bedriaco castra inperite promovent. ducibus dubiis rem in discrimen mitti Otho iubet. 41—43. Bedriacensis pugna. 44. Othonianorum fuga et adversus duces suos ira. 45. indutiae. victi cum victoribus in lacrimas effusi civilia bella detestantur. 46—49. Accepto cladis nuntio Otho consilii certus spretis amicorum militumque solaciis seditionem compescit et in ferrum pectore incumbit. funus maturatum. ad rogum quidam militum se interficiunt. 50. Othonis aetas, origo, fama.

51. Novata luctu ac dolore militum seditio. 52—54. pars senatus Othonem secuta extremum discrimen adit. 55. Romae trepidationis nihil; spectantur ludi; audita Othonis morte Vitellio plauditur. 56. gravis Italiae victor exercitus. 57. Vitellius nuntium de victoria sua accipit, 58. simulque de transgressa in partes suas utraque Mauretania 59. Blaesi odium vernilibus blanditiis velat. 60. Othonianorum promptissimos centuriones interficit. duces absolvit. 61. Maricci inserere sese fortunae ausi supplicium. 62. Vitellii gula, edicta. spretum Augusti Caesarisque praeconium. pulsi mathematici. equites arena prohibiti. 63. 64. Dolabellae caedes. Triariae licentia, Galeriae et Sextiliae modestia. 65. Cluvius absolvitur, Trebellius removetur. 66. Victae legiones ferociunt. quartadecimanorum et Batavorum discordia. 67. praetorianorum honesta missio. sparguntur legiones. 68. luxuriam principis aemulatur exercitus. Ticini tumultus alio tumultu sedatus. Verginii periculum. 69. cohortes Batavorum in Germaniam remissae. amputati legionum auxiliorumque numeri, miles luxu corruptus. 70. Vitellius Bedriacenses campos laetus lustrat, propinquae sortis ignarus. 71. Neronis libidines aemulatur. consulatus partitur 72. Falsus Scribonianus cruci suffixus.

73. Vitellius ob adactum in verba sua Orientem superbus et socors Vespasiani ad nomen excitatur. 74. hic bellum armaque parat. 75—78. nutantem firmant Mucianus, legati alii, vatum responsa et Carmeli dei sacerdos. 79. 80. imperatorem salutant Aegyptus

et Syria. 81. accedunt ad partes eius reges Sohaemus, Antiochus, Agrippa, regina Berenice. 82. belli consilia. Titus instat Iudaeae. Vespasianus claustra Aegypti obtinet. 83 84. Mucianus cum exercitu praemissus nervum belli conquirit. 85. 86. Moesicae Pannonicaeque legiones in partes transgressae Delmaticum militem trahunt. belli faces Antonius Primus, Cornelius Fuscus. 87. Vitellius, contemptior in dies, gravi urbem agmine petit eamque 88. 89. patrata multa militum paganorumque caede, ut captam, ingressus 90. magnificam de semet ipso orationem promit. 91. humani divinique iuris expers, nonnulla tamen popularia usurpat. 92. munia imperii Caecina ac Valens obeunt. Vitellio auctoritatis nihil. 93. militis in urbe otium, libidines, morbi, mortes, 94. insolentia, paucitas. Vitellii inopia, prodigentia. duces Galliarum postulati ad supplicium. militiae ordo confusus. 95. natalis Vitellii ingenti paratu celebratus. inferiae Neroni factae. urbis miseria. 96. defectionis Flavianae rumores male coercet Vitellius. 97. 98. excita tamen auxilia, sed necessitas dissimulata. 99. inrumpentibus hostibus Caecina ad bellum praemittitur; sed is 100. 101. cum Lucilio Basso classibusque Ravennati Misenensique proditionem componit et ad partes Vespasiani transit.

Gesta haec sunt paucis mensibus anno eodem, consulibus iisdem et aliis suffectis, de quibus videsis 1, 77.

(1) Struebat iam fortuna in diversa parte terrarum initia causasque imperio, quod varia sorte laetum rei publicae aut atrox, ipsis principibus prosperum vel exitio fuit. Titus Vespasianus e Iudaea incolumi adhuc Galba missus a patre causam profectionis officium erga principem et maturam petendis honoribus iuventam ferebat, sed vulgus fingendi avidum disperserat accitum in adoptionem. materia sermonibus senium et orbitas principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. augebat famam ipsius Titi ingenium quantaecumque fortunae capax, decor oris cum quadam maiestate, prosperae Vespasiani res,

2 varia sorte *Lipsius:* uarie ortum *a b*, uari aborte *alii* letum *a* rei . p. *a*, r. p. *b* 3 vel] aut *alii* e] a *b* iudea *b* 8 quantęquunq; *b* 9 decor oris *Rhenanus:* decoris *a b*, decori *alii* (decus oris *Ritter*) prospere *b*

1. *diversa*] opposita et longe distante, in Oriente scilicet. — *imperio*] Construe cum vv. *initia causasque* potius quam, ut fecere alii, cum v. *struebat.* — *varia sorte*] Egregia Lipsii coniectura firmatur c. 70 *vària sors rerum,* c. 95: *misera civitas — varia et pudenda sorte agebat.* 3, 80: *varia legatorum sors fuit.* cf. 2, 6 *vario eventu,* 4, 34 *varia — fortuna.* — *prosperum*] Vespasianus et Titus boni imperatores et felices; Domitianus ex eadem domo crudelis et malo exitio affectus. Duebn. — *missus a patre*] cf. 1, 10. Qua de re ita Hegesippus 4, 21: *Sententiam novi principis* (Galbae) *de bello Iudaico sciscitari Vespasiano consilium fuit misitque Titum filium et regem Agrippam. Titus de Achaia revertit comperto, quod Galba occisus; Agrippa Romam contendit.* Loci fons est apud Ioseph. B. I. 4, 9, 2. Vespasiano autem suspectus erat Galba, *percussores sibi ex Hispania in Iudaeam submisisse opinato.* Suet. G. 23. Hinc Galbam sibi penitus conciliare volebat misso ad eum filio. — *decor oris*] Quintil. 6, 3, 12 *inest proprius quibusdam decor in habitu ac vultu.* Phaedrus 1, 13, 7 *quantum decoris corpore et vultu geris!* cf. Agric. c. 44 *gratia oris.* Ann. 15. 48 *decora facies.* Ne *decus* quidem *oris*, quod volebat Ritter, absurde dici docent Verg. Aen. 4, 150 *tantum egregio decus enitet ore.* Ovid. met. 3, 422 *eburnea colla decusque oris.* — *prosperae Vespasiani res*] „Ultima duo vv. non erant in MS. Bud. et in Guelf. a manu sec. addita sunt in margine. Unde Rhenanus volebat *prospere praesaga responsa,* plane ut est in Guelf. Sane alienae sunt Vespasiani patris res, cum de ipsius bonis agatur. Fortasse tantum *prosperae res* scripsit Tacitus.“ Ern. Mirum profecto iudicium! Quidni vidit Taci-

praesaga responsa et inclinatis ad credendum animis loco ominum etiam fortuita. ubi Corinthi, Achaiae urbe, certos nuntios accepit de interitu Galbae et aderant qui arma Vitellii bellumque affirmarent, anxius animo paucis amicorum adhibitis cuncta utrimque perlustrat. si pergeret in urbem, nullam officii gratiam in alterius honorem suscepti ac se Vitellio sive Othoni obsidem fore: sin rediret, offensam haud dubiam victoris, set incerta adhuc victoria et concedente in partes patre filium excusatum. sin Vespasianus rem publicam susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus. (2) his ac talibus inter spem metumque iactatum spes vicit. fuerunt qui accensum desiderio Berenices reginae vertisse iter crederent; neque abhorrebat a Berenice iuvenilis animus, sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum. laetam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio moderatior. igitur oram Achaiae

1 presaga *a* omniū *a*, omnium *b* 2 fortuita *Grotius:* fortuna Achaie *b* [Achaiae urbe] *Fr. Iacob* 4 utrinque *a b* 5 officii nullam *a* (*corr.* 1*m*) 6 sin] si | in *a* 7 set *Rhenanus:* et incertam adhuc uictoris *a b* (incertum *b*²), incertam adhuc uictoriam *alii* patrię *a b* (corr. *b*²) 8 rem . p. *a*, r. p. *b* 9 et metumq; *a*, moetumq; *b* 10 fuere *alii* Berenices *Lipsius:* beronices 11 Berenice *Lipsius:* beronice 12 expedimentum *a b* (*corr.* *b*²) 13 modestior *alii*

tum hoc dicere voluisse „redundasse in filium patris gloriam"? — *praesaga responsa*] „Legendum *praesagia, responsa* diximus Obss. 2, 20." Gron. Mihi multo concinnior atque efficacior videtur Codd. lectio. Refer autem ad fatidica oraculorum, vatum, (ut Flavii Iosephi), haruspicum responsa Vespasiano data, quae enumerat Suet. Vesp. 5. Similiter Ovid. met. 3, 514 *praesagaque ridet verba senis.* Splendor autem principatus, quem patri pollicebantur, illustrabat etiam filium. Alii referunt ad ea, quae de Tito narrantur c. 4, sed Paphii oraculi responsum ei in reversione demum ad patrem datum nemo nosse poterat tum, cum eius adventus in urbem exspectabatur. — *fortuita*] „quorum alio tempore nemo rationem aut curam habuisset, tunc pro ominibus accipiebantur." cf. 1, 86 *a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen — vertebatur.* — *Corinthi*] de appositione addita cf. *Nipperdey* ad Ann. 5, 10 *Euboeam, Aegaei maris insulam.* — *anxius animo*] N. Heinsius: „malim *animi*", at cf. c. 65 *laetitiam — voltu ferens, animo anxius.* — *nullam officii gratiam — suscepti*] apte L. Spengel verba illa confert, quibus Napoleo post pugnam ad oppidum Austerlitz factam Haugvitzium castigavit: „*Voilà un compliment, dont la fortune a changé l'adresse!*" — *offensarum*] „non cogitandum esse de offensis, eas prorsus negligendas esse iis, qui ab ipso bello, longe maxima offensa, non abhorruissent."

2. *iactatum spes vicit*] Adeo haesit in his Ernestius, ut proponeret, dubitanter tamen: *iactatur* vel *iactatus. Spes vicit.* Sed modo prope poetico dictum est pro: *inter spem metumque cum iactaretur, tandem in eius animo spes vicit.* — *Berenices*] quae pulcherrima fuit proneptis Herodis Magni, neptis Aristobuli et Berenices, filia Agrippae maioris, soror Mariae, Drusillae et Agrippae minoris, ultimi Iudaeorum regis, incesti cum fratre commissi suspecta, nupta primum Herodi patruo, Chalcidis regi, deinde Polemoni II., regi Ponti et Ciliciae, amata a Tito Caesare, cuius causa bis Romam venit. cf. 2, 81. Suet. Tit. 7: *suspecta — libido, — propter insignem reginae Berenices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur. — Berenicen statim ab urbe dimisit* (ob populi indignationem), *invitus invitam.* Dio 66, 15. Ioseph. A. I. 18, 5, 4. 19, 5, 1. 20, 7, 3. Acta Apost. 25, 13. 23. 26, 30. — *moderatior*] cf. Suet. Tit. 1. 7.

et Asiae ac laeva maris praevectus Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris inclitum per indigenas advenasque. haud fuerit longum initia religionis, templi ritum, formam deae (neque enim alibi sic habetur) paucis disserere. (3) conditorem templi regem Aeriam vetus memoria, quidam ipsius deae nomen id perhibent. fama recentior tradit a Cinyra sacratum templum deamque ipsam conceptam mari huc adpulsam, sed scientiam artemque haruspicum accitam et Cilicem Tamiram intulisse atque ita pactum, ut familiae utriusque posteri caerimoniis praesiderent. mox, ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa quam intulerant scientia

1 leua *a b* insulas] *hinc pergit Mediceus folio* 60 4 erit *L. Spengel* ritum *Dureau de Lamalle:* sitū 6 Aeriam *Rhenanus* (Aerian *Iac. Gronovius*)*:* uerian; (= uerianus) 7 peribent 8 aruspicum 9 et Cilicem *Rhenanus:* et cilicen (e Cilicia *Puteolanus*) 11 ipsā (*notam del.* 1*m*) intulerat (*em. Puteolanus*)

Dio 66, 18. — *laeva maris*] loca Syriam Corintho petentibus ad laevam sita. Duebn. cf. Liv. 2, 34, 3 *laevo — mari*, 32, 29, 6 *in laeva Italiae*. — *praevectus*] Ann. 2, 6: *Germaniam praevehitur*. Hist. 4, 71: *dum missilia hostium praevehuntur*. — *audentioribus spatiis*] Nimirum in mari aperto navigans, quae audacia esse videbatur veteribus, oram ut plurimum legentibus. Duebn. Hic prope poetice loquitur, ut saepe; neque talia reprehendi aut mutari debent, quemadmodum Ritter volebat *patentioribus;* κυρίως Ann. 2, 78: *lato mari pergere in Suriam*. — *Paphiae*] Paphus, urbs Cypri insulae. — *haud fuerit longum*] coniunctivus potentialis, ut c. 77 *absurdum fuerit*. Ann. 3, 39 *neque — dici decuerit*. 14, 56 *non — decorum fuerit*. 15, 41 *haud promptum fuerit;* sed in phrasi *longum est* sine exemplo coniunctivus est. falso enim *Dräger* Synt. § 28 b affert Capitol. Pert. 2, ubi nunc legitur *longum fuit conectere*. — *neque enim alibi sic habetur*] deae simulacrum et forma. Ern.

3. *Aeriam*] Ann. 3, 62 *Exim Cyprii tribus de delubris, quorum vetustissimum Paphiae Veneri auctor Aerias, post filius eius Amathus Veneri Amathusiae et Iovi Salaminio Teucer Telamonis patris ira profugus posuissent*. De accusativo *Aeriam* cf. *Sirker* Tacit. Formenlehre § 4. — *Cinyra*] Apollinis et Pharnaces filius, auctore Hesychio; alii aliter. Antiquissima eius mentio apud Hom. Il. λ, 20, ubi thorax ab eo Agamemnoni in munus hospitale donatus memoratur: Πεύθετο γὰρ Κύπρονδε μέγα κλέος, οὕνεκ' Ἀχαιοί Ἐς Τροίην νήεσσιν ἀναπλεύσεσθαι ἔμελλον. Tum teste Plinio 7, 48, 153: *Anacreon poeta Arganthonio Tartesiorum regi CL tribuit annos, Cinyrae Cypriorum X annis amplius;* Pindar. Pyth. 2, 15: Κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κινύραν πολλάκις φᾶμαι Κυπρίων, τὸν ὁ χρυσοχαῖτα προφρόνως ἐφίλησ' Ἀπόλλων Ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας. Arnob. 5, 19: *Nec non et Cyprias Veneris abstrusa illa initia praeteriemus* (sic Hildebr.), *quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse, in quibus sumentes ea certas stipes inferunt ut meretrici et referunt phallos propitii numinis signa donatos*. Athen. 10, 83. In posterioribus fabulis ex incesto cum Myrrha filia generat Adonin. Ovid. Met. 10, 300. — *deamque — adpulsam*] unde Ἀναδυομένη dicta. Strabo p. 657. — *Cilicem Tamiram*] Cicero de Divin. 1, 1, 2: (*Cilices*) *volatibus avium cantibusque ut certissimis signis declarari res futuras putant*. In templo sacrae columbae alebantur. Duebn. — *posteri*] Κινυράδαι (Schol. Pind. l. l.) et Ταμιράδαι (Hesych.). — *stirpem antecelleret*] „ut Ann. 14, 55 et *praecellere aliquem* Ann. 2, 43, *praeminere aliquem* Ann. 3, 56. 12, 12. 33. 15, 34. Gr. προέχειν τινά, de quo v. Poppo ad Xenoph. Anab. 3, 2, 19.“ Bach ad Ann. 2, 43. cf.

hospites cessere: tantum Cinyrades sacerdos consulitur. hostiae, ut quisque vovit, set mares deliguntur: certissima fides haedorum fibris. sanguinem arae obfundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus, quanquam in aperto, madescunt. simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens; et ratio in obscuro. (4) Titus spectata opulentia donisque regum, quaeque alia laetum antiquitatibus Graecorum genus incertae vetustati adfingit, de navigatione primum consuluit.

3 p̄cib; 4 quānquā (*priorem notam del.* 1m) 5/6 ambitu (*sic, ut editio princeps*) 6 meta set *Wurm*

Dräger Synt. § 40c. — *cessere*] eam scientiam Cinyradae sacerdoti concessere Tamiradae. Duebn. — *hostiae*] Hostiae non nisi extorum inspiciendorum causa mactatae, non ut in ara adolerentur. Ern. — *igne puro*] taedis vel ture, sanguine non asperso. Verg. Aen. 7, 71: *Castis adolet dum altaria taedis* et 1, 416: *centumque Sabaeo ture calent arae sertisque recentibus halant.* — *altaria adolentur*] In singulari hac iunctura est: „precibus recitatis et ture cremato altaria afficiuntur religioso honore, quo dea ipsa colitur.“ Ann. 14, 30: *cruore captivo adolere aras et hominum fibris consulere deos fas habebant.* — *in aperto*] Eustathius ad Odyss. ϑ, 362: Ἡ δ᾽ ἄρα Κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη Ἐς Πάφον, ἔνϑα δέ οἱ τέμενος βωμός τε ϑυήεις· haec adnotat: Ὁ δὲ ῥηϑεὶς βωμὸς αἴϑριος προέκειτο, οἷα εἰκός, καϑὰ καὶ ἄλλοι παρὰ τῷ ποιητῇ φαίνονται, περὶ οὓς ῥέζεσκον ὁδῖται. — *madescunt*] Plin. n. h. 2, 96, 210: *celebre fanum habet Veneris Paphos, in cuius quandam aream non impluit.* Hoc miraculum de aliis etiam locis tradebatur. Polyb. 16, 12: καταπεφήμισται δὲ καὶ πεπίστευται παρὰ μὲν τοῖς Βαργυλιήταις, διότι τὸ τῆς Κινδυάδος Ἀρτέμιδος ἄγαλμα, καίπερ ὂν ὑπαίϑριον, οὔτε νίφεται τὸ παράπαν οὔτε βρέχεται· παρὰ δὲ τοῖς Ἰασεῦσι, τὸ τῆς Ἀστιάδος· καὶ ταῦτά τινες εἰρήκασι καὶ τῶν συγγραφέων. Ἐγὼ δὲ πρὸς τὰς τοιαύτας ἀποφάσεις τῶν ἱστοριογράφων οὐκ οἶδ᾽ ὅπως παρ᾽ ὅλην τὴν πραγματείαν ἐναντιούμενος καὶ δυσανασχετῶν διατελῶ κ. τ. λ. Ad talia magis poetico sensu praeditus erat Tacitus. — *continuus*] quasi scripsisset: „sed est *orbis* id est conus continuus nullis membris humanis distinctus imprimis sine capite.“ cf. Maximus Tyr. Diss. 8, 8: Παφίοις ἡ μὲν Ἀφροδίτη τὰς τιμὰς ἔχει· τὸ δὲ ἄγαλμα οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῳ ἢ πυραμίδι λευκῇ, ἡ δὲ ὕλη ἀγνοεῖται. Servius ad Aen. 1, 720: *Apud Cyprios Venus in modum umbilici vel, ut quidam volunt, metae colitur.* Prorsus autem similis erat Emesae ἄγαλμα Ἐλαιαγαβάλου sive Solis teste Herodiano 5, 3, 5: λίϑος τις ἔστι μέγιστος, κάτωϑεν περιφερής, λήγων ἐς ὀξύτητα· κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά. διιπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν. Ea species exhibetur in nummis Paphi. cf. Vaillant in NN. Colon. I. p. 93 in nummo Drusi et *Pitture d'Ercolano* III. Tab. 52. — *ratio in obscuro*] „Eam tradit Clemens Alex. Protrept. 4, 47. Ed. Sylb. p. 13, ubi et de aliis talibus deorum dearumque formis reperies. Scilicet tales figurae sunt indicio vetustatis ultimae, qua nondum exprimere didicerant ligno aut saxo formas hominum aut animalium.“ Ern. „Consuli merentur interpretes picturarum Herculanensium l. l., quorum alii conum symbolum amoris esse, alii ad phallum pertinere arbitrantur.“ Oberl. Hoc vero videtur fuisse βαιτύλιον διιπετές (*kegelförmiger Aërolith*); quamquam hac de re dubitare videtur Münter *antiquarische Abhandlungen. Kopenhagen* 1816 p. 280. Sed conferendus imprimis Guigniaut in disputatione de Venere Paphia, quam Burnouf inseruit interpretationi suae. Doleo eam nimis longam esse, quam ut eam repetere possim. cf. *Preller* Griech. Mythol. 1[3], 304.

4. *antiquitatibus*] ἀρχαιολογίᾳ, antiquis μύϑοις atque historiis referendis; intelligit praesertim νεωκόρους, aedituos illos, qui iter facientibus donaria templorum monstrabant eorumque origines et causas enarrabant. —

postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat caesis compluribus hostiis. Sostratus (sacerdotis id nomen erat) ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis adnuere deam videt, pauca in praesens et solita respondens petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem pervectus suspensis provinciarum et exercituum mentibus ingens rerum fiducia accessit.

Profligaverat bellum Iudaicum Vespasianus obpugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitae bello: quattuor Mucianus obtinebat in pace, sed aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam, quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexperti belli dolor. auxilia utrique cohortium alarumque et

1 deseperā | baIes 2 sacerdotib; (*sic*) *corr.* 1m (sacerdoti *N. Heinsius*) 5 pervectus. Suspensis *Muretus* 7 Iudei cū 11 obti|bat 12 emulatio 14 dolor *Meiser:* labor (labores *Agricola*, ardor *Rhenanus*, amor *Orelli;* inexpertus belli labor *Rhenanus in textu;* inexpertis belli *Lipsius*, inexpertum bellum *Nipperdey*)

per ambages] „Hoc est, interrogat de fatis suis, quid sperare ipse posset; verum non plane, ne periculum inde sibi nasceretur, sed verbis ambiguis, quae tamen intelligere sacerdos posset. Hinc mox vocat *magna consulta.* Consuluit de imperio, an sibi fatis deberetur.“ Ern. cf. Suet. Tit. 5: *adito Paphiae Veneris oraculo, dum de navigatione consulit, etiam de imperii spe confirmatus est.* — *ad patrem*] qui tunc Caesareae in Iudaea versabatur. — *fiducia*] Recte pro nominativo habuerunt Freinshemius atque Gronovius, et hic quidem afferens ex Iustin. 11, 4, 12: *qui, ex continenti ad Dareum profecti non mediocre momentum Persarum viribus accessere;* et 13, 6, 12: *ubi et Olympias esset, mater Alexandri, non mediocre momentum partium.* „Titus ipse, qui, credo, spes ex oraculo conceptas non penitus occultabat, valde auxit militum praesertim fiduciam.“ cf. c. 5: *praecipua concordiae fides Titus.* c. 23: *acerrima seditionum — incitamenta interfectores Galbae.* 4, 85: *praecipua victoriae fides dux hostium.* Ovid. Trist. 5, 6, 1: *Tu quoque nostrarum quondam fiducia rerum.* (Minus recte Pichenae et Lipsio videbatur ablativus, ut etiam Louandre: *il arriva puissant par la confiance dans le succès.*) — *Profligaverat*] prope ad finem perduxerat, ut Cic. ad Fam. 12, 30, 2: *profligato bello ac paene sublato.* Augustus in Mon. Ancyrano cap. 20: *COEPTA. PROFLIGATAQVE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI.* Liv. 21, 40, 11: *bellum — commissum ac profligatum conficere.* Florus 1, 31, 2: *si quis trium temporum momenta consideret, primo commissum est Punicum bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est.* Auson. Mosella 425: *Haec profligati venit modo laurea belli: Hinc alias aliasque feret.* — *ingenium montis*] Numero singulari complectitur quattuor colles, in quibus sita Hierosolyma, minores duos, Acra et Bezetha, maiores, Zion et Moriah. cf. 5, 11; dictum autem, ut Ann. 6, 41: *locorum ingenio.* Hist. 1, 51 *ingenio loci caelique.* Plin. n. h. 14, 1, 10 *caeli mores solique ingenia.* Verg. G. 2, 177 *arvorum ingeniis.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 3, 26. Suo vero ex more iungit *concretum*, quod dicunt, situm arduum urbis, et *abstractum, pervicaciam superstitionis* Iudaicae. — *quam quo*] Sic Cicero in ep. ad fam. 10, 3, 4 *haec amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quam quo te arbitrarer monitis et praeceptis egere.* — *memoravimus*] 1, 10. Erant legiones V Maced., X Fretensis, XV Apoll. — *quattuor*] leg. III Gall., IV Scyth., VI Ferr., XII Fulm. — *belli labor*] Mihi quoque intolerabilis videtur haec

classes regesque ac nomen dispari fama celebre. (5) Vespasianus acer militiae anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio ac, si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans; prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant; aptior sermone, dispositu provisuque civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demptis utriusque vitiis solae virtutes miscerentur. ceterum hic Syriae, ille Iudaeae praepositus, vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes, exitu demum Neronis positis odiis in medium consuluere, primum per amicos, dein praecipua concordiae fides Titus prava certamina communi utilitate aboleverat, natura atque arte compositus alliciendis etiam Muciani moribus. tribuni centurionesque et volgus militum industria licentia, per virtutes per voluptates, ut cuique ingenium, adsciscebantur. (6) antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, praecipitibus, ut adsolet, nuntiis et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum

2 ante Ire 3|4 uix aggregario (*prim.* g *del.* 1*m*) 8 uiriusq; 8|9 illę Iudeę 9 prepositus 10 exitū (*notam del.* 1*m*) 13 mociani 16 precipitib; *a*, pręcipitibus *b*²: precib; | (pernicibus *Iacob*) set *L. Spengel*

repetitio v. *labor* atque insuper praeposterum praebet ὀξύμωρον. Itaque legendum censeo *inexperti belli dolor.* hoc enim dicit: dolebant, quod bellum non experti erant, isque dolor vigorem eis addiderat. cf. 1, 5 *pari dolore commoda aliena ac suas iniurias metiebantur.* — *classes*] Ponti, Syriae, Aegypti. — *regesque*] Antiochus rex Commagenes, Agrippa partis Palaestinae, quae spectat inter orientem et septentriones, Sohaemus Sophenes. cf. c. 81. 5, 1.

5. *acer militiae*] Vell. 1, 3, 1 *acer belli iuvenis.* cf. *Dräger* Synt. § 71 a. — *noctu diuque*] 3, 76 *noctu dieque.* Ann. 15, 12 *diu noctuque.* Sall. Iug. 38, 3 et 44, 5 *diu noctuque,* 70, 1 *die noctuque.* — *cibo fortuito*] obvio, facile parabili, τῷ τυχόντι. — *aptior sermone*] cf. c. 86 *sermone promptus.* — *dispositu provisuque civilium rerum*] Cum Savilio haec sane coniungenda, nequaquam separanda cum Gronovio, qui *aptior sermone dispositu provisuque* iunctim accipi voluit, ut significet Tacitus „Mucianum elegantiorem et diligentiorem fuisse in dispositione et ordine omnium, quae ageret circaque haberet.“ Quin immo hoc vult, Vespasianum fuisse virum militarem antiquis ducibus prope aequiparandum, Mucianum insignem πολιτικόν. cf. Agr. 39 *studia fori et civilium artium decus.* Ann. 3, 75 *studiis civilibus.* Curtius 6, 11, 1 *pacis artium et civilis habitus rudis, vetus miles.* Quintil. inst. or. prooem. 10 *vir ille vere civilis et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus.* Ceterum his de Muciano adde supra dicta 1, 10. — *aboleverat*] de hoc usu plusquamperfecti cf. *Dräger* Synt. § 27 b.

6. *praecipitibus — nuntiis*] c. 41 *praecipites exploratores.* Medicei *precibus* ortum est omissis ut saepe mediis syllabis. facilior igitur et probabilior haec emendatio quam Iacobi *pernicibus*, quamquam 3, 40 *pernicibus nuntiis* legimus. nimis argute *Heraeus* discrimen quoddam inter *praeceps* et *pernix* statuere conatur. utrumque enim festinationem significat et tarditati opponi potest. — *tarda mole*] „et tarde dumtaxat nec sine multa circumspectione suscipiebat Oriens civile bel-

parabat. namque olim validissima inter se civium arma in Italia Galliave viribus Occidentis coepta; et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fuerant; auditique saepius in Syria Iudaeaque Caesares quam inspecti. nulla seditio legionum; tantum adversus Parthos minae, vario eventu. et proximo civili bello turbatis aliis inconcussa ibi pax; dein fides erga Galbam. mox, ut Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire volgatum est, ne penes ceteros imperii praemia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Iudaeaque; inde continua Aegyptus duaeque legiones, hinc Cappadocia Pontusque et quicquid castrorum Armeniis praetenditur; Asia et ceterae provinciae nec virorum inopes et pecuniae opulentae; quantum insularum mari cingitur, et parando interim bello secundum tutumque ipsum mare. (7) non fallebat duces impetus militum, sed bellantibus aliis placuit expectari. bellum ruere in victores victosque, numquam solida fide

1 nanq; ualidissimā (*notam del.* 1m) 2 cępta 3 secutos st (*sic*), *corr.* 1m 3|4 fuerat (n *superscr.* 1m) 4 aditiq; 8 pęnes cęteros pęnes 12 quicquit asya 14 [et] *Acidalius* belli (*corr.* 1m) 16 bellum ruere in *Meiser*: bellū · cū In (belli exitum *Pichena*, bello civili *Heinisch*) solidā (*notam del.* 1m)

um.“ — *auditique*] cf. 1, 76 *prior auditus.* — *quam inspecti*] Quippe nullus ibi fuerat post Caesarem Germanicum. — *vario eventu*] Respice ad Ann. 15, 24. 27. Sic non opus Acidalii *vano.* Oberl. — *circumspicere*] Id est computare. c. 74 *Vespasianus — procul vel iuxta sitas vires circumspectabat.* Ann. 14, 33 *circumspecta infrequentia militis.* — *duaeque legiones*] ,,Paullo aliter hoc olim. Nam C. Caesar, Aegypto devicta, tres in ea legiones reliquit. Auctor Suetonius in Iul. 76. Augustus eum numerum retinuit, immo et Tiberius: sub quo Strabo sane vixit, et haec scripsit L. 17. p. 797: Ἔστι δὲ (in Aegypto) τρία τάγματα, ὧν τὸ ἓν κατὰ τὴν πόλιν ἵδρυται, τἆλλα δ' ἐν τῇ χώρᾳ. Sed Tiberius tamen non in longum. Anno enim imperii eius nono Tacitus clare duas tantum legiones Aegypto adtribuit, uti et hic, Ann. 4, 5: *Cetera Africae per duas legiones parique numero Aegyptus.* Observa ergo obiter paullo certius de Strabonis scriptione, quam vides eum desiisse ante hunc nonum Tiberiani imperii annum. Addo etiam Hegesippum de duabus his legionibus adsentiri Tacito 4, 26: *Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adiungere Vespasianus properavit.*“ Lips. Erant in Aegypto legio III. Cyrenaica et XXII. Deiotariana cf. *Pfitzner:* Gesch. d. röm. Kaiserlegionen p. 193. — *pecuniae opulentae*] Ritter scripsit *pecunia opulentae*, sed quidni *opulentus*, ut *fecundus*, *ferax*, *dives*, similia, genetivum quoque admittat? Sic Hor. od. 1, 17, 16 *honorum opulenta.* cf. Verg. Aen. 1, 14 *Carthago — dives opum.* Hor. sat. 1, 1, 79 *pauperrimus esse bonorum.* non igitur mutare licet, quamquam Ann. 3, 46 legimus *pecunia dites et voluptatibus opulentos.* — *secundum*] per se opportunum ad celerius transvehendos et milites et belli instrumenta. — *tutumque*] ab hoste, ita ut mari opprimi aut invadi Vespasianus non posset, quia adversarii classem non habebant.

7. *bellum ruere in victores victosque*] h. e. bellum perdere victores victosque, ut paulo post apertius dicit *alterum bello, alterum victoria periturum.* cf. 4, 54 *Civilis — in populum Romanum ruere.* Hor. od. 1, 19, 9 *In me tota ruens Venus.* sat. 2, 7, 88 *In quem manca*

coalescere; nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. rebus secundis etiam egregios duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriem; et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. igitur arma in occasionem distulere, Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis; optimus quisque amore rei publicae, multos dulcedo praedarum stimulabat, alios ambiguae domi res. ita boni malique causis diversis, studio pari bellum omnes cupiebant.

(8) Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae, velut Nero adventaret, vario super exitu eius rumore eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e Ponto sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia citharae et cantus peritus, unde illi super similitudinem oris propior ad fallendum fides, adiunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis corruperat, mare ingreditur; ac vi tempestatum Cythnum insulam detrusus et militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit vel abnuentes interfici iussit et spoliatis negotiatoribus manci-

2|3 discordia militis, ignavia, luxurie *Madvig* 3 luxurię 5 RP. 7 cupiebat (n *superscr.* 1m) 8 asya exterrite uelud 12 cytharę similitudine moris 13 promptior *Freinsheim*, pronior *Heinsius*

ruit semper fortuna. Lucan. Phars. 2, 448 *primo terrore ruentis — belli.* — *nuper, ceteri olim*] Sensus: Vespasianum et Mucianum nuper (Titi opera) consilia de invadendo imperio consociasse; ceteris, Tito, tribunis aliisque fidis ministris rem illam multo ante agitatam. cf. c. 5. (*Ceteros* Lipsius recte intelligit amicos et familiares Vespasiani, qui iam dudum ominabantur fore, ut Vespasianus imperium acciperet. cf. 1, 10. 50. Suet. Vesp. 5. Bach. Sed vv. *mixtis consiliis* sic haud satis respiciuntur, quae manifesto significant et Vespasiani et Muciani amicos aeque eo propendisse, ut Vespasianus ad princip[illegible]m perveniret.) — *ambiguae domi res*] aes alienum, fides decocta, conscientia facinorum. cf. 1, 88. Ern. Ann. 1, 64 *secundarum ambiguarumque rerum sciens.*

8. *velut Nero*] Nomen nemo prodidit; de alio Pseudonerone cf. Suet. Ner. 57, qui e tenebris emersit Domitiano cos. XIV a. u. c. 841, p. Ch. 88. Fuit et medius quidam sub Tito, homo Asianus, nomine Terentius Maximus, de quo v. Zonaram p. 578. cf. Dio Chrysost. Orat. 21. p. 300. ed. L. Dind.: Νέρωνά γε καὶ νῦν ἔτι πάντες ἐπιθυμοῦσι ζῆν· οἱ δὲ πλεῖστοι καὶ οἴονται, καίπερ τρόπον τινὰ οὐχ ἅπαξ αὐτοῦ τεθνηκότος, ἀλλὰ πολλάκις μετὰ τῶν σφόδρα οἰηθέντων αὐτὸν ζῆν. Inter Christianos etiam *multorum opinione receptum erat ipsum* (Neronem) *ante Antichristum venturum*, ut ait Sulpicius Sev. Chron. 2, 28, 1 (ed. Halm) collato Lactantio de Mort. Persecut. 2, quam opinionem manasse statuunt recentiores interpretes ex Apocalypsi Ioannis apostoli sive Ioannis presbyteri sive Ioannis Marci sive alius denique c. 13, 11 seqq. de belua bicorni, „cuius numerus, inquit, est hominis numerus et quidem DCLXVI." (cf. Casaub. ad Suet. l. l. Reimarum ad Dionem 64, 9.) — *in contextu operis*] qui periit. — *propior ad fallendum fides*] „quia perite psallebat atque canebat, ut Nero, eo facilius fallere homines poterat;" clarissima sententia, quam obscuravit Doederlein distinguendo: *unde illi* (scil. Neroni) *super similitudinem oris propior, ad fallendum fides.* Sine causa in adiectivo *propior* critici haeserunt; nam *propior ad fallendum fides* est fides, quae propius accedit ad fallaciam, quae magis, vehementius fallit, h. e. fallacior fides (*eine täuschendere Glaubwürdigkeit*). nolui igitur, quod aptum sensum praebet, temere mutare. — *Cythnum*] inter Cycladas meridiem

piorum valentissimum quemque armavit. centurionemque Sisennam dextras, concordiae insignia, Syriaci exercitus nomine ad praetorianos ferentem variis artibus adgressus est, donec Sisenna clam relicta insula trepidus et vim metuens aufugeret. inde late terror; multi ad celebritatem nominis erecti rerum novarum cupidine et odio praesentium. gliscentem in dies famam fors discussit. (9) Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat. datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit; nec defuere qui trierarchos nomine Neronis accirent. is in maestitiam compositus et fidem suorum quondam militum invocans, ut eum in Syria aut Aegypto sisterent, orabat. trierarchi nutantes seu dolo adloquendos sibi milites et paratis omnium animis reversuros firmaverunt. sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata; cuius cohortatione expugnata navis et interfectus quisquis ille erat. corpus insigne oculis comaque et torvitate vultus in Asiam atque inde Romam pervectum est.

(10) In civitate discordi et ob crebras principum mutationes inter libertatem ac licentiam incerta parvae quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus, pecunia potentia ingenio inter claros magis quam inter bonos, Annium Faustum equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem senatus vocabat. nam

1 quenq; 2 siriaci 4 afugeret multis *dett.* 4.5 celebri tē 5 erecti *Weissenborn:* erectis 6 galitiā 7 regendas (*notam del.* 1*m*) perremiserat (re *del.* 1*m*) 8 misensi (*corr.* 2*m*) Cythnum *Frobenius* 1544: scithinū (cythinum b^2) 9 trierchos (*corr.* 2*m*) 10 mestitiam 11 syriā (*notam del.* 1*m*) egypto trierarchis (ar *in ras.* 1*m*) 13 asprenatis (s *del.* 1*m*) 14 quisq; caput *Wurm* 15 asyā 16 *ob*] hoc crbras (e *superscr.* 2*m*) 18 scrisp$\overset{s}{\bar{u}}$ (*pr.* s *del.* 1*m*) 20 cognationē

versus sub Ceo insula; hodie *Thermia*, aliis *Calchi.* — *dextras*] cf. 1, 54.

9. *ut eum*] pronomen demonstrativum pro reflexivo positum est, ut c. 64 *uxorem eius.* Ann. 4, 67 *quietem eius.* cf. *Dräger* Synt. § 15. — *in Syria — sisterent*] Ann. 2, 14 *isdem in terris victorem sisterent.* — *trierarchi nutantes seu dolo*] Sic sane melius correctus est Med. error *trierarchis* quam ab Ernestio *trierarchi seu n.* et a Bachio *trierarchi sive nutantes;* etenim simplex *seu* prorsus est ex Taciti genere dicendi, ut Ann. 1, 6: *ficta seu vera promeret.* 5, 4: *fatali quodam motu — seu prava sollertia.* — *firmaverunt*] *firmare* pro *affirmare* ponitur, ut Ann. 1, 81. 4, 48. 6, 6. 28. 50. — *corpus insigne — torvitate vultus*] Ann. 2, 14 *iam corpus ut visu torvum.* Ceterum probabilem Wurmii emendationem in textum recipere nolui, quia verbum *pervectum est* magis ad subiectum *corpus* quam *caput* spectare videtur.

10. *libertatem ac licentiam*] Cic. acad. pr. § 30 *libertatem et licentiam.* cf. *Wölfflin:* Die allitt. Verb. d. l. Spr. p. 65. — *Vibius Crispus*] De quo sunt memorabiles versus Iuvenalis 4, 81: *Venit et Crispi iucunda senectus, Cuius erant mores, qualis facundia, mite Ingenium* cet. cf. de eo dial. 8. 13. hist. 4, 41. 43. Quintil. 5, 13, 48. 10, 1, 119 cet. Sueton. Domit. 3. Dio 65, 2. *Nipperdey* ad Ann. 14, 28. — *delationes factitaverat*] Sic Cic. Brut. § 130: *qui — accusationem factitaverit.*

recens Galbae principatu censuerant patres, ut accusatorum causae noscerentur. id senatus consultum varie iactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebat adhuc terrores. et propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere traxeratque magnam senatus partem, ut indefensum et inauditum dedi ad exitium postularent. contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris: dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem more tamen audiendum censebant. et valuere primo dilataque in paucos dies cognitio; mox damnatus est Faustus, nequaquam eo assensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat: quippe ipsum Crispum easdem accusationes cum praemio exercuisse meminerant, nec poena criminis sed ultor displicebat.

(11) Laeta interim Othoni principia belli, motis ad imperium eius e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. fuere quattuor legiones, e quibus bina milia praemissa; ipsae modicis intervallis sequebantur, septima a Galba conscripta, veteranae undecima ac tertia decima et praecipui fama quartadecumani rebellione Britanniae conpressa. addiderat gloriam Nero eligendo ut potissimos, unde longa illis erga Neronem fides et erecta

1 recenti *Nipperdey* principatū 2 uarię 3 adhuc *a b:* ad hunc | terrores *Madvig:* t̄roris (terrore *a b*), terrorem *I. Fr. Gronovius*, aliquid terroris *Iacob.* retinebatur adhuc terrori *Acidalius*, *Halm*, *Ritter* 4 set *Halm*, set et *Ritter* 5 Indefensūs (s *del.* 1*m*) 6 nichil 11 pęna 17 brittannię c̄pressa (*notam supra* p *del.* 1*m*)

Gron. — *recens Galbae principatu*] non ausus sum Medicei scripturam mutare; nam quod *Wölfflin* (Philol. 27 p. 140) statuit *recens* adverbii loco participiis tantum perfecti passivi aut adiectivis pro participiis talibus positis addi, non tam certum et exploratum videtur, ut locos huic regulae contrarios iam corrigere liceat. nam cavendum est, ne fictas leges scriptori obtrudamus. Ceterum initio Galbae principatus hoc senatus consultum factum esse docet 4, 42: *elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat. optimus est post malum principem dies primus.* — *varie iactatum*] quod non eandem semper vim habuerat, modo parum, modo multum valuerat, ut mox ipse explicat. Ern. (*diversement exécuté* Louandre.) — *incubuerat — pervertere*] Verg. G. 4, 249 *incumbent generis lapsi sarcire ruinas.* — *fratris sui*] Vibii Secundi, de quo Ann. 14, 28. — *aeque — quam*] Sic Tacitus omnibus locis dicit, uno loco (4, 5) *aeque ac* cf. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac., *Dräger* Synt. § 176. Similem rem refert Suetonius Iul. 12: *sorte iudex in reum ductus tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil aeque ac iudicis acerbitas profuerit.*

11. *septima a Galba conscripta*] cf. 1, 6 *legione Hispana;* diversa ab ea est VII Claudia. — *undecima*] Claudia erat in Dalmatia. — *tertia decima*] Gemina in Pannonia. — *quartadecumani*] legio XIV Gemina, propter virtutem, quam in Britannia praestiterat, Martia Victrix cognominata, a Nerone e Britannia excita a Galba in Dalmatiam missa erat. cf. *W. Pfitzner* Geschichte d. r. Kaiserlegionen p. 257. — *rebellione Britanniae*] de qua Ann. 14, 29 seqq. Agr. 15 seqq. Cerialis quartadecumanos *domitores Britanniae* appellat H. 5, 16. — *eligendo ut potissimos*] Nero eos arcessiverat sive contra Vindicem sive ad

in Othonem studia. sed quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat. agmen legionum alae cohortesque praeveniebant. et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque praetoriae cohortes et equitum vexilla cum legione prima, ac deforme insuper auxilium, duo milia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis ducibus usurpatum. his copiis rector additus Annius Gallus, cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas praemissus, quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso iam Alpes Caecina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora cum ceteris praetoriis cohortibus, veterani e praetorio, classicorum ingens numerus. nec illi segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est et ante signa pedes ire, horridus incomptus famaeque dissimilis. (12) blandiebatur coeptis fortuna, possessa per mare et naves maiore Italiae parte penitus usque ad initium maritimarum Alpium, quibus temptandis adgrediendae-

1 roburis 2 cohortisq; (*corr.* 1*m*) 3 quitum (e *superscr.* 2*m*) 4 deformę 8 cecina 9 robora *Fr. Walter* 11 loricā (*notam del.* 1*m*) est *om. dett.* 12 pedes ire *Madvig:* pedestre (pedester *dett.*) visus est ante signa pedester *L. Spengel* hor dus (*sic*) Inconptus 13 maiore *Rhenanus:* et maiore (possesso per naves mari et maiore *L. Spengel*), maiore orae *Madvig* partes (s *del.* 1*m*)

bellum, quod in Albanos parabat. cf. *W. Pfitzner* l. l. p. 47. 207. 257 s. — *in Othonem*] ut Neronis ultorem. — *virium ac roboris*] *vires* referuntur ad numerum, *robur* ad virtutem bellicam, ut supra 1, 87. — *inerat*] de omisso *eo* cum comparativo cf. 1, 14 *ea pars morum eius, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat. Dräger* Synt. § 181. — *alae cohortesque*] auxiliares quattuor illarum legionum. — *equitum vexilla*] praetorianorum: c. 25 *promptissimos praetorianorum equitum.* Ann. 1, 24 *additur magna pars praetoriani equitis.* — *legione prima*] classica sive Adiutrice. cf. H. 1, 6. 31. — *etiam severis ducibus usurpatum*] ut D. Bruto bello Mutinensi: Appian 3, 49 στρατιὰ δ' ἦν αὐτῷ μονομάχων τε πλῆθος καὶ ὁπλιτῶν τρία τέλη. — *Annius Gallus*] cf. 1, 87. — *Vestricio*] cf. ad c. 18. — *Padi ripas*] „regiones et urbes circa Padum in istis locis, quibus Caecina venturus videbatur, Placentiam et Cremonam.“ Ern. „Utraeque Padi ripae iis in locis, ubi Vitellianis transeundum erat, occupatae a duobus ducibus; australis, quoniam a septentrione veniebant Vitelliani Padum transituri; septentrionalis, ut legiones e Dalmatia Pannoniaque venientes sine periculo cum reliquo Othonis exercitu iungerentur, simul ne hostis ubivis transire posset.“ Ryck. — *prima consiliorum*] cf. 1, 87. — *transgresso — Caecina*] cf. 1, 70. 89. — *speculatorum*] cf. 1, 24. — *veterani e praetorio*] Distinguit a cohortibus veteranos; et recte, quia exauctoratos intelligit, et qui post sedecim stipendia habebantur sub vexillo, non aliter quam legionarii. cf. ad A. 1, 17. Atque hi nec in legionibus ultra censebantur nec illi in cohortibus. Lips. — *classicorum ingens numerus*] Sunt ii, quos *in numeros* quidem *legionis composuerat* (1, 87), sed qui in iustam legionem nondum erant conscripti. — *ferrea*] non lintea, molliore ac leviore. — *usus est et*] exspectes potius participium *usus*, ut *est et* delendum videatur. — *pedes ire*] cf. Verg. Aen. 6, 880 *cum pedes iret in hostem*. Pedibus incedebat more veterum ducum Romanorum. contra de Domitiano Suet. Dom. 19 *in expeditione et agmine equo rarius, lectica assidue vectus est.* — *incomptus*] Contrarium tradit Iuvenalis 2, 102: *Res memoranda novis annalibus atque recenti Historia, speculum civilis sarcina belli.*

12. *naves*] classes Misenensem et Ravennatem. *mare et naves* iunxit, ut Liv. 21, 32, 2 *ad mare ac naves rediit.* — *maritimarum Alpium*] provinciae Romanae ad utram-

que provinciae Narbonensi Suedium Clementem, Antonium Novellum, Aemilium Pacensem duces dederat. sed Pacensis per licentiam militum vinctus, Antonio Novello nulla auctoritas, Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinae corruptus, ita proeliorum avidus. non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur: tanquam externa litora et urbes hostium urere vastare rapere, eo atrocius, quod nihil usquam provisum adversum metus. pleni agri, apertae domus; occursantes domini iuxta coniuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur. maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. is concita gente (nec deest iuventus) arcere provinciae finibus Othonianos intendit, sed primo impetu caesi disiectique montani, ut quibus temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus neque in victoria decus esset neque in fuga flagitium. (13) irritatus eo proelio Othonis miles vertit iras in municipium Albintimilium. quippe in acie nihil praedae, inopes agrestes et vilia arma; nec capi poterant, pernix genus et gnari locorum; sed calamitatibus insontium expleta avaritia. auxit invidiam praeclaro exemplo femina Ligus, quae filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent eoque per cruciatus inter-

1 narbonensis 2 emiliū 3 uictus (n *superscr.* 1*m*) 4 corruptius (corruptos — avidos *Io. Fr. Gronovius*) 4/5 p̄liorū 5 adiris (s *del.* 1*m*) 8/9 [et] belli *Acidalius* 9 Marti mastū 14 Albintimilium *Puteolanus:* albiniti militū (tū *del. et* v̄ *superscr.* 1*m*) 15 nichil p̄de agrastes (*corr.* 2*m*) uilla poterat (n *superscr.* 1*m*) 17 ausit

que Vari ripam sitae et ad Rutubam fl. finesque Liguriae porrectae. Eadem contermina *provinciae Narbonensi*, quae, si rationem situs habueris, prima proximaque Romanorum provincia in Galliis fuit, dicta etiam *Gallia Bracata.* cf. 3, 42. Ann. 15, 32. RUPERTI. — *Suedium* cet.] De his supra dictum 1, 87. — *ambitioso imperio*] ut supra 1, 83. cf. de Mario Sall. Iug. 64, 5 *neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret; milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio quam antea habere.* — *adversus modestiam*] h. e. quod ad modestiam disciplinae attinebat: v. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. s. v. *adversus.* non igitur recte *Döderlein* suspicabatur *adversus immodestiam.* cf. 1, 35 *adversus blandientes incorruptus.* ad v. *modestiam* cf. Ann. 1, 35 *ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinae decus?* — *corruptus*] „animo in ambitionem (*Gunstsucht*) corrupto modestam ac severam disciplinam dissolvi sinens.“ DUEBN. Duplex igitur vitium in eo notatur: „ut nimis indulgens erga milites, ita temerarius erat.“ Ceterum Med. *corruptius* eodem ex errore ac c. 23 *promptius* pro *promptus.* — *proeliorum avidus*] similiter Caecina 1, 67 dicitur *belli avidus.* — *loca sedesque*] Synonyma iunxit, quo lector aliquanto diutius immoraretur in miserabili hac imagine Italiae ab ipsis Italis depopulatae. — *adversum metus*] cf. 4, 5 *constans adversus metus.* — *pleni agri*] Sall. Iug. 46, 5 *contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant.* — *et belli malo*] *et* posuit, quia sensus est: „pacem simul et bellum habebant.“ zeugma igitur quoddam statuendum est; nam hoc dicere vult: *securitate pacis* utebantur *et belli malo circumveniebantur.* cf. Ann. 4, 74 *gratiam aut fastus ianitorum perpetiebantur. Dräger* Synt. § 239, 4.

13. *Albintimilium*] s. *Albium Intemelium*, Ligurum oppidum Strabo 4 p. 202. Plin. 3, 48. Forma, quam ad fidem Med. praetulimus, et in Spon Misc. p. 155 et Anton. Itin.

rogarent, ubi filium occuleret, uterum ostendens latere respondit, nec ullis deinde terroribus aut morte constantiam vocis egregiae mutavit. (14) imminere provinciae Narbonensi in verba Vitellii adactae classem Othonis trepidi nuntii Fabio Valenti attulere; aderant legati coloniarum auxilium orantes. duas Tungrorum cohortes, quattuor equitum turmas, universam Trevirorum alam cum Iulio Classico praefecto misit, e quibus pars in colonia Foroiuliensi retenta, ne omnibus copiis in terrestre iter versis vacuo mari classis adceleraret. duodecim equitum turmae et lecti e cohortibus adversus hostem iere, quibus adiuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Pannonii nondum sub signis. nec mora proelio, sed acies ita instructa, ut pars classicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exurgeret, quantum inter colles ac litus aequi loci praetorianus miles expleret, in ipso mari ut adnexa classis et pugnae parata conversa et minaci fronte praetenderetur: Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis iugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Trevirorum turmae obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, simul a latere saxis ur-

1 ostendens | 2 egregie 3 audactā e 6 uniūsa mire uirorū 10 quingentis 11 p̄lio sed] et *Fr. Thomae* acies *Al. Ruperti:* acie paginis 13 praetorianus et urbanus *ex* 1, 87 *Nipperdey* 16 p'quietē (*sic, ut ed. princ.*)

W. p. 296, h. *Ventimiglia.* In hac ipsa incursione interfecta est mater Agricolae. Agr. 7. — *latere*] Ernesti coniciebat *ibi latere* (Agricola *hic latere*), sed adverbium loci post *uterum ostendens* non magis desideratur quam in Schilleri nostri carmine: *Der Gang nach dem Eisenhammer*, ubi poeta scribit:

Und grinsend zerren sie den Mund
Und deuten in des Ofens Schlund:
„Der ist besorgt und aufgehoben,
Der Graf wird seine Diener loben.“

si quid addendum est, ad similitudinem loci Ann. 14, 8 (*protendens uterum 'ventrem feri' exclamavit*) scribere malim: *uterum ostendens in ventre latere respondit.*

14. *Tungrorum*] in episcopatu Leodiensi, ubi hodie *Tongern* et *Spaa*, *fons Tungrorum* apud Plin. 31, 12. — *Iulio Classico*] de eo cf. 4, 55 sqq. — *Foroiuliensi*] hodie *Fréjus* prope mare, quod ibi se incurvat in sinum Foroiuliensem, tunc occupatum a classe Othoniana. — *vacuo mari*] 3, 2 *vacuumque Illyricum mare*, 3, 47 *vacuo mari eludens.* — *vetus loci*] 4, 20 *illi veteres militiae*, 4, 76 *veterem expertumque belli.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 20. *Dräger* Synt. § 71 a. — *Pannonii*] Cum partim ex vv. c. 11: *motis ad imperium eius e Dalmatia Pannoniaque exercitibus* colligi possit Pannonica auxilia stetisse ab Othonis partibus et c. 17 disertis verbis memoretur *capta* a Vitellianis *Pannoniorum cohors*, Savilius hic proposuit *Alpini*, quod recepit Oberlinus. At vero cum haec correctio sit quam maxime improbabilis, statuendum erit, antequam Pannoniae exercitus Othonis partes amplexaretur, fuisse alios auxiliares Pannonicos inter Vitellii copias; et similiter habebat *cohortem Thracum* (1, 68). — *acies*] scil. *Othonianorum*, quod quamquam facile intellegitur, num Tacitus omiserit, iure dubites. quare Urlichs post *proelio* inserit *Othonianis*, Nipperdey post *sed* addit *ab Othonianis.* — *paganis*] qui *militibus* opponuntur, ut 1, 53. 2, 88. 3, 24. 43. 77 4, 20, etiam ab aliis huius aetatis scriptoribus et haud raro ab ICtis. Intellige autem de rusticis, quos Othoniani vel coegerant vel mercede induxerant, ut ipsis auxiliarentur. — *conversa*] non, ut assolebat, puppibus, sed proris et rostris litori obversis. Duebn. — *Alpinos*]

geret apta ad iaciendum etiam paganorum manus, qui sparsi inter milites, strenui ignavique, in victoria idem audebant. additus perculsis terror invecta in terga pugnantium classe. ita undique clausi deletaeque omnes copiae forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus. (15) nec Vitelliani quanquam victi quievere: accitis auxiliis securum hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt. caesi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud navis, donec sidente paulatim metu, occupato iuxta colle defensi, mox irrupere. atrox ibi caedes et Tungrarum cohortium praefecti sustentata diu acie telis obruuntur. ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improvide secutos conversi equites circumvenerunt. ac velut pactis indutiis, ne hinc classis inde eques subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim Narbonensis Galliae municipium, Othoniani Albigaunum interioris Liguriae revertere.

(16) Corsicam ac Sardiniam ceterasque proximi maris insulas fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. sed Corsicam prope adflixit Decumi Pacarii procuratoris temeritas, tanta mole belli nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. namque Othonis odio iuvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset. vocatis principibus insulae consilium aperit et contra dicere ausos, Claudium Pyrrhicum trierarchum Liburnicarum ibi navium, Quintium Certum equitem Romanum, interfici iubet. quorum morte exterriti qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperitorum turba, in verba Vitellii iuravere.

3|4 de|leteq; om̃is 4 uictore 5 obtenui 6 securũm (*notam del.* 1*m*) 7 cesi 8 sidentẽ (*unde* sedentem *ed. princ.*) 9 cedes Tungrorum *L. Spengel* prefecti 11 uelud 12 nec (c *del.* 1*m*) 15 sardinię *scripturus librarius* ę *in* ā *correxit* 17 nichil 17/18 summam *Rhenanus:* sũma 18 profectura *Freinsheim* nanq; Iurauere (*unde* vitavere *ed. princ.*) 21 phyrricũ 23 ignava *Sirker* Imperatorũ

intellege *Ligurum cohortem.* — *obtentui*] „quo idoneo praetextu fugere honestius poterant Vitelliani.“ Ern. Verum aptior est explicatio Ritteri, Burnoufii ac Louandrii, ut *obtentus* sensu vocabuli magis proprio, qui elucet e Vergilii illo Aen. 11, 66: *Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant*, accipiatur de tutela noctis, qua usi Vitelliani hostibus se subduxerunt. *Die Nacht diente den Fliehenden als (schützende) Hülle.* Sic utitur v. *obtendere* Hist. 3, 56: *ut nube atra diem obtenderent.* cf. 3, 36: *Vitellius curis luxum obtendebat.*“ Et Louandre: *si l'obscurité de la nuit, en arrêtant les vainqueurs, n'eût couvert les fuyards.*

15. *Tungrarum cohortium*] cf. Ann. 4, 47 *Sugambrae cohortis.* — *Antipolim*] coloniam Massiliensium, ab his conditam a. ante Chr. 340, hodie *Antibes.* — *Albigaunum*] hodie *Albenga.* — *interioris Liguriae*] Ann. 5, 10 *Piraeum Atticae orae.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 63 *gentis Quadorum.*

16. *tanta mole belli*] „cum esset tanta moles belli, in qua parvi momenti erat, utrum Pacarius ab hac staret, an ab illa parte.“ Walth. Etenim is nec Vitellio neque Othoni principatum parare poterat. — *in summam*] cf. Ann. 13, 38: *nihil in summam pacis proficiebatur.* Liv. 31, 37: *in summam etiam belli profectum foret.* — *ignara — turba*]

sed ubi dilectum agere Pacarius et inconditos homines fatigare militiae muneribus occepit, laborem insolitum perosi infirmitatem suam reputabant: insulam esse quam incolerent et longe Germaniam viresque legionum, direptos vastatosque classe etiam quos cohortes alaeque protegerent. et aversi repente animi, nec tamen aperta vi: aptum tempus insidiis legere. digressis qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops balineis interficitur; trucidati et comites. capita ut hostium ipsi interfectores ad Othonem tulere; neque eos aut Otho praemio affecit aut puniit Vitellius, in multa conluvie rerum maioribus flagitiis permixtos.

(17) Aperuerat iam Italiam bellumque transmiserat, ut supra memoravimus, ala Siliana, nullo apud quemquam Othonis favore, nec quia Vitellium mallent, sed longa pax ad omne servitium fregerat faciles occupantibus et melioribus incuriosos. florentissimum Italiae latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium, armis Vitellii (namque et praemissae a Caecina cohortes advenerant) tenebatur. capta Pannoniorum cohors apud Cremonam; intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque. quo successu Vitellianus miles non iam flumine aut ripis arcebatur: inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse; quem repente contra Placentiam transgressi raptis quibusdam exploratoribus ita ceteros terruere, ut adesse omnem

1 picariūs (*notam del.* 1*m*) 4 aleq; 6 picariū 11 Italiam *Rhenanus:* Italia bellū · que (*unde* bellū quę *ed. princ.*, bellum quod *dett.*) 12 quenquā fabore *sed corr.* 1*m* 14 meliorum *Groslotius* 15 nānq; (*notam del.* 1*m*) 16 cohhortes (*pr. litt.* h *evanida*)

scilicet cui Pacarius consilium non aperuerat. — *inconditos*] nunquam exercitationibus militaribus ac disciplinae assuefactos ideoque non solum bello inutiles, sed etiam ad seditiones promptos. — *qui Pacarium frequentabant*] Intellige Corsos indigenas ac Romanos, qui in insula domicilium habebant; opponuntur *comites*, qui ex urbe cum Pacario in eam venerant, cohors amicorum. — *balineis*] de omissa praepositione *in* cf. *Nipperdey* ad Ann. 3, 61. *Dräger* Synt. § 57. — *permixtos*] Cum multo graviora patrata essent, quae punirentur, hi latuere et poenam effugere. Ern.

17. *Aperuerat*] *aperire* est *aditum facere ad* cf. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. Curtius 7, 1, 3 *Primus Asiam aperuerat regi.* similiter Tacitus dicit 3, 2: *iam reseratam Italiam.* Cic. Phil. 7 § 2: *ut reserare nos exteris gentibus Italiam iuberet.* — *supra*] 1, 70. — *fregerat*] „Ita fregerat pax gentes Italicas illius regionis (ad quas etiam v. *mallent* referendum), ut facile se dederent occupantibus, curam nullam impenderent meliora et honestiora suadentibus.“ Duebn. Notanda constructio v. *incuriosus* cum dativo pro solito genit. A. 2, 88. 4, 32 cet. Ut hic, 14, 38: *serendis frugibus incuriosos.* (*Melioribus incuriosi* sunt, qui non curant de melioribus, utrum sint hi, an illi meliores. Walth.) — *apud Cremonam*] „*On peut se figurer l'armée d'Othon comme échelonnée sur la ligne de Modène, Plaisance, Crémone, Bédriac; Vérone donnant la main aux provinces illyriques. On voit que les Vitelliens opéraient déjà sur le flanc des Othoniens.*“ Burnouf. — *Ticinumque*] hodie *Pavia*. — *Transrhenanos*] Germanos, dextram Rheni ripam incolentes.

Caecinae exercitum trepidi ac falsi nuntiarent. (18) certum erat Spurinnae (is enim Placentiam optinebat) necdum venisse Caecinam et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem nec tris praetorias cohortes et mille vexillarios cum paucis equitibus veterano exercitui obicere. sed indomitus miles et belli ignarus correptis signis vexillisque ruere et retinenti duci tela intentare spretis centurionibus tribunisque: quin prodi Othonem et accitum Caecinam clamitabant. fit temeritatis alienae comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret. (19) postquam *non iam* in conspectu Padus et nox appetebat, vallari castra placuit. is labor urbano militi insolitus contundit animos. tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset. iamque totis castris modesti sermones, et inserentibus se centurionibus tribunisque laudari providentia ducis, quod coloniam virium et opum validam robur ac sedem bello legisset. ipse postremo Spurinna non tam culpam exprobrans quam rationem ostendens relictis exploratoribus ceteros Placentiam reduxit minus turbidos et imperia accipientes. solidati muri,

6 tribunisq; prouidentiā ducis laudari; *verba inculcata ex seqq. delenda esse perspexit Muretus* quin *Agricola:* qui (qui *del. L. Spengel et sic iungit:* intentare; spretis centurionibus tribunisque prodi Othonem — clamitabant) 7 prodi *Bekker:* pro 9 postquam non iam *Meiser et nuper Heraeus:* Postquā | 11 contudit *alii* 15 providentia *Io. Fr. Gronovius:* prouidentiā (laudare providentiam *alii*) 17 rationem *Nipperdey:* ratione (rationes *Rhenanus*) extendens *sed ex in os mutavit* 1m

18. *certum erat*] duplici sensu positum est: prius significat *certo sciebat*, tum *decreverat.* — *Spurinnae*] Vestricius est Spurinna, egregius dux et qui ad Taciti medium aevum vixit. Plin. Epp. 2, 7: *Here a senatu Vestricio Spurinnae principe auctore triumphalis statua decreta est* cet. Item Epp. 3, 1. De vita eius v. Bayerus in Comm. Petropol. II p. 311. Vestritii (ut alii scribunt) Spurinnae Lyricor. Reliq. recogn. et adnot. instruxit C. A. M. Axtius. Francof. 1840. Mihi quidem quattuor Odae a Gasp. Barthio editae in Adverss. 14, 5 subdititiae videntur, atque libenter eas ipsi Barthio, malo utique poetae, tribuerim; certe pessimae sunt. cf. *Aem. Baehrens:* Poetae lat. min. 5 p. 408 sqq. — *necdum*] pro *nondum*, ut 1, 31; aliter *Dräger* Synt. § 118. — *tris praetorias cohortes*] ex quinque illis memoratis c. 11. — *mille vexillarios*] videntur esse electi e legione prima sub vexillo praemissi, cf. c. 11. Ann. 15, 10 *expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus — iussit.* — *quin prodi Othonem*] cf. Plutarch. Oth. 5: ὁ δὲ Σπουρίνας προσβιαζόμενος αὐτοὺς ἐκινδύνευσε μικρὸν ἐλθόντας ἀνελεῖν αὐτόν. ὕβρεως δὲ καὶ βλασφημίας οὐδεμιᾶς ἐφείσαντο προδότην καὶ λυμεῶνα τῶν Καίσαρος καιρῶν καὶ πραγμάτων λέγοντες.

19. *postquam non iam*] *non iam* inserendum putavi, quia, cum a Placentia in patentes campos procederent, a Pado abeundum fuit et sublato e conspectu flumine tum demum metum milites invadere coepisse apparet. post voc. *postquam* in fine versus *non iam* excidisse mihi magis probatur quam Heraei prior emendatio *e conspectu.* — *vetustissimus*] ut H. 1, 23, quicunque diutissime meruerant ideoque experientia praediti. — *virium et opum validam*] Ann. 4, 21 *orandi validus* cf. *Dräger* Synt. § 71 b.

propugnacula addita, auctae turres, provisa parataque non arma modo sed obsequium et parendi amor, quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud paeniteret.

(20) At Caecina velut relicta post Alpes saevitia ac licentia modesto agmine per Italiam incessit. ornatum ipsius municipia et coloniae in superbiam trahebant, quod versicolori sagulo, bracas, barbarum tegimen, indutus, togatos alloqueretur. uxorem autem eius Saloninam, quanquam in nullius iniuriam insigni equo ostroque veheretur, tanquam laesi gravabantur, insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem acribus oculis introspicere modumque fortunae a nullis magis exigere quam quos in aequo viderunt. Caecina Padum transgressus, temptata Othonianorum fide per conloquium et promissa, isdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus iactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiae magno terrore vertit, gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. (21) sed primus dies impetu magis

1 aucte 2 obsequio *sed* o *in* ū *mutavit* 1*m* (*unde* obsequia *ed. princ.*) 3 peniteret 4 uelud seuitia 6 ūsicoloris (s *del.* 1*m*) tegimen *Walther:* tecgm̃ (*sic*) braccatus [barbarum tegmen indutus] *Ian. Gulielmus*, [barbarum tegmen] *Ritter* 7 aū (*h. e.* autem), *in marg.* q̊q; 2*m* (*eodem compendio* autem *scriptum est* 4, 32 uos aū treueri) uxoremque *Haase* quod quamquam *Classen* 8 insigni *Puteolanus:* insignis 9 Insitā (*notam del.* 1*m*) agrib; 10 Introspicere cere (*pr.* cere *del.* 1*m*) 10|11 quos Inequos 11 uiderˉ (= viderunt) Cęcinā (*notam del.* 1*m*) pad; (= padus, *sed corr.* 1*m*) 11|12 othianorum 15 fama

20. *saevitia ac licentia*] quam in Helvetios praesertim exercuerat. — *versicolori sagulo*] quod Batavis, Nerviis Gallisque tribuitur a Tacito H. 5, 23. Caes. B. Gall. 5, 42. Diodoro 5, 30. Liv. 7, 10, 7. Verg. Aen. 8, 660. Ruperti. — *bracas*] unde Francogallorum v. *braies*, quo usi sunt Burnouf et Louandre. de accusativo cf. *Dräger* Synt. § 40 c. Plut. Oth. 6: Κεκίνας μὲν οὔτε φωνὴν οὔτε σχῆμα δημοτικός, ἀλλ' ἐπαχθὴς καὶ ἀλλόκοτος, σώματος μεγάλου, Γαλατικῶς ἀναξυρίσι καὶ χειρῖσιν ἐνεσκευασμένος, σημείοις καὶ ἄρχουσι Ῥωμαϊκοῖς διαλεγόμενος. καὶ τὴν γυναῖκα παρέπεμπον αὐτῷ λογάδην ἱππεῖς ὀχουμένην ἵππῳ κεκοσμημένην ἐπιφανῶς. — *tegimen*] ut 1, 79. Ann. 2, 21. 3, 43. Ceterum Tacitus verba *barbarum tegimen* non explicandi, sed exprobrandi causa addit. ne igitur cum interpretibus nonnullis putes esse ea e glossemate. Walther. — *uxorem autem*] raro utitur Tacitus particula *autem* (cf. *Nipperdey* ad Ann. 13, 25) nec tamen ideo hoc loco particulam auctoritate codicis fultam expellere licet et cavendum est grammaticis nostris, ne specie recti decipiantur. — *quanquam*] non opus est cum Classeno *quod* ante *quanquam* inserere, quod manifestum erit, si sententiam loci in hanc formam tibi finxeris: „Saloninam, quamquam neminem laedebat insigni equo vecta, tamquam laesi gravabantur.“ — *insigni equo*] item c. 89; Ann. 3, 45 *equo insigni.* — *gravabantur*] *gravari aliquem* dicit, ut Seneca de clem. 1, 13, 1 *at illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui.* — *insita mortalibus natura*] item 1, 55. — *acribus oculis*] cum invidia atque indignatione. — *a nullis*] cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 77 *nulli.* — *iactata sunt*] de neutro genere cf. *Dräger* Synt. § 30. — *famam*] scil. talem (bonam vel malam). ad sententiam cf. Agr. 18 *non ignarus instandum famae ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore.*

quam veterani exercitus artibus transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque praegraves. in eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus situm extra muros conflagravit, sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes et missilem ignem in obsessos iaculantur, sive ab obsessis, dum paria regerunt. municipale volgus pronum ad suspiciones fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis invidia et aemulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret. quocumque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum, reddita securitate, tanquam nihil gravius pati potuissent, maerebant. ceterum multo suorum cruore pulsus Caecina, et nox parandis operibus absumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas subfodiendis muris protegendisque obpugnatoribus, Othoniani sudes et inmensas lapidum ac plumbi aerisque moles perfringendis *operibus* obruendisque hostibus expediunt. utrimque pudor, utrimque gloria et diversae exhortationes hinc legionum et Germanici exercitus robur, inde urbanae militiae et praetoriarum cohortium decus attollentium; illi ut segnem et

2 ciuos (s *del.* 1*m*) 2|3 amphiteatri 4 flandes obsesso 5 opsessis (*corr.* 1*m*) paria regerunt *Meiser:* reportans gerunt (gerunt *in rasura* 1*m*), regerunt *Puteolanus*, retorta ingerunt *Iac. Gronovius* 6 fraude || | (*litt.* m? *erasa*) et (ex *Halm*) 7 invidia et *Muretus:* Inuidię molestā 9|10 merebant 10 pulso *sed corr.* 1*m* 11 absumpta *Muretus:* assumpta 13 perfringendis operibus *dett.:* perfringendis | 14|15 exortationes

Ann. 12, 31 *gnarus primis eventibus metum aut fiduciam gigni.* Hist. 3, 70 *cetera secundum eventum proelii cessura.*

21. *veterani exercitus artibus*] cautione ac prudentia. — *aperti*] non tecti pluteis, cratibus vineisque, quibus oppugnatores protecti muros suffodere solent, dictione petita a ludo gladiatorio, in quo latus *apertum*, quod ictibus patet, ut apud Liv. 25, 16. 38 et al. Ruperti. cf. Caesar b. G. 7, 25, 1 *deustos pluteos turrium videbant nec facile adire apertos ad auxiliandum animadvertebant.* — *amphitheatri opus*] Amphitheatra ista municipalia ligneis compagibus exstructa erant; sic hoc Placentinum, Fidenas illud A. 4, 62. — *glandes*] hic videntur non solitae illae plumbeae, quarum una superest cum inscriptione ROMA FERI (Inscr. m. L. N. 4932), sed ferreae candentes, *les globes ardents* Louandre. at cf. Lucretius 6, 306 *plumbea saepe Fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris Corpora dimittens ignem concepit in auris* et Ovid. met. 14, 825 *ut lata plumbea funda Missa solet medio glans intabescere caelo;* similiter 2, 727 aliosque locos, quos affert Lipsius de mil. Rom. 5, 20. — *missilem ignem*] nobilius dixit quam vulgaribus verbis *malleolos*, *falaricas*. cf. Lips. Poliorcet. 5, 5. — *paria regerunt*] cf. 1, 74 *paria Vitellius ostentabat*, 4, 54 *paria de Britannia fingebantur.* Ann. 11, 26 *paria metuentes.* vitium in Mediceo, ut saepe, ortum est syllabis transpositis. — *invidia et aemulatione*] item 3, 65; cf. 2, 101: *aemulatione etiam invidiaque.* 1, 65: *unde aemulatio et invidia.* — *in levi habitum*] Ann. 3, 54 *in levi habendum.* — *absumpta*] idem vitium, quod hic, in Mediceo recurrit 4, 60, ubi legitur *assumptis iumentis* pro *absumptis iumentis.* — *pluteos* cet.] *les mantelets*, *les claies*, *les galeries* Louandre. cf. Veget. 4, 15. Lips. Poliorcet. 1, 7. — *gloria*] *Gloria* est h. l. gloriae cupido, ut apud Ciceronem non uno loco; quod vidi Savilium non animadvertisse. Ern. Hic scilicet explicavit: „Pudor, si vincerentur, gloria, si vincerent. cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 43 *pudor et gloria.* —

desidem et circo ac theatris corruptum militem, hi peregrinum et externum increpabant. simul Othonem ac Vitellium celebrantes culpantesve uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur. (22) vixdum orto die plena propugnatoribus moenia, fulgentes armis virisque campi; densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus altiora murorum sagittis aut saxis incessere, neglecta aut aevo fluxa comminus adgredi. ingerunt desuper Othoniani pila librato magis et certo ictu adversus temere subeuntes cohortes Germanorum cantu truci et more patrio nudis corporibus super umeros scuta quatientium. legionarius pluteis et cratibus tectus subruit muros, instruit aggerem, molitur portas: contra praetoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt. pars subeuntium obruti, pars confixi et exsangues aut laceri: cum augeret stragem trepidatio eoque acrius e moenibus volnerarentur, rediere infracta partium fama. et Caecina pudore coeptae temere obpugnationis, ne inrisus ac vanus isdem castris adsideret, traiecto rursus Pado Cremonam petere intendit. tradidere sese abeunti Turullius Cerialis cum conpluribus classicis et Iulius Briganticus cum

1 hii 4 campis (*s del.* 1*m*) 5 legionariorum *Ritter* 7 iactu *Th. Kiessling* 9 legionariū 9|10 gratib; 11 p̄torianis (praetorianus *ed. princ.*) molarēs (*notam del.* 1*m*) 14 redire || partiū (*ante* p *litt.* a *vel* e? *crasa*) cęcina fama pudore (fama *del.* 1*m*) 14|15 cępta & emere 15 obpugnationes (*super* e *scr.* i 1*m*) inritus *W. Heraeus* 17 breganticus

peregrinum et externum] *Fremdlinge und Ausländische; barbare et étranger* Louandre. Iunxit haec synonyma etiam Quintil. 8, 1, 2: (*Verba*) *sint quam minime peregrina et externa.* Doederlein *Syn.* IIII p. 389. — *uberioribus — probris*] quorum maior copia in utriusque probrosam vitam suppetebat.

22. *legionum agmen*] „Sed unicam tantum legionem habuit Caecina. cf. 1, 61.“ Savil. Verum praeter unam eamque plenam legionem Caecina multa milia electorum ex aliis legionibus ducebat, qui haud dubie in legionum numeros (*Fähnlein*) compositi pugnavere nec sparsi cum auxiliis. Walther. cf. 1, 70 *grave legionum agmen.* — *librato magis*] Similitudinem quandam habet locus Livii 30, 10, 13: *Ex rostratis Poeni vana pleraque, utpote supino iactu, tela in locum superiorem mittebant: gravior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis ictus erat.* — *certo ictu*] cf. Curtius 7, 5, 41 *certo ictu destinata feriebat.* 7, 9, 9 *hastas certo ictu — mittit.* Ann. 4, 51 *incerti ictus.* — *cantu truci*] *barditu* illo, de quo Germ. 3. Eiusmodi cantus praeter preces dis oblatas heroum quoque laudes continebant. A. 2, 88: (*Arminius*) *canitur adhuc barbaras apud gentes.* cf. Hist. 4, 18: *ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies.* Liv. 5, 37, 8 de Gallis: *nata in vanos tumultus gens truci cantu clamoribusque variis horrendo cuncta conpleverant sono.* Curtius 10, 1, 12 *truci cantu deterritas.* — *nudis corporibus*] Germ. 6 *nudi aut sagulo leves.* — *aggerem*] cui turres et tormenta imponerentur. cf. 3, 20. 4, 23. Ann. 2, 81. Veget. 4, 15. Lipsii Poliorcet. 2, 3. Rup. — *molitur*] laborat, ut effringat. Duebn. Sic Ann. 1, 39. Liv. 23, 18, 2: *moliri portas et claustra refringere parat.* — *exsangues aut laceri*] item 3, 27 *exangues aut laceros.* — *Turullius*] Sic apud Cic. ad Fam. 12, 13. Cod. Med. et Murat. 1757, 8., *TVRVLIVS* apud Grut. 735, 2. — *classicis*] ex *classicorum* illo ingenti numero c. 11 et 17. — *Iulius Briganticus*] de eo cf. 4, 70 (*Iulius Briganticus so-

paucis equitum, hic praefectus alae in Batavis genitus, ille primipilaris et Caecinae haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

(23) Spurinna comperto itinere hostium defensam Placentiam, quaeque acta et quid Caecina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiae ducebat, diffisus paucitati cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent. ubi pulsum Caecinam pergere Cremonam accepit, aegre coercitam legionem et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam Bedriaci sistit. inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus iam Romanis cladibus notus infaustusque.

Isdem diebus a Marcio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum. namque promptus animi Marcius transvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. turbata ibi Vitellianorum auxilia et ceteris Cremonam fugientibus caesi qui restiterant. sed repressus vincentium impetus, ne novis subsidiis firmati hostes fortunam proelii mutarent. suspectum id Othonianis fuit omnia ducum facta prave aestimantibus. certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paulinum et Marium Celsum aliosque quos Otho

5|6 paucitate (e *in* i *mutavit* 2*m*) 7 pulsu 9 beronā (*corr.* 1*m*) 10 Infastusq; 11 haut (t *in* d *mutavit* 1*m*) 12 nanq; promptius am̃i 14 cesi resisterat (*super* at *scr.* n 1*m*) 14|15 reprehen|sis uicentiū (*super* ic *scr.* n 1*m*) 15 p̄lii 16 ducum *Freinsheim:* quo|cū 18 pauliū (*corr.* 1*m*) aliosque quos *Meiser:* nā eos $\overset{o}{\mathrm{q}}$q; [nam eos quoque Otho praefecerat] *Ritter*, nam eos copiis Otho praefecerat *Urlichs*, [quoque] *Halm* 3. *ed.*

rore Civilis genitus) et 5, 21. — *primipilaris*] cf. ad 1, 31.

23. *diffisus paucitati*] sic recte in Mediceo correctum videtur, quia nusquam Tac. *diffidere* cum ablativo iungit, cf. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. — *Bedriaci*] Varie scribitur: *Betriacum* Suet. Oth. 9. Plut. Oth. 8: ἔστι δὲ πολίχνη πλησίον Κρεμώνης τὸ Βητριακόν. Βηδριακὸν est Iosepho B. I. 4, 9, 9. Apud Hieron. in Chron. Scal. *Vetriacum*, sed Roncallius p. 438: *Bebriacum*. Schol. Iuven. 2, 99: *Othonis et Vitellii bellum scripsit Cornelius; scripsit et Pompeius Planta, qui ait Bebriacum* (sic, etiam in Heinrichii Iuvenale ipso) *vicum esse a Cremona vicesimo lapide.* (Pompeium Plantam suspicatur Reinesius Ep. XXVII esse, quem Plinius Epp. ad Trai. 10 vocat praefectum Aegypti, amicum Traiani.) Et ad v. 106: *Bebriacos campos inter Hostiliam* (hodie *Ostiglia*) *et Cremonam.* Hodiernum putant esse *Canneto*, alii volunt esse *la Bina*, alii *Ustiano*, alii denique *S. Lorenzo Guazzone.* V. Exc. I. — *sistit*] „*Gallus menait la première légion au secours de Plaisance et il s'arrêta à Bédriac. Il venait donc de plus loin sur la route de Vérone. Mais pourquoi s'arrête-t-il dès qu'il apprend la levée du siège? pour trois raisons:* 1) *ce siège étant levé, son objet était rempli;* 2) *restant à Bédriac, il était à même d'être joint plus promptement par les légions de l'Illyricum et par Othon qui était resté plus loin pour les attendre;* 3) *il y aurait eu de la folie à aller se battre en rase campagne, et avec une légion qui n'avait pas encore vu l'ennemi, contre une armée des soldats vétérans. Ces raisons étaient solides et dignes de la maturité de jugement qui le caractérisait:* maturitatem Galli, *a dit Tacite*, 1, 87. Ferlet. — *duabus — cladibus*] Altera Othonis, victore Vitellio; altera Vitellii, vincente Vespasiano, de qua 3, 15 sqq. Ea vulgo dicitur ad Cremonam facta; sed inter Cremonam et Bedriacum pugnatum est eaque de causa utrique loco proelium more scriptorum adsignari potest. Ern. — *in adversam*] in sinistram. — *aliosque quos*]

praefecerat variis criminibus incessebant. acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae: scelere et metu vecordes miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris; qui humillimo cuique credulus, bonos metuens trepidabat, rebus prosperis incertus et inter adversa melior. igitur Titianum fratrem accitum bello praeposuit.

(24) Interea Paulini et Celsi ductu res egregie gestae. angebant Caecinam nequiquam omnia coepta et senescens exercitus sui fama. pulsus Placentia, caesis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu proelia, inferior, propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam avidius quam consultius properabat. ad duodecimum a Cremona (locus Castorum vocatur) ferocissimos auxiliarium imminentibus viae lucis occultos componit; equites procedere longius iussi et irritato proelio sponte refugi festinationem sequentium elicere, donec insidiae coorerentur. proditum id Othonianis ducibus, et curam peditum Paulinus, equitum Celsus sumpsere. tertiae decimae legionis vexillum, quattuor auxiliorum co-

1 incessebant *Agricola:* Incesserant 7 Celsi] c̃silii egregiae 8 cępta 9 cursũ (c̄ *superscr.* 1m) 10 p̄lia 13 Castorum *Alciatus:* castrorũ (castrarũ *corr.* 1m) auxiliarios (*post* ri *superscr.* v̄ 1m) 14 iussi *Rhenanus:* iussit p̄lio 15 festinatione coorerentur *Rhenanus:* coercerentur

scripturam Medicei artificiosius quam verius Burnouf ita explanare studuit: „*On a vu* (1, 87), *que des commandements avaient été destinés à Gallus, à Suétonius et à Celsus*, rectores destinati. *On a vu* (2, 11) *la mise en activité de Gallus.* Eos *ne se rapporte donc ici qu'aux deux autres.*“ Verum hanc sententiam aliter utique expressisset Tacitus, clarius separando Suetonium Celsumque a Gallo; neque vero suffecisset scribere *hos* pro *eos*, sed certe *hos duos*. non possunt igitur non corrupta videri verba codicis, quae emendavi scribendo: *aliosque quos*, ut Spurinnam (c. 18) et hunc Marcium Macrum. cf. c. 36 *dein Flavium Sabinum consulem designatum Otho rectorem copiis misit, quibus Macer praefuerat.* vitium in codice ortum est syllabis prave distributis *al ios quequos*, unde postremo corrupta illa lectio *nam eos quoque* evasit. — *humillimo*] infimo atque ideo, ut ex sordibus emergeret, per criminationes Othonis favorem captanti. — *bonos metuens*] id est eos, qui a partium studiis alieni, verae saluti rei publicae prospicere cupiebant.

24. *per concursum*] „etiam ubi concurrerent utriusque partis dumtaxat exploratores praemissi, Caecina inferior manebat.“ Vv. *crebra — proelia* epexegesi inserviunt vv. *per concursum exploratorum*, ex quo oriebantur proelia Vitellianis semper adversa. — *ad duodecimum*] scil. lapidem, ut c. 39. 3, 15. cf. *Dräger* Synt. § 238. — *Castorum*] id est Castoris et Pollucis. Suetonius Oth. 9 eum locum *ad Castoris* dixit, Orosius 7, 8, 6: *circa locum, quem Castores vocant.* Lips. cf. Servius ad Verg. G. 3, 89 *ambo licenter et Polluces et Castores vocantur. nam et ludi et templum et stellae Castorum appellantur.* — *componit*] ita illo in loco collocat, ut, donec eos pugnam incipere iuberet, sine strepitu atque clamore quieti manerent. — *irritato proelio*] βραχυλογία pro irritando hostem excitato proelio. Duebn. — *Paulinus — Celsus*] Silentio hic praeteritur Annius Gallus, quia

hortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viae tres praetoriae cohortes altis ordinibus obtinuere; dextra fronte prima legio incessit cum duabus auxiliaribus cohortibus et quingentis equitibus: super hos e praetorio auxiliisque mille equites, cumulus prosperis aut subsidium laborantibus, ducebantur. (25) antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celsus doli prudens repressit suos: Vitelliani temere exsurgentes cedente sensim Celso longius secuti ultro in insidias praecipitantur. nam a lateribus cohortes, legionum adversa frons, et subito discursu terga cinxerant equites. signum pugnae non statim a Suetonio Paulino pediti datum: cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent, compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem iubebat, satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret, ne vincerentur. ea cunctatione spatium Vitellianis datum in vineas nexu traducum impeditas refugiendi, et modica silva adhaerebat, unde rursus ausi promptissimos praetorianorum equitum interfecere. volneratur rex Epiphanes inpigre pro Othone pugnam ciens.

2|3 ingessit   3 auxiliaribus *Mercerus*: uexillarib; | quingentib; (*corr.* 1*m*)   4 et (ex *Bach*)   7 cedunt · | e   8 legionū | (legionariorum *Orelli*)   9 cinxerat eques *Ritter*   15 ausi | (ausi prorumpere *Ritter*)   16 othonē (*notam del.* 1*m*)

paucos ante dies lapsu equi afflictus erat. c. 33. — *vexillum*] quod advenerat ex Illyrico. — *aggerem viae*] Intellegi viam Postumiam patet e 3, 21. Viae autem altae et aggeratae. Aggerem de via etiam Vergilius dixit Aen. 5, 273. Ern. — *altis ordinibus*] „densis, confertis.“ Sic etiam Francogallice *en ordre profond* (Burnouf), *en colonnes profondes* (Ferlet). cf. Vegetius 3, 15: *dicunt, si angustior locus sit vel multitudo sufficiat, etiam in deno vel amplius acies ordinari. Magis enim expedit, ut conferti pugnent, quam longius separati.* — *dextra fronte*] *frons* opponitur *subsidiis*, ut apud Sall. Cat. 59, 2 *octo cohortis in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio potius conlocat.* — *prima legio*] classica Adiutrix. — *cumulus prosperis aut subsidium laborantibus*] similis locus Agric. 35 *legiones pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum sanguinem bellandi et auxilium, si pellerentur.*

25. *Vitelliani*] ii nimirum, qui in lucis viae vicinis occulti erant. — *a lateribus*] Dicit ab omnibus partibus circumventos Vitellianos. Cohortes latera circumfudere, equites terga, legio frontem. Ern. — *legionum*] pluralem posuit, quia praeter primam legionem tertiae decimae legionis vexillum aderat; cf. 1, 70. 2, 22. — *compleri fossas*] factas a rusticis recipiendis aquis ad campos irrigandos. — *aperiri campum*] caedendo arbores, vites. — *nexu traducum*] Scilicet in eo Italiae tractu vites inter arbores etiamnunc seruntur traducesque suos ex una alteri conectunt. — *unde rursus ausi*] cf. 4, 76 *ausuros rursus*, 5, 11 *longius ausuri.* — *Epiphanes*] Filius Antiochi, regis Commageni, cuius in rebus Vespasiani et apud Tacitum mentio. Is tunc Romae fuit, sive obses, regnante adhuc patre, sive alia qua de causa, Othonemque comitatus est. De eius parentisque fatis v. Iosephus B. J. 7, 7. *Rex* vocatur vetere more, quo etiam regum filii et quicunque regiae stirpis sunt, *reges* vocantur, ut apud Graecos βασιλεῖς. Ern. Sic etiam 5, 9: *rex Pacorus* dicitur pro regis filio. 3, 72: *pulsis regibus* pro rege eiusque familia. Cum fratre Callinico exhibetur Epiphanes in nummo Commagenorum apud Pellerin *Méd. de rois* p. 124. cf. Eckhel D. N. III p. 258. Oberl. Inscriptio eius est ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΥΙΟΙ et in parte aversa ΚΟΜ-

(26) tum Othonianus pedes erupit. protrita hostium acie versi in fugam etiam qui subveniebant. nam Caecina non simul cohortes, sed singulas acciverat; quae res in proelio trepidationem auxit, cum dispersos nec usquam validos pavor fugientium abriperet. orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur: vinctus praefectus castrorum Iulius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem eius, Iulium Frontonem tribunum, Othoniani sub eodem crimine vinxissent. ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes occursantes, in acie pro vallo, ut deleri cum universo exercitu Caecinam potuisse, ni Suetonius Paulinus receptui cecinisset, utrisque in partibus percrebruerit. timuisse se Paulinus ferebat tantum insuper laboris atque itineris, ne Vitellianus miles recens e castris fessos adgrederetur et perculsis nullum retro subsidium foret. apud paucos ea ducis ratio probata, in volgus adverso rumore fuit.

(27) Haud proinde id damnum Vitellianos in metum compulit quam ad modestiam composuit; nec solum apud Caecinam, qui culpam in militem conferebat seditioni magis quam proelio paratum: Fabii quoque Valentis copiae (iam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu et recuperandi decoris cupidine reverentius et aequalius duci parebant. gravis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque enim rerum a Caecina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quarta decima legione digressas, cum

1 acies *Ritter* 3 p̄lio 9 cum] cũũ (*corr.* 1*m*) 10|11 percrebruerit *Beroaldus:* percrebruit 12|13 periculo|sis 14 aduer|sorū ore (*item ed. princ.*) 15 perinde *alii* 17 p̄lio 18 c̄tētu 19 ęqualis | (v *superscr.* 1*m*), aequabilius *Agricola* 21 Int|rūpit (t *del.* 1*m*)

ΜΑΓΗΝΩΝ. cf. Visconti *Iconogr. gr.* III p. 16.

26. *erupit*] I. F. Gronovius malebat *irrupit.* At *prorumpere* et *erumpere* etiam dicuntur milites in acie constituti, cum impetum facere incipiunt. Prioris verbi permulta apud Tacitum exempla. A. 1, 65. 4, 71 cet. Verg. Aen. 11, 608: *Iamque intra iactum teli progressus uterque Substiterat: subito erumpunt clamore.* Ern. Adde Liv. 29, 33, 6: *circa se conglobatos — erumpere iubet*, id est aggredi, adoriri. Ita et *eruptio* de impetu facto dicitur Liv. 38, 13, 12. — *fratri — proditionem ageret*] explicant: „in gratiam fratris proditionem moliretur", ut *fratri* sit dativus commodi, cf. *Dräger* Synt. § 49; sed suspicor scribendum esse *fratre — militante*, ut causa indicetur, cur in suspicionem proditionis venerit, eo scilicet, quod frater apud Othonem militabat. — *tantum insuper*] „timuisse se tantum laborem, qui post iter duodecim M. P. in delendo Caecina ipsis superfuturus fuisset, ne, hoc facto, (hoc labore exanclato) recens exercitus Vitellii cet." Duebn. — *et — nullum*] cf. ad 1, 31. — *adverso rumore*] tamquam proditionem ageret. cf. c. 23. Ann. 14, 11 *Seneca adverso rumore erat.*

27. *Fabii*] de omissa particula *sed* cf. *Dräger* Synt. § 128. — *aequalius*] cf. Horat. Sat. 1, 3, 9: *Nil aequale homini fuit illi.* — *alioquin*] hoc loco et 3, 32 *Roth* Germanice vertit „*ohnehin*", cf. Ann. 4, 37. — *bello Ne-*

Britanniam peterent, audito Vitellii motu in civitate Lingonum Fabio Valenti adiunctas rettulimus, superbe agebant, ut cuiusque legionis tentoria accessissent, coercitos a se quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam iactantes. contumeliosum id militibus, acerbum duci corrupta iurgiis aut rixis disciplina; ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat. (28) igitur nuntio adlato pulsam Trevirorum alam Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri, simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas ac, si una forent, praevalidas dispergendi, partem Batavorum ire in subsidium iubet. quod ubi auditum volgatumque, maerere socii, fremere legiones. orbari se fortissimorum virorum auxilio; veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci. si provincia urbe et salute imperii potior sit, omnes illuc sequerentur; sin victoriae columen in Italia verteretur, non abrumpendos ut corpori validissimos artus. (29) haec ferociter iactando, postquam inmissis lictoribus Valens coercere seditionem coeptabat, ipsum invadunt, saxa iaciunt, fugientem sequuntur. spolia Galliarum et Viennensium aurum, pretia laborum suorum, occultare clamitantes, direptis sarcinis tabernacula ducis ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur. nam Valens servili veste apud de-

2 cuiusque *det.:* cuI; 2|3 tentoria | tentoria 5 aut] ac *Nipperdey* 6 e&Iā (*litt.* e *paene evanida*) 7 Ire uirorū ungrosq; (t *superscr.* 1*m*) 9 preualidas 11 merere 13 uelud 14 uictorię sanitas su|stentaculū colum̃ *glossam e textu sustulit Nipperdey, unde irrepserit infra docui* (*cf. Fleckeiseni annal.* 1884 *p.* 775 *sq.*) 16|17 cohercere (h *del.* 1*m*) 17 ceptabat 18 pretia *Classen:* et p̄tia 19 occultari *Halm* tabernaculum *Nipperdey*

ronis] cf. ad 1, 6 et 2, 11. — *Lingonum*] hodie *Langres.* — ***rettulimus***] Hist. 1, 59. 64. — ***ut cuiusque — accessissent***] cf. 1, 85 *ut quemque nuntium fama adtulisset.* — ***iactantes***] Harum rerum narratio cum fine Annalium periit. Duebn. — ***duci corrupta***] recte editio princeps interpunctionem post *duci* omisit, nam ablativo absoluto *corrupta — disciplina* causa additur, cur acerbum duci fuerit.

28. ***pulsam Trevirorum*** cet.] cf. c. 14. — ***tot bellorum victores***] ut 4, 58. — ***victoriae columen***] postquam *Nipperdey*, sano iudicio ductus vocc. *sanitas sustentaculum* spuria iudicavit, iam mihi contigit, ut invenirem, unde hoc additamentum ortum esset. legitur enim apud *Luctatium Placidum* (ed. Deuerling p. 19, 1) haec glossa: „*columen* uel sanitas uel sustentaculum, quia a columna fit“ quam huc translatam in textum irrepsisse apparet. cf. similem glossam 1, 89 *ancilium scutum vel arma caelestia*, quae haud scio an et ipsa ex Placido hausta sit; cf. *Deuerling* p. 4, 12. de eo quod *columen* vocabulo *sanitas* explicatur cf. *Löwe:* glossae nominum Lipsiae 1884 p. 208 (= Fleckeiseni annal. 1875 p. 537). — ***ut corpori***] cf. Ovid. Trist. 1, 3, 74 *Et pars abrumpi corpore visa suo est.* Curtius 6, 9, 19 *videbar enim mihi partem viscerum meorum abrumpere.* Iordanis Getica c. 39, 205 (in alloquio Attilae): *abscisa autem nervis mox membra relabuntur, nec potest stare corpus, cui ossa subtraxeris.*

29. ***Viennensium aurum***] cf. 1, 66. — ***pretia laborum***] cf. Agr. 12 *aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae.* Ann. 15, 12 *castra Romana — pretium laboris peti.*

curionem equitum tegebatur. tum Alfenus Varus praefectus castrorum deflagrante paulatim seditione addit consilium, vetitis obire vigilias centurionibus, omisso tubae sono, quo miles ad belli munia cietur. igitur torpere cuncti, circumspectare inter se attoniti et id ipsum, quod nemo regeret, paventes: silentio patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium miseratio favor: versi in laetitiam, ut est volgus utroque inmodicum, laudantes gratantesque circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. ille utili moderatione non supplicium cuiusquam poposcit; ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit, gnarus civilibus bellis plus militibus quam ducibus licere. (30) munientibus castra apud Ticinum de adversa Caecinae pugna adlatum et prope renovata seditio, tanquam fraude et cunctationibus Valentis proelio defuissent. nolle requiem, non expectare ducem, anteire signa, urguere signiferos: rapido agmine Caecinae iunguntur. inprospera Valentis fama apud exercitum Caecinae erat: expositos se tanto pauciores integris hostium viribus querebantur, simul in suam excusationem et adventantium robur per adulationem attollentes, ne ut victi et ignavi despectarentur. et quanquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, studia tamen militum in Caecinam inclinabant, super benignitatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore aetatis, proceritate corporis et quodam inani favore. hinc aemulatio ducibus: Caecina ut foedum ac maculosum, ille ut tumidum ac vanum inridebant.

1 alfenius 2 seditionē (*notam del.* 1*m*) circuire *in marg.* 2*m* 5 p̄cibus 6 querebant 7 fabor *sed corr.* 1*m* 13 p̄lio 15 cecinę 21 habebantur (n *del.* 1*m*) etia 22 fabore *sed corr.* 1m 23 fędū

Hist. 4, 32 *egregium, inquit, pretium laborum recepi, necem fratris* etc. — *consilium, vetitis*] βραχυλογία, pro qua alius scriptor facile dixisset: *vetuit enim obire vigilias centuriones.* — *patientia*] Malim *poenitentia.* Lips. Haud opus. Patienter ac tacite ferebant istam omissionem solitorum, non frementes, non irascentes. Ern. Quo scilicet non exasperarent Alfenum atque is ipsorum patientia citius mitigaretur. — *ut est volgus*] ad sententiam cf. 1, 69. — *paucos*] Lipsius malebat *paucis* scil. *verbis;* sed sensus est: „non totius exercitus istum furorem, sed paucorum fuisse, qui exercitum concitassent.“ Eadem ratione usus Otho 1, 84: *Paucorum culpa fuit; duorum poena erit.* Atqui omnes seditiosi fuerant. Ern.

30. *tanto pauciores*] de numero militum cf. 1, 61 et 64. — *inani favore*] „a causis inanibus orto, ita ut ipsi prope nescirent, cur tantopere Caecinae faverent.“ cf. 1, 53: *Caecina decorus iuventa, corpore ingens, animi inmodicus, scito sermone, erecto incessu studia militum inlexerat.* — *foedum ac maculosum*] Refer ad eius libidinem et rapacitatem, quae vitia in Valente arguit etiam 1, 66: *Valentem magna pecunia emptum.* — *quotiens pecuniae materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur.* Eadem compositione vv. utitur A. 13, 33. H. 1, 7. — *inridebant*] de nu-

sed condito odio eandem utilitatem fovere, crebris epistulis sine respectu veniae probra Othoni obiectantes, cum duces partium Othonis quamvis uberrima conviciorum in Vitellium materia abstinerent. (31) sane ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruere, minus Vitellii ignavae voluptates quam Othonis flagrantissimae libidines timebantur. addiderat huic terrorem atque odium caedes Galbae: contra illi initium belli nemo inputabat. Vitellius ventre et gula sibi inhonestus, Otho luxu saevitia audacia rei publicae exitiosior ducebatur.

Coniunctis Caecinae ac Valentis copiis nulla ultra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent: Otho consultavit, trahi bellum an fortunam experiri placeret. tunc Suetonius Paulinus dignum fama sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere, festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit: (32) exercitum Vitellii universum advenisse, nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant et deserere Rheni ripam inrupturis tam infestis nationibus non conducat. Britannicum militem hoste et mari distineri; Hispanias armis non ita redundare; provinciam Narbonensem incursu classis et adverso proelio contremuisse; clausam Alpibus et nullo maris subsidio transpadanam Italiam atque ipso transitu exercitus

1 eplis *cum lin. transversa in l* 5 ignaue uolupta|tis (*super* i *scr.* e 1*m*) fraglantissimę 6 cedes 7 gyla *sed corr.* gvla 8 inhonestus *Victorius:* Inhostus (*super ult.* s *rasura*) sibimet hostis *Rhenanus*, sibi infestus *Heinsius* seuitia R. P. 10 pęnes 11 trai 17 brittannicum 18 destineri 19 p̄lio

mero plurali cf. c. 24 *curam peditum Paulinus, equitum Celsus sumpsere*, c. 31 *meruere*. *Dräger* Synt. § 29. *Nipperdey* ad Ann. 2, 42.

31. *nemo inputabat*] nam ignavus homo ad res novas a Fabio Valente et Caecina stimulatus erat. cf. 1, 52. Rup. Sciebant Vitellium a suis paene coactum, ipsum nunquam quidquam ultro ausurum fuisse. Ern. — *sibi inhonestus*] Etsi non nego perquam ingeniosam ac propter accuratam ἀντίϑεσιν aptissimam esse Heinsii coniecturam, a Duebnero receptam, *sibi infestus* („sibimet ipsi perniciem mox allaturus, id quod vile erat damnum:"), tamen externa probabilitate antecellit Victorii et Pichenae *sibi inhonestus*, propterea quod ventre et gula sibi soli quidem infamiam contrahebat, minus vero nocebat rei publicae, quae item ἀντίϑεσις, ut ita dicam, obliqua minime spernenda est: sed maxime hanc ideo praetuli, quia idem vitium irrepsit in Med. Ann. 15, 25: *pax inhosta* pro *inhonesta*. similiter Hist. 4, 62 pro Medicei *inhora* Victorius *inhonora* correxit. cf. 1, 5 *accessit Galbae vox pro re publica honesta, ipsi anceps*. 2, 76 *quam inhonesta, tam tuta servitus*. — *habebatur*] propter expeditiones claras in Britannia (Ann. 14, 29) et in Africa. Plin. n. h. 5, 14: *Suetonius Paulinus, quem consulem vidimus, primus Romanorum ducum transgressus quoque Atlantem* cet.

32. *tumeant*] „ad turbas concitandas novasque res moliendas promptae sint;" nos *gähren*. Cic. ad Att. 14, 4: post interitum Caesaris: *tument negotia*. Ibid. 5: *hunc rerum tumorem*. Plin. Paneg. 28: *tumentibus plebis animis*. — *non ita redundare*] erant ibi legiones VI. Victrix et X. Gemina. — *nullo*

vastam; non frumentum usquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse. iam Germanos, quod genus militum apud hostis atrocissimum sit, tracto in aestatem bello fluxis corporibus mutationem soli caelique haud toleraturos. multa bella impetu valida per taedia et moras evanuisse. contra ipsis omnia opulenta et fida, Pannoniam Moesiam Delmatiam Orientem cum integris exercitibus, Italiam et caput rerum urbem senatumque et populum, numquam obscura nomina, etiam si aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes et inmensam pecuniam inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiae sueta aut aestibus. obiacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes; e quibus nullam hosti cessuram Placentiae defensione exploratum. proinde duceret bellum. paucis diebus quartam decimam legionem, magna ipsam fama, cum Moesicis copiis adfore: tum rursus deliberaturum, et si proelium placuisset, auctis viribus certaturos. (33) accedebat sententiae Paulini Marius Celsus; idem placere Annio Gallo paucos ante dies lapsu equi adflicto missi, qui consilium eius sciscitarentur, rettulerant. Otho pronus ad decertandum; frater eius Titianus et praefectus praetorii Proculus imperitia properantes fortunam et deos et numen Othonis adesse consiliis, adfore conatibus testabantur, neu quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem concesserant. postquam pugnari placitum, interesse pugnae imperatorem an seponi melius foret dubitavere. Paulino et Celso iam non adversantibus, ne principem obiectare periculis viderentur, idem illi deterioris consilii auctores perpulere, ut Brixellum concederet ac dubiis proeliorum exemptus summae rerum et imperii se ipsum reservaret. is primus dies Othonianas partes adflixit.

1 uastatam *alii* 6 capud 6|7 [urbem] *Heraeus* 7 etiam si *det.*: etiā (etsi *alii*) 8 pęcuniā 10 sueta 11 censurā defensionē (*notam del.* 1*m*) 12|13 magnā ipsā famā 13 cum *om.* moesaicis (Moesiacis *alii*) Moesicis cum *Ritter* 14 p̄lium 15 celsū (*notam in s mutavit* 1*m*) 16 labsu 20 audiret 24 p̄liorum summā 25 Imperiis (*s del.* 1*m*)

maris subsidio] quia classes cunctae parebant Othoni. — *fluxis*] per intemperiem caeli, maxime per aestus laxati, facile morbis pestilentibus expositi erant Germani (*hinfällig*). cf. c. 93: *Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora.* — *numquam obscura nomina*] Hic rhetorice; vere H. 1, 55: *senatus populique Romani obliterata iam nomina.* — *obiacere — Padum*] nimirum regressis cis Padum, quod vult Suetonius: nam nunc ipsum versantur trans Padum (in sinistra eius ripa) Bedriaci. Duebn. — *cum Moesicis copiis*] cf. c. 85; tres erant legiones, III. Gallica, VII. Claudiana, VIII. Aug., Aquileiam iam tunc ingressae c. 46.

33. *numen Othonis*] cf. Hor. od. 4, 5, 34 de Augusto: *Laribus tuum Miscet numen.* Ovid. Trist. 5, 10, 52 *Caesaris offenso numine.* — *Brixellum*] in dextra Padi ripa, prope Parmam et Regium, hodie *Bersello* sive *Bresello* in ducatu Mutinensi. — *se ipsum*] Othonem ipsum opponunt sibi legati, qui nunc seposito Othone res sunt gesturi. Igitur *ipsum* non friget, ut videbatur Ernestio; immo efficacissimum est. (Nos dicimus: *seine eigene*

namque et cum ipso praetoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit et remanentium fractus animus, quando suspecti duces, et Otho, cui uni apud militem fides, dum et ipse non nisi militibus credit, imperia ducum in incerto reliquerat.

(34) Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis: et exploratores cura diversa sciscitandi sua non occultabant. quieti intentique Caecina ac Valens, quando hostis inprudentia rueret, quod loco sapientiae est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes adversus obpositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. naves pari inter se spatio, validis utrimque trabibus conexae, adversum in flumen dirigebantur, iactis super ancoris, quae firmitatem pontis continerent; sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut augescente flumine inoffensus ordo navium attolleretur. claudebat pontem inposita turris et in extremam navem educta, unde tormentis ac machinis hostes propulsarentur. Othoniani in ripa turrim struxerant saxaque et faces iaculabantur. (35) et erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes Germani nando praelabebantur. ac forte plures transgressos completis Liburnicis per promptissimos gladiatorum Macer adgreditur, sed neque

2 suspectu 3 et ut otho 4 in *om.* 5 Nichil 6 ocultabant 7 qui et 8 aliena 12 insuper *dett.* anchoris firmitate 12|13 achorarū 13 extensi (*corr.* 1*m*) fluuitabant 14 turbis (r *super* b *scr.* 1*m*) 18 prelabebantur (perlabebantur *Halm*)

Person.) Walth. — *in incerto reliquerat*] nemo fuit certus, penes quem summum imperium esset, quis superior aut inferior. Walther. cf. c. 39.

34. *diversa*] „Dum quisque, in hostium partibus et castris quid ageretur, explorare tentant.“ Ern. — *iactis super ancoris*] naves fundantur ancoris, ut Vergilius loquitur Aen. 6, 4. Ergo etiam super iactis ancoris dirigebantur contra impetum fluminis. Ern. Facilior tamen est interpretatio, ut sit adverbium pro *insuper*, *praeterea;* „non contenti erant trabibus illis firmando ponti destinatis, sed praeterea ancoras iecerunt.“ Atque hunc sensum esse viderunt Gutmann: *und überdiess* cet. et Louandre: *on avait de plus jeté des ancres.* — *educta*] ut hoc v. distinguatur a praeced. *inposita*, vertes *vorgeschoben.* cf. 5, 18 *e mole, quam eductam in Rhenum retulimus.* Tacitum autem supplet Plutarchi Oth. 10 narratio digna sane, quae legatur.

35. *erat insula*] sub confluentibus Adduae ac Padi, mille passus a ripa distans, e regione vici hodie appellati *Spinadesco.* — *Germani*] Batavi, c. 43, quorum de nandi studio et arte cf. c. 17 et 4, 12; Agr. 18, Ann. 2, 8. — *praelabebantur*] recte iam Micyllus locum intellexisse videtur, qui ita vertit: „*Darzu so war mitten im Wasser ein Insel oder Werre, welches als sich die Fechter myt ihren Schiffen unterstanden einzunehmen, seind ihnen die Teutschen knecht mit ihrem schwimmen zuvorkommen.*“ Halmii *perlabebantur* laudem Germanorum tollit, qui nandi peritia celeritatem navium praevenisse dicuntur, et sic demum voc. *molientes* ut otiosum offendit. — *Liburnicis*] Dictae sunt a Liburnis, Illyrici populo, quorum auxilio cum usus esset Augustus bello Actiaco et experimento didicisset eorum naves ad celeriter navigandum ceteris aptiores esse, tales etiam in classibus Romanis faciendas curavit. cf. Ve-

ea constantia gladiatoribus ad proelia, quae militibus, nec proinde nutantes e navibus quam stabili gradu e ripa volnera derigebant. et cum variis trepidantium inclinationibus mixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros aut comminus mergere. quae cuncta in oculis utriusque exercitus quanto laetiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani causam auctoremque cladis detestabantur. (36) et proelium quidem abruptis quae supererant navibus fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur, iamque volneratum eminus lancea strictis gladiis invaserant, cum intercursu tribunorum centurionumque protegitur. nec multo post Vestricius Spurinna iussu Othonis relicto Placentiae modico praesidio cum cohortibus subvenit. dein Flavium Sabinum consulem designatum Otho rectorem copiis misit, quibus Macer praefuerat, laeto milite ad mutationem ducum et ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam aspernantibus.

(37) Invenio apud quosdam auctores pavore belli seu fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus, num posito certamine vel ipsi in medium consultarent vel senatui permitterent legere imperatorem, atque eo duces Othonianos spatium ac moras suasisse, praecipua spe Paulini, quod

1 perinde *dett.* 2 stabiles *Nipperdey*, stabili illi *Io. Müller* tum 7 praelium arruptis (abreptis *Io. Fr. Gronovius*) 8 ad *om.* (*in fine versus*) 10 purinna (s *super* p *add.* 1m) 12 sabinū (b *ex* u *corr.* 1m) 13 prę|fuerit (a *superscr.* 1m) milite. et ad (et milite ad *Döderlein*; et prono *Ritter*, et mitigato *Sirker*) 14 infesta 19 praecipua spe *Bipontini*: p̃cipuas

get. 4, 33. — *ea constantia gladiatoribus*] utpote qui antea soliti essent singuli dumtaxat cum singulis depugnare. — *stabili gradu*] Liv. 6, 12, 8: *obnixos vos stabili gradu impetum hostium excipere.* Boet. consol. 1, 1, 22: *Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.* — *volnera derigebant*] „Nove hoc dictum: proprie *ictus* et *tela* deriguntur.“ Ritter. Modus est Vergilianus Aen. 10, 139: *Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes Volnera derigere.* — *foros*] *forus, der Gang auf dem Schiffe; sie stiegen über Bord.* Gutmann. — *comminus*] i. e. manibus cf. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. — *in oculis utriusque exercitus*] „*Par ces mots il faut entendre seulement, d'un côté le corps de gladiateurs campé sur la rive droite du Pô, et de l'autre les troupes employées par Cécina sur la rive gauche à la construction et à la garde du pont. Car les armées elles-mêmes étaient l'une à Bédriac, l'autre* (de Vitellius) *à Crémone. Le savant Tillemont* I. p. 430 (p. 377. Ed. Par. 1720) *paraît n'avoir pas fait cette distinction, ce qui rend son récit tout-à-fait inintelligible.* Ferlet et Burnouf.

36. *abruptis*] scil. e manibus retentantium; aliter dictum est 4, 27 *navem abripiunt* et 5, 22 *praetoriam navem — abripiunt.* — *cohortibus*] praetoriis. — *Sabinum consulem designatum*] diversum a Vespasiani fratre, praefecto urbis, qui tunc Romae erat. cf. 1, 77.

37. *dubitasse exercitus, num*] cf. 4, 19 *consultavit, num obsequium abnuentes vi coerceret; Dräger* Synt. § 153, 2. — *in medium*] communiter de legendo novo imperatore. c. 5 *in medium consulere.* — *praecipua spe Paulini*] Auctores illos tradidisse a Paulino praesertim speratum esse imperium, neutiquam vero praecipuam spem ceteris a ducibus in eo esse collocatam, ut alii voluere,

vetustissimus consularium et militia clarus gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset. ego ut concesserim apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum, ita neque Paulinum, qua prudentia fuit, sperasse corruptissimo saeculo tantam volgi moderationem reor, ut qui pacem belli amore turbaverant bellum pacis caritate deponerent, neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere aut legatos ac duces, magna ex parte luxus egestatis scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque meritis suis principem passuros. (38) vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque. nam rebus modicis aequalitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excisis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres ple-

1 consularium *Rhenanus:* consiliariū clarus (l *ex* r *corr.* 1*m*) gloriam *bis* (*in fine et in initio columnae*) brittannicis 2 concesserit (t *del. et notam litterae* m *superscr.* 1*m*) 5 corruptissimos (s *del.* 1*m*) 10 insitā (*notam del.* 1*m*) 12 emulis 13 partes (r *post* t *superscr.* 1*m*)

sane elucet ex confutatione mox allata *neque Paulinum sperasse* cet. — *vetustissimus consularium*] „Quadriennio ante consul fuerat a. 819 (Ann. 16, 14) et omnium, qui circa Othonem, praeter imperatoris fratrem, consularium primus.“ Ryck. Nam hic iam a. u. c. 795 (p. Ch. 42) cos. I fuisse videtur, cf. *Ios. Klein:* Fasti consulares p. 32 et 40. — *Britannicis expeditionibus*] de quibus narrat Ann. 14, 29—39, Agr. 14—16. — *pacem belli amore — bellum pacis caritate*] Haase in commentatione de Taciti vita ingenio scriptis p. LII, ubi Tacitum abhorrere dicit ab eiusmodi verborum lusibus, quibus creber est L. Seneca, in adnotatione 329 addit hoc unum apud Tacitum inveniri figurae, quae dicitur ἀντιμεταβολή, exemplum. — *obstrictumque meritis suis*] i. e. quem ipsi vi et armis principem fecissent. *Kiessling.* falso in deterioribus codicibus pro *meritis* scriptum est *moribus.* — *passuros*] scil. fuisse, cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 31 *petiturum*, *Dräger* Synt. § 36 c.

38. *urbibus regibusve*] significat Romanis partim liberis cum civitatibus, partim cum regibus depugnandum fuisse. cf. Ann. 4, 32 *expugnationes urbium, fusos captosque reges.* — *excisis*] Heraeus hic et aliis locis *excissis* scribendum esse censet, at cf. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 56 sq. — *securas opes*] potentiam ceterasque prosperitates ab exteris hostibus iam non impugnatas neque impeditas. — *vacuum fuit*] „Id est satis otii fuit ab externa vi, ut possent cogitare de propria potentia augenda. Imitatus est Sallustium in Fragm. Hist. 1, 12 Kr.: *Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurumae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt* cet. Vett. Glossae: *Vacuum,* εὔσχολον, εὔκαιρον.“ Ern. Sic Ann. 13, 3: *quibus otiosum est.* — *prima inter patres plebemque certamina*] certamina dicit inter nobilitatem et factionem popularem: quae prius agitata sunt ab ordinibus patriciorum plebisque, in iis ad seditiones et pugnas non fere res progressa est. *Ritter.* Ne igitur conicias ex Sallustii loco pro *prima* scribendum esse *plurima,* cf. Flor. 2, 2: *Primam certaminum facem Ti. Gracchus accendit*, Vell. 2, 3, 3: *hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit.* Plut. Ti. Gracchus 20: ταύτην πρώτην ἱστοροῦσιν ἐν Ῥώμῃ στάσιν, ἀφ᾽ οὗ τὸ βασιλεύεσθαι κατέλυσαν, αἵματι καὶ φόνῳ πολιτῶν

bemque certamina exarsere. modo turbulenti tribuni, modo consules praevalidi, et in urbe ac foro temptamenta civilium bellorum, mox e plebe infima C. Marius et nobilium saevissimus Lucius Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. post quos Cn. Pompeius occultior, non melior, et numquam postea nisi de principatu quaesitum. non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones, nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint. eadem illos deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere. quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia principum factum est. sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio.

(39) Profecto Brixellum Othone honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum praefectum; Celsus et Paulinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine ducum alienae culpae praetendebantur; tribuni centurionesque ambigui, quod spretis melioribus deterrimi valebant; miles alacer, qui tamen iussa ducum interpretari quam exequi mallet. promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit, adeo imperite, ut quanquam verno tempore anni et tot

3 G. seuissimus ulla (s *superscr.* 1m) 4 p'quo . gn. 5 principatū (*notam del.* 1m) 7 eodē 8 rabies cędē 9 uelud 11 ueniu ·; (*iuxta* u *scr.* o 2m), ueniam *a b*, redeo *Heraeus* 17 Intptari exequī *cum lin. transversa in litt.* q (= exequi uim) *sed notas del.* 1m, *ut* exequi *restet* 18 Imperitę

διακριϑῆναι. — *turbulenti tribuni*] Ann. 3, 27: *Hinc Gracchi et Saturnini, turbatores plebis.* — *consules praevalidi*] de L. Opimio Plut. C. Gracchus 18: οὗτος μέντοι πρῶτος ἐξουσίᾳ δικτάτορος ἐν ὑπατείᾳ χρησάμενος καὶ κατακτείνας ἀκρίτους ἐπὶ τρισχιλίοις πολίταις Γάϊον Γράκχον καὶ Φούλβιον Φλάκκον etc. — *et numquam*] pro *nec umquam* cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 38 *et nihil*, *Dräger* Synt. § 111. — *quaesitum*] i. e. certatum, ut Ann. 2, 74: *inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quaesitum.* — *in Pharsalia*] cf. 1, 50; item Flor. 2, 13, 64. — *rerum ordinem*] Curtius 8, 9, 37 *morari ordinem rerum.* — *venio*] nimis audacter critici pro *venio* scripserunt *redeo* vel *revertar*; nam qui fieri potuit, ut hoc in illud mutaretur? ipsa difficilior lectio retinenda videtur, quae tantundem valet ac „nunc rerum ordinem sequor“: *ietzt komme ich (von meinen Betrachtungen) auf den Gang der Ereignisse, auf die Entwicklung der Dinge.*

39. *Brixellum*] cf. c. 33. — *vis ac potestas*] eadem vocc. iunxit 3, 11, dial. 19. *Dräger* Synt. § 242. — *alienae culpae*] Titiani et Proculi, qui culpam malorum in hos duces conferebant. Ruperti. Ad rem ita Plutarchus Oth. 7: Ἔπεμψεν οὖν Τιτιανὸν ἐπὶ τὰ στρατεύματα τὸν ἀδελφὸν καὶ Πρόκλον τὸν ἔπαρχον, ὃς εἶχεν ἔργῳ τὴν πᾶσαν ἀρχήν, πρόσχημα δὲ ἦν ὁ Τιτιανός· οἱ δὲ περὶ τὸν Κέλσον καὶ Παυλῖνον ἄλλως ἐφείλκοντο συμβούλων ὄνομα καὶ φίλων, ἐξουσίαν καὶ δύναμιν ἐν τοῖς πράγμασι μηδεμίαν ἔχοντες. — *iussa ducum interpretari*] inquirere in causas iussionis et explorare ac ponderare, quam simplici obedientia patrare. Lips. — *ad quartum*] lapidem, Cremonam versus. cf. c. 24. „E Plutarcho Oth. 11 scriberes *ad sextum.* Nam ille quinquaginta stadia numerat. Sed et paullo post, ubi Tacitus XVI. M. P. numerat, Graeci eiusdem computatione XII. tantum efficiuntur. Nihil tamen ego mutem. Lips. — *adeo imperite*] Totum h. l. ad ver-

circum amnibus penuria aquae fatigarentur. ibi de proelio dubitatum, Othone per litteras flagitante ut maturarent, militibus ut imperator pugnae adesset poscentibus; plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. nec proinde diiudicari potest quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. (40) non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti confluentes Padi et Aduae fluminum sedecim inde milium spatio distantes petebant. Celso et Paulino abnuentibus militem

1 manib; paenuria praelio 3/4 plerisque — postulantibus *L. Spengel* 4 perinde *dett.* quid *Rhenanus:* quod factum 6 uellandū (*corr. 2m*) Adduae *Puteolanus*

bum Plutarchus expressit, ut pleraque alia: etsi haud multum aetate Tacito inferior. Lips. Velut hic: προήγαγεν αὐτοὺς ὁ Πρόκλος ἐκ τοῦ Βητριακοῦ καὶ κατεστρατοπέδευσεν ἀπὸ πεντήκοντα σταδίων οὕτως ἀπείρως καὶ καταγελάστως, ὥστε τῆς μὲν ὥρας ἐαρινῆς οὔσης, τῶν δὲ κύκλῳ πεδίων πολλὰ νάματα καὶ ποταμοὺς ἀεννάους ἐχόντων, ὕδατος σπάνει πιέζεσθαι. Heeren quidem de fontibus vitarum Plutarchi, Gottingae 1820 p. 188 Tacito et Suetonio eum non usum arbitratur. Quod si est, certe omnes tres iisdem ex fontibus hauserunt. Plutarchus ipse in Galba c. 27 et in Othone c. 9 multos et varios sese consultasse monet. In Oth. 3 Cluvium Rufum appellat. c. 9 commemoratis causis, cur sapientibus Paulini, Celsi, Galli consiliis non obtemperarit Otho, addit: Καὶ τοῦτο μὲν διηγεῖτο Σεκοῦνδος ὁ ῥήτωρ ἐπὶ τῶν ἐπιστολῶν γενόμενος τοῦ Ὄθωνος, cuius commentarii de eius rebus exstitisse videntur. Denique c. 14 testem oculatum proelii Bedriacensis, Mestrium Florum consularem adducit. Et hos quidem nominat Heeren; non norat Pompeium Plantam, de quo vide ad c. 23 quemque inter multos illos a Plutarcho inspectum esse probabile est. cf. *Ios. Lezius:* de Plutarchi in Galba et Othone fontibus. Dorpati Livonorum 1884. — *de proelio*] de loco pugnae potissimum. Duebn.

40. *ad bellandum*] *Ad debellandum* corrigit Grotius. „Ibant non quasi ad incertum certamen, sed ut finem impositurі bello una victoria." At rectius Duebner: „Ac si ex urbe ad bellandum proficiscerentur longinquo hoste, nullo erant ad pugnam idoneo apparatu nec *expediti* (sine sarcinis), ut Vitelliani, de quibus c. 45 legimus: *expeditis et tantum ad proelium egressis.*" Praeiverat Heinsius haec adscribens: „Qui ad bella proficiscuntur, sarcinas secum ferunt: qui ad pugnam, eas in loco proximo relinquunt. Quod non factum, etsi hostis in vicinia." cf. Germ. 30: *Alios ad proelium ire videas, Chattos ad bellum.* — *Aduae*] cf. Strabo 3 p. 192. 209. Plinius 2, 224 itemque Sidonius 1, 5: *Vidimus ulvosum Lambrum, caeruleum Adduam, velocem Athesin, pigrum Mincium.* Lips. Graece Ἀδούας, ut Med. *Aduae*, hodie *Adda.* Ceterum *confluentes* illi (*Bocca d'Adda presso Castel nuovo*) quinque milia passuum distant a Cremona, Caecinae autem pons mille passibus propior erat Cremonae, quocirca mox est *vix quattuor M. P.* De difficultatibus narrationis Taciteae, si nomen *Aduae* recte se habet, quod iure dubitari potest, post Savilium cum alii viri docti disseruerunt, tum *Th. Mommsen* in commentatione illa: Die zwei Schlachten von Bedriacum im J. 69. Hermes V. 1871 p. 161—173. nuper omnes de his rebus dubitationes summa diligentia expedire conatus est *Ioannes Gerstenecker* in programmate Monacensi: Der Krieg des Otho u. Vitellius in Italien im J. 69. 1882, sed nimis argute et parum probabiliter, ut mihi quidem videtur. *Nipperdey* in editione sua nomina fluminum *Padi et Aduae* uncis inclusit et haec adnotavit: „flumina praeter Padum sunt amnis Caneta et rivi complures prope Cremonam Orientem versus in Padum influentes." At quis hoc sibi persuadeat Tacitum *confluentes fluminum* scripsisse neque nominasse flumina? — *sedecim inde milium spatio distantes*] *inde* h. e. a quarto a Bedriaco, quem locum paulo ante (c. 39) memoraverat, ut recte interpretatur Ryckius.

itinere fessum, sarcinis gravem obicere hosti non omissuro, quo minus expeditus et vix quattuor milia passuum progressus aut incompositos in agmine aut dispersos et vallum molientes adgrederetur, Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant. aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho increpita ducum segnitia rem in discrimen mitti iubebat, aeger mora et spei inpatiens.

(41) Eodem die ad Caecinam operi pontis intentum duo praetoriarum cohortium tribuni conloquium eius postulantes venerunt. audire condiciones ac reddere parabat, cum praecipites exploratores adesse hostem nuntiavere. interruptus tribunorum sermo, eoque incertum fuit, insidias an proditionem vel aliquod honestum consilium coeptaverint. Caecina dimissis tribunis revectus in castra datum iussu Fabii Valentis pugnae signum et militem in armis invenit. dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere; et mirum dictu, a paucioribus Othonianis quo minus in vallum inpingerentur, Italicae legionis virtute deterriti

1 omissuro *b corr.*: ãmissuro 2 expeditũs (*notam del.* 1*m*) 8 Intentus *sed s in m mut.* 1*m* 10 explora | adesse 12 vel proditionem an *Herm. Schütz* ceptauerint 15 dictũ (*notam del.* 1*m*)

sed numerus milium minor indicatur, quam revera est, si quidem Bedriacum a Cremona viginti milium spatio distat, cf. supra ad c. 23. Contra *Gerstenecker inde* ad *confluentes* refert et *distantes* pro nominativo accipit. sic enim (l. l. p. 31 sq.) rem exponit: ad pugnam profecti, cum confluentes Padi et Aduae fluminum peterent, ad locum quendam pervenerunt, ubi sedecim milium spatio ab illis confluentibus distabant. Quae si Tacitus dicere voluisset, mea quidem sententia aliter scripsisset. — *Numida*] ex servis Othonis. Viris enim lautioribus ditioribusque Afri aut Numidae equites erant ad iter. Praecurrebant illi et agmen ducebant heri sequentis. Seneca Ep. 87, 9: *O quam cuperem illi* (Catoni Censorio) *nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via* [*divitibus*] *cursores et Numidas et multum ante se pulveris agentem!* Idem expressius Ep. 123, 7: *Omnes iam sic peregrinantur, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Martialis 10, 13, 1: *Cum cathedralicios portet tibi reda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques* cet. De tali igitur hic capies, quando et principibus illi in usu, ex Martiale, in adventum Domitiani 10, 6, 7: *Quando eques et picti tunica Nilotide Mauri Ibitis, et populi vox erit una „Venit"?* Nec Suetonium aliter interpretemur (viderat sagacissimus Turnebus Advv. 24, 6. 30, 3) in Nerone 30: *Iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba atque cursorum.* Nam Mazaces Afri. Lips.

41. *pontis* cf. c. 34 et 35. — *insidias an proditionem vel aliquod honestum cons.*] *an* — *vel* defenditur loco Ann. 14, 3 *veneno an ferro vel qua alia vi. Dräger* Synt. § 129. — *in castra*] circa Cremonam cf. 3, 26 *Othoniano bello Germanicus miles moenibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumiecerat.* — *a paucioribus*] cf. 3, 2, ubi Antonius Primus contionabundus: *duae tunc Pannonicae ac Moesicae alae perrupere hostem.* — *inpingerentur*] Memor fortasse fuit Vergiliani illius Aen. 5, 804: *cum Troia Achilles Exanimata sequens inpingeret agmina muris,* ubi v. ἐμπλήσσειν collatum ab Heynio. „A fama autem huius victoriae deceptus videtur

sunt: ea strictis mucronibus redire pulsos et pugnam resumere coegit. disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim, quanquam vicino hoste, aspectus armorum densis arbustis prohibebatur. apud Othonianos pavidi duces, miles ducibus infensus, mixta vehicula et lixae, et praeruptis utrimque fossis via quieto quoque agmini angusta. circumsistere alii signa sua, quaerere alii; incertus undique clamor adcurrentium, vocantium: ut cuique audacia vel formido, in primam postremamve aciem prorumpebant aut relabebantur. (42) attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit repertis, qui descivisse a Vitellio exercitum ementirentur. is rumor ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte seu dolo seu forte surrexerit, parum compertum. omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutavere; et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris, quae causa salutandi, metum proditionis fecere. tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero praestantior: Othoniani quanquam dispersi pauciores fessi, proelium tamen acriter sumpsere. et per locos arboribus ac vineis inpeditos non una pugnae facies: comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant. in aggere viae conlato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere: noscentes inter se, ceteris conspicui, in eventum totius

1 ea strictis *Rhenanus:* et astrictis (Hęc astrictis b^2) 2 acies *Lipsius:* arte (acie *in marg.* b^2) 4 behicula (*corr.* 1*m*) 5 agminangusta (i *post* in *superscr.* 1*m*) 6 querere 7 vocantium *Io. Fr. Gronovius:* clamantiū *in initio versus; ab alia, sed vetere manu in marg.* uo *praescriptum et* la *leviter inductum est: correctorem nihil aliud voluisse nisi* uocantium *docui in Fleckeiseni annal. a.* 1882 *p.* 138 (uolantium *a b*, uocitantium *Pichena*) 8 relabebantur *Victorius:* relebebantur 9/10 quidē ciuis se (*corr.* 1*m addita litt.* s *post* ē) 12 omisse 13 set *Ritter* 14 Incubui| (t *super lin. add.* 2*m*) 15 prestantior 16 praelium 19 cladib; (c *in* g *mut.* 1*m*)

Iosephus, qui B. I. 4, 9, 9: Καὶ γενομένης συμβολῆς κατὰ Βηδριακὸν τῆς Γαλατίας πρός τε Οὐάλεντα καὶ Καικίνναν τοὺς Οὐιτελλίου στρατηγοὺς τῇ πρώτῃ μὲν ἡμέρᾳ περιῆν Ὄθων, τῇ δευτέρᾳ δὲ τὸ Οὐιτελλίου στρατιωτικόν." RYCK. — *arbustis*] Arbusta hic quoque, ut saepe, sunt arbores vitibus vestitae, quarum traduces conexi prospectum prohibent. cf. c. 25. 3, 21. — *clamor — vocantium*] cf. 3, 68 *clamor obsistentium — in Palatium vocantium.* Curtius 3, 8, 26 *festinatio discurrentium suosque ad arma vocantium.* Liv. 41, 2, 7 *una vox audiebatur ad mare vocantium.* — *relabebantur*] metaphora ducta ab undis. Verg. Aen. 10, 307: *Retrahitque pedem simul unda relabens.* Ann. 2, 24: *relabente aestu.*

42. *seu dolo*] Ita Suet. Oth. 9. — *arboribus ac vineis*] cf. c. 25. — *viae*] Postumiae, ut c. 24. Compara Plutarchi narrationem huius pugnae c. 11 seqq. — *noscentes inter se*] Dio 65, 12: γνωρίζοντες ἀλλήλους. Sic Cic. ad Att. 6, 1: *Cicerones pueri amant inter se.* — *conspicui*] utpote in aggere viae. Describitur hic ratio in aggere pugnantium diversa ab eorum, qui per locos arboribus ac vineis impeditos. WALTH. — *in eventum totius belli certabant*] fortissime, quasi ex ipsorum virtute totius belli eventus penderet. RUPERTI.

belli certabant. (43) forte inter Padum viamque patenti campo duae legiones congressae sunt, pro Vitellio unaetvicensima, cui cognomen Rapaci, vetere gloria insignis, e parte Othonis prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida. primani stratis unaetvicensimanorum principiis aquilam abstulere; quo dolore accensa legio et inpulit rursus primanos, interfecto Orfidio Benigno legato, et plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. a parte alia propulsa quintanorum impetu tertia decima legio; circumventi plurium adcursu quartadecimani. et ducibus Othonis iam pridem profugis Caecina ac Valens subsidiis suos firmabant. accessit recens auxilium, Varus Alfenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam navibus transvectam obpositae cohortes in ipso flumine trucidaverant: ita victores latus hostium invecti. (44) et media acie perrupta fugere passim Othoniani Bedriacum petentes. inmensum id spatium; obstructae strage corporum viae; quo plus caedis fuit: neque enim civilibus bellis capti in praedam vertuntur. Suetonius Paulinus et Licinius Proculus diversis itineribus castra vitavere. Vedium Aquilam tertiae decimae legionis legatum irae militum inconsultus pavor obtulit. multo adhuc die vallum ingressus clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur; non probris, non manibus abstinent; de-

2 una et uicensima (unetvicesima *Nipperdey*, *Sirker Tac. Formenlehre p.* 41) 4 ñ ui 4|5 unę et uicensimanorum (unetvicesimanorum *Nipperdey*) 10 Varus *Rhenanus:* ua|ren; 11 obpisitae 13 będria cũ 14 cedis 15 belli| (s *add.* 2*m*) 16 diũsis (*poster.* s *in rasura* 1*m*) 17 lęgionis 19 cir|circumstrepitur

43. *Rapaci*] Ἅρπαξ Plut. Oth. 12. Ita cognominata videtur, quod eius legionis virtus velut torrens omnia secum raperet. cf. c. 100. 3, 22. Bach. (Sane est *die Reissende*, non *die Räuberische.* at cf. *Pfitzner* Geschichte der röm. Kaiserlegionen p. 8 sq.) — *non ante in aciem deducta*] Legio prima classica Adiutrix memoratur quidem c. 24 in leviore proelio ad locum Castorum vocatum commisso, verum ad decertandum pervenisse non videtur. — *principiis*] primis ordinibus, ut Sall. Iug. 50, 2: *Marium post principia habere.* Liv. 2, 65, 2. 3, 22, 6. Plut. Oth. 12: πάντας ὁμοῦ τι τοὺς προμάχους ἀποκτείναντες. Praetoriani quomodo pugnarint, non narrat Tacitus; verum Plut. l. l.: Αἴσχιστα δὲ ἠγωνίσαντο πάντων οἱ στρατηγικοί, μηδὲ ὅσον ἐν χερσὶ γενέσθαι τοὺς ἐναντίους ὑπομείναντες, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀηττήτους ἔτι φόβου καὶ ταραχῆς ἀνεπίμπλασαν φεύγοντες δι' αὐτῶν. — *a parte alia*] in dextro cornu Othonianorum. — *quintanorum*] pro Vitellio, cf. 1, 55 et 61. — *tertia decima legio*] e parte Othonis; ex Illyrico advenerat c. 11 et 24. — *quartadecimani*] dumtaxat vexillarii eius. cf. c. 66: *Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non adfuisse.* — *Varus Alfenus*] cf. c. 29. — *fusa gladiatorum manu*] haec gladiatorum clades diversa est ab illa, quam supra c. 35 legimus. cf. *L. Krauss:* de vitarum imperatoris Othonis fide quaestiones p. 49 sq.

44. *immensum id spatium*] cf. c. 23 et 40 et Excursum I. „*Immensum* autem vocat respectu fugientium, qui vehementer defatigati omnes, pars vulnerati erant.“ Ryck. — *strage corporum*] cf. Plut. O. 14: Θνήσκειν μὲν γὰρ παρὰ τοὺς ἐμφυλίους πολέμους, ὅταν τροπὴ γένηται, πλείονας εἰκός ἐστι τῷ μηδένα ζωγρεῖν· χρῆσθαι γὰρ οὐκ ἔστι τοῖς ἁλισκομένοις. Dio 64, 10: Ἔπεσον δὲ τέσσαρες μυριάδες ἀνδρῶν ἑκατέρωθεν ἐν ταῖς μάχαις ταῖς πρὸς τῇ Κρεμώνῃ γενομέναις. — *castra vitavere*] Plut. O. 13: Τῶν δὲ

sertorem proditoremque increpant, nullo proprio crimine eius, sed more volgi suum quisque flagitium aliis obiectantes. Titianum et Celsum nox iuvit, dispositis iam excubiis conpressisque militibus, quos Annius Gallus consilio precibus auctoritate flexerat, ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent: sive finis bello venisset seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum. ceteris fractus animus: praetorianus miles non virtute se sed proditione victum fremebat. ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila; superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit; venire Moesicas legiones; magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos, et si ita ferret, honestius in acie perituros. his cogitationibus truces aut pavidi extrema desperatione ad iram saepius quam in formidinem stimulabantur.

(45) At Vitellianus exercitus ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis ducibus eadem die obpugnationem castrorum; simul voluntaria deditio sperabatur. sed expeditis et tantum ad proelium egressis munimentum fuere arma et victoria. postera die haud ambigua Othoniani exercitus voluntate et, qui ferociores fuerant, ad paenitentiam inclinantibus missa legatio; nec apud duces Vitellianos dubitatum, quo

5 ipsis edib; (*poster.* s *in* c *mut.* 1*m*) seuirent 6 cęteris 6—8 ceteris — fremebat *post* perituros (*v.* 12) *collocat W. Dieckmann* 8 Incruenta 14 będriaco 16 praelium 18 exercitu penitentiam 19 legatio nec apud *Pichena:* legatione. capud

στρατηγῶν οὔτε Πρόκλος οὔτε Παυλῖνος συνεισελθεῖν ἐτόλμησαν, ἀλλ' ἐξέκλιναν, φοβούμενοι τοὺς στρατιώτας. — *si ita ferret*] ut Ann. 3, 15. — *truces*] praetoriani (quamquam, si Plutarcho fides, male pugnarant), *pavidi* ceteri, quis fractus animus. Ed. Spir. *haud pavidi*, uti vult Dureau de Lamalle. Perperam: ablativus *his cogitationibus* pertinet ad *truces* tantum, non ad *pavidi*. WALTHER. Nihil in hoc capite mutavi, quamquam mihi quoque persuasum est verba *ne Vitellianis quidem — perituros* Anni Galli, non praetorianorum esse. sunt enim manifesto ducis mitigantis, non militum seditiosorum proditos se esse frementium. iratos milites alia oratione usuros fuisse certum est, cf. 4, 24 et 27. et verba *honestius in acie perituros* nonne aperte respiciunt ad illa *ne super cladem adversae pugnae suismet ipsi caedibus saevirent?* Idem docet Plutarchus, qui Oth. 13 haec de Annio Gallo refert: Ἄννιος δὲ Γάλλος ἀνελάμβανεν ἐν τῇ πόλει καὶ παρεμυθεῖτο τοὺς ἐκ τῆς μάχης συλλεγομένους, ὡς ἀγχωμάλου γεγενημένης καὶ πολλοῖς κεκρατηκότας μέρεσι τῶν πολεμίων. Galli igitur orationem vv. *ceteris — fremebat* prave interrumpi pro certo habeo, qua ratione turbatus locus sanari possit, nescio; neque enim transpositionem certam medelam iudico.

45. *obpugnationem castrorum*] prope Bedriacum; neutiquam vero eorum, quae Othoniani promoverant ad quartum a Bedriaco quaeque tunc deserta esse videntur, c. 39. cf. Plutarchus O. 13: Ἄννιος Γάλλος ἀνελάμβανεν ἐν τῇ πόλει (Bedriaci, ubi post illum lapsum equi (c. 33) degebat). — *munimentum*] pro munimento, quo instrumentis tunc destituti saepire se nequibant, ea nocte sub armis manserunt, atque per se satis securitatis eis praebebat victoria. — *nec apud duces Vitellianos dubitatum*] Plut. O. 13: τοῦ δὲ Κεκίνα προσελάσαντος τῷ ἵππῳ καὶ τὴν

minus pacem concederent. legati paulisper retenti. ea res haesitationem attulit ignaris adhuc, an impetrassent. mox remissa legatione patuit vallum. tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera laetitia detestantes. isdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum volnera fovebant. spes et praemia in ambiguo, certa funera et luctus, nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem maereret. requisitum Orfidii legati corpus honore solito crematur; paucos necessarii ipsorum sepelivere; ceterum volgus super humum relictum.

(46) Opperiebatur Otho nuntium pugnae nequaquam trepidus et consilii certus. maesta primum fama, dein profugi e proelio perditas res patefaciunt. non expectavit militum ardor vocem imperatoris. bonum haberet animum iubebant: superesse adhuc novas vires et ipsos extrema passuros ausurosque. neque erat adulatio: ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant. qui procul astiterant,

4 misera] mixta *Schöntag* 10 mesta praelio 14 fraglabant

δεξιὰν ὀρέγοντος οὐδεὶς ἀντέσχεν. de constructione verbi *dubitare* cf. *Dräger* Synt. § 187. — *misera laetitia*] *laetitia* ob reconciliationem et finem totius belli, sed *misera*, miserabili mixtaque cum tristitia propter caedem tot civium et quod pro Othone et Vitellio, *omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimis* pugnassent. Rup. *Dräger* Synt. § 244 confert aliud oxymoron: Ann. 1, 8 *adroganti moderatione.*

46. *nequaquam trepidus*] Antea, teste Dione Sturzii IX p. 110: καὶ ἐν τοῖς ὕπνοις ἐταράττετο, ἀλλ᾽ οὐχ ἦν ἀποφυγὴ τοῦ λοιποῦ. — *furore quodam et instinctu*] „Accipe dictum per ἓν διὰ δυοῖν: *instinctu furoris*, furore quodam instincti. Cic. Verr. 5, 72: *quodam furore instinctus.* Adde pro Domo 55.“ Ern. Verum dicam potius: horum alterum alterius vim vicissim auget: tolle alterum utrum, et alterum in Tacito misere languebit. Ceterum operae pretium est videre, quantopere in his vv. sese defatigarint interpretes. „Substantivo quam adiectivo uti maluit Tacitus, quod *instinctus furibundus* notionem quandam irarum et rabiei habuisset, quae ab substantivo *furor* abest.“ Roth de Synon. apud Tac. p. 27. „*Furor* est ira et ultionis cupido, *instinctus* incredibilis exercitus amor in Othonem.“ Bipontini. „Sunt hic potius synonyma: nam in utroque vocabulo est notio necessitatis, cui abest consilium: etenim necessitate et sine consilio agunt et qui furore agunt et qui instinctu.“ Walther. „*Furor* est μανία, quae ex animo proficiscitur, *instinctus* est impulsus, qui fit extrinsecus, ut 1, 70: *instinctu decurionum.*“ Pabst Ecl. Tac. p. 297 et Bach. „Synonyma *furor* et *instinctus* ita diversa sunt, ut prius effectum, causam alterum significet.“ Ritter. „*Avec enthousiasme et une sorte de fureur.*“ Louandre. Ceterum conferre iuvat Plutarch. Oth. 15: Τὸ δὲ τῶν στρατιωτῶν πάθος ἅπασαν ὑπερέβαλε πίστιν, ὡς οὐχ ἀπῆλθεν οὐδεὶς οὐδὲ μετέστη πρὸς τοὺς κρατοῦντας οὐδ᾽ ὤφθη τὸ καθ᾽ αὑτὸν ζητῶν ἀπεγνωσμένου τοῦ ἡγεμόνος, πάντες δ᾽ ὁμαλῶς ἐπὶ θύρας ἦλθον, ἐκάλουν αὐτοκράτορα, προελθόντος ἐγίνοντο προστρόπαιοι, μετὰ βοῆς καὶ ἱκεσίας χειρῶν ἥπτοντο, προσέπιπτον, ἐδάκρυον, ἐδέοντο μὴ σφᾶς ἐγκαταλιπεῖν, μὴ προδοῦναι τοῖς πολεμίοις, ἀλλὰ χρῆσθαι, μέχρι ἂν ἐμπνέωσι, καὶ ψυχαῖς καὶ σώμασιν ὑπὲρ αὐτοῦ. Ταῦτα ὁμοῦ πάντες ἱκέτευον. Εἷς δὲ τῶν ἀφανεστέρων ἀνατείνας τὸ ξίφος καὶ εἰπὼν „Ἴσθι, Καῖσαρ, οὕτως ὑπὲρ σοῦ παρατεταγμένους ἅπαντας“ ἀπέσφαξεν ἑαυτόν. Ἀλλὰ τούτων οὐδὲν ἐπέκλασε τὸν Ὄθωνα. — *ire* — *flagrabant*] de constructione cf. *Dräger* Synt.

tendere manus, et proximi prensare genua, promptissimo Plotio Firmo. is praetorii praefectus identidem orabat, ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: maiore animo tolerari adversa quam relinqui; fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei, timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. quas inter voces ut flexerat voltum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. nec praetoriani tantum, proprius Othonis miles, sed praemissi e Moesia eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas nuntiabant, ut nemo dubitet potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus. (47) ipse aversus a consiliis belli „hunc“ inquit „animum, hanc virtutem vestram ultra periculis obicere nimis grande vitae meae pretium puto. quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit. experti in vicem sumus ego ac fortuna. nec tempus

1 et *del. L. Spengel* 4 insistre 7 propius (*sic*) 8 aquile Iā nuntiabat (n *superscr.* 1*m*) 12 ptiū

§ 145. — *Plotio Firmo*] „Duo praefecti praetorio sub Othone, Plotius Firmus et Licinius Proculus (1, 46), nec alios usquam nominat Tacitus. Hinc apud Plut. Oth. 18 pro Πολλίωνος τοῦ ἑτέρου τῶν ἐπάρχων legendum videtur Πλωτίου cet., nisi huic Pollionis cognomen fuit, quod unum dici superest.“ Lips. — *maiore animo tolerari adversa*] Lipsius praeter alios locos comparat Aristot. Eth. Nicom. 3, 11 (1116 a, 12) τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν ἢ ἔρωτα ἤ τι λυπηρὸν οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. — *ut flexerat*] „prout vultu significaverat his vocibus se commoveri aut constantem manere in proposito.“ Duebn. — *clamor et gemitus*] Clamorem intellige laetantium, ubi flexerat vultum, tamquam obsecuturus militum studiis; *gemitum* dolentium, ubi induraverat, tamquam consilii certus. Ern. — *legiones Aquileiam ingressas*] De Moesiae legionibus tribus loquitur, de quibus hoc ipsum infra c. 85: *Aquileiam progressae — rapta pecunia et inter se divisa hostiliter egerant.* Hoc eo noto, quod in Suetonio aliter legas, et dumtaxat *bina ex his legionibus milia praemissa* Aquileiam pervenisse. Vespas. 6: *Moesiaci exercitus bina e tribus legionibus milia missa auxilio Othoni, postquam ingressis iter nuntiatum est, victum eum ac vim vitae suae attulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent.* Et addit, metuentes ultionem de alio imperatore cogitasse. Sed vereor, ne Suetonius halucinetur in *duobus milibus*, qui non e Moesiacis, sed Pannonicis Dalmaticisque fuere. cf. c. 11. Nec apud Tacitum leges de praemissis illis e legionibus Moesiacis. Sane, si et rem vides, probabilius tres ipsas legiones illa violenta atque hostilia Aquileiae ausas et de imperatore deliberasse, quam sola ex iis duo milia electa. Lips. — *ut nemo dubitet*] etiamnunc dubitet, tunc potuisse cet. Male nonnemo malebat *dubitaret* propter praecedens imperfectum.

47. *experti in vicem sumus ego ac fortuna*] sensus est: *ego fortunam expertus sum* scil. et secundam et adversam; nihil iam mihi dare poterit nec amplius experiar: *fortuna me experta est* scil. eum, cui neque secunda neque adversa animi constantiam ademerit. cf. 1, 15 *fortunam adhuc tantum adversam tulisti: secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur.* 1, 29 *ut qui adversas res expertus cum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere.* — *nec tempus conputaveritis*] cf. ad 1, 84 *nec — audiat.* sensus est: neu conputaveritis, quam breve imperii mei tempus fuerit. —

computaveritis: difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. civile bellum a Vitellio coepit, et ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit: ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit; hinc Othonem posteritas aestimet. fruetur Vitellius fratre, coniuge, liberis: mihi non ultione neque solaciis opus est. alii diutius imperium tenuerint: nemo tam fortiter reliquerit. an ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et rei publicae eripi patiar? eat hic mecum animus, tanquam perituri pro me fueritis, set este superstites. nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. plura de extremis loqui pars ignaviae est. praecipuum destinationis meae documentum habete, quod de nemine queror. nam incusare deos vel homines eius est, qui vivere velit." (48) talia locutus, ut cuique aetas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere neu remanendo iram victoris asperarent, iuvenes auctoritate, senes precibus movebat, placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. dari naves ac vehicula abeuntibus iubet; libellos epistulasque studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes abolet; pecunias distribuit parce nec ut periturus. mox Salvium Cocceianum, fratris filium prima iuventa, trepidum et maerentem ultro solatus est laudando pietatem eius, castigando formidinem: an Vitellium tam inmitis animi fore, ut pro incolumi tota domo ne hanc quidem sibi gratiam redderet? mereri se festinato exitu clementiam victoris: non enim ultima despe-

1 tēparere 2 ciuili cępit 3 *malim* illinc *Rhenanus* pęnes 4 ęstimat (a *in* e *mut.* 1m) 7 streni 8,9 se teste (et este *L. Spengel*) 11 nomine (o *in* e *mut.* 1m) 12 uellit 14 p̄cib; 16 eplasq; *cum lin. in* 1 17 ergă (s above) | ea ut 18 parcens *sed litterae* ns *deletae* nec ut *dett.*: ne cui 19 salatus *sed corr.* 1m 20 pietate 22 merieri

difficilius est temperare] Acute, ut solet, Statius hoc expressit Theb. 2, 446: *Non parcit populis regnum breve.* LIPS. — *illic*] penes illum, respondet *penes me*; poterat sane dicere *illinc*, non debebat. — *coniuge*] Respondent ex parte Plutarchea illa O. 15: παρ' ἡμῖν καὶ τέκνα τῶν ἐναντίων καὶ γυναῖκες, quoniam praeter uxorem Vitellii mater quoque Sextilia in Othonis potestate erat. cf. c. 5: Ἰσχυρῶς δὲ καὶ τῆς μητρὸς ἐπεμελήθη τοῦ Οὐιτελλίου καὶ τῆς γυναικός, ὅπως μηδὲν φοβήσονται περὶ αὐτῶν. conicias post *fratre* excidisse *matre* cf. 1, 75 *ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur;* de fratre 1, 88. — *solaciis*] „quae capere possem ex interficiendis eius fratre, coniuge, liberis, qui mea adhuc in potestate sunt." — *animus*] „persuasio vos voluisse pro me perire." — *nemine*] ut Ann. 16, 27 pro *nullo*. *Sirker* Tac. Formenlehre § 39 p. 29. Ceterum cum sublimi hac oratione cf. eam, quam Othoni tribuit Plutarchus. Vide Excursum.

48. *Cocceianum*] Melius ita, quam *Coccium*, quod Plutarchus praefert O. 16. Nam et Suetonius ita appellat in Dom. 10. At hic non fratris solum filium, sed ipsum hic fratrem praesentem facere videtur: contra Taciti et Plutarchi narrationem aperte. Nam ille in castra evaserat e pugna seque cum aliis dedidit. Suetonii tamen verba Oth. 10:

ratione, sed poscente proelium exercitu, remisisse rei publicae novissimum casum. satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quaesitum. post Iulios Claudios Servios se primum in familiam novam imperium intulisse. proinde erecto animo capesseret vitam, neu patruum sibi Othonem fuisse aut oblivisceretur umquam aut nimium meminisset. (49) post quae dimotis omnibus paulum requievit. atque illum supremas iam curas animo volutantem repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum: namque abeuntibus exitium minitabantur, atrocissima in Verginium vi, quem clausa domo obsidebant. increpitis seditionis auctoribus regressus vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. vesperascente die sitim haustu gelidae aquae sedavit. tum adlatis pugionibus duobus, cum utrumque pertemptasset, alterum capiti subdidit. et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. luce prima in ferrum pectore incubuit. ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus praetorii praefectus unum volnus invenere. funus maturatum: ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum. tulere

1 praelium exercitū rei . p. 2 posterū (ru *in* ris *mut.* 1*m* *nota non deleta*) 6 sup̄mas 7 uoluntatē 8 nanq; 11 digredirentur (*corr.* 1*m*) gelida | eaq; seda//uit 12 duobus *om.* utrimq; (*super* i *scr.* v 1*m*) 13 subdidit *ex* subsidiū *corr.* 1*m* 14/15 Incubut (i *superscr.* 1*m*) 15 gemitu 16 uolnū (*notam in* s *mut.* 1*m*) 17 p̄cib;

Fratrem igitur fratrisque filium et singulos amicorum cohortatus. Lips. — *Servios*] Exspectabas *Sulpicios;* sed praenomen *Servius* Sulpiciae genti tam familiare quam Claudiae Appius aut Tiberius. Plutarchus itidem G. 3: μέγα ἔχων εὐγενείας ἀξίωμα τὸν Σερουίων οἶκον κτλ. Ryck. — *familiam novam*] Salvios. Suet. Oth. 1: *Maiores Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere et honorata atque ex principibus Etruriae.* — *meminisset*] Plut. Oth. 16: μήτε ἐπιλαθέσθαι παντάπασι μήτε ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες. At nimium meminisse visus est Domitiano, qui interfici iussit, quod patrui natalem celebraverat. Suet. D. 10. ceterum cf. Verg. Aen. 6, 514 *nimium meminisse necesse est.*

49. *Verginium*] de quo 1, 8. 9. 52. 77. — *pugionibus duobus*] Plut. Oth. 17: δυεῖν ὄντων αὐτῷ ξιφῶν ἑκατέρου κατεμάνθανε τὸ σπάσμα πολὺν χρόνον καὶ τὸ ἕτερον ἀπέδωκε. Suet. Oth. 11: *post hoc sedata siti gelidae aquae potione arripuit duos pugiones et explorata utriusque acie, cum alterum pulvino subdidisset, foribus adopertis artissimo somno quievit.* similiter de Nerone c. 49 Suetonius: *duos pugiones — arripuit temptataque utriusque acie rursus condidit.* — *non insomnem egit*] Ita, quantum ad mortem, Catoni Othonem aequiparare potuit Martialis 6, 32: *Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo Forsitan et posset vincere mollis Otho, Damnavit multo staturum sanguine Martem Et fodit certa pectora tota manu. Sit Cato, dum vivit, sane vel Caesare maior: Dum moritur, numquid maior Othone fuit?* — *incubuit*] Vim sibi attulit Otho die 16. mensis Aprilis a. u. 822 post Chr. 69 imperii die XCII. cf. Clinton *Fasti Romani. Oxford* 1845 p. 54. Mors eius cognita Romae die 19. m. Aprilis, infra c. 55. — *ambitiosis*] *Proprement „des prières intéressées.“* Ambitiosis *a rapport à* ne amputaretur caput ludibrio futurum. *Othon, près de mourir, se rappelle comment on avait traité les restes de Galba, et il craint des représailles.* Burnouf. cf. *Gerber* et *Greef* Lex.

corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis volnus manusque eius exosculantes. quidam militum iuxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis. ac postea promisce Bedriaci Placentiae aliisque in castris celebratum id genus mortis. Othoni sepulchrum extructum est modicum et mansurum. hunc vitae finem habuit septimo et tricensimo aetatis anno. (50) origo illi e municipio Ferentino, pater consularis, avus praetorius; maternum genus inpar nec tamen indecorum. pueritia ac iuventa, qualem monstravimus. duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonae famae quantum malae. ut conquirere fabulosa et fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita volgatis traditisque demere fidem non ausim. die, quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse incolae memorant, nec deinde coetu

4 celebrarū 6 etatis 7 Ferentino *dett. et ed. princ.*: ferentio 10|11 conquireret *sed litt.* t *erasa* 11 grauitatē (*notam del.* 1*m*) 12 cępti 14 cętū

Tac. sub hac voce. — *exosculantes*] fervido cum affectu. cf. 1, 45. Ann. 1, 34. Plin. Epp. 5, 17, 4: *multum ac diu exosculatus adulescentem.* Plut. Oth. 17: τῶν δὲ ἄλλων οἱ μὲν τὸ τραῦμα τοῦ νεκροῦ κατεφίλουν προσπίπτοντες, οἱ δὲ ἥπτοντο τῶν χειρῶν, οἱ δὲ προσεκύνουν πόῤῥωθεν. — *non noxa neque ob metum*] Est ἓν διὰ δυοῖν, h. e., „non quod noxae sive culpae alicuius maioris in Vitellium sibi conscii in metu futurae ultionis essent.“ Walth. Aliter Ruperti: „Sed duae potius et diversae rationes afferuntur, *non* — *neque.* Intellige, non quod *noxae* admissae in Othonem sibi essent conscii, *neque ob metum* a victore.“ Et haec interpretatio potior videtur. cf. etiam Plut. l. l.: Ἔνιοι δὲ τῇ πυρᾷ λαμπάδας ὑφέντες ἑαυτοὺς ἀπέσφαξαν οὐδὲν ἐκδήλως οὔτε πεπονθότες χρηστὸν ὑπὸ τοῦ τεθνηκότος οὔτε πείσεσθαι δεινὸν ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος δεδιότες. — *et mansurum*] propter ipsam monumenti modestiam dirutum non est, sed incolume mansit. Plut. Oth. 18: κρύψαντες δὲ τῇ γῇ τὰ λείψανα τοῦ Ὄθωνος οὔτε μεγέθει σήματος οὔτ' ἐπιγραφῆς ὄγκῳ τὸν τάφον ἐποίησαν ἐπίφθονον. Εἶδον δὲ ἐν Βριξίλλῳ γενόμενος καὶ μνῆμα μέτριον καὶ τὴν ἐπιγραφὴν οὕτως ἔχουσαν, εἰ μεταφρασθείη· Δηλώσει Μάρκου Ὄθωνος. (Δηλώσει corruptum videtur atque emendandum Δαίμοσι, *DIS MANIBVS.*) Suet. Vit. 10: (*Vitellius*) *pari vanitate atque insolentia lapidem memoriae Othonis inscriptum intuens, „dignum eo Mausoleo“ ait, pugionemque, quo is se occiderat, in Agrippinensem coloniam misit Marti dedicandum.* — *septimo et tricensimo*] *tricensimo et octavo*, ait Suetonius Oth. 11, qui suo more comprehendit annum, quo natus est et quo obiit. Proprie habuit modo annos XXXVI., menses XI., dies XX. cf. Oudendorp ad Suet. l. l.

50. *Ferentino*] in Etruria cf. Ann. 15, 53 *Ferentino in oppido.* Plin. n. h. 3, 52. Strabo 5, 2 p. 226. — *genus inpar*] Haud repugnat Suet. Oth. 1, qui matrem vocat *Albiam Terentiam, splendidam feminam,* quippe hoc ἐπίθετον ipsum significat fuisse eam filiam equitis Romani, magistratibus non functi. — *monstravimus*] 1, 13. — *altero egregio*] Zonaras 11, 15: κάκιστα ἀνθρώπων ζήσας κάλλιστα ἀπέθανεν. — *celebri luco*] id est religione aliqua sacro, propter quam eum frequentabant, id quod auget arcanam totius miraculi speciem. Non debebant Colero auctore mutare in *loco* neque cum Puteolano in *vico.* — *nec deinde*] Petersen coniecit *neque inde,* ut avis illa *ex hoc loco* non coetu hominum territa pulsave fuisse narretur. Retinui tamen Med. scripturam *nec*

hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret; tum ablatam ex oculis; et tempora reputantibus initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse.

(51) In funere eius novata luctu ac dolore militum seditio, nec erat qui coerceret. ad Verginium versi, modo ut reciperet imperium, nunc ut legatione apud Caecinam ac Valentem fungeretur, minitantes orabant: Verginius per aversam domus partem furtim digressus inrumpentes frustratus est. earum quae Brixelli egerant cohortium preces Rubrius Gallus tulit, et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis, quibus praefuerat.

(52) Posito ubique bello magna pars senatus extremum discrimen adiit, profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinae relicta. illuc adverso de proelio adlatum: sed milites ut falsum rumorem aspernantes, quod infensum Othoni senatum arbitrabantur, custodire sermones, voltum habitumque trahere in deterius; conviciis postremo ac probris causam et initium caedis quaerebant, cum alius insuper metus senatoribus instaret, ne praevalidis iam Vitellii partibus cunctanter excepisse victoriam

2 ablata 5 ūgeniū 7 uergenius adūsā degressus Inrūpente 8 p̄ces 9 ueniā impetrata; eadem data *L. Spengel* 10 copis 12 profectā (*notam del.* 1m) 13 praelio 16 querebant 16|17 instraret

deinde, i. q. *nec postea*, ἐκ τούτου. cf. Hand Tursell. II. p. 240, qui praeterea explicat: „nec deinde, cum coetus hominum adesset.“ Bach. — *tempora reputantibus*] id est, „si quis tempora reputaret,“ (vel potius: „ii, qui tunc tempora accuratius reputabant, testabantur competisse cet.“) Similiter 3, 8: *magni momenti locum obtinuit reputantibus*. 4, 17: *vereque reputantibus Galliam suismet viribus concidisse*. 5, 11: *turres — procul intuentibus pares*. Germ. 6: *in universum aestimanti plus penes peditem roboris*. Bach. cf. *Dräger* Synt. § 50. — *competisse*] *zusammentreffen*, *concourir* Burnouf, *concorder* Louandre, ut Plin. 16, 191: *si competant coitus* (*lunae*) *in novissimum diem brumae*. Ceterum quoniam *initium finemque miraculi* Tacitus distinxit neque simpliciter dixit *miraculum — competisse*, mancam orationem iudico, quam sic suppleo: *initium finemque miraculi* ⟨*cum initio pugnae et*⟩ *cum Othonis exitu competisse*. cf. Sueton. Vesp. 5 *acieque Betriacensi, priusquam committeretur, duas aquilas in conspectu omnium conflixisse*.

51. *partem*] Sic 3, 84: *per aversam* (posticam) *Palatii partem*. — *et venia statim impetrata*] „Bekkerus interpungit: *tulit. et venia statim impetrata concedentibus* etc. Sed, nisi fallor, verba *et venia statim impetrata* arte cohaerent cum antecedentibus spectatque *venia impetrata* ad preces Rubrii Galli. Ablativus *concedentibus* cet. non reddit rationem praecedentium, sed simpliciter indicat, quae sint facta eodem tempore.“ Walther. Sic etiam Louandre: *le pardon leur fut accordé, et en même temps Sabinus remit au vainqueur les troupes qu'il commandait*. — *Flavium Sabinum*] consulem designatum, de quo supra c. 36.

52. *Posito — bello*] Sall. Iug. 112, 1 *posse condicionibus bellum poni*. — *ubique*] Bedriaci, Placentiae, Brixelli. — *voltum habitumque*] 1, 14 *voltu habituque moris antiqui* 1, 17. — *conviciis ac probris*] cf. 1, 47; 3, 10. — *cunctanter excepisse victoriam*] „non alacri gaudio excepisse nuntium victoriae et cunctati esse victori se submittere.“ Rup. —

crederentur. ita trepidi et utrimque anxii coeunt, nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpae tutior. onerabat paventium curas ordo Mutinensis arma et pecuniam offerendo appellabatque patres conscriptos intempestivo honore. (53) notabile iurgium fuit, quo Licinius Caecina Marcellum Eprium ut ambigua disserentem invasit. nec ceteri sententias aperiebant: sed invisum memoria delationum expositumque ad invidiam Marcelli nomen inritaverat Caecinam, ut novus adhuc et in senatum nuper adscitus magnis inimicitiis clararesceret. moderatione meliorum dirempti. et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi; simul medio temporis plures nuntii sperabantur. Bononiae divisis per itinera, qui recentissimum quemque percunctarentur, interrogatus Othonis libertus causam digressus habere se suprema eius mandata respondit; ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitae blandimentis. hinc admiratio et plura interrogandi pudor; atque omnium animi in Vitellium inclinavere. (54) intererat consiliis frater eius L. Vitellius seque iam adulantibus offerebat, cum repente Coenus libertus Neronis atroci mendacio universos perculit, adfirmans superventu quartae decimae legionis, iunctis a Brixello viribus, caesos victores, versam partium fortunam. causa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quae neglegebantur, laetiore nuntio revalescerent. et

4 Intēpesti iurgium *Bekker:* uirgeniū (inde iurgium *deteriores*) 5 Ianua sit (a *post* I *del.* 2*m*) 6 ceteris (s *del.* 1*m*) sententiās (*notam del.* 1*m*) Inuisu 8 adscitu (*notam del.* 1*m*) 11 quenquē (*notam del.* 1*m*) percunctaretur 12 Imbertus sup̄ma 14 blandim̄tis (b *ex* u *corr.* 1*m*) 18 superuentū 19 cesos

utrimque anxii] et ab Othonis et a Vitellii militibus. — *expedito consilio*] cf. 3, 73 *neque alienis consiliis regi neque sua expedire*, 4, 42 *hominem tam expediti consilii.* — *inter multos*] Hic ex vocabulo *nemo* intelligendum *quisque*, phrasi in positivam orationem conversa. Duebn. cf. ad 1, 1 *neque amore quisquam* etc. — *ordo Mutinensis*] Decuriones Mutinensium sive senatus, qui in municipiis et coloniis simpliciter *ordo* vocabatur. Ern. cf. *ORDO SPLENDIDISSIMVS COLONIAE ABELLINATIVM.* Inscr. m. Lat. N. 1180. — *intempestivo honore*] utpote qui senatoribus periculum facessere potuisset apud milites iis minime faventes.

53. *Licinius Caecina*] nusquam praeterea a Tacito memoratus. — *Eprium*] de quo Ann. 16, 22. 28. 33. — *ambigua*] Accipe de sermonibus in concilio senatorum habitis, quis videretur dubitare, porro in partibus Othonis manerent, an aliud consilium caperent. Walth. — *expositumque ad invidiam*] Liv. 5, 54, 4 *expositum — ad pericula.* 9, 35, 6 *expositos ad ictus.* cf. *Dräger* Synt. § 81. — *recentissimum*] ut Cic. ad Att. 16, 7: *Rhegini quidam, illustres homines, eo venerunt Roma sane recentes.* — *posteritatis cura*] „sola restante famae suae apud posteros cura.“ Duebn. — *vitae blandimentis*] Ann. 15, 64 *blandimentis vitae evictam.*

54. *offerebat*] „ostendebat se paratum audire et accipere adulationes, quas cum fratre communicaret.“ — *Coenus*] Κοῖνος, nomen liberti etiam apud Grut. 1130, 5. — *diplomata*] proprie chartae duplicatae; hic illae, quibus Otho et eius nomine magistratus usum equorum vehiculorumque certis locis ad publicas necessitates dispositorum suis permisse-

Coenus quidem rapide in urbem vectus paucos post dies iussu Vitellii poenas luit. senatorum periculum auctum credentibus Othonianis militibus vera esse quae adferebantur. intendebat formidinem, quod publici consilii facie discessum Mutina desertaeque partes forent. nec ultra in commune congressi sibi quisque consuluere, donec missae a Fabio Valente epistulae demerent metum. et mors Othonis quo laudabilior, eo velocius audita.

(55) At Romae nihil trepidationis; Ceriales ludi ex more spectabantur. ut cessisse Othonem et a Flavio Sabino praefecto urbis, quod erat in urbe militum, sacramento Vitellii adactum certi auctores in theatrum adtulerunt, Vitellio plausere; populus cum lauru ac floribus Galbae imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis iuxta lacum Curti, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. in senatu cuncta longis aliorum principatibus conposita statim decernuntur; additae erga Germanicum exercitum laudes gratesque et missa legatio,

1 rapide in *deteriores:* rapidū (raptim in *Iac. Gronovius*) iniussu *L. Spengel* 2 pęnas 4 deserteq; 5 commu|mune 6 eplę *cum lin. in* 1 8 romę me nichil 9 cessisse vita *dett.*, concessisse *Ritter*, excessisse *Wölfflin*, cecidisse *Petersen* sabino (b *ex* u *corr.* 1*m*) 10 militum *Rhenanus:* militū In 14 conpositā (*notam del.* 1*m*) 15 exercitum *Ritter:* exercitus

rant. Duebn. (*Staatsempfehlungsschreiben, Patente*). cf. c. 65. Plin. Epp. 10, 64 (14). 45 (54). 120 (121). Plut. Galba 8: Τῶν ὑπάτων οἰκέτας δημοσίους προχειρισαμένων τὰ δόγματα κομίζοντας τῷ αὐτοκράτορι καὶ τὰ καλούμενα διπλώματα σεσημασμένα δόντων, ἃ γνωρίζοντες οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς ἐπιταχύνουσι τὰς προπομπὰς τῶν γραμματηφόρων κτλ. — *rapide*] e deterioribus recepi, cum haec lectio propius accedat ad Medicei *rapidū* quam Gronovii *raptim* nec video, cur Tacitus non semel *rapide*, undecies *raptim* dicere potuerit. cf. Cic. leg. 2, 3 *rapideque dilapsus.* or. § 128 *rapide fertur.* Suet. Cal. 43 *tam festinanter et rapide.* — *iussu Vitellii*] haec verba Muretus delebat, sed magis placet Spengelii correctio *iniussu Vitellii*, quoniam ex c. 57 verisimile est Vitellium rei ignarum fuisse et supplicium de Coeno Romae sumptum ab iis esse, qui gratiam Vitellii captabant. neque tamen res ita certa est, ut aliquid mutandum videatur. — *publici consilii facie*] specie; nam non ut privati pro se quisque Mutina discesserant, sed ex senatus decreto, ac Bononiae rursus in commune congressi erant. — *epistulae*] de una epistula dictum, cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 30. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 25.

55. *Ceriales ludi*] celebrabantur ex 12. die ad 19. diem mensis Aprilis, ultimo die circenses. cf. Ann. 15, 53 et 74. Liv. 30, 39, 8. Ovid. fast. 4, 389. *Mommsen* CIL I, 391. — *cessisse Othonem*] exspectes potius *interfecisse se Othonem*, ut c. 50 *donec Otho se ipse interficeret*, sed nihil mutandum est; nam *cedere* non pro *mori* positum est, sed simplici vulgarique sensu explicari potest (Germanice: *dass Otho entsagt habe*), quod plenius ita reddas: „voluntaria morte cessisse imperio". hoc verum esse alii loci docent: 3, 66 *quod si tam facile suorum mentes flexisset Vitellius quam ipse cesserat.* 3, 68 *cedere se pacis et rei publicae causa.* — *a Flavio Sabino*] Vespasiani fratre, cf. 1, 46. — *quem locum*] 1, 41. — *conposita*] parata, comparata, cum artificiosae adulationis notione. Frustra Heinsius malebat *conquisita.* — *laudes gratesque*] cf. *Nipperdey* ad Ann. 1,

quae gaudio fungeretur. recitatae Fabii Valentis epistulae ad consules scriptae haud immoderate: gratior Caecinae modestia fuit, quod non scripsisset. (56) ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello adflictabatur. dispersi per municipia et colonias Vitelliani spoliare rapere, vi et stupris polluere: in omne fas nefasque avidi aut venales non sacro, non profano abstinebant. et fuere qui inimicos suos specie militum interficerent. ipsique milites regionum gnari refertos agros, dites dominos in praedam aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant, obnoxiis ducibus et prohibere non ausis. minus avaritiae in Caecina, plus ambitionis: Valens ob lucra et quaestus infamis eoque alienae etiam culpae dissimulator. iam pridem adtritis Italiae rebus tantum peditum equitumque, vis damnaque et iniuriae aegre tolerabantur.

(57) Interim Vitellius victoriae suae nescius ut ad integrum bellum reliquas Germanici exercitus vires trahebat. pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias dilectibus, ut remanentium legionum

1 eplę *cum lin. in* 1 2 immoderatę 3 Italia iam *Heraeus* atrocius victoria quam *Haase* 4 uitellianis (s *del.* 1m) 5 omnelas nefasq; (n *ex* si *corr.* 1m) 6 militu 9 et] vel *Wurm*, aut *Ritter* 10 alienę *bis* (*in fine et initio paginae*)

69. — *gaudio fungeretur*] „cui mandatum erat, ut gaudium testaretur atque congratularetur Vitellio;“ amare dictum: ipsius verbi delectu satis significatur id gaudium sincerum non fuisse, sed simulatum et necessitate expressum. — *gratior Caecinae modestia*] „Quid ita? Quia invaluerat iam illo aevo, ut nemo publice, id est ad consules aut senatum scriberet praeter principem: alii autem omnes ad istum. Itaque superbe se gessisse Valens visus, qui id fecit: modeste Caecina, qui omisit. cf. de Muciano 4, 4.“ Lips.

56. *fas nefasque*] cf. 3, 51 *adversus fas nefasque inreverentiam*. A. 2, 38: *omnia principum honesta atque inhonesta laudare.* 15, 37: *per licita atque inlicita foedatus*; Luc. Phars. 5, 312 *per omne Fasque nefasque rues?* Solita ex formula, de qua egi ad Horat. Epod. 5, 87. — *avidi*] praepositionem *in* huic adiectivo iunxit, ut Liv. 5, 20, 6 *avidas in direptiones manus.* 22, 21, 2. *Dräger* Synt. § 71. — *dites dominos*] 4, 1 *pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos.* — *plus ambitionis*] minus rapinarum sibi reservabat, sed magis quam Fabius militum gratiam captabat, eorum inexplebili aviditate haud coercita. cf. 1, 53; 2, 30. — *Valens — infamis*] cf. 1, 66; 2, 30. — *adtritis Italiae rebus*] maxime per deplorandam agriculturae neglectionem. Ann. 3, 54: *Italia externae opis indiget; — nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur!* — *tantum peditum*] „Lipsius v. *tantum* ut a glossographo profectum delendum esse censuit, ita ut genitivi pendeant a. v. *vis* (i. q. multitudo) *damna*, *iniuriae*. Sed Waltherus recte notavit ea vv. per ἐπεξήγησιν adponi, quasi scriptum esset: tantum peditum equitumque cum vi damnisque et iniuriis, quibus homines afficiebantur, aegre tolerabantur.“ Bach. In Dispunctione p. 29. Lipsius: „Hic tu (Frehere) *tanta peditum equitumque vis.* Cape palmam!“ Verum neque haec mutatio necessaria. cf. c. 81 *tantum simul peditum equitumque.*

57. *legionum nomina*] legiones, quae militibus multis in Italiam missis iam nihil fere nisi *nomina* erant. Duebn. Igitur haec *nomina* opponuntur veris atque integris legionibus. Sic 4, 14: *inania legionum nomina*, quibus opponitur *robur peditum equitumque.* 4, 15: *nomen magis exercitus quam robur.* —

nomina supplerentur. cura ripae Hordeonio Flacco permissa; ipse e Britannico *exercitu* delecta octo milia sibi adiunxit. et paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res ac morte Othonis concidisse bellum accepit: vocata contione virtutem militum laudibus cumulat. postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, inhonestam adulationem conpescit: dein mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur honoravitque Asiaticum anulis, foedum mancipium et malis artibus ambitiosum.

(58) Isdem diebus accessisse partibus utramque Mauretaniam, interfecto procuratore Albino, nuntii venere. Lucceius Albinus a Nerone Mauretaniae Caesariensi praepositus, addita per Galbam Tingitanae provinciae administratione, haud spernendis viribus agebat. decem novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. caeso Galba in Othonem pronus nec Africa contentus Hispaniae angusto freto diremptae imminebat. inde Cluvio Rufo metus; et decimam legionem propinquare litori ut transmissurus iussit. praemissi centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent; neque arduum fuit magna per provincias Germanici exercitus fama. spargebatur insuper spreto procuratoris vocabulo Albinum insigne regis et Iubae nomen usurpare. (59) ita mutatis animis Asinius Pollio alae praefectus, e fidissimis Albino, et Festus ac Scipio cohortium praefecti

1 nomina] numeri *Acidalius* curari pęordeonio (*post* ę *superscr.* h 1*m*) 2 brittannico exercitu *add. Heraeus* adiuncxit 6 inhonesta 7 c̄uii honoravitque *ed. princ.:* onerauitq; (honerauitq; *a*, ornauitq; *alius*) 8 fędū 10 aluino 11 tangitanę 12 XVIIII *deteriores* (decem et novem *Bach et Ritter*, undeviginti *Walther*, *ut Ann.* 12, 56) 13 numerūs (*notam del.* 1*m*) 14 Ceso Othonem *Rhenanus:* othone 15 hispanie 21 e] et (et fidissimus *ed. princ.*)

ripae] Rheni, et quidem post Vitellii profectionem in utraque Germania. — *e Britannico exercitu*] c. 100 *cum vexillariis trium Britannicarum legionum.* 3, 22 *cum vexillis nonae secundaeque et vicensimae Britannicarum legionum.* — *equestri dignitate*] Sic Inscr. m. Lat. N. 3049: *L. ACONIO. A. DIVO. TRAIANO. EX. MILITIA. IN. EQVESTREM. DIGNITATEM. TRANSLATO.*, quae formula ibid. N. 3048 ita variatur: *T. AVRIDIO. — AB. INVICTISSIMO. IMP. NOSTRO. TRAIANO. — IN. ORDINEM. EQVIT. ROMAN. ADSCITO.* — *anulis*] equitum Romanorum insigni, quo item Galba Icelum libertum donarat. (1, 13.)

58. *utramque Mauretaniam*] cf. 1, 11. — *haud spernendis viribus*] c. 81 *accessere cum regno Sohaemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens.* — *decem novem*] sic Livius 38, 33, 12 *decem septem.* cf. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 40. — *per latrocinia et raptus*] item 1, 46. — *Hispaniae*] quae Vitellii partes amplexa erat. — *imminebat*] minitabatur, eam occupaturus videbatur. — *Cluvio Rufo*] de quo 1, 8. 76. — *decimam legionem*] Geminam. — *Iubae*] celebratum Mauretaniae regum nomen per Iubam I. Pompeianum illum atque Iubam II., doctissimum principem, patrem Ptolemaei, ultimi Mauretaniae regis, a Caligula occisi.

opprimuntur. ipse Albinus dum e Tingitana provincia Caesariensem Mauretaniam petit, adpulsu litoris trucidatus; uxor eius cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est, nihil eorum quae fierent Vitellio anquirente. brevi auditu quamvis magna transibat, inpar curis gravioribus.

Exercitum itinere terrestri pergere iubet: ipse Arare flumine devehitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus, donec Iunius Blaesus Lugudunensis Galliae rector, genere illustri, largus animo et par opibus, circumdaret principi ministeria, comitaretur liberaliter, eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. praesto fuere Luguduni victricium victarumque partium duces. Valentem et Caecinam pro contione laudatos curuli suae circumposuit. mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus. nimius honos inter secunda rebus adversis in solacium cessit. (60) tum interfecti centuriones promptissimi

1 dū et In|gitana 2 mauretianā petiti (petit in *Halm*) trucidatur *deteriores* 3 Nichil (c *del.* 1m) 4 breue auditu ui quāuis transibant 8 blesus 12 curulis (s *del.* 1m) 15 hon; 16 non in solacium *Strombeck* (nec rebus *Classen*, non cessit *Ritter*) Itfectis (*sic*) interfecti sunt *Ritter*

59. *adpulsu*] „statim in ipso adpulsu ad litus:“ cf. Liv. 27, 30, 7 *ut Attalum — portibus et litorum adpulsu arceret. Dräger* Synt. § 68. *adpulsu* sine praepositione dictum est, ut *adventu, discessu,* similia; nam Medicei *petiti* inde ortum videtur, quod librarius falso *petiti — litoris* iunxit. — *interfecta est, nihil* cet.] „nihil anquirebat Vitellius, etsi ea, quae fiebant, tam magna atque gravia erant.“ cf. de Vitellio 3, 36: *praeterita instantia futura pari oblivione dimiserat. — Arare*] etiam *Sauconna*, h. *Saône. — egestate*] Suet. Vit. 7: *Satis constat exituro* (in provinciam) *viaticum defuisse, tanta egestate rei familiaris, ut uxore et liberis, quos Romae relinquebat, meritorio caenaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret, utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impensas. — par opibus*] „tantopere opulentus, ut largitatem sine incommodo suo exercere posset.“ Minus recte Burnouf: *d'une âme généreuse et faite pour l'opulence*, Louandre: *généreux par caractère et digne de ses richesses. — circumdaret*] suis videlicet sumptibus. Duebn. — *principi ministeria*] ut 1, 58: *ministeria principatus*, id est, qualia princeps Romanus habere consuevit. Ryck. — *vernilibus*] putidis simulque exaggeratis, quales solent esse vernarum iocosae blanditiae. — *curuli*] „iuxta curulem suam sellam considere utrimque iubet.“ Ern. *curulis* sine *sella*, ut Ann. 1, 75. — *Germanicum appellavit*] ut appellatus erat ipse. (1, 62.) — *in solacium*] „pro solacio habebatur quasi pensatio adversarum rerum nimis cito ingruentium.“ Sic Agricola *festinatae mortis grande solacium tulit evasisse postremum illud tempus* etc. (c. 44.) Duebn. Muciani scilicet iussu Germanicus hic infans filius mox occisus est (4, 80), sed ii, quos miserebat praematuri eius interitus, honoribus, quibus cumulatus erat, se quodammodo consolabantur. Crévier ita παραφράζει: „*Honneur d'un moment, faible compensation pour la disgrace cruelle qui était réservée au père et au fils dans peu de mois.*“ (Ceterum huc facit Vitellii nummus apud Akerman I p. 177: *LIBERI. IMP. GERM. AVG.*, capita duo puerilia e regione sibi posita.)

Othonianorum, unde praecipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus; simul ceterae legiones contactu et adversus Germanicos milites invidia bellum meditabantur. Suetonium Paulinum ac Licinium Proculum tristi mora squalidos tenuit, donec auditi necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. proditionem ultro inputabant, spatium longi ante proelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen ac pleraque fortuita fraudi suae adsignantes. et Vitellius credidit de perfidia et fidem absolvit. Salvius Titianus Othonis frater nullum discrimen adiit, pietate et ignavia excusatus. Mario Celso consulatus servatur: sed creditum fama obiectumque mox in senatu Caecilio Simplici, quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset: restitit Vitellius deditque postea consulatum Simplici innoxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit.

(61) Inter magnorum virorum discrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam, e plebe Boiorum, inserere sese fortunae et provocare arma Romana simulatione numinum ausus est. iamque adsertor Galliarum et deus (nam id sibi indiderat) concitis octo milibus hominum proximos

1 illycos 2 cętere et *bis* 6 praelium permixtū (*sic*) 8 fidem] ideo *Muretus* 10 famae *Freinsheim* 11 quod cū honore (*ut ed. princ.*) pęcunia 13 Ineptū uxori (*sed corr. 1m*) 16 e plebebo Iorū 18 nam] nominis b^2, nomen *Beroaldus* (nam id sibi indiderat nomen *Ernesti*)

60. *squalidos tenuit*] Morose et superbe audiendae defensionis tempus differens, eos detinuit reos, qui squalidi vel sordidati dicuntur, ut Ann. 2, 29 et alibi vidimus. DUEBN. cf. 1, 54 *in squalorem maestitiamque compositi*, Ann. 4, 28 *inluvieque ac squalore obsitus*, Germ. 31 *manet squalor* (scil. crinis barbaque summissa). Sic aliquamdiu sortis suae incerti atque anxii manebant. — *ultro inputabant*] scil. Vitellio, qui huius proditionis ipsis gratiam referret. cf. 1, 71. DUEBN. „Insuper postulabant, ut proditio sibi in gratiam verteretur.“ BACH. — *fidem absolvit*] „perfidos fuisse in illo discrimine credidit fingentibus eaque de causa fidei in Othonem pristinae veniam dedit.“ ERN. cf. 1, 59 *centuriones — occidi iussit damnatos fidei crimine, gravissimo inter desciscentes.* — *Mario Celso*] Ex Taciti silentio facile colligas virum hunc generosum nequaquam imitatum esse pusillum Suetonii et Proculi animum. — *creditum fama*] „quia fama eius rei obtinebat.“ DUEBN. Sine causa Freinshemius malebat *famae.* — *restitit*] „contradixit Simplicem purgans,“ exponunt nonnulli, verum est potius: „se ab illo pecunia corrumpi passus non est neque Celsum perdidit.“ — *Galeria*] Galerio Trachalo, de quo 1, 90, ut videtur, propinqua.

61. *Boiorum*] hic gens Gallica Novempopulaniae significatur; hodie *Bourbonnais.* — *inserere sese fortunae*] eodem fere sensu quo dial. 10 *nomen inserere famae* aut Ann. 6, 2 *ignobilitatem suam magnis nominibus inserit.* DÖDERLEIN. — *simulatione numinum*] scil. annuentium, id volentium. DUEBN. — *nam id sibi indiderat*] h. e. tantum sibi arrogaverat, sumpserat, scil. ut adsertorem Galliarum et deum se esse iactaret; eam famam sibi circumdederat. non igitur *nomen* subintellegendum aut inserendum est. (Ut Mariccus, sic olim *Syrus quidam nomine Eunus* (Εὔνους)

Aeduorum pagos trahebat, cum gravissima civitas electa iuventute, adiectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. captus in eo proelio Mariccus ac mox feris obiectus quia non laniabatur, stolidum volgus inviolabilem credebat, donec spectante Vitellio interfectus est.

(62) Nec ultra in defectores aut bona cuiusquam saevitum: rata fuere eorum, qui acie Othoniana ceciderant, testamenta aut lex intestatis. prorsus, si luxuriae temperaret, avaritiam non timeres. epularum foeda et inexplebilis libido: ex urbe atque Italia inritamenta gulae gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus; exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum; vastabantur ipsae civitates; degenerabat a labore ac virtute miles adsuetudine voluptatum et contemptu ducis. praemisit in urbem edictum, quo vocabulum Augusti differret, Caesaris non reciperet, cum de potestate nihil detraheret. pulsi Italia mathematici; cautum severe, ne equites Romani ludo et arena polluerentur. priores id principes pecunia et saepius vi perpulerant, ac pleraque mu-

1 hęduorū 2 multitudine 3 praelio 5 seuitum 7 ępularū 8 gulaę (a *del.* 1m) 13 nichil 14 harena 15 perpulerat (n *superscr.* 1m)

fanatico furore simulato, dum Syriae deae comas iactat, ad libertatem et arma servos quasi numinum imperio concitavit in Sicilia. Flor. 2, 7, 4. Rup.) — *Aeduorum*] in quorum finibus Caesar post bellum Helveticum Boios collocavit. Caesar B. G. 1, 28. Ryck. — *trahebat*] in partes suas, ut Burnouf: *il entraînait les cantons des Éduens les plus à sa portée;* non, ut alii volunt, v. c. Ferlet, „populabatur,“ quemadmodum utique est A. 3, 74: *ne Cirtensium pagi impune traherentur:* etenim qui *assertorem*, vindicem, σωτῆρα se Galliarum ferebat, neutiquam ab iis diripiendis ac vastandis incipere poterat. Atque ut hic, v. trahere usurpat infra c. 86: *Pannonici exercitus Delmaticum militem traxere.* Item 3, 44: *prima Adiutrix legio decimam quoque ac sextam traxit.* Metaphora desumpta est a contagione. Liv. 10, 18, 2: *Tusci fere omnes consciverant bellum; traxerat contagio proximos Umbriae populos.* — *gravissima civitas*] sano consilio usa atque animi constans, non ludibrium fanatici furoris aut levium affectuum atque spei inanis assertum iam iri in libertatem Gallias. Sic Cic. de rep. 1, 3 *in gravissumam civitatem nostram*, quae opponitur *levitati Atheniensium.* Cogita autem potissimum de Augustoduno, Aeduorum capite. cf. Ann. 3, 43. — *feris obiectus*] Paulus in Digest. 48, 19, 38, 2: *Auctores seditionis et tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut bestiis obiiciuntur, aut in insulam deportantur.*

62. *defectores*] Othonianos, quos defectores Vitellius indicabat, quod Galba occiso a se, quasi legitimo successore, descivissent. Male Ferlet, Burnouf, Walther explicant de Maricci adseclis; verba haec aptum faciunt transitum ad seqq. *rata fuere* cet., quem dirumpit illa interpretatio neque vero adeo splendidae paganorum illorum facultates esse poterant, ut operae pretium fuisset memoriae tradere, in eas Vitellium non saevisse. Praeterea rem conficiunt vv. *nec ultra*, id est, „ut ante in Othonianos saevitum erat.“ c. 59. 60. Arbitrarie *Nipperdey* pro *defectores*, quam notam marginalem putat esse, *vitam* in textu posuit. — *utroque mari*] supero et infero, Adriatico et Tyrrheno. — *vastabantur*] exhauriebantur civitatum opes conviviis Vitellii apparatis earum impensis. — *mathematici*] Suet. Vit. 14: *Exacerbatus, quod post edictum suum, quo iubebat intra Kal. Octobr. urbe Italiaque mathematici excederent, statim libellus propositus est, „et Chaldaeos dicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalen-*

nicipia et coloniae aemulabantur corruptissimum quemque adulescentium pretio inlicere.

(63) Sed Vitellius adventu fratris et inrepentibus dominationis magistris superbior et atrocior occidi Dolabellam iussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone rettulimus. Dolabella audita morte Othonis urbem introierat. id ei Plancius Varus praetura functus, ex intimis Dolabellae amicis, apud Flavium Sabinum praefectum urbis obiecit, tanquam rupta custodia ducem se victis partibus ostentasset: addidit temptatam cohortem, quae Ostiae ageret; nec ullis tantorum criminum probationibus in paenitentiam versus seram veniam post scelus quaerebat. cunctantem super tanta re Flavium Sabinum Triaria L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne periculo principis famam clementiae adfectaret. Sabinus suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, inpulit ruentem. (64) igitur Vitellius metu et odio, quod Petroniam uxorem eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistulas vitata Flaminiae viae celebritate devertere Interamnam atque ibi interfici iussit. longum interfectori visum: in itinere ac taberna proiectum humi iugulavit, magna cum invidia novi principatus, cuius hoc

1 emulabantur quenquē (*notam del.* 1*m*) 5 othonē (*notam del.* 1*m*) 7 dolebellę (*corr.* 1*m*) 9 tēptata hostię 10 penitentiam querebat 11 cunctante ‖ supertēntare (*notam del.* 1*m*) sabinū (b *ex* u *corr.* 1*m*) 12 ne *deteriores:* e (ne e *Halm*) 13 sauin; 14 alicœno (*sic*) 16|17 eplas *cum lin. in* l 17 Interamnam *Puteolanus:* Int̄ amniū

darum diem usquam esset." Paullulo tamen diutius Vitellius vixit. cf. etiam Dio 65, 1 et Excerpta Ed. Sturz. IX. p. 110. Ceterum haec edicta omnia Lugduno Romam missa sunt. — *aemulabantur — inlicere*] *aemulari*, ut *certare* 3, 61, cum infinitivo iunctum est ἅπαξ εἰρημένον. *Dräger* Synt. § 145.

63. *rettulimus*] 1, 88. — *Plancius Varus*] Mentio eius fit in Nicaeensium nummo apud Pellerin *Mél. de méd.* II. p. 39. Tab. 26. ΑΥΤΟΚΡ .... ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ. ΝΕΙΚΑΕΙ., in parte aversa: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. — *cohortem, quae Ostiae ageret*] 1, 80. *septumam decumam cohortem e colonia Ostiensi.* — *nec ullis — probationibus*] negatio ad ablativum referenda est: et cum nullae probationes essent, cum Plancius testimonia ac Dolabellae ipsius libellos epistolasve afferre non posset, delationis eum paenituit. — *seram veniam post scelus quaerebat*] veniam precabatur reo, sed sero, *post scelus* proditi amici; ipse impunitus mansit, quoniam sub Vespasiano proconsul Bithyniae fuit, nihil tamen iuvit amicum foede proditum. alii *post scelus* ad caedem Dolabellae referunt („sed tunc scelus, id est caedes Dolabellae, patratum iam erat." *Ritter*). — *terruit, ne*] eum conterrendo prohibuit, ne cet. Hor. C. 1, 2, 5: *Terruit gentes, grave ne rediret Saeculum.* Ern. Adde 3, 42: *ne Galliam temere ingrederetur, monendo terruit.* — *ruentem*] Dolabellam; sic Cic. pro Cluentio 26 § 70: *praecipitantem impellamus.* Oberl. Verg. Aen. 4, 22 *labantem impulit.*

64. *Petroniam*] *consularis viri filiam.* Suet. Vit. 6. Haec prima Vitellii uxor fuit ab eo repudiata. — *uxorem eius*] exspectes *uxorem suam;* cf. c. 9 *ut eum — sisterent, orabat. Dräger* Synt. § 15. — *Interamnam*] ›in Um-

primum specimen noscebatur. et Triariae licentiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria imperatoris uxor, non inmixta tristibus; et pari probitate mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris. dixisse quin etiam ad primas filii sui epistulas ferebatur non Germanicum a se, sed Vitellium genitum. nec ullis postea fortunae inlecebris aut ambitu civitatis in gaudium evicta domus suae tantum adversa sensit.

(65) Digressum a Luguduno Vitellium Cluvius Rufus adsequitur omissa Hispania, laetitiam et gratulationem voltu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius Caesaris libertus detulerat, tanquam audito Vitellii et Othonis principatu propriam ipse potentiam et possessionem Hispaniarum temptasset eoque diplomatibus nullum principem praescripsisset. interpretabatur quaedam ex orationibus eius contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia. auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius iuberet. Cluvius comitatui principis adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens exemplo L. Arrunti. cum Ti. Caesar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat. non idem Trebellio Maximo honos: profugerat Britannia ob iracundiam militum; missus est in locum eius Vettius Bolanus e praesentibus.

1 licentię (ę *in* ā *mut.* 1*m*) modestū me (*notam del.* 1*m*) 2 inmixta *Io. Fr. Gronovius:* In mix 3 probitatē (*notam del.* 1*m*) 4 eplas *cum lin. in* l 7 ligunduno Vitellium *Ritter:* uitelliū . M. 12 prescripsisset Interp̄tabatur quedā ex orationibus *Rhenanus:* exortationib; 13 eius ut *Nipperdey* ipsū (*notam del.* 1*m*) 14 preualuit Iuueret (b *superscr.* 3*m*) 16 Arruntii. eum *Pichena:* arruntiū (Arruntii. Arruntium *Ritter*) 16|17 cluuiūs (s *del.* 1*m*) 17 n̄dIdē (*pr.* d *del.* 1*m*) 18 brittannia 18|19 bettius

bria, hodie *Terni;* cf. 3, 61 et 63. Inscr. m. Lat. 689. 3773. — *inmixta tristibus*] „non particeps ullius facti aut consilii tristis atque atrocis.“ Duebn. Sic Ann. 3, 38: *Rhescuporidis consiliis permixtum.* — *Sextilia*] *probatissima nec ignobilis femina.* Suet. Vit. 3. — *non Germanicum*] Dio Exc. Ed. Sturz IX. p. 112: Βιτέλλιος ἀνέβη εἰς τὸ Καπιτώλιον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ ἠσπάσατο· ἐκείνη δὲ ἐπιεικὴς ἦν, καὶ ὅτε πρῶτον ἤκουσεν, ὅτι Γερμανικὸς ἐπεκλήθη ὁ υἱὸς αὐτῆς, εἶπεν, Ἐγὼ μὲν Βιτέλλιον, ἀλλ' οὐ Γερμανικὸν τέτοκα. cf. Suet. Vit. 3: (propter genituram infaustam) *mater et missum ad legiones et appellatum imperatorem pro afflicto statim lamentata est.* — *evicta*] *Ambitum civitatis* vocat effusum gratulandae felicitatis adulandique studium. *Evinci* autem *in gaudium* est vel invitum redigi et cogi ad laetandum; eoque v. imprimis delectatur Tacitus. Sic A. 11, 37: *ad miserationem evicta.* 15, 64: *blandimentis vitae evictam,* scil. ad vivendum. Ern. Idem v. amant Vergilius et Ovidius.

65. *diplomatibus*] Haec forma etiam apud Suet. Oct. 50 et Murat. 885, 4. cf. c. 54 et *Sirker* Tac. Formenlehre p. 14 § 18. — *interpretabatur*] „Vereor, ne hic *et* absorptum sit a praecedente verbo vel *que* a sequente.“ Ern. Ut est in Med., sine copula, recentiores plerique scripsissent: *interpretabatur scilicet.* — *ob metum*] cf. Ann. 6, 27. — *Trebellio Maximo*] de quo 1, 60. — *Vettius Bolanus*] cf. Agr. 8 et 16. Significat Bolanum e comitatu principis in Britanniam missum. Lips. *Praesentes* opponuntur iis, qui sunt in provinciis. Ern. Sic usurpatur iam 1, 13.

(66) Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus. sparsae per Italiam et victoribus permixtae hostilia loquebantur, praecipua quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant: quippe Bedriacensi acie vexillariis tantum pulsis vires legionis non adfuisse. remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit atque interim Batavorum cohortes una tendere ob veterem adversus quartadecimanos discordiam. nec diu in tantis armatorum odiis quies fuit. Augustae Taurinorum dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur, sui cuique commilitones adgregati a conviciis ad caedem transiere. et proelium atrox arsisset, ni duae praetoriae cohortes causam quartadecimanorum secutae his fiduciam et metum Batavis fecissent. quos Vitellius agmini suo iungi ut fidos, legionem Grais Alpibus traductam eo flexu itineris ire iubet, quo Viennam vitarent: namque et Viennenses timebantur. nocte, qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus pars Taurinae coloniae ambusta, quod damnum, ut pleraque belli mala, maioribus aliarum urbium cladibus obliteratum. quartadecimani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant: consensu meliorum compressi et legio in Britanniam transvecta. (67) proximus Vitellio e praetoriis cohortibus metus erat. separati primum, deinde addito honestae missionis lenimento arma ad tribunos suos deferebant, donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum resumpta militia robur Flavianarum partium fuere. prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace et otio mitesceret; undecima ac septima suis hibernis redditae;

2 permixte 4 legionū (ū *in* is *mut.* 1*m*) 5 brittanniam 8 agusta (u *post pr.* a *superscr.* 1*m*) 10 praelium exarsisset *Agricola* 11 casā (v *superscr.* 1*m*) 13 grat salpib; 14 nanq; uiennęnses (ę *in* e *corr.* 1*m*) 14|15 proficiscebantur (n *del.* 1*m*) 15 colonib; (b *del. et* ę *superscr.* 1*m*) 17 degressi *Pichena:* digressi 18 cęnsensū 19 brittanniam 21 deferebat (n *superscr.* 1*m*) 22 crebe|sceret (r *post* b *superscr.* 1*m*)

66. *vexillariis tantum pulsis*] Vide ad c. 43. — *ob veterem — discordiam*] De mutuo horum odio v. c. 27. 1, 59. 64. — *Augustae Taurinorum*] ante Augustum *Taurasia*, hodie *Turin*. — *arsisset*] cf. Ann. 12, 54 *arsisset bello provincia*, 4, 40 *inimicitias longe acrius arsuras*. *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. sub v. *ardeo*. — *Grais Alpibus*] trans montem S. Bernhardi minorem; cf. 4, 68 *monte Graio*. — *Viennenses timebantur*] v. 1, 65. — *obliteratum*] proprie litteris aliquid superinducere et ita oblivioni tradere, vox rara apud Cic., magis frequens Livio, poetis et argenteae aetatis scriptoribus, maxime Tacito. *Bötticher* Lex. Tac. cf. 1, 55.

67. *honestae missionis lenimento*] commoda honestae missionis quanta sub Augusto fuerint, docet Dio 55, 23 (ἐψηφίσθη τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμάς, ἐπειδὰν ἑκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις τρισχιλίας, ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, δίδοσθαι); Caligula minuit (Suet. Calig. 44 *commoda emeritae militiae — recidit*). — *undecima ac septima*] septima Galbiana in Pannoniam (c. 86), undecima in Dalmatiam (3, 50) remissa est.

tertiadecimani struere amphitheatra iussi. nam Caecina Cremonae, Valens Bononiae spectaculum gladiatorum edere parabant, numquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur.

(68) Et *has* quidem partes modeste distraxerat: apud victores orta seditio ludicro initio, *ni* numerus caesorum invidiam belli traxisset. discubuerat Vitellius Ticini adhibito ad epulas Verginio. legati tribunique ex moribus imperatorum severitatem aemulantur vel tempestivis conviviis gaudent; proinde miles intentus aut licenter agit. apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora. igitur duobus militibus, altero legionis quintae, altero e Gallis auxiliaribus, per lasciviam ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo et iis qui ad spectandum convenerant in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae. remedium tumultus fuit alius tumultus. pulvis procul et arma aspiciebantur: conclamatum repente quartam decimam legionem verso itinere ad proelium venire; sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem. interim Verginii

1 Iussi (*paulo supra lin.* t *add.* 1*m*) cecina 1|2 ualen 2 parabat (n *superscr.* 1*m*) 4 has *add. Meiser* (victas *Haase*): *om.* 5 ni *add. Agricola: om.* cesorum belli *Meiser:* bel lo (Vitellio *Döderlein*) traxisset *Meiser:* auxisset 7 seueritate 8 conuiis perinde *dett.* 9 bachanalib; 10 propiorix (*sic; corr. in* propiora, *ut videtur*) 13 spectaculū uenerant (*corr. in* spectandu conuenerant 1*m*) deductis 13|14 pernicie 16 praelium

Ritter. — *ad curas intento*] 4, 2 *nondum ad curas intentus.* Ann. 4, 67 *intentus olim publicas ad curas.* cf. *Dräger* Synt. § 55.

68. *Et has quidem partes*] Othonianos sine ulla violentia separarat, ut narratur in c. praecedente: verum, unde minime exspectares, apud Vitellianos ipsos orta seditio. *has* inserui, quia haec syllaba facilius excidere potuit quam *victas;* cf. 1, 8 *Et hic quidem Romae — habitus animorum fuit.* — *invidiam belli traxisset*] Sall. Cat. 43, 1 *belli que gravissimi invidiam optumo consuli inponeret.* Curtius 8, 5, 14 *invidiam tali adulatione contraheres.* *Seditio* et *bellum* inter se opponuntur; sensus enim est: „Seditio ludicro initio orta adusque bellum evaluit (Ann. 14, 58) numerusque caesorum (*duae cohortes interfectae*) invidiam belli male gesti contraxit.“ cf. Ann. 2, 15 *qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint,* 16, 22 *secessionem iam id et partes et, si idem multi audeant, bellum esse.* Liv. 29, 31, 11 *pluresque quam iusto saepe in bello Carthaginienses caderent caperenturque.* cf. etiam 1, 64 *iurgia primum, mox rixa — prope in proelium exarsere.* Liv. 2, 18, 2 *cum per ludos — scorta raperentur, concursu hominum rixa ac prope proelium fuit parvaque ex re ad rebellionem spectare res videbatur.* ibidem 40, 13 *hinc ex certamine — seditio, deinde atrox proelium ortum.* — *indisposita*] vox ante Tacitum non obvia; *Dräger* Synt. § 249, 2. — *pervigiliis ac bacchanalibus*] *pervigilia,* quamquam res sacra (cf. Ann. 15, 44) a corruptis posterioris aetatis moribus malam famam habebant ideoque pervigilia et bacchanalia synonyma esse coeperunt. Walther. — *propiora*] similiora, ut Ann. 1, 24: *contumaciae propiores.* Liv. 27, 17, 10: *propior excusanti — quam glorianti.* — *ad spectandum*] certamen primo ludicrum duorum luctatorum, prorsus ut etiamnunc fit apud Britannos. — *coactores*] qui cogunt, claudunt agmen residesque ut progrediantur adigunt; qua significatione (*Nachtrab, arrière-garde*) hoc v. vix

servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur, et ruebat ad convivium miles mortem Verginii exposcens. ne Vitellius quidem, quanquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia eius dubitavit: aegre tamen cohibiti qui exitium consularis et quondam ducis sui flagitabant. nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit: manebat admiratio viri et fama, set oderant ut fastiditi. (69) postero die Vitellius, senatus legatione quam ibi opperiri iusserat audita, transgressus in castra ultro pietatem militum conlaudavit, frementibus auxiliis tantum inpunitatis atque arrogantiae legionariis accessisse. Batavorum cohortes, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissae, principium interno simul externoque bello parantibus fatis. reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Ceterum ut largitionibus adfectae iam imperii opes sufficerent, amputari legionum auxiliorumque numeros iubet vetitis supplementis; et promiscae missiones offerebantur. exitiabile id rei publicae, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos periculaque ac labor crebrius redibant. et vires luxu corrumpebantur contra veterem disciplinam et instituta maiorum, apud quos virtute quam pecunia res Romana melius stetit.

(70) Inde Vitellius Cremonam flexit et spectato munere Caecinae insistere Bedriacensibus campis ac vestigia recentis victoriae lustrare oculis concupivit. foedum atque atrox spectaculum intra quadragensimum pugnae diem: lacera corpora, trunci artus, putres virorum equorumque formae, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira

3 om̃e (*in marg.* oĩs 2*m*) dubitauit (b *ex* u *corr.* 1*m*) 4 flagitabant (b *ex* u *corr.* 1*m*) 5 quenquā 6 āmiratio famas et (*corr.* 2*m*) 10 audirent 11 pa|parantib; (*pr.* pa *del.* 1*m*) 13 iam *Agricola:* tā 14 sufficerent (ent *ex* et *corr.* 1*m*) 15 promisca emissiones offerebantur (tur *ex* t *corr.* 1*m*) 18 uirtutē (*notam del.* 1*m*) 21 lux rare *ut videtur*, *corr.* 1m 23 pugnę̄ *sed nota deleta*

alibi reperies. — *fastiditi*] quippe quibus morem non gessisset imperium offerentibus. Duebn. cf. 1, 8. 52. 2, 49. 51.

69. *pietatem*] quasi vero in illa seditione ipsum defendissent ac protexissent v. c. 68 *interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur.* — *externoque*] Civilis tumultu, qui quarto libro narrabitur. — *auxilia*] milites temporarii, iam domum remissi. — *inania*] „quae speciem magis terribilem haberent quam vim.“ Ea species est etiam in multitudine copiarum; et hac causa illa auxilia assumpta. Ern. Sic Ann. 2, 76: *inania famae.* Agr. 6: *inania honoris.* — *adfectae*] ut *adfecta corpora*, id est, debilitata, quibus *valida* opponuntur. Rup. — *amputari* — *numeros*] singulariter dictum pro dimitti magnam partem militum singulis in cohortibus, non tamen ita, ut harum ipsarum numerus deminueretur; omnium enim remanebant *numeri*, qui nunc dicuntur *Rahmen, cadres.*

70. *intra quadragensimum*] quadraginta nondum dies praeterierant h. e. intra id temporis spatium, ubi putredo iam satis omnia penetraverat necdum evanuerant foedae reliquiae. Walther. — *virorum equorumque formae*]

vastitas. nec minus inhumana pars viae, quam Cremonenses lauru rosaque constraverant, extructis altaribus caesisque victimis regium in morem; quae laeta in praesens mox perniciem ipsis fecere. aderant Valens et Caecina monstrabantque pugnae locos: hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos, inde circumfusas auxiliorum manus. iam tribuni praefectique, sua quisque facta extollentes, falsa vera aut maiora vero miscebant. volgus quoque militum clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri mirari; et erant quos varia sors rerum lacrimaeque et misericordia subiret. at non Vitellius flexit oculos nec tot milia insepultorum civium exhorruit: laetus ultro et tam propinquae sortis ignarus instaurabat sacrum dis loci.

(71) Exin Bononiae a Fabio Valente gladiatorum spectaculum editur, advecto ex urbe cultu. quantoque magis propinquabat, tanto corruptius iter inmixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianae aulae ingenio. namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quis-

1 Iñhumana (*sic*), *unde* humana *ed. princ.* 1|2 rosaque *Döderlein:* rosasq; (rosisque *dett.*) 2 cesisq; 3 presens permitiē aderat 5 cohortos 6 prefectiq; 8 aggeres *Nipperdey*, stragem *Classen* 9 fors lacrimeq; 9|10 miīī 11 letus iam *L. Spengel* propinq; 16 nanque admirationē *sed nota deleta*

Ann. 2, 24 *ambiguas hominum et beluarum formas.* — *inhumana*] ob immanem et atrocem laetitiam inter tantae cladis civilis reliquias per viam Postumiam foede dispersas. cf. 3, 83 *inhumana securitas.* — *rosaque*] cf. Verg. Aen. 12, 68 *mixta rubent ubi lilia multa alba rosa.* Prop. 1, 17, 22 *tenera poneret ossa rosa.* — *regium*] effusi enim in tam exaggeratam exultationem imitabantur veluti reges (δεσπότας) Asianos. Iustinus 24, 3: *Arsinoë, praegressa virum, diem festum urbi — indicit, domos, templa ceteraque omnia exornari iubet, aras ubique hostiasque disponi.* — *mox perniciem ipsis fecere*] quae res 3, 32 sq. narratur. — *legionum*] Vitellianarum. — *spatia certaminum*] quod paulo ante *pugnae locos.* — *aggerem armorum*] Ann. 2, 18 *miles in loco proelii — struxitque aggerem et in modum tropaeorum arma — imposuit.* 22 *congeriem armorum.* — *strues corporum*] cf. Plut. Oth. 14 νεὼν ὄντα παλαιὸν ἐπιδείξας διηγεῖτο μετὰ τὴν μάχην ἐπελθὼν ἰδεῖν νεκρῶν σωρὸν τηλικοῦτον, ὥστε τοὺς ἐπιπολῆς ἅπτεσθαι τῶν ἀετῶν. — *subiret*] de numero singulari cf. 1, 76 *manebat*, 84 *arma et animus sit* et *depoposcerit*, 2, 78 *videbatur.* — *exhorruit*] ut *extimesco*, sic *exhorresco* et *expavesco* (c. 76) accusativum admittit, quamquam Cicero *perhorresco*, non *exhorresco* cum accusativo iungit. Liv. 8, 35, 11 *ni tristia edicta exhorruisset.* cf. *Dräger* Histor. Syntax der lat. Spr. I² § 164. — *laetus ultro*] Suet. Vit. 10: *Abhorrentes quosdam cadaverum tabem detestabili voce confirmare ausus est: „Optime olere occisum hostem, et melius civem.“ Nec eo secius ad leniendam gravitatem odoris plurimum meri propalam hausit passimque divisit.* „Detestabilem illam sententiam silentio praetermissam a Tacito mireris.“ Rup. Omisisse haec omnia consulto videtur partim ut nimis atrocia, partim ut pro historiae dignitate nimis humilia atque putida.

71. *corruptius*] scil. luxu, ut c. 11 extr. — *ingenio*] tota Neronianae aulae ratione luxu-

que, sed luxu et saginae mancipatus emptusque. ut Valenti et Caecinae vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum consulatus, dissimulatus Marci Macri tanquam Othonianarum partium ducis; et Valerium Marinum destinatum a Galba consulem distulit, nulla offensa, sed mitem et iniuriam segniter laturum; Pedanius Costa omittitur, ingratus principi ut adversus Neronem ausus et Verginii extimulator, sed alias protulit causas; actaeque insuper Vitellio gratiae consuetudine servitii.

(72) Non ultra paucos dies quanquam acribus initiis coeptum mendacium valuit. extiterat quidam Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Histria occultatum, quod illic clientelae et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebat. igitur deterrimo quoque in argumentum fabulae assumpto volgus credulum et quidam militum errore veri seu turbarum studio certatim adgregabantur, cum pertractus ad Vitellium interrogatusque, quisnam mortalium esset. postquam nulla dictis fides et a domino noscebatur condi-

1 cecinę 3 ma marci matri *sic, sed syll.* ma *deleta* 8 cęptũ 14 pertractus | pertractus est *Nipperdey*

riosa et prodiga, ubi cotidie novae voluptates excogitabantur. — *luxu*] dativus, cf. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 19. — *emptusque*] „Dici solet *venditus emancipatusque;* amarius est *emptus:* quem luxus et sagina lenociniis emerant ac suum fecerant.“ Duebn. Omnino efficacius haec dicta sunt quam *gulae ac ventri deditus.* Ceterum nolim cum Rupertio probare Petersenii coni. *luxu et sagina emancipatus emptusque* scilicet Neroni. — *consulatus*] relati supra 1, 77. — *dissimulatus*] nulla prorsus eius mentione facta, quasi ab Othone destinatus non fuisset. „De his coss. cf. etiam 3, 37. 68 et 73. Dissimulatus autem Marcius Macer et dilatus Valerius Marinus Valenti et Caecinae, omissus Pedanius Costa Caecilio Simplici locum dedisse videntur.“ Ryck. Fasti consulares huius anni sic constituendi sunt: Galba et Vinius d. 1—15. Ianuarii: Otho et Titianus d. 30. Ian. — 1 Mart.: Verginius et Pompeius Vopiscus per m. Martium et Aprilem: Caelius et Flavius Sabini per m. Maium et Iunium: Arrius Antoninus et Marius Celsus per m. Iulium et Augustum: Caecina et Valens per m. Septembr. et Octobr.: Rosius Regulus Caecinae suffectus per unum d. 31. Octobr. (Hist. 3, 37): Caecilius Simplex et Quintius Atticus per m. Novembr. et Decembr. Consules igitur hoc anno fuere XV. Ceterum ordo eorum non satis certus, cf. *Ios. Klein* Fasti Consulares p. 41 sq. — *ausus*] „audere“ saepe absolute dicitur, cf. *Nipperdey* ad Ann. 4, 59 *neque ausurum contra Seianum. Gerber* et *Greef* Lex. Tac. s. v. *audeo c*).

72. *Scribonianum*] „Lucis aliquid huic loco adfundit Dio 63, 18: ἐν δὲ τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ὁ Ἥλιος (pessimum illud Neronis mancipium) ἄλλα τε πολλὰ καὶ δεινὰ εἰργάσατο, καὶ Σουλπίκιον Καμερῖνον, ἄνδρα τῶν πρώτων, μετὰ τοῦ υἱέος ἀπέκτεινεν. Licet igitur coniicere Getam istum ex illa clade profugum se esse mentitum, ut magno nomine insignis res novas moliretur.“ Walth. Ceterum Scriboniani e *Crassorum* mox memoratorum erant familia. cf. 4, 39. — *argumentum fabulae*] *le sujet.* Quintil. 5, 10, 9: *Argumentum plura significat. Nam et fabulae ad actum scenarum compositae argumenta dicuntur* cet. et 2, 4, 2: *argumentum, quod falsum, sed vero simile, comoediae fingunt.* Recentior forsitan scripsisset *in actionem fabulae* (*comoediae*). Louandre: *pour soutenir son rôle.* — *errore veri*] = ignorantia veri: de rariore usu genetivi obiectivi cf.

cione fugitivus nomine Geta, sumptum de eo supplicium in servilem modum.

(73) Vix credibile memoratu est, quantum superbiae socordiaeque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria Iudaeaque adactum in verba eius Orientem nuntiavere. nam etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus ac plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur: tum ipse exercitusque, ut nullo aemulo, saevitia libidine raptu in externos mores proruperant. (74) at Vespasianus bellum armaque et procul vel iuxta sitas vires circumspectabat. miles ipsi adeo paratus, ut praeeuntem sacramentum et fausta Vitellio omnia precantem per silentium audierint; Muciani animus nec Vespasiano alienus et in Titum pronior; praefectus Aegypti *Ti.* Alexander consilia sociaverat; tertiam legionem, quod e Syria in Moesiam transisset, suam numerabat; ceterae Illyrici legiones secuturae sperabantur; namque omnis exercitus flammaverat adrogantia venientium a Vitellio militum, quod truces corpore, horridi sermone ceteros ut inpares inridebant. sed in tanta mole belli plerumque cunctatio; et Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat: quis ille dies foret, quo sexaginta aetatis annos et duos filios iuvenes bello permitteret?

1 seruile 3 socordieq; 7 ęmulos (s *del.* 1*m*) 8 proruperunt *Nipperdey* 9 sitas uires *in rasura, sed* 1*m* 11 omĩa (omina *Lipsius*) p̄cantē 12 egyp|ti Ti. *add. Ursinus* 13 e *Lipsius:* de siria 14 sua illirici 15 nanq; omĩs 17 Iniant a mole 18 aduersare putabat (*corr.* 2*m*)

Dräger Synt. § 68. — *in servilem modum*] cruce, cf. Ann. 3, 50. 15, 60. 2, 32.

73. *speculatores*] qui nuntiorum sive tabellariorum munere in militia fungebantur. Suet. Cal. 44: *magnificas Romam litteras misit monitis speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent nec nisi in aede Martis ac frequente senatu consulibus traderent.* — *excitabatur*] ex torpore et inerti luxu, quibus indulgebat. Rup. — *in externos mores*] Hoc est ipse cum militibus coepit agere externorum regum more, qui non legibus, sed ut libitum regnant. Walther. cf. Curtius 6, 2, 2: *omnia in externum lapsa morem.* — *proruperant*] cf. c. 5 *aboleverat.* de eodem plusquamperfecti usu *Theodor Vogel* in III. editione Q. Curti Rufi 1885 p. 39 § 102 disserit.

74. *omnia*] Freinshemius corrigit *omina.* Verbum *precari* me impedit, quo minus satis probem. Precando bene ominamur et omina facimus: sed non precamur omina, ut opinor. Ern. cf. Huschke Anal. ad Tib. II. p. 699. Male *omina* praetulit Walther et Bach; quin Med. compendium clare significat *omnia*, uti recte edidit etiam Duebner. Est quasi formula: „fausta, quaecunque sperari atque expeti possunt.“ Sic Liv. 24, 16, 10: *bona omnia populo Romano Gracchoque ipsi precarentur.* cf. infra 4, 49 *laeta — omnia* et exempla ab Heraeo collecta. — *tertiam legionem — suam numerabat*] cf. c. 85: *tertia legio exemplum ceteris Moesiae legionibus praebuit.* — *truces corpore, horridi sermone*] exspectes potius *corpore horridi, truces sermone* (4, 42 *truci oratione*), at cf. Cic. or. § 20 *aspera tristi horrida oratione.* — *in Titum pronior*] cf. c. 5—7. — *Ti. Alexander*] cf. 1, 11. — *sexaginta aetatis annos et duos* cet.] Pichena suspicabatur *sexagesimo aetatis anno se et duos;* hoc vulgare, illud exquisitum atque elegans. (Suetonius

esse privatis cogitationibus progressum, et prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus nihil medium inter summa aut praecipitia. (75) versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: suas legiones civili bello inexpertas, Vitellii victrices, et apud victos plus querimoniarum quam virium. fluxam per discordias militum fidem et periculum ex singulis: quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti facinore paratum ex diverso praemium petat? sic Scribonianum sub Claudio interfectum, sic percussorem eius Volaginium e gregario ad summa militiae provectum: facilius universos inpelli quam singulos vitari. (76) his pavoribus nutantem et alii legati amicique firmabant et Mucianus post multos secretosque sermones iam et coram ita locutus: „omnes, qui magnarum rerum consilia susci-

1 regressum *Lipsius*, *post* progressum *addunt* regressum *Io. Müller*, et regressum *Weissenborn*, esse regressum *Heraeus* 2 nichil suma 3 precipitia 6 fidēs (s *del.* 1*m*) 7 alterve *Wurm* presenti facinore *deterior:* facinora (facinori *ceteri*) exidiūso (i *post* ex *del.* 1*m*) 8 *alt.* sic *del. Eussner* 11 multos *ex* multa *corr.* 1*m* 12 coronā | (amicis coram *Freinsheim*, coram amicis *Ritter*) Oms̄

Vesp. 2: *Vespasianus natus est — XV. Kal. Decembr. vesperi Q. Sulpicio Camerino, C. Poppaeo Sabino consulibus quinquennio ante quam Augustus excederet*, id est a. u. 762, p. Chr. 9, quem quidem numerum ubi detraxeris ab eo anno, qui hic describitur a. u. 822, p. Chr. 69, accipies annum aetatis sexagesimum. Bach.) — *progressum*] substantivum, quod sequentibus exponitur, quasi dictum esset „progressum et, si velis, regressum.“ Ob adiecta non opus erat plura dici quam *progressum*. Duebn. Re vera de progrediendo tantum agitur. sensus enim est: privata commoda petentibus plus minusve progredi licet; prout volunt, aut summam fortunam concupiscunt aut in mediocri acquiescunt: imperium cupientibus nihil medium relinquitur: aut imperandum aut pereundum. progressus igitur = gradus progrediendi, Germanice *Abstufungen*.

75. *viro militari*] Suetonius Vesp. 4 refert numerum ingentem expeditionum, quibus ante hoc bellum interfuerat aut praefuerat Vespasianus. Duebn. — *unus alterque*] frequentius sane est *unus alterve*, at cf. dial. 21 *in una et altera oratiuncula*. — *Scribonianum*] Camillum sub Claudio. cf. 1, 89. Ann. 6, 1. 12, 52. Suet. Claud. 13. 35. Dio 60, 15. qui diversa de eo tradit: ὁ μὲν — ἔφυγε καὶ ἐς τὴν Ἴσσαν τὴν νῆσον ἐλθὼν ἐνταῦθα ἑκούσιος ἀπέθανεν. — *sic percussorem*] posterius *sic* habet quod offendat, quia speciem praebet, quasi duo diversa exempla proferantur. sed utrumque *sic* ad ea quae dixit referri potest. explices enim: *sic* scil. unius facinore — *sic* scil. praemio ex diverso parato. — *inpelli*] scil. ad seditionem.

76. *coram*] *Coram* est palam, multis audientibus et quasi in publico. cf. Ann. 6, 8 *spectamus porro, quae coram habentur*. Walther. — *omnes, qui*] principium orationis simile est Sallustianae in Catil. c. 51: *omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant*, cet. cf. eiusdem epistula Mithridatis in fragm. Hist.: *omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent*, cet. Ritter. ceterum tota oratio ad praecepta rhetorica conformata est, cf. Anaximenis ars rhet. 1: τὸν μὲν προτρέποντα χρὴ δεικνύειν ταῦτα, ἐφ᾽ ἃ παρακαλεῖ, δίκαια ὄντα καὶ νόμιμα καὶ συμφέροντα καὶ καλὰ καὶ ἡδέα καὶ ῥᾴδια πραχθῆναι· εἰ δὲ μή, δυνατά τε δεικτέον, ὅταν ἐπὶ δυσχερῆ παρακαλῇ, καὶ ὡς ἀναγκαῖα ταῦτα ποιεῖν

piunt, aestimare debent, an quod inchoatur rei publicae utile, ipsis gloriosum, promptum effectu aut certe non arduum sit; simul ipse qui suadet considerandus est, adiciatne consilio periculum suum, et si fortuna coeptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. ego te, Vespasiane, ad imperium voco, quam salutare rei publicae, quam tibi magnificum, iuxta deos in tua manu positum est. nec speciem adulantis expaveris: a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi. non adversus divi Augusti acerrimam mentem nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Gai quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus; cessisti etiam Galbae imaginibus: torpere ultra et polluendam perdendamque rem publicam relinquere sopor et ignavia videretur, etiam si tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad imperium. an excidit trucidatus

1 Inchoa|turi *sed* ri *in* r *corr.* 2*m* 2 promptum *L. Spengel et Nipperdey:* aut promptum (aut] ac *Pluygers,* an *Classen*) effectū aut ñ certe ñ 4 cęptis adnuerit *Cornelissen* 5 quam salutare *Io. Müller:* tanquā salutare 9 tyberii 11 torpore perdendanq; RP. 12 sopore (*corr.* 1*m*) 14 non cupisse *Ruperti et Madvig*

ἐστιν. — *aestimare debent, an*] cf. 4, 81 *aestimari a medicis iubet, an — superabiles forent. Dräger* Synt. § 153, 1. — *considerandus est*] inde ad sequentia supple *considerandum est.* — *si fortuna — adfuerit*] cf. 3, 46 *adfuit — fortuna populi Romani,* 5, 21 *aderat fortuna* aliosque locos apud *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. p. 47. — *quam salutare — in tua manu positum est*] cf. 1, 29 *sextus dies agitur, commilitones, ex quo ignarus futuri — Caesar adscitus sum. quo domus nostrae aut reipublicae fato, in vestra manu positum est.* Cic. ep. ad fam. 8, 6, 1 *quam velis eum obligare, in tua manu est.* Sall. Iug. 31, 5 *id frustra an ob rem faciam, in vostra manu situm est.* — *nec expaveris*] cf. 1, 84 *nec — audiat.* de *expavesco* cum accusativo cf. c. 70 *exhorruit. Dräger* Synt. § 40 a. — *a contumelia* cet.] Aliquanto mitius dictum quam „propemodum contumelia fuerit, non laus", vel „contumeliae propius quam laudi." Duebner explicat: „magis fuerit non contumelia quam laus;" sed exquisitior Taciti φράσις. cf. Hist. 1, 10: *Mucianus tam prope ab exule fuit quam postea a principe.* — *imaginibus*] nobilitati, quod praeter aliquot expeditiones prosperas, prope unum erat meritum Galbae. — *transvectum est tempus*] dictio tropica a navi ad tempus translata, ut *transvecta aestas.* Agr. 18. Ruperti. ita nemo praeter Tacitum locutus esse videtur, sed adposite Walch contulit Hor. Sat. 2, 2, 83 *Sive diem festum rediens advexerit annus. Bötticher* Lex. Tac. — *videri concupisse*] „nunc, utpote non ignobilior Vitellio, necessario videberis cupisse imperium, poteras non videri, cum generosioris originis viri illud tenerent. Hoc tempus praeteriit et periculum haud dubium imminet tibi a Vitellio; unicum eius effugium, imperium si capias ipse." Duebn. Vis argutae huius sententiae inest in v. *videri* „dumtaxat". Quo nemo porro praeferat *videri non cupisse*, Walther sic παραφράζει: *videri concupisse* opponitur sententiae, quam intelligendam Mucianus relinquit. Volebat dicere: „Abiit tempus quo posses videri concupisse: nam eo usque nunc rerum profectus es, ut nemo dubitet te re vera concupiscere, ut non possis falsam arguere speciem et suspicionem. Nihil iam aliud tibi reliquum est, quam ut confugias ad imperium." (*Il est passé, il est loin de nous, ce temps où tu pouvais p a r a î t r e ambitionner l'empire. Il faut te réfugier dans la souveraine puissance.* Louandre).

Corbulo? splendidior origine quam nos sumus, fateor, sed et Nero nobilitate natalium Vitellium anteibat. satis clarus est apud timentem quisquis timetur. et posse ab exercitu principem fieri sibi ipse Vitellius documento, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbae odio provectus. ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem et magnum principem fecit, cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova cotidie bello semina ministrat. si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis et comissationibus et principis imitatione deteritur. tibi e Iudaea et Syria et Aegypto novem legiones integrae, nulla acie exhaustae, non discordia corruptae, sed firmatus usu miles et belli domitor externi; classium alarum cohortium robora et fidissimi reges et tua ante omnis experientia. (77) nobis nihil ultra adrogabo, quam ne post Valentem et Caecinam numeremur. ne tamen Mucianum socium spreveris, quia aemulum non experiris. me Vitellio antepono, te mihi. tuae domui triumphale nomen, duo iuvenes, capax iam imperii alter, et primis militiae annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. absurdum fuerit non cedere imperio ei, cuius filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. nam

1 splendior *ex* splendiori *corr.* 1*m* 4 nullis] nulli 5 exercitus vi *Rhenanus:* exercitu sui propropera *sed corr.* 1*m* 8|9 cõmissationibus 9 tibię | Iudea 11 corruptę *ex* corrupta *corr.* 1*m* domito rex terni (*corr.* 2*m*) 12 omĩs (omnia *Ruperti*) 13 nichil postulantẽ (*corr.* 3*m*) cecinam

cf. etiam Iosephus b. I. 4, 10, 4: Τῷ δὲ (Οὐεσπασιανῷ) φροντὶς μὲν ἦν πάλαι περὶ τῶν ὅλων, οὔτοι γε μὴν αὐτὸς ἄρχειν προῄρητο, τοῖς μὲν ἔργοις ἑαυτὸν ἄξιον ἡγούμενος, προκρίνων δὲ τῶν ἐν λαμπρότητι κινδύνων τὴν ἐν ἰδιώταις ἀσφάλειαν. — *Corbulo*] De Corbulonis, fortissimi ducis, nece a Nerone imperata narrat Dio 63, 17. Eum sero poenituit „pepercisse tali citharoedo." — *Galbae odio*] „odio militum adversus Galbam." Duebn. — *ne Othonem quidem*] negatio cum participio tantum iungenda est = *vel Othonem non — victum.* cf. c. 63 *nec ullis — probationibus.* — *novem legiones*] in Iudaea tres (V. Macedonica, X. Fretensis, XV. Apollinaris), in Syria quattuor (IV. Scythica, VI. Ferrata, XII. Fulminata, III. Gallica, cf. c. 74 *tertiam legionem, quod e Syria in Moesiam transisset, suam numerabat*), in Aegypto duae (III. Cyrenaica, XXII. Deiotariana). — *classium*] cf. c. 4 *classes.* memoratur *CLASSIS SYRIACA.* Inscr. m. Lat. N. 3605. *Inscr. de Morée.* II. p. 50. N. 167. Hase *Rapport sur les Inscr. d'Afrique* N. 27. Imprimis cf. c. 83: *classem e Ponto Byzantium adigi iusserat.* — *ante omnis*] „qua omnibus antecellis." cf. Curtius 6, 6, 19 *ante omnes maestus*, 7, 1, 3 *ante omnes amicus.*

77. *triumphale nomen*] Suet. Vesp. 4: *Claudio principe — in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit; — quare triumphalia ornamenta et in brevi spatio duplex sacerdotium accepit.* — *apud Germanicos*] tunc, cum Vespasianus *legatus legionis in Germaniam missus esset.* Suet. ibid. Idem Tit. 4: *Tribunus militum* (septimum et vicesimum annum agens) *et in Germania et in Britannia*

si vincimus, honorem quem dederis habebo: discrimen ac pericula ex aequo partiemur. immo, ut melius est, *tu* tuos exercitus rege, mihi bellum et proeliorum incerta trade. acriore hodie disciplina victi quam victores agunt. hos ira odium ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi per fastidium et contumaciam hebescunt. aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium volnera bellum ipsum. nec mihi maior in tua vigilantia parsimonia sapientia fiducia est quam in Vitellii torpore inscitia saevitia. sed meliorem in bello causam quam in pace habemus: nam qui deliberant, desciverunt." (78) post Muciani oratio-

2 partiemur *a* (*Puteolanus*): patiemur tu tuos *Th. Kiessling:* tuos (tu hos *a* (*Puteolanus*), tu tutus *Nipperdey*, tu tuto *Heraeus*; immo tu melius ex tuto exercitus reges *Haase*) 3 praeliorum 5 contumacia habescunt 5|6 contectā (*notam del.* 1*m*) 8 seuitia 9 desciuer̄ (= desciuerunt)

meruit. — *si vincimus — habebo*] de tempore praesenti cf. Sall. Cat. 58, 9 *si vincimus, omnia nobis tuta erunt.* Liv. 28, 5, 15 *si — fidem habetis, — sentiet.* Cornelius Nepos Ep. 4, 3 *nisi id — facis, ego te tradam.* *Dräger* Hist. Synt. I² § 139. — *discrimen ac pericula*] Haec vocc. haud raro iunguntur. cf. 1, 83 *discrimine urbis et periculo senatus.* Cic. Phil. 7, 1: *Adducta est — res in maximum periculum et extremum paene discrimen.* Liv. 3, 18, 3: *periculum ipsum discrimenque — id poscere.* — *partiemur*] *partiemur* cum Puteolano scripsi, quia *prosperarum adversarumque rerum ordo* constituitur *partiendo*, non *patiendo*, et pericula non tam *patimur* quam adimus, suscipimus, sustinemus. aliter enim dictum est apud Sall. Iug. 44 *neque periculi neque laboris patiens.* cf. Ovid. met. 5, 565 *Iuppiter ex aequo volventem dividit annum.* Verg. Aen. 11, 510 *mecum partire laborem.* — *tu tuos*] pronomen *tu* propter oppositum *mihi* necessarium; item pronomen *tuos* Vespasiani, viri militaris, quem milites maximi faciebant, nomini eximie convenit, ut Tacitum scripsisse arbitrer *tu tuos exercitus.* Hist. 3, 2 *vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi expeditae cohortes sufficient.* TH. KIESSLING. male *ex tuto* vel *tutus* scripserunt, quo Mucianus Vespasianum, quamvis leviter, ignaviae argueret. pronomen *tu* fortasse non necessarium est. similiter enim scribit Xenophon Anab. 3, 4, 41 ἀλλά, εἰ βούλει, μένε ἐπὶ τῷ στρατεύματι, ἐγὼ δ' ἐθέλω πορεύεσθαι. cf. *Krüger* ad h. l. — *hos — illi*] pronomen *hos* pertinet ad *victos*, qui propius iam Vespasianum attingunt. TH. KIESSLING. — *aperiet et recludet*] Demosthenes Philipp. 1. 44: εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος. Liv. 28. 44, 8 *multa, quae nunc ex intervallo non apparent, bellum aperiet.* Lipsius confert Demosth. Olynth. 2, 21 ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς σώμασιν — ἐπειδὰν δ' ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντ' ἐποίησεν ἔκδηλα. — *tumescentia*] τὰ ὕπουλα. *Tumor* eleganter et proprie de vulneribus nondum sanatis et erupturis mox dicitur apud Ciceronem et alios. ERN. — *parsimonia*] quae in Vespasiano sane ad avaritiam accedebat. Lipsio (haud feliciter *acrimonia* suspicanti) atque Ernestio suspectum erat vocabulum. At vero insanae Neronis et Vitellii prodigentiae opponitur vera laus. Dio 65, 9: συνέλεγε χρήματα, ὧν που καὶ τὰ μάλιστα ἔχρηζε. addit Walther: „Mucianus infra c. 84 *eos esse belli civilis nervos.* virtutes singulas non opponit singulis vitiis, sed in universum dicere vult non sibi maiorem in Vespasiani virtutibus fiduciam esse quam in Vitellii vitiis. oratorie singula laudat, quibus uterque erat eximius. Ruperti pro *saevitia* Vitellii substituit *sagina*, ut ita singula singulis respondeant. at tum *sapientia* etiam erit ponenda ante *parsimoniam.*" non minus infeliciter *Ritter* suspicatus est: *parsimonia sanguinis.* — *qui deliberant, desciverunt*] Similiter exhortatur Galbam T. Vinius apud Plut. G. 4: ὦ Γάλβα, τίνα τρόπον βουλεύεσθε; τὸ γὰρ ζητεῖν, Νέρωνι εἰ πιστοὶ μενοῦμεν, οὐκ

nem ceteri audentius circumsistere hortari, responsa vatum et siderum motus referre. nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox rerum dominus Seleucum quendam mathematicum rectorem et praescium palam habuerit. recursabant animo vetera omina: cupressus arbor in agris eius conspicua altitudine repente prociderat ac postera die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat. grande id prosperumque consensu haruspicum et summa claritudo iuveni admodum Vespasiano promissa. sed primo triumphalia et consulatus et Iudaicae victoriae decus inplesse fidem ominis videbatur: ut haec adeptus est, portendi sibi imperium credebat. est Iudaeam inter Syriamque Carmelus: ita vocant montem deumque. nec simulacrum deo aut templum (sic tradidere maiores): ara tantum et reverentia. illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides sacerdos inspectis identidem extis

1 audientiūs (*notam del.* 1*m*) 3 presciū 4 omina *Rhenanus:* om̃ia 6 laetior *Triller* 6|7 c̄sensū (*notam supra* u *del.* 1*m*) 8 Iudęicę 9 hominis uidebantur *dett.* 10 est] & (= et) Iudeā 11 dm̃q; dō 12 ara tantum et reverentia *Agricola:* aram tantum et reuerentiam

ἤδη μενόντων ἐστίν. cf. Agr. 15: *iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere.* Cic. off. 3 § 37 *in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non pervenerint.*

78. *responsa vatum*] cf. 1, 10. 2, 4. — *praescium*] Praetulit nobile vocabulum humili *harioli.* — *recursabant animo*] cf. Verg. Aen. 4, 3 *multa viri virtus animo — recursat.* — *vetera omina*] cf. Curtius 3, 3, 6 *vetera quoque omina, ut fere, sollicitudo revocaverat.* — *latior*] Triller volebat *laetior,* quia Suet. Vesp. 5 de eodem portento *viridior ac firmior resurrexit.* Verum Tacitus exprimere voluit Gr. ἀμφιλαφεστέρα. cf. etiam Dio 66, 1. Trilleri coniectura firmatur Curtii loco 6, 5, 14 *laetiores virent trunci.* — *haruspicum*] Cogita non de publicis (Inscr. m. Lat. NN. 2292. 2299), sed de iis, qui disciplinam suam per municipia et colonias exercebant, ut est *HARuspex COLoniae* Inscr. m. Lat. N. 2300. — *triumphalia*] 4, 4 *triumphalia de bello civium data.* Agr. 40 *triumphalia ornamenta.* Ann. 1, 72 *triumphalia insignia.* — *consulatus*] Suet. Vesp. 4: (sub Claudio a. u. 804 p. Ch. 51) *consulatum, quem gessit per duos novissimos anni menses.* — *videbatur*] de numero singulari cf. c. 70 *subiret,* 1, 76 *manebat.* — *Iudaeam inter*] de anastrophe praepositionis cf. *Dräger* Synt. § 225, 3. — *Carmelus*] mons continuus Antilibano (*südwestliche Fortsetzung* Forbiger *Geographie* II. p. 678), haud confundendus cum cognomini monte in litore occidentali maris mortui sive lacus Asphaltitae; hic in tribu Iuda, ille celebrior in tribu Ascher. De cultu dei Carmeli cf. Baumgarten-Crusius ad Suet. Vesp. 5, qui accedit Bosio rato fuisse superstitionem Iudaeorum ad imitationem sacrorum in templo Hierosolymitano institutam et corrupto tempore rei publicae Iudaicae sancte observatam. Sed novam rationem iniit sagacissimus Hitzig, collega meus coniunctissimus, *Urgeschichte und Mythologie der Philistäer. Leipzig* 1845. p. 285 seqq., qui demonstratum ivit „esse hoc antiquum Philistaeorum numen, et quidem probabiliter idem atque Çivam, deum videlicet belli, bellicae fortunae, omnis fortunae (p. 294); nullo igitur modo coniungi posse cum ipso Iehovae cultu." Eaque dei species bellica egregie congruit cum Vespasiani consilio bellum incipiendi. — *ara tantum et reverentia*] 5, 5 *Iudaei mente sola unumque numen intellegunt.* Germ. 9 *secretum illud, quod sola reverentia vident.* — *Basilides*] alius a Basilide Aegyptio 4, 82. — *inspectis — extis*] Extispicium sane prorsus alienum a religione

„quicquid est“, inquit, „Vespasiane, quod paras, seu domum extruere seu prolatare agros sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum.“ has ambages et statim exceperat fama et tunc aperiebat, nec quidquam magis in ore volgi; crebriores apud ipsum sermones, quanto sperantibus plura dicuntur. (79) haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream: illa Syriae, hoc Iudaeae caput est.

Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae coeptum, festinante Tiberio Alexandro, qui kalendis Iuliis sacramento eius legiones adegit. isque primus principatus dies in posterum celebratus, quamvis Iudaicus exercitus quinto nonas Iulias apud ipsum iurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius expectaretur, Syria remeans et consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius. cuncta impetu militum acta, non parata contione, non coniunctis legionibus. (80) dum quaeritur tempus locus, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes timor, ratio casus obversantur, egressum cubiculo Vespasianum pauci milites, solito adsistentes ordine ut legatum salutaturi, imperatorem sa-

1 quicquit 4 fama *ex* iama *corr.* 1m 7 surię hoc *in* hec *corr.* 2m, *unde* haec *dett.* Iudeę capud 8 ferendi auespasianū cęptū 9 tib *cum lineola in littera* b kl *cum lin. in litt.* l 11 .u. nōn Iulii 14 contione *Agricola:* cognitione queritur 17 adsistentes *Pichena:* adsistent

Iudaica, quoniam uno dumtaxat loco in Vetere Testamento memoratur et quidem de rege extero. Ezechiel 21, 21: *Stetit rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quaerens, commiscens sagittas, interrogavit idola, exta consuluit.* (*beschauet die Leber.* Arnheim.)

79. *illa — hoc*] cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 49 *illud.* — *Iudaeae caput*] Hinc in nummis *prima,* item paullo post *metropolis* appellatur. Eckhel D. N. III. p. 433. Oberl. *Caput* vocatur ut sedes procuratorum Romanorum. Infra 5, 8 ex Iudaeorum ratione loquitur. Duebn. — *initium — coeptum*] cf. 1, 39 *initio — orto.* — *festinante Tiberio*] Contra Iosephus b. I. 4, 10, 6 Ti. Alexandrum prius per epistolam a Vespasiano iam principe salutato esse admonitum scribit. Oberl. — *primus principatus dies*] dies ille *natalis imperii* decore dictus. Spartianus Hadr. 4: *Tertium iduum earundem quando et natalem imperii statuit celebrandum.* Lips. — *quinto nonas Iulias*] die 3. m. Iulii. Suetonius Vesp. 6 *quinto idus Iulias* (d. 11. m. Iul.) id factum esse scribit. Veriorem Taciti rationem esse omnes consentiunt et demonstravit Pagius Crit. Baron. ad a. Chr. 79. Ernestius etiam in contextum recepit *Nonas.* Sed error videtur Suetonii esse, non librariorum. cf. c. 81: *ante idus Iul. Syria omnis in eodem sacramento fuit.* — *Syria remeans*] de omissa praepositione cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 69 *Aegypto remeans.* — *impetu militum*] Ioseph. b. I. 4, 10, 4: ἀναγορεύουσι τὸν Οὐεσπασιανὸν αὐτοκράτορα· — ἀρνουμένῳ δὲ μᾶλλον οἱ ἡγεμόνες ἐπέκειντο καὶ περιχυθέντες οἱ στρατιῶται ξιφήρεις ἀναιρεῖν αὐτὸν ἠπείλουν, εἰ μὴ βούλοιτο ζῆν ἀξίως. „Nolim negare Iosephum audisse minacia militum aliquot verba: sed has minas fuisse causam suscepti a Vespasiano imperii absurdum est credere. Scilicet non licebat Iosepho sub Vespasiano eiusque liberis aliter scribere.“ Ryck. — *non parata contione*] Ann. 11, 35 *incensumque et ad minas erumpentem castris infert, parata contione militum.*

lutavere. tum ceteri adcurrere, Caesarem et Augustum et omnia principatus vocabula cumulare. mens a metu ad fortunam transierat. in ipso nihil tumidum, adrogans aut in rebus novis novum fuit. ut primum tantae altitudinis obfusam oculis caliginem disiecit, militariter locutus laeta omnia et affluentia excepit. namque id ipsum opperiens Mucianus alacrem militem in verba Vespasiani adegit. tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos adloquitur, satis decorus etiam Graeca facundia omniumque, quae diceret atque ageret, arte quadam ostentator. nihil aeque provinciam exercitumque accendit quam quod adseverabat Mucianus statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque transferret, contra Syriacis legionibus Germanica hiberna caelo ac laboribus dura mutarentur. quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti, et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum penatium diligebantur. (81) ante idus Iulias Syria omnis in eodem sacramento fuit. accessere cum regno Sohaemus haud spernendis

1 cęteri oĩa 3 nichil 4 tante altitudinis *Triller:* multitudimis | (*sic*), mutationis *Io. Fr. Gronovius* 5 oĩa nanq; 7 illi 8 greca 9|10 prouinciā *sed* ā *ex* ę *corr.* 1m 10 quanquod 12 hiberna *Rhenanus:* hiberno 16 Id Iuli. *cum lin. in litt.* d *et* l oĩs

80. *mens — transierat*] „Spectant haec ad superiora, quae leguntur initio capitis. Qui quaerebant tempus locumque, intelligendi sunt imprimis amici Vespasiani (c. 76), quorum erat transferre ad eum imperium. Hi dum adhuc haesitant, res inopinata evenit, illa paucorum militum salutatio. Qua audita alacriter cuncti accurrunt et omnia principatus vocabula in illum cumulant; nam mens ipsis a metu ad fortunam transierat." Walth. — *ad fortunam*] ad fiduciam, qualis solet esse a fortuna. Ern. — *tantae altitudinis obfusam oculis caliginem*] cf. Liv. 26, 45, 3 *quidam stantibus scalis, cum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt.* 2, 40, 3 *tanta offusa oculis animoque religione.* Curtius 7, 6, 22 *oculis caligine offusa.* Ovid. Trist. 1, 3, 13 *hanc animi nubem dolor ipse removit.* — *militariter*] significat orationem eius castrensem horridioremque fuisse, non cultam forensi aut urbano more. Lips. De eloquentia militari brevissimum hoc praeceptum dat Quintilianus 11, 1, 32: *Simpliciora militares decent*, ubi Spaldingius: „*simpliciora* hic accipio non quidem de animo, sed de artificii rhetorici masculo quodam neglectu." — *affluentia*] multos gratos nuntios ab iis, qui ubique eius partes amplexi erant. — *ubi illis consultare mos est*] ut aliis Graecis. Cic. pro Flacco 7 § 16 de Graecis: *Cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique, consederant, tum bella inutilia suscipiebant, tum seditiosos homines rei publicae praeficiebant, tum optime meritos civis e civitate eiciebant.* Frontinus Strateg. 3, 2, 6: *Alcibiades — disseruit in theatro, ubi ex more Graecorum locus consultationi praebebatur.* Iustin. 22, 2, 10 *populum in theatrum ad contionem vocari iubet.* — *statuisse Vitellium*] cf. Suet. Vesp. 6 *simul rumor dissipatus destinasse victorem Vitellium permutare hiberna legionum et Germanicas transferre in Orientem ad securiorem molliöremque militiam.*

81. *Sohaemus*] rex Sophenes (Ann. 13, 7),

viribus, Antiochus vetustis opibus ingens et inservientium regum ditissimus. mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa ignaro adhuc Vitellio celeri navigatione properaverat. nec minore animo regina Berenice partes iuvabat, florens aetate formaque et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. quidquid provinciarum adluitur mari Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, iuravere, sed inermes legati regebant nondum additis Cappadociae legionibus. consilium de summa rerum Beryti habitum. illuc Mucianus cum legatis tribunisque et splendidissimo quoque centurionum ac militum venit et e Iudaico exercitu lecta decora. tantum simul peditum equitumque et aemulantium inter se regum paratus speciem fortunae principalis effecerant. (82) prima belli cura agere dilectus, revocare veteranos. destinantur validae civitates exercendis armorum officinis; apud Antiochenses aurum argentumque signatur; eaque cuncta per idoneos ministros, suis quaeque locis, festinabantur. ipse Vespasianus adire hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare saepius quam coercere, vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans. multos

2 excitus *dett.*: exercitus 3 celerina uagatione (*corr.* 2m) 6 asya 8 beriti 11 emulantium 14 antyochenses 15 $\overset{o}{q}$q; (*in marg.* quęq; 2*m*) quidque *Heraeus* 16 adire *ex* adiri *corr.* 1*m* 17 coercere | *sed syllaba* re *a* 2*m*. *addita*, *unde conicias* coercendo

cuius iterum mentio infra 5, 1. — *Antiochus*] ex Seleucidis, rex Commagenes, in nummis ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΕΠΙ, id est, Epiphanes IV, de quo Eckhel D. N. III p. 255, Visconti *Iconogr. gr.* III p. 11. — *vetustis opibus ingens*] v. *ingens* sine causa deletum malebat Lipsius; auget vim sententiae. Cornelissen *vigens* suspicatur, at cf. 1, 61 *ingens viribus opibusque*, 1, 53 *corpore ingens*, 4, 66 *ingens rerum*. — *Agrippa*] Hegesippus 4, 21: *Sententiam novi principis de bello Iudaeorum sciscitari Vespasiano consilium fuit misitque Titum filium et regem Agrippam. Titus de Achaia revertit: Agrippa Romam contendit, ut apud novum principem locaret gratiam.* cf. cap. 1. *Nipperdey* ad Ann. 13, 7. — *Berenice*] soror Agrippae, Iulia appellata et Tito amata, cf. c. 2. Dio 66, 15: Βερενίκη δὲ ἰσχυρῶς τε ἤνθει κτλ. cum Reimari adnotatione. — *Cappadociae*] Inde a Tiberio Cappadocia sine legionibus (*inermis*) erat, quas postea ei addidit Vespasianus *propter adsiduos barbarorum incursus*, ut ait Suet. Vesp. 8. — *Beryti*] Phoenicum urbs, deinde colonia Romana, Iulia Augusta Felix Berytus, hodie *Beirut*. cf. Forbiger *Geographie* II p. 668. — *splendidissimo quoque centurionum*] splendidissimi centurionum ac militum sunt qui facinoribus egregiis ornamenta meruerant iisque decoribus splendebant. RITTER. — *lecta decora*] „i. e. auserlesene Zierden der Armee" *Gerber* et *Greef* Lex. Tac. p. 264. similiter 2, 11 *lecta corpora*.

82. *revocare*] „In quibusdam (?) *evocare*, et recte. Isti enim sunt vere *evocati*, de quibus in Milit. nostra Dial. 1, 8." LIPS. In nullo Cod. Walther repperit *evocare* et *revocare* de hac re est in Inscr. apud Grut. 524, 7. Inscr. m. Lat. N. 3585: *INTER CETEROS CONVETERANOS SVOS REVOCATVS;* quod verbum sane differt a v. *evocatus;* hi voluntarii erant; *revocati* iussui pristini ducis parere debebant, fortasse usque ad certum tempus, postquam erant exaucto-

praefecturis et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit, egregios viros et mox summa adeptos; quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. donativom militi neque Mucianus prima contione nisi modice ostenderat; ne Vespasianus quidem plus civili bello obtulit quam alii in pace, egregie firmus adversus militarem largitionem eoque exercitu meliore. missi ad Parthum Armeniumque legati provisumque, ne versis ad civile bellum legionibus terga nudarentur. Titum instare Iudaeae, Vespasianum optinere claustra Aegypti placuit: sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis. ad omnes exercitus legatosque scriptae epistulae praeceptumque, ut praetorianos Vitellio infensos reciperandae militiae praemio invitarent. (83) Mucianus cum expedita manu, socium magis imperii quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat, gnarus modicas vires sibi et maiora credi de absentibus. sed legio sexta et tredecim vexillariorum milia ingenti agmine sequebantur. classem e Ponto Byzantium adigi iusserat, ambiguus consilii, num omissa Moesia Dyrrachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiaque, quas inermes

1 prefecturis 3 donatiuō 4 ac ne *Ritter* nec Vespasianus plus *L. Spengel* ciuile (*corr.* 1*m*) 7 ciuilē (*notam del.* 1*m*) terga (*notam del.* 1*m*) 8 Iudeę uespasianū (nū *corr.* 1*m ex* n;) 9|10 uespasiani *sed* ni *ex* n; *corr.* 1*m* 10 nichil omš 11 eplę *cum lin. in litt.* l 13 manu *ex* man; *corr.* 1*m* 15 uires esse *dett.* assentib; (*priori* s *superscr.* b 2*m*) 18 dirrachiū peditē (*notam del.* 1*m*) 19 asyaq; quasi | Inermes

rati. — *neque — ne — quidem*] simile est Ann. 1, 4 *et prima ab infantia — ne iis quidem annis* cf. *Dräger* Synt. § 124. — *firmus — eoque exercitu meliore*] cf. 1, 8 *vir facundus et pacis artibus. Dräger* Synt. § 61. perverse Heraeus filio auctore *exercitu melior* scripsit, quasi Vespasianus, non exercitus melior factus esset. — *ad Parthum*] Parthos vel eorum regem Vologaesen *Armeniumque* Tiridaten. Ruperti. — *nihil arduum*] = quod nihil arduum esset cf. *Dräger* Synt. § 238. *Nipperdey* ad Ann. 3, 9 *celebritate loci nihil occultum.*

83. *maiora credi de absentibus*] cf. Caesar b. G. 7, 84, 5 *omnia enim plerumque, quae absunt, vehementius hominum mentes perturbant.* Liv. 28, 44, 2 *ad hoc maior ignotarum rerum est terror.* Agr. 30 *atque omne ignotum pro magnifico est.* — *vexillariorum*] hi vexillarii sunt delecti ex ceteris legionibus cf. 1, 31. *Nipperdey* ad Ann. 1, 17. — *e Ponto*] Intellige classem, quae Romanis etiam illic ordinaria, ad tuendam Ponti oram. Quanta ea fuit? Hauries e solo Hegesippo 2, 9 in oratione (cui pulchra placent, eam legat) Agrippae: *Maeotia regna Bosporanique omnes Romano subiiciuntur imperio, et illud ante innavigabile pelagus quadraginta naves ad pacem exercent.* Lips. cf. 3, 47: *lectissimas Liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat.* — *Dyrrachium pedite atque equite*] Post v. *equite* codd. deteriores inculcant v. *peteret.* Sed ad haec referre oportet v. sequens *clauderet.* „*Claudere* voluit Dyrrachium et una Graeciam omnem praesidiis terrestribus, ne Vitellio aditus eo

exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur; atque ipsum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiae protegeret, si sibi Brundisium Tarentumque et Calabriae Lucaniaeque litora infestis classibus peterentur. (84) igitur navium militum armorum paratu strepere provinciae, sed nihil aeque fatigabat quam pecuniarum conquisitio: eos esse belli civilis nervos dictitans Mucianus non ius aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. passim delationes, et locupletissimus quisque in praedam correpti. quae gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata etiam in pace mansere, ipso Vespasiano inter initia imperii ad optinendas iniquitates haud perinde obstinante, donec indulgentia fortunae et pravis magistris didicit aususque est. propriis quoque opibus Mucianus bellum iuvit, largus privatim, quod avidius de re publica sumeret. ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti: rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

(85) Adcelerata interim Vespasiani coepta Illyrici exercitus studio transgressi in partes. tertia legio exemplum ceteris Moesiae legionibus praebuit: octava erat ac septima Claudiana, inbutae favore Othonis, quamvis proelio non interfuissent. Aquileiam progressae proturbatis, qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis nomen Vitellii praeferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa hostiliter egerant.

2 sibi *delet Weissenborn*, simul *Rhenanus* brudisiū 3 Inlito ra 5 nichil 8 predā 9 uespasiano *sed* o *ex* u *corr*. 1*m* 10 perIn 11 dicit 12 quo *Muretus* 13 RP. pecuniā 16 cępta 16/17 studio . transgressa *Agricola* 19 pręlio 20/21 preferentibus

pateret, non *petere*, ut sequentia docent.“ Ern. — *si sibi*] est βραχυλογία pro: *si Brundisium — peterentur* ac sibi defendenda forent, cf. *Dräger* Synt. § 49.

84. *nervos*] solita imago. Cic. Phil. 5, 2 § 5: *nervos belli, pecuniam infinitam*. pro l. Manil. 7 § 17: *vectigalia nervos esse rei publicae*. cf. Florus 2, 1, 7. Diog. Laert. 4, 48 τὸν πλοῦτον νεῦρα πραγμάτων. Plut. Cleom. 27 ἀλλ᾽ ὁ πρῶτος τὰ χρήματα νεῦρα τῶν πραγμάτων προςειπών. — *cognitionibus*] „iudiciis fisci causa intentis.“ Duebn. — *ad optinendas iniquitates*] „ad obstinate exsequendas sententias iniquas secundum se aut fiscum“; ut dicitur *suum ius obtinere*. De re cf. Ann. 3, 25, Plinium Paneg. 41: *Numquam principibus defuerunt, qui fronte tristi et gravi supercilio utilitatibus fisci contumaciter adessent. et erant principes ipsi sua sponte avidi et rapaces et qui magistris non egerent.* Duebn. Cic. Phil. 2, 2 § 3 *non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure praetorio?* Liv. 29, 1, 17 *pertinaces ad obtinendam iniuriam*. — *haud perinde*] scil. ac postea, quod in addito enuntiato temporali *donec* etc. latet. cf. 1, 89 *quae motu Vindicis haud perinde plebem attriverant*. — *obstinante*] cf. Liv. 23, 29, 7 *obstinaverant animis vincere aut mori*. — *largus*] scil. eo, *quod — sumeret*. 3, 58 *largus promissis*. dicit ergo *largus privatim* pecunia, quam (= ut eam) *avidius de re publica sumeret*.

85. *Illyrici*] quo comprehenditur Moesia, Pannonia, Dalmatia. Duebn. — *Aquileiam progressae*] cf. c. 46. — *proturbatis*] abactis maleque mulcatis. — *nomen Vitellii*] Vide Lipsium ad 3, 31. — *pecunia*] *le trésor militaire* Burnouf, *le trésor de l'armée* Louandre.

unde metus et ex metu consilium: posse inputari Vespasiano, quae apud Vitellium excusanda erant. ita tres Moesicae legiones per epistulas alliciebant Pannonicum exercitum aut abnuenti vim parabant. in eo motu Aponius Saturninus Moesiae rector pessimum facinus audet, misso centurione ad interficiendum Tettium Iulianum septimae legionis legatum ob simultates, quibus causam partium praetendebat. Iulianus comperto discrimine et gnaris locorum adscitis per avia Moesiae ultra montem Haemum profugit; nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens et ex nuntiis cunctabundus aut properans. (86) at in Pannonia tertia decima legio ac septima Galbiana dolorem iramque Bedriacensis pugnae retinentes haud cunctanter Vespasiano accessere vi praecipua Primi Antonii. is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus inter alia belli mala senatorium ordinem reciperaverat. praepositus a Galba septimae legioni scriptitasse Othoni credebatur ducem se partibus offerens; a quo neglectus in nullo Othoniani belli usu fuit. labantibus Vitellii rebus Vespasianum secutus grande momentum addidit, strenuus manu, sermone promptus, serendae in alios invidiae artifex, discordiis et seditionibus potens, raptor largitor, pace pessimus, bello non spernendus. iuncti inde Moesici ac Pannonici exercitus Delmaticum militem traxere, quanquam consularibus legatis nihil turbantibus. Tampius Flavianus Pannoniam, Pompeius Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes; sed procurator aderat Cornelius

2 moęsicę eplas *cum lin. in litt.* l 3 allic|tebant 6 causās (s *del.* 1*m*) 8 hemū 9 ad] a 13 bellū (bellorum *Döderlein*) 18 rapti *W. Heraeus* 21 Tampius *Faernus:* Titus āplius fabian; (b *in* v *corr.* 1*m*)

Moneo, quia nonnulli perperam de rapinis in privatos homines exercitis acceperunt. — *Haemum*] Thraciae montem, hodie *Balkan* et *Haemi extrema* ad Pontum Euxinum *Emineh-Dagh*. — *per varias moras*] 3, 9 *Caecina per varias moras — prodidit tempora belli.*

86. *septima Galbiana*] cf. 3, 22 *septima legio nuper a Galba conscripta.* — *Primi Antonii*] cf. Ann. 14, 40. Suet. Vit. 18: *cui Tolosae nato cognomen in pueritia Becco fuerat; id valet gallinacei rostrum.* Eum laudat Martialis 10, 23 et 32. — *falsi damnatus*] lege Cornelia de falsis, quae eadem testamentaria appellatur. Dig. XLVIII 10, 1 § 13 *poena falsi vel quasi falsi deportatio est et omnium bonorum publicatio. Nipperdey* ad Ann. 14, 40. — *inter alia belli mala*] *senatorium ordinem reciperaverat*, quod fuit *inter alia belli mala.* Ruperti. — *serendae in alios invidiae artifex*] cf. Ammian. 27, 9, 2 *transferendae in alios invidiae artifex.* Liv. 8, 27, 5 *si qua ars serendis discordiis adhibeatur.* — *seditionibus potens*] cf. Verg. Aen. 11, 340 *seditione potens.* — *raptor*] „qui pecunias tam publicas quam privatas rapit“, ut patet ex ἀντιθέτῳ *largitor.* — *pace pessimus, bello non spernendus*] cf. Vell. 2, 11, 1 *C. Marius — quantum bello optimus, tantum pace pessimus.* — *iuncti*] consiliis suscipiendarum Vespasiani partium; nam postea demum accitus est exercitus Moesicus. 3, 5. — *Tampius Flavianus*] de quo v. 3, 4 et 10. — *Pompeius Silvanus*] de quo v. 3, 50. 4, 47. *Nipperdey* ad Ann. 13, 52. *Klein* Fasti consulares ad a. 45 p. Ch. — *procurator*] Quia

Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. prima iuventa inquies cupidine senatorium ordinem exuerat; idem pro Galba dux coloniae suae eaque opera procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus acerrimam bello facem praetulit: non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus pro certis et olim partis nova ambigua ancipitia malebat. igitur movere et quatere, quidquid usquam aegrum foret, adgrediuntur. scriptae in Britanniam ad quartadecimanos, in Hispaniam ad primanos epistulae, quod utraque legio pro Othone adversa Vitellio fuerat; sparguntur per Gallias litterae; momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

(87) Dum haec per provincias a Vespasiano ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque, ad omnes municipiorum villarumque amoenitates resistens, gravi urbem agmine petebat. sexaginta milia armatorum sequebantur licentia corrupta; calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis; tot legatorum amicorumque comitatus inhabilis ad parendum, etiam si summa

1 inquies *Meiser:* quietis (quaestus *Grotius*)   4/5 periculis *ex* periculū *corr.* 1m   7 brittaniā *ex* brittanie *corr.* 1m   8 eplę *cum lin. in litt.* 1   13 oīs (= omnes)

simpliciter *procurator* vocatur, utriusque provinciae procuratorem fuisse putat Pichena. — *inquies cupidine*] cf. Ann. 1, 68 *Haud minus inquies Germanus spe cupidine*, 74 *egens ignotus inquies*, 16, 14 *inquies animo.* Vell. 2, 11, 1 *C. Marius — impotens semperque inquietus*, 68 (Milo) *vir inquies.* Neque *quietis* neque *quaestus* cupido in eum cadit, qui *non tam praemiis periculorum quam ipsis periculis laetus pro certis et olim partis nova ambigua ancipitia* maluisse describitur. — *dux coloniae suae*] videlicet in Ann. 16, ubi perierunt res gestae a. 821, *coloniam* hanc nominaverat, simul Cornelii huius operam in ea Galbae concilianda adhibitam descripserat. ad quae hic respiciens *pro Galba ducem coloniae suae* vocat. fortasse intelligitur Hispaniae urbs, in quam Galba se recepit tamquam locum maxime tutum, postquam interfecto Vindice intellexit dubitare Verginium nec sibi accedere cf. Plut. G. 6. Ryck. — *acerrimam bello facem praetulit*] cf. 3, 2 *acerrimus belli concitator*, 4, 68 *acerrimo instinctore belli.* — *adgrediuntur*] Vespasianus et partium duces. Sane consentaneum est epistulas illas ab ipso Vespasiano scriptas esse. cf. c. 98 *deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani per Raetiam et Gallias — quidam.*

87. *sexaginta milia*] Vide Excursum. — *calonum* cet.] Vulgaris scriptor facile dixisset: *calonum lixarumque numerus — horum ingeniis*, uti plerumque iunguntur. cf. supra 1, 49. 3, 20 et 33. (cf. Festus p. 62. Muell.: Calones *militum servi dicti.* Nonius p. 62. Merc.: Lixarum *proprietas haec est, quod officium sustineant militibus aquae vehendae; lixam namque aquam veteres vocaverunt.*) Lixas liberos homines fuisse, rite colligas ex Ann. 2, 62: (*apud Marcomanos*) *nostris e provinciis lixae ac negotiatores reperti, quos ius commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremo oblivio patriae suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulerat.* At lixae quoque, ut hic vides, mancipiis ob vilem quaestum ac mores procaces aequiparabantur. — *etiam inter servos*] „vel si cum servorum ingeniis compares, etiam haec procacitate superantia.“ Duebn.

modestia regeretur. onerabant multitudinem obvii ex urbe senatores equitesque, quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paulatim omnes, ne aliis proficiscentibus ipsi remanerent. adgregabantur e plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti scurrae histriones aurigae, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. nec coloniae modo aut municipia congestu copiarum, sed ipsi cultores arvaque maturis iam frugibus ut hostile solum vastabantur. (88) multae et atroces inter se militum caedes, post seditionem Ticini coeptam manente legionum auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum foret, consensu. sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem. singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos ut gladiatoriam saginam dividebat; et effusa plebes totis se castris miscuerat. incuriosos milites — vernacula utebantur urbanitate — quidam spoliavere, abscisis furtim balteis, an accincti forent rogitantes. non tulit ludibrium insolens contumeliae animus: inermem populum gladiis invasere. caesus inter alios pater militis, cum filium comitaretur; deinde agnitus, et volgata caede temperatum ab innoxiis. in urbe tamen trepidatum praecurrentibus passim militibus: forum maxime petebant, cupidine visendi locum, in quo Galba iacuisset. nec minus saevum spectaculum erant ipsi tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent aut, ubi lubrico viae vel occursu alicuius procidissent, ad iurgium, mox ad manus et ferrum transirent. quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant. (89) ipse Vitellius a ponte Mulvio insigni equo, paludatus accinctusque, senatum et populum ante se agens,

1 regetur 3 oms̄ 4 scurre 5 mirę 8 cęptā 9 certando (*corr.* 1*m*) fore consensus *Fr. Walter* 11 cibos *ex* ciuos *corr.* 1*m* 12|13 ut rebantur *Lipsius* 14 c̄tumeliæ (= contumeliae) contumeliarum *Ritter* 15 cesus 16 cede 19 scęuū 23 mului|

88. *Ticini coeptam*] cf. c. 68. — *paganos*] cf. 1, 53. — *consensu*] h. e. cum esset consensus. nihil igitur opus est scribere *consensus*. cf. 1, 54 *faciliore — consensu*, 55 *mox consensu*. — *gladiatoriam saginam*] cf. Prop. 5, 8, 25 *qui dabit inmundae venalia fata saginae* scil. glatiatoriae h. e. qui vitam suam vendet lanistae: nam viri etiam nobilissimi illa aetate consumptis bonis et inopia urgente vendebant se lanistis et gladiatores largioribus fortioribusque cibis saginari et corroborari solebant. Ruperti. — *vernacula — urbanitate*] haec verba ceteris interposita lectorem monent, qui spoliavere, hos non furtum facere, sed licenter et urbane iocari voluisse. *vernacula urbanitas* est iocus, qualis in urbe a vernis solet proferri. sic dial. 28 *vernacula vitia* pro vernilibus urbis vitiis et in Ann. 1, 31 *vernacula multitudo* h. e. urbana libertinorum multitudo. Ritter. cf. 3, 32 *ut sunt procacia urbanae plebis ingenia*. Petron. 24 *hominem acutum atque urbanitatis vernaculae fontem*. — *quo Galba*] militum enim Vitellianorum vulgo persuasum erat sese Galbae vindices exstitisse. — *tergis*] tergoribus, renonibus. *Ferinam pellem* dicit Ann. 2, 13.

89. *paludatus*] Suetonius tamen tradit sic

quo minus ut captam urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta praetexta et composito agmine incessit. quattuor legionum aquilae per frontem totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum signa et post peditum ordines eques; dein quattuor et triginta cohortes, ut nomina gentium aut species armorum forent, discretae. ante aquilas praefecti castrorum tribunique et primi centurionum candida veste; ceteri iuxta suam quisque centuriam armis donisque fulgentes, et militum phalerae torquesque splendebant. decora facies et non Vitellio principe dignus exercitus. sic Capitolium ingressus atque ibi matrem complexus Augustae nomine honoravit. (90) postera die tanquam apud alterius civitatis senatum populumque magnificam orationem de semet ipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus adtollens, consciis flagitiorum ipsis qui aderant omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat. volgus tamen vacuum curis et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum clamore et vocibus astrepebat; abnuentique nomen Augusti expressere, ut adsumeret, tam frustra quam recusaverat. (91) apud civitatem cuncta interpretantem funesti ominis loco acceptum est, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de caerimoniis publicis XV. kalendas Augustas edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus: adeo

6 discrete aquilas *b:* aquila 12 ipse *Ritter* 13 Italiã 15 adulatione se doctũ 18 om̃is 19 cerimoniis quintumdecimum *Ritter* kl ãg (*cum lin. in litt.* l)

fecisse V. 11: *Urbem denique ad classicum introiit paludatus ferroque succinctus inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus ac detectis commilitonum armis.* Sed Tacitus audiendus. Ern. Utrumque sic conciliabis, ut Suetonius loquatur de toto agmine, qualem adspectum praebuerit usque ad pontem Mulvium. ,,Huc facit nummus Vitellii, in quo *togatus* a Roma galeata excipitur, adscripto *ADVENTVS. AVGVSTI.* Eandem epigraphen alius habet, qui *paludatum* imperatorem et equo vectum sistit. V. Oiselii Thes. sel. NN. Tab. 90. Oberl. Iuvat hic praecipuas in eius nummis adulationes exhibere: *CLEMENTIA IMP. GERMANICI., LIBERTAS. RESTITVTA., SECVRITAS. IMP. GERMAN., PAX. AVGVSTI., AEQVITAS. AVGVSTI., VRBS. RESTITVTA., ROMA. RENASCENS.* cf. Akerman I. p. 176 seqq. — *quattuor legionum*] has legiones fuere I Italica, V, XXI Rapax, XXII, ut conicere licet ex 2, 100, etiam ex 3, 22 recte intellecto. cf. 1, 61 et 64. Ritter. — *e legionibus aliis vexilla*] haec vexilla sunt electorum ex I, XV, XVI inferioris exercitus Germanici, IV ex superiore Germania: nam eae legiones non cum aquilis suis ad bellum profectae erant, sed non nisi electos sive vexilla dederant. Ritter.

90. *alterius*] alius, alienae, quae ipsum nondum nosset. Sic 3, 1: *alterius belli.* Agr. 17: *alterius successoris.* cf. *Sirker* Tac. Formenlehre p. 45. — *expressere*] ,,ab eo impetravere, (ut vides in nummis). Et recusatum et acceptum nomen aeque frustra fuit et sine eventu ullo.“ Duebner. — *recusaverat*] distulerat. c. 62.

91. *infausto die*] cf. Liv. 6, 1, 11 *diemque a. d. XV kal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo*

omnis humani divinique iuris expers, pari libertorum, amicorum socordia, velut inter temulentos agebat. sed comitia consulum cum candidatis civiliter celebrans omnem infimae plebis rumorem in theatro ut spectator, in circo ut fautor adfectavit. quae grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitae prioris indecora et vilia accipiebantur. ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur. ac forte Priscus Helvidius praetor designatus contra studium eius censuerat. commotus primo Vitellius, non tamen ultra quam tribunos plebis in auxilium spretae potestatis advocavit; mox mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam eius verebantur, nihil novi accidisse respondit, quod duo senatores in re publica dissentirent; solitum se etiam Thraseae contradicere. inrisere plerique inpudentiam aemulationis; aliis id ipsum placebat, quod neminem ex praepotentibus, sed Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset. (92) praeposuerat praetorianis Publilium Sabinum a praefectura cohortis, Iulium Priscum tum centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Caecinae gratia pollebant; inter discordes Vitellio nihil auctoritatis. munia imperii Caecina ac

1 omĩs amicorumque *det.* 4|5 populari asya uirtutibus 5 memoria *ex* memorię *corr.* 1*m* 7 consularentur 10 nichil 11 re . p. 14 exēplar *ex* explū (*sic*) *corr.* 1*m* uere 15 Publilium *Halm* (*ex* 3, 36): publium a *Mercerus:* ad (ab *Ritter*) 16 tum centurionem *Lipsius:* dū centurio ē (olim centuriones *b*²) cecinę 17 nichil

deinde ad Aliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Aliensem appellarunt insignemque rei nullius publice privatimque agendae fecerunt. de die Cremerensi Ovidius fast. II 193 sqq. discrepat; cf. Hermann Peter ad h. l. — *iuris expers*] ut ne infaustissimum quidem dierum et publice nefastum nosset. Duebn. cf. Suet. Vit. 11: *magis deinde ac magis omni divino humanoque iure neglecto Alliensi die pontificatum maximum cepit.* — *libertorum, amicorum*] ἀσύνδετον Med. tantum abest, ut offendat, ut sit efficacius interpolatione *libertorum amicorumque.* — *comitia consulum*] cum suis candidatis circumiens et prensans patres, penes quos tum erat comitiorum species. De Traiano Plin. P. 71: *omnes comitatis numeros obibas; atque etiam, cum suffragatorum nomina honore quo solent exciperentur, tu quoque inter excipientes eras et ex ore principis ille senatorius assensus audiebatur.* Hoc est *civiliter cum candidatis comitia celebrare.* Et sic gratiam quaerebat in senatu. Quod sequitur, delinimentum ad plebem est et a praecedente differt toto genere. Gron. Quomodo hac in re se gesserit Traianus, exponit Plin. P. 77: *Iter illi saepius in forum, frequenter tamen et in Campum. Nam comitia consulum obibat ipse: tantum ex renuntiatione eorum* (in Campo Martio) *voluptatis, quantum prius ex destinatione* (quae in senatu fiebat) *capiebat.* Ceterum talium rerum studiosis notandum est sex deinceps vocabula *comitia — celebrans* per litteram c incipere. — *Priscus Helvidius*] cf. 4, 4—6. — *non tamen ultra quam — advocavit*] de hac ellipsi cf. *Dräger* Synt. § 174. — *duo senatores*] ficta modestia, quasi ipse nihil esset nisi *princeps senatus.* Duebn. — *aemulationis*] cum Thrasea, *virtute ipsa* Ann. 16, 21 seqq. Thrasea in mentem tum venisse videtur, quia gener eius erat Helvidius, qui sic sibi contradiceret, ut ipse olim Thraseae. Duebn. Dio 65, 7.

92. *a praefectura cohortis*] qui dumtaxat

Valens obibant, olim anxii odiis, quae bello et castris male dissimulata pravitas amicorum et fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu comitatu et inmensis salutantium agminibus contendunt comparanturque, variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. nec umquam satis fida potentia, ubi nimia est. simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. nec eo segnius invaserant domos hortos opesque imperii, cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriae Galba reddiderat, nulla principis misericordia iuvarentur. gratum primoribus civitatis etiam plebs adprobavit, quod reversis ab exilio iura libertorum concessisset, quanquam id omni modo servilia ingenia corrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus, et quidam in domum Caesaris transgressi atque ipsis dominis potentiores.

(93) Sed miles, plenis castris et redundante multitudine in porticibus aut delubris et urbe tota vagus, non principia noscere, non servare vigilias neque labore firmari: per illecebras urbis et inhonesta dictu corpus otio, animum libidinibus imminuebant. postremo ne salutis quidem cura infamibus Vaticani locis magna pars tetendit; unde crebrae

9 mīa 13 potentiorēs (*sic*; 1*m*)

cohorti praefuerat, ne tribunatu quidem militum functus. — *ambitu*] h. e. studiis ambientium favorem ipsorum. Ritter. — *subitis offensis aut intempestivis blanditiis*] et offensae et blanditiae ipsius Vitellii dicuntur; illas Caecina et Valens metuebant, has contemnebant. Liberius igitur *mutabilis* vox iuncta cum *subitis offensis aut intempestivis blanditiis*, qui sunt ablativi praedicati, non instrumenti, ut grammatici loquuntur. Ritter. cf. 2, 59 *quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret.* — *iura libertorum*] Bona illis reddi non poterant, partim accusatoribus secundum legem data, partim fisco iam egenti collata, partim a Nerone absumpta. Quare data *iura libertorum*, ut reversi ius in libertos suos haberent, quorum erat multis officiis prosequi patronum (cf. Ann. 13, 26), alere adeo ut patrem, et bonorum partem dimidiam testamento relinquere. Duebn. — *ambitiosos sinus*] Figura desumpta a togae sinu, in quo pecuniam recondebant. Quintil. 7, 1, 30: *aurum in sinu eius invenerunt.* Abdebant pecunias vel apud occultos, id est obscuros homines, penes quos nemo quaereret, vel apud potentes, quos per ambitionem amicos sibi conciliaverant, penes quos quaerere nemo auderet. Similiter Plinius n. h. 36, 15, 24: *unde M. Scaurus pater, totiens princeps civitatis et Mariani sodalici rapinarumque provincialium sinus?* Et Tacitus ipse A. 13, 13: *suum potius cubiculum ac sinum offerre*, id est sui cubiculi latebram. (*Les affranchis cachaient leur argent entre les mains d'hommes obscurs ou puissants.* Louandre.)

93. *principia*] locum, ubi universi convenirent in contionem. A. 1, 61. — *ne salutis quidem cura*] pro cum ne salutis quidem cura esset. Ruperti. cf. c. 94 *ipse sola perdendi cura.* contra editio princeps sic interpungit: *Postremo ne salutis quidem cura: infamibus — tetendit.* — *infamibus Vaticani*] ob aerem corruptum valetudini noxium et febres gignentem, quod etiam hodie Romae, modo in hac, modo in illa urbis regione experiuntur: *cattiv' aria.* Frontinus de Aquaed. (§ 88) vult id emendatum in tota urbe sua aetate, idque ablutione aquarum: *Ne pereuntes quidem aquae*

in volgus mortes, et adiacente Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditate et aestus inpatientia labefacta. insuper confusus pravitate vel ambitu ordo militiae. sedecim praetoriae, quattuor urbanae cohortes scribebantur, quis singula milia inessent. plus in eo dilectu Valens audebat, tanquam ipsum Caecinam periculo exemisset. sane adventu eius partes convaluerant, et sinistrum lenti itineris rumorem prospero proelio verterat omnisque inferioris Germaniae miles Valentem adsectabatur, unde primum creditur Caecinae fides fluitasse. (94) ceterum non ita ducibus indulsit Vitellius, ut non plus militi liceret. sibi quisque militiam sumpsere: quamvis indignus, si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur; rursus bonis remanere inter legionarios aut alares volentibus permissum. nec deerant qui vellent, fessi morbis et intemperiem caeli incusantes. robora tamen legionibus alisque subtracta, convolsum castrorum decus, viginti milibus e toto exercitu permixtis magis quam electis.

Contionante Vitellio postulantur ad supplicium Asiaticus et Flavus et Rufinus duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent. nec coercebat eiusmodi voces Vitellius: super insitam inerti animo ignaviam conscius

1 gauo|rūq; 2 aviditas *Puteolanus* labefacta *Meiser:* labefecit 2|3 confusus insuper *A. Gerber* 3 militię *ex* militia *corr.* 1*m* 7 p̄lio oi͂sq; 11 maluerit *sed* a *superscr.* 1*m* 12 aleres 16 asyaticus 18 inerti *Pichena:* mortē (mortē *del.* b^2, *om. ed. princ.*)

otiosae sunt: alia iam munditiarum facies, purior spiritus; et causae gravioris caeli, quibus apud veteres urbis infamis aer fuit, sunt remotae. Lips. Ad vocis usum cf. Horatii 1, 3, 20: *infames scopulos, Acroceraunia.* — *adiacente*] „Immo *adluente.*“ Duebn. Proposuit hoc Ruperti. Verum *adiacente* quidni significet: „tam vicino atque facili aditu, ut aqua praeterfluens ad lavandum milites ultro inliceret.“? — *aviditate* — *labefacta*] sic scripsi, quia facilius *labefacta* in *labefecit* quam *aviditas* in *aviditate* corrumpi potuisse videtur. Madvig *et* ante *aestus* delet et explicat: aestus inpatientia aviditatem fluminis effecit et ita corpora labefecit. — *sedecim* cet.] XX. milia hominum. Sub Tiberio *insidebat urbem proprius miles, tres urbanae, novem praetoriae cohortes.* Ann. 4, 5. — *Valentem adsectabatur*] Supra c. 30: *studia militum* (puta potissimum exercitus Germaniae superioris) *in Caecinam inclinabant.*]

94. *alares*] sunt equites sociales cf. Nipperdey ad Ann. 4, 73. — *convolsum castrorum decus*] „corrupta disciplina.“ Ern. Immo veram et horum verborum et totius loci sententiam percepit Gutmannus. Vitellius enim ex legionariis praetorias cohortes augere constituerat, ut plures sibi essent corporis custodes, sed illorum arbitrio permiserat, utrum his adscribi vellent necne. Ita legionariorum quidem multitudo et vis imminuta ac praetorianarum cohortium aucta; sed simul illis *robora* (dignissimi fortissimique milites) *subtracta et convolsum castrorum* (praetorianorum) *decus*, haec militia honoratior iam dedecorata indignorum affluentia et *viginti milibus e toto exercitu permixtis magis quam electis.* Sic *decora ex exercitu lecta* dicuntur c. 81. Ruperti. — *duces*] quos frequentius vocat *principes*, *Häuptlinge*, *chefs.* — *nec coercebat*] Ergo supplicio affecti sunt. — *inerti animo*] sic recte Pichena corruptam codicis scripturam *mortē animo* correxisse videtur; cf. 1, 62, ubi pro *inerti luxu* in Mediceo legitur *Inmerti*

sibi instare donativom et deesse pecuniam omnia alia militi largiebatur. liberti principum conferre pro numero mancipiorum ut tributum iussi. ipse sola perdendi cura stabula aurigis extruere, circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere, tanquam in summa abundantia pecuniae inludere. (95) quin et natalem Vitellii diem Caecina ac Valens editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere, ingenti paratu et ante illum diem insolito. laetum foedissimo cuique apud bonos invidiae fuit, quod extructis in campo Martio aris inferias Neroni fecisset. caesae publice victimae cremataeque; facem Augustales subdidere, quod sacerdotium, ut Romulus Tatio regi, ita Caesar Tiberius Iuliae genti sacravit. nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat. nemo in illa aula probitate aut industria certavit; unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumptu, gula ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. ipse abunde ratus, si praesentibus frueretur, nec in longius consultans

4 abundantię 7 fędissimo 8 neronis (s *del.* 1*m*) fecisset *Lipsius*: Iecisset cesę publicę 9 subdidere *Rhenanus*: sub|dere 10 romulus statio (s *in voc.* romulus *del.* 1*m*) Titios T. Tatio *Heraeus* [quod sacerdotium — sacravit] *Nipperdey* gentis (s *del.* 1*m*) 14 gula ganeaque *Meiser*: galane aque (ganeaque *Palmerius*) 15 presentibus

luxu; et magis accedit ad vitiosam lectionem *mortē* Pichenae correctio, quam quod Orelli proposuit *marcenti* (ex 3, 36 *desidem et marcentem*) aut Helmreich *socordi* (ut ibidem 3, 36 *apud socordem animum*). ut tautologiae crimen refellat, Döderlein confert Cic. fam. 12, 20 *nec tua ignavia etiam inertiam afferet.* — *principum*] priorum Caesarum; hi in Vitellii partes transierant. — *inludere*] pecuniam quasi per ludibrium prorsus inutiliter prodigere.

95. *natalem Vitellii diem*] Suet. V. 3: *A. Vitellius L. filius imperator natus est VIII. Kal. Octobr.* (d. 24. m. Sept.) *vel ut quidam VII. Idus Septembr.* (d. 7. m. Sept.), *Druso Caesare, Norbano Flacco coss.* (a. u. c. 768, post Chr. 15.) Priorem opinionem sequitur Clinton *Fasti Romani* I. p. 54. — *inferias Neroni*] Scriptor incertus apud Suidam in voce Βιτέλλιος hanc rem sic narrat: Ἐπῄνει δὲ καὶ τὰ τοῦ Νέρωνος, καὶ τὸν νεκρὸν τοῦ Νέρωνος ἐς κοῖλόν τινα καὶ ἀφανῆ τάφον καταχείμενον ἀπεσέμνυνε. Lips. Sumpsit Suidas ex Ioanne Malala, nullius auctoritatis scriptore. Dio 65, 7: ὅτι μέντοι τὸν Νέρωνα μιμεῖσθαι ἤθελε καὶ ἐνήγισέ [τε] αὐτῷ, καὶ ὅτι τοσαῦτα ἐς τὰ δεῖπνα ἀνήλισκεν, οἱ μὲν ἄλλοι κατὰ τοῦτ' ἔχαιρον, οἱ δὲ δὴ νοῦν ἔχοντες ἤχθοντο. Suet. Vit. 11. — *facem*] suam quisque subdidit iis victimarum partibus, quae omento involutae in aris adolebantur. — *Tatio regi*] scil. sacerdotium sacraverat. Alios auctores secutus est Ann. 1, 54: *ut quondam Titus Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat.* — *Patrobios*] De his Neronis libertis cf. 1, 37 et 49, Sueton. Galb. 20. — *aequabat*] ut insolentia et rapacitate, ita invidia et odio. Ern. — *prodigis epulis et sumptu*] cf. 1, 62 *inerti luxu ac prodigis epulis.* — *gula ganeaque*] sic scripsi, quia verosimilius est in Mediceo intercidisse ob similitudinem syllabam quam temere additam esse. cf. 2, 31 *ventre et gula*, Ann. 3, 52 *ventris et ganeae paratus*, 6, 4 *inter ganeam ac stupra.* Recte Roth (de synon. ap. Tac. p. 53) de hoc loco adnotat: Tacitus legentes ei rei vult immorari, ut pro certo habeant nihil usquam et ne aliorum quidem flagitiorum ministeria probata fuisse Vitellio praeter curam ventris et gutturis. —

noviens milliens sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. magna et misera civitas eodem anno Othonem Vitellium passa inter Vinios Fabios Icelos Asiaticos varia et pudenda sorte agebat, donec successere Mucianus et Marcellus et magis alii homines quam alii mores.

(96) Prima Vitellio tertiae legionis defectio nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino epistulis, antequam is quoque Vespasiani partibus adgregaretur. sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur: unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem. in hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, praetorianos nuper exauctoratos insectatus, a quibus falsos rumores dispergi nec ullum civilis belli metum adseverabat, suppresso Vespasiani nomine et vagis per urbem militibus, qui sermones populi coercerent. id praecipuum alimentum famae erat. (97) auxilia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit, segniter et necessitatem dissimulans. perinde legati provinciaeque cunctabantur, Hordeonius Flaccus suspectis iam Batavis anxius proprio bello, Vettius Bolanus numquam satis quieta Britannia, et uterque ambigui. neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi consulari: trium legionum legati, pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant. in Africa legio cohortesque delectae a Clodio Macro, mox a Galba dimissae, rursus iussu Vitellii militiam cepere; simul cetera iuventus dabat inpigre nomina.

1 crederetur 2 magna et] sagina . at *Mehler* uitelliū| (Vitelliumque *dett.*) 3 asyaticos 7 eplis *cum lin. in litt.* l 9 mollius *b:* mullius Interp̄tabantur 11 exauctorato 15 germania | a brittaniaq; (a *del.* 1*m*) 16 prouincieq; 18 brittannia

noviens milliens sestertium] Suetonius Vit. 13: *indicebat autem aliud alii eadem die, nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis milibus nummum constiterunt.* — *magna et misera civitas*] cf. Ann. 14, 65 *insidiarum in Neronem magna moles et inprospera. Dräger* Synt. § 113. — *Fabios*] Fabium Valentem; Caecinam his non aggregat, quia minus erat avarus. — *Marcellus*] Eprius. cf. Ann. 16, 22, supra c. 53. 4, 6 et 43. dial. 5. 8. 13.

96. *Aponio*] Moesiae rectore c. 85. — *ceteris exercitibus constare fidem*] quae in Vitellii nummis hac ipsa, ut videtur, occasione signatis tantopere praedicatur: *FIDES. EXERCITVVM*, duae dextrae iunctae; *CONSENSVS EXERCITVVM*, Mars cum tropaeo vel signo militari incedens. cf. Akerman I. p. 178.

97. *Hordeonius*] ad Rheni ripae curam relictus, c. 57, *Vettius Bolanus* Britanniae praepositus, c. 65. Duebn. — *uterque ambigui*] cf. 3, 35 *uterque Vitelliani fuerant*, 4, 34 *dux uterque — defuere. Dräger* Synt. § 29 b. — *nullo tum ibi consulari*] quoniam Cluvius Rufus Hispaniam rexit absens. c. 65. — *trium legionum*] Leg. I. Adiutrix, VI. Victrix, X. Gemina in Hispania tunc tendebant. — *certaturi ad obsequium*] cf. Ann. 1, 71 *ad supplenda exercitus damna certavere Galliae Hispaniae Italia.* — *in Africa*] Vide 1, 11. —

quippe integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: proinde socii de imperio utriusque coniectabant, sed experimentum contra fuit. (98) ac primo Valerius Festus legatus studia provincialium cum fide iuvit; mox nutabat, palam epistulis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum fovens et haec illave defensurus, prout invaluissent. deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani per Raetiam et Gallias militum et centurionum quidam ad Vitellium missi necantur: plures fefellere, fide amicorum aut suomet astu occultati. ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota, primum socordia Vitellii; dein Pannonicae Alpes praesidiis insessae nuntios retinebant. mare quoque etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat. (99) tandem inruptione hostium atrocibus undique nuntiis exterritus Caecinam ac Valentem expedire ad bellum iubet. praemissus Caecina: Valentem e gravi corporis morbo tum primum adsurgentem infirmitas tardabat. longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non ardor animis; lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi; inpatiens solis pulveris tempestatum, quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. accedebat huc Caecinae ambitio vetus, torpor recens nimia fortunae indulgentia soluti in luxum;

1 faborabilē 2 perinde *Rhenanus* 4 5 eplis *cum lin. in litt.* 1 6 dep̄hensi 8 9 suomet astu *Agricola:* suo mestatu (suomet statu *b*) 11 etesiarum *Rhenanus:* et esi flabra aquilonis . arū (*cf. Lucr.* 5, 740 *et* 6, 730 *etesia flabra aquilonum*) 12 Inruptionē 13|14 expedire *Acidalius:* expediri 18 hębes 20 uetus *ex* metus *corr.* 1*m*

integrum illic] De Vitellio eadem Suetonius in vita eius c. 5. At de Vespasiano mutat c. 4 et *Africam integerrime*, inquit, *nec sine magna dignatione administravit.* Qui concilientur, non video. Lips. Ernesti utrumque ita conciliat, ut integritatem ponendam in severitate putet, ob quam invisus fuerit provincialibus. sed *famosum* illud Taciti apertius obstat Suetonii laudibus, quam ut Ernestii conciliatio in utriusque scriptoris concordiam evalescere possit. de diversa igitur fama cogitandum erit. Silius 3, 599 *reget impiger Afros*, sed hic poeta. Walther. — *favorabilem*] „Hoc v. saepe Quintilianus aliique sub Caesaribus usi sunt, eodem fere sensu, quo priores v. *gratiosus.* Ita iam Velleius, primus, ni fallor 2, 34, 40." Spalding ad Quintil. 4, 1, 21. usurpavit Tacitus Ann. 2, 36. 12, 6: *f. oratio.* Dial. 7: *civitas f.*

98. *Valerius Festus*] cf. 4, 49. — *etesiarum*] qui a die 20. m. Iulii per triginta dies flant. cf. Ann. 6, 33. Plin. n. h. 2, 124. — *inde*] ex Oriente navigantibus.

99. *inruptione hostium*] ablativus temporis est rectequę Roth vertit: *beim Einbruch der Feinde;* cf. 1, 89 *motu Vindicis*, 2, 5 *exitu Neronis*, 2, 59 *adpulsu litoris; Dräger* Synt. § 58, *Nipperdey* ad Ann. 4, 51. falso igitur *Freudenberg* scribit: *tandem de inruptione hostium.* — *expedire*] Sic bene Acidalius, ut Hist. 1, 10 et 88. — *fluxa arma, segnes equi*] cf. Liv. 21, 40, 9 *quassata fractaque arma, claudi ac debiles equi.* minus recte alii interpretari videntur: *schlotternde Waffen*, ut *Gerber* et *Greef* in Lexico Taciteo s. v. *fluxus* explicant: „de laxis membris paene delabentia, schlaff herabhängend." — *quantumque hebes — tanto — promptior*] cf. *Nipperdey* ad

seu perfidiam meditanti infringere exercitus virtutem inter artes erat. credidere plerique Flavii Sabini consiliis concussam Caecinae mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo: rata apud Vespasianum fore pacta transitionis. simul odiorum invidiaeque erga Fabium Valentem admonebatur, ut inpar apud Vitellium gratiam viresque apud novum principem pararet.

(100) Caecina e complexu Vitellii multo cum honore digressus partem equitum ad occupandam Cremonam praemisit. mox vexilla primae, quartae, quintae decumae, sextae decumae legionum, dein quinta et duoetvicensima secutae; postremo agmine unaetvicensima Rapax et prima Italica incessere cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. profecto Caecina scripsit Fabius Valens exercitui, quem ipse ductaverat, ut in itinere opperiretur: sic sibi cum Caecina convenisse; qui praesens eoque validior mutatum id consilium finxit, ut ingruenti bello tota mole occurreretur. ita adcelerare legiones Cremonam, pars Hostiliam petere iussae: ipse Ravennam devertit praetexto classem adloquendi. mox Patavi secretum componendae proditionis quaesitum. namque Lucilius Bassus post praefecturam alae Ravennati simul ac

1 meditanti *Rhenanus:* meditatio (meditato *Iac. Gronovius*) exercitūs (*notam del.* 1*m*) 2 sauini 7 Caecina e *Orelli:* Cęcinę 8|9 primae, quartae, quintaedecimae et sextaedecimae *Ferletus* (et *sustulit Nipperdey*): In quattuor | decū XUI (*sic, non* XIII) 9|10 duo et uincesima 10 una et uicensima (unetvicesima *Nipperdey*) 11 uexillari Istriū brittannicarum 12 quę̄ 14 mutatum *b:* ramuta¦tū (r *del.* 1*m*), immutatum *alii* fincxit 15 cremona 17 patui proditioni *Rhenanus* 18 nanq; Bassus *Rhenanus:* blęss;

Ann. 1, 68 *quanto inopina, tanto maiora,* *Dräger* Synt. § 181 c. — *Flavii Sabini*] fratris Vespasiani: 1, 46. 2, 55. 63. — *Rubrio Gallo*] cf. 2, 51. — *odiorum — erga Fabium*] 4, 44 *erga Mucianum invidia.* Cornelius Nepos Hann. 1, 3 *odium paternum erga Romanos.* *Dräger* Synt. § 98.

100. *Cremonam*] cf. 3, 14. — *vexilla — legionum*] cf. c. 89. 3, 22. — *trium Britannicarum legionum*] 3, 22 *cum vexillis nonae secundaeque et vicensimae Britannicarum legionum.* — *Fabius Valens*] quem etiamtunc infirmitas Romae retinebat. c. 99. — *ductaverat*] „diutius duxerat“: verbum, quod amant imprimis Plautus et Sallustius (Cat. 11. 17. 19. Iug. 38. 70); de quo verbo et vv. *patrare bellum*, quae in obscoenum sensum nonnulli detorquebant, memorabilis est locus Quintil. 8, 3, 44. Ceterum intellige exercitum Germaniae inferioris, Leg. I, V. Alaudam, XV. Primig., XVI. 1, 61. 64. — *legiones Cremonam, pars Hostiliam*] cum ex 3, 14 pateat duas tantum legiones (I Italicam et XXI Rapacem) Cremonam praemissas esse, ceteras Hostiliam petivisse, expectes potius *legiones Hostiliam, pars Cremonam petere iussae.* cf. 3, 40 *Hostiliam Cremonamve pergeret,* ubi Hostilia priore loco memoratur. Hostilia hodie *Ostiglia.* — *praetexto*] ut 1, 77. 3, 80. — *Patavi*] Ravennae enim coram cuncta classe proditio iniri ac praeparari nequibat. — *secretum componendae proditionis*] cf. Ann. 6, 30 *pecuniam — omittendas delationis ceperant.* Caes. b. G. 4, 17, 10 *naves deiciendi operis.* Liv. 9, 45, 18 *oratores pacis petendae.* *Nipperdey-Andresen* ad Ann. 2, 59. — *Lucilius*] Exstat eius memoria in Vespasiani diplomate militari, quod ad h. l. exhibet Lipsius, tum Grut. 573, 1: — *VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN CLASSE. RAVEN-*

Misenensi classibus a Vitellio praepositus, quod non statim praefecturam praetorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. nec sciri potest, traxeritne Caecinam, an (quod evenit inter malos, ut et similes sint) eadem illos pravitas inpulerit. (101) scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo monimenta belli huiusce composuerunt, curam pacis et amorem rei publicae, corruptas in adulationem causas, tradidere. nobis super insitam levitatem et prodito Galba vilem mox fidem aemulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum Vitellium videntur. Caecina legiones adsecutus centurionum militumque animos obstinatos pro Vitellio variis artibus subruebat: Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe ob memoriam recentis pro Othone militiae.

1 p̄fectura 3 traxerit *ex* traxerat *corr.* 1*m* necç̄cinā (*notam super* ç *del.* 1*m*) 4 [ut et similes´sint] *Wurm*, ut et consiliis similes sint *Urlichs* 5 belli *ex* bella *corr.* 1*m* 6 rei . p. corrupti *dett.* 7 Insitās (s *del.* 1*m*) 9 anteiretur *dett.* ipsi *Classen* Vitellium *om. dett.* uidetur *dett.* 13 Corneli taciti. Liber octauus decim; explicit. Incipit nonus decimus.

NATE. SVB. SEX. LVCILIO BASSO cet. cf. 3, 12. 4, 3. — *ut et similes sint*] scil. malitia vel pravitate neque impulsore egeant; respicit vetus illud Hom. Od. 17, 218 ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον, quod Plato Gorg. 510^{b} breviter laudat ὁ ὅμοιος τῷ ὁμοίῳ. cf. Publilius Syrus 328 *Malae naturae numquam doctore indigent.*

101. *scriptores temporum*] Plinius maior (3, 28), Cluvius Rufus, Vipstanus Messalla (3, 25. 28); cf. Fr. Haase: Taciti opera I p. XLVII. Nipperdey-Andresen: Cornelius Tacitus I^{8} (1884) p. 29—31. — *anteirentur — videntur*] Nulla profecto est causa, cur praeferamus num. singularem, etsi Ernestius, de solo Caecina, inquit, agi patet clare e vv. *prodito Galba*, quae soli Caecinae conveniunt. cf. Hist. 1, 53. At complecti poterat etiam Lucilium, quatenus is sine ulla haesitatione, ut videtur, sese Othoni applicuerat. Accedit, quod Ferlet, Walther, Burnouf animadvertunt, si de uno Caecina ageretur, nihil causae esse potuisse, cur scriptor porro de Caecina locuturus, adderet ipsum nomen *Caecina*, quod nomen saltem ad praecedentia erat referendum, nulla distinctione facta post v. *videtur*, puncto posito post *Caecina.* Addunt Ferlet et Burnouf vv. *ab aliis* manifesto demonstrare de utroque duce agi; nam si dumtaxat Caecinam intellexisset, positurum fuisse num. singularem *ab alio*, videlicet Valente, quem solum cavere ille poterat. Ritter acriter pugnat pro singulari; nos unicam Med. auctoritatem sequi satius duximus. — *ipsum Vitellium*] cf. c. 83 *quas inermes exponi Vitellio, ni praesidiis firmarentur; atque ipsum Vitellium in incerto fore*, 3, 64 *paucas Vitellio cohortes — ipsum Vitellium — debilitatum.* repetitio nominis non magis offendit quam 4, 37 *Vitellii tamen imagines — repositae, cum iam Vitellius occidisset.* — *subruebat*] a Patavio Hostiliam reversus. — *ad mutandam fidem*] ut 3, 6 et 30.

EXCURSUS I.

BURNOUF ET MANNERT AD HIST. II. C. XLIV.

Le lieu où se donna la bataille me semble fixé d'une manière incontestable par tout ce qui a été dit jusqu'à présent. Quant à la position de Bédriac, elle est très incertaine. L'opinion la plus répandue place ce bourg à Canneto. Mais selon l'observation de Cluwer Canneto est plutôt entre Crémone et Mantoue qu'entre Crémone et Vérone. De plus il est à vingt et un mille italiens de Crémone, ce qui donne plus de 26 milles romains. Or, s'il n'y a que vingt milles de Bédriac au lieu du combat, il ne peut y en avoir davantage, il doit même y en avoir moins, de Bédriac à Crémone. Ce ne peut être non plus Cividale, entre le Pô et la Delmone, à l'est de Crémone. Ce lieu est encore plus éloigné de cette ville que Canneto; et d'ailleurs en allant de Cividale à l'embouchure de l'Adda, on eût trouvé sur son chemin Crémone et le camp des Vitelliens. Or Tacite dit positivement, sup. 40: confluentes Padi et Aduae fluminum petebant. *Ferlet, qui a discuté cette question avec soin et conscience, place Bédriac sur la rive gauche de l'Oglio, un peu au-delà de Bina, à peu près à l'endroit où est aujourd'hui Ustiano, et par conséquent très à l'ouest de Canneto. Si cette position n'est pas certaine, elle nous parait au moins plus approcher de la véritable que celles de Canneto et de Cividale.*

MANNERT ITALIEN I. P. 152.

Plinius, Juvenal und nach ihnen die spätern Schriftsteller schreiben Bebriacum, *welches wohl die richtigere Lesart ist. Die Lage des nicht mehr vorhandenen Ortes gibt die einzige Peutingersche Tafel an, indem sie zwar den Namen fehlerhaft* Beloriacum (Bebriacum) *schreibt, den Abstand von Cremona aber auf 22 Milliarien bestimmt. Es lag also eine Meile westlich von der heutigen Stadt Bozzolo in dem Dorfe S. Lorenzo Guazzone.*

EXCURSUS II. AD HIST. II. C. XLVII.

Othonis ultima contio ex Plutarchi C. XV. cum Amyoti interpretatione.

Ταύτην, ὦ συστρατιῶται, τὴν ἡμέραν ἐκείνης, ἐν ᾗ με πρῶτον ἐποιήσατε αὐτοκράτορα, μακαριωτέραν ἡγοῦμαι τοιούτους ὁρῶν ὑμᾶς καὶ τηλικούτων ἀξιούμενος. Ἀλλὰ μὴ μείζονος ἀποστερεῖτε τοῦ καλῶς ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοσούτων καὶ τοιούτων πολιτῶν. Εἰ τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἄξιος γέγονα, δεῖ με τῆς ἐμῆς ψυχῆς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀφειδεῖν. Οἶδα τὴν νίκην τοῖς ἐναντίοις οὔτε βεβαίαν οὔτε ἰσχυρὰν οὖσαν. Ἀπαγγέλλουσι τὴν ἐκ Μυσίας ἡμῶν δύναμιν οὐ πολλῶν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπέχειν ἤδη καταβαίνουσαν ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν· Ἀσία

Je repute ceste journée plus heureuse pour moy, mes compagnons, que celle-là en laquelle vous m'esleutes et declarates premierement empereur, vous voyant si bien affectionnez en mon endroit, et me faisans un tel honneur avec une si grande demonstration d'amitié: mai je vous prie que ne me vueillez point frustrer d'une autre plus grande grace, qui est de vaillamment et honorablement mourir pour le salut de gens de bien que vous estes et de bons citoyens Romains. Si j'ay esté digne de tenir l'empire Romain par votre election,

καὶ Συρία καὶ Αἴγυπτος καὶ τὰ πολεμοῦντα Ἰουδαίοις στρατεύματα μεθ' ἡμῶν ἥ τε σύγκλητος παρ' ἡμῖν καὶ τέκνα τῶν ἐναντίων καὶ γυναῖκες. Ἀλλ' οὐκ ἔστι πρὸς Ἀννίβαν οὐδὲ Πύῤῥον οὐδὲ Κίμβρους ὁ πόλεμος ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας, ἀλλὰ Ῥωμαίοις πολεμοῦντες ἀμφότεροι τὴν πατρίδα καὶ νικῶντες ἀδικοῦμεν καὶ νικώμενοι· καὶ γὰρ τὸ ἀγαθὸν τοῦ κρατοῦντος ἐκείνῃ κακόν ἐστιν. Πιστεύσατε πολλάκις, ὅτι δύναμαι κάλλιον ἀποθανεῖν ἢ ἄρχειν. Οὐ γὰρ ὁρῶ, τί τηλικοῦτον Ῥωμαίοις ὄφελος ἔσομαι κρατήσας, ἡλίκον ἐπιδοὺς ἐμαυτὸν ὑπὲρ εἰρήνης καὶ ὁμονοίας καὶ τοῦ μὴ πάλιν ἡμέραν τοιαύτην ἐπιδεῖν τὴν Ἰταλίαν.

il fault que je le monstre maintenant en ne faignant point de despendre ma vie pour le bien et le salut de mon païs. Je sçay bien que la victoire n'est point entière ne parfaitte à mon ennemy. J'ay nouvelles que noz armées de la Mysie et de la Pannonie sont en chemin pour s'en venir vers moy, et quelles ne sont pas à gueres de journées loin d'icy, tirans vers la mer Adriatique: l'Asie, la Syrie et l'Aegypte, et les legions qui font la guerre en la Judée, sont pour nous: le senat est de nostre costé, et les femmes et les enfans de noz ennemis sont entre noz mains: mais ceste guerre n'est point contre un Hannibal, ny contre un Pyrrus, ou contre les Cimbres, pour combatre à qui demourera la possession de l'Italie, ains est contre des Romains mesmes; de maniere qu'en ceste guerre et le vaincueur et le vaincu offensent leur païs, pource que ce qui tourne à bien aux victorieux, cede tousjours au dommage de la chose publique. Croyez que je sçay mieulx mourir que regner, voyant mesmement que je ne sçaurois tant profiter aux Romains quand je demourerồye à la fin le plus fort, comme je feray en sacrifiant ma vie pour la paix, union et concorde de mes citoyens, et pour empescher que l'Italie ne voye encore une autre journée, telle comme a esté celle cy.

EXCURSUS III. AD HIST. II. C. LXXXVII.

Sexaginta milia armatorum sequebantur] *Si l'on réunit ensemble les armées de Cécina et de Valens et celle que Vitellius avait amenée lui-même des bords du Rhin, il est certain qu'elles devaient former au moins cent mille hommes. Comment donc ne s'en trouve-t-il plus ici que soixante mille? C'est qu'il en périt un bon nombre à la bataille de Bédriac; c'est que Vitellius avait renvoyé les huit cohortes bataves et les milices gauloises et prodigué les congés* (sup. 69); *c'est peut-être qu'il avait laissé des garnisons en différens endroits de l'Italie.* Burnouf.

HISTORIARUM
LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Flavianis de ratione belli deliberantibus moram alii, 2. festinationem Antonius Primus suadet, 3. et obtinet. 4. proxima Cornelii Fusci auctoritas. 5. principes Sarmatarum Iazugum in commilitium adsciti. Sido et Italicus Sueborum reges tracti in partes. 6. 7. Antonio Italiam invadenti comes est Arrius Varus. multas urbes occupant. 8. Verona fit belli sedes. moras frustra aut sero nectunt Vespasianus et Mucianus. 9. Interim duces mutuis epistulis bellum gerunt. 10. Tampius Flavianus militi suspectus ab Antonio servatur. 11. hic alteram quoque seditionem odio Aponii Saturnini ortam comprimit. 12. Lucilius Bassus et 13. 14. Caecina a Vitellio deficientes a militibus suis coniciuntur in vincula. 15. discordes Vitellianos ad Bedriacum adgredi statuit Antonius. 16. aviditate navandae operae Arrius Varus rem in discrimen adducit; 17. eam Antonius constantia et virtute restituit, 18. victoria potitur.

19. Flaviani ea freti Cremonam expugnare deposcunt. 20. inconsultum eorum ardorem frustra retinet Antonius. 21. sed adventantis hostis terror obstructas mentes consiliis ducis aperit. 22 — 25. proelium atrox, anceps. Antonius egregii ducis munia implet; victoriam aufert. 26 — 33. Cremona obsessa, capta, cremata, 34. postea restituta. 35. victae legiones dispersae.

36. Vitellius luxu torpet. 37. in urbem revectus Caecinam condemnat; ei Rosium Regulum in unum diem consulem sufficit. 38. 39. Iunius Blaesus fraude L. Vitellii veneno tollitur. 40. 41. Fabius Valens libidine et cunctatione Vitellianorum res subruit et, 42. Flavianis Italiam occupantibus, 43. ad Stoechadas delatus capitur. 44. Hispaniae, Galliae, Britannia, cuncta ad Vespasiani opes conversa. 45. turbat tamen Britanniam Venutius. ibi varia sorte pugnatum. 46. Germania quoque turbata. mota et Dacorum gens, a Muciano ex Oriente reduce repressa. 47. 48. Anicetus Polemonis libertus Pontum infestans capitur. Vespasianus Alexandriam pergit, ut urbem fame urgeat. 49. Antonius post Cremonam superbior. 50. partem copiarum Veronae relinquit, partem in Vitellianos expedit. 51. nefarium facinus militis ob occisum a se fratrem praemium petentis. 52. festinationem Antonii apud Vespasianum criminatur Mucianus. 53. is iactantius quam ad principem litteras componit, Mucianum insectatus. inde graves ducum simultates.

54. Vitellius stulta dissimulatione cladis ad Cremonam remedia malorum differt. notabilis constantia Iulii Agrestis. 55. Vitellius, ut e somno excitus, Appenninum obsideri iubet, honores largitur, in castra venit. 56. prodigia, praecipuum ipse Vitellius ostentum, ignarus militiae, inprovidus consilii, Romam revertit perculsus defectione Misenensis classis. 57. Puteolani Vespasiano, Capua Vitellio favet. Claudius Iulianus in partes Vespasiani transit, qui Tarracinam occupat. 58. Vitellius fratrem Lucium bello per Campaniam opponit. ipse Romae ex plebe et servitiis exercitum corradit, qui brevi dilabitur. 59. Flaviani Appenninum transeunt; ad eos Cerialis Vitellii custodias elapsus venit et inter duces adsumitur. 60. pugnae avidos milites aegre cohibet Antonius. 61. iam crebra fiunt ad Vespasianum transfugia. Priscus et Alfenus castra deserunt, ad Vitellium regressi. 62. 63. caeso Valente desperabundus miles sub signis vexillisque ad Vespasianum transit. pax et salus offeruntur Vitellio, si se dedat.

64. Flavius Sabinus urbis praefectus frustra incitatur ad arma; 65. pacis amans de pace agit cum Vitellio 66. cedere parato, ni sui reniterentur. 67. 68. hi pullo amictu Palatio degressum et pro contione cedere se imperio testantem eo redire cogunt. 69. interim Sabinus rem publicam susceperat eique aderant Romani omnis ordinis, frementibus Germanicis cohortibus. modicum proelium Vitellianis prosperum. Sabinus Capitolium occupat, quod 70. Cornelio Martiale frustra ad Vitellium misso 71. Vitelliani oppugnant. Capitolium conflagrat. 72. de prioribus Capitolii fatis digressio. 73. Vitelliani cuncta sanguine ferro flammis miscent. Flavium Sabinum et Atticum consulem capiunt. 74. Domitianus sacricolae habitu delitescit. Sabinus invito Vitellio trucidatur. 75. Sabini laudes. Atticus servatur.

76. 77. Tarracina a L. Vitellio obsessa et capta, Iulianus iugulatur. Triariae immodestia. 78. Flaviani, incertum Antonii an Muciani culpa cunctantes, obsessi Capitolii fama exciti, 79. ad urbem properant. ibi equestre proelium Ceriali adversum. 80. 81. Vitellius legatos et Vestales virgines pro pace aut indutiis mittit nec obtinet. 82. Flaviani tripartito agmine urbi propinquant. varia ibi fortuna pugnatur. 83. foeda lascivientis urbis facies, spectatore populo et plausu diversas partes fovente. 84. castra praetoria expugnantur. 85. Vitellius e pudenda latebra protractus et contumeliis adfectus ad Gemonias propellitur. 86. vita Vitellii moresque. Domitianus Caesar consalutatur. Gesta uno eodemque anno.

(1) Meliore fato fideque partium Flavianarum duces consilia belli tractabant. Poetovionem in hiberna tertiae decimae legionis convenerant. illic agitavere placeretne obstrui Pannoniae Alpes, donec a tergo vires universae consurgerent, an ire comminus et certare pro Italia constantius foret. quibus opperiri auxilia et trahere bellum videbatur, Germanicarum legionum vim famamque extollebant, et advenisse mox cum Vitellio Britannici exercitus robora: ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum; et quanquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum. sed insessis interim Alpibus venturum cum copiis Orientis Mucianum. superesse Vespasiano mare classes studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret. ita salubri mora novas vires adfore, e praesentibus nihil periturum. (2) ad ea Antonius Primus (is acerrimus belli concitor) festinationem ipsis utilem, Vitellio exitiosam disseruit. plus socordiae quam fiduciae accessisse victoribus. neque enim in procinctu

4 cōmunis *sed corr.* cōmunus (*sic*) 1*m*. Italiā (*notam del.* 1*m*) 6 famanq; modo *Wölfflin* 7 brittannici 11 quae *Nipperdey* uelud 12 e *Nipperdey*: et (ex *Urlichs*, et ex *Pluygers*) 13 concitor *Orelli*: conciator (concitator *dett.*)

1. *Poetovionem*] in Pannonia superiore ad Dravum fluvium, hodie *Pettau* in Stiria (*Steiermark*). Recta scriptura Med. est etiam in Inscr. m. Lat. N. 3592. *POETOVIO.* atque in aliis. — *obstrui*] »etiam exercitui impenetrabiles reddi«; iam enim erant *praesidiis insessas*, quibus nuntii retinebantur. 2, 98. Duebn. — *Pannoniae*] 2, 98 est *Pannonicae Alpes*, unde Ruperti malebat *Pannonicas*, sed ubique orationem variare amat Tacitus, etiam in rebus minoris momenti. — *consurgerent*] scil. *ad bellum*, quod addit Liv. 10, 13 et 33, 19. Virg. Aen. 10, 90: *consurgere in arma Europamque Asiamque.* Simpliciter *consurgere* etiam Florus 2, 12, 3 et 17, 3. Ern. — *constantius foret*] h. e. fortioris ideoque honestius ac melius esset. — *robora*] *vexillarii trium Britannicarum legionum.* 2, 100 et 2, 57: *ipse e Britannico exercitu delecta octo milia sibi adiunxit.* Haesit in his vv. Ruperti: »Mihi haec vv. plane inepta videntur et corrupta. Dicendum saltem fuisset *adventura mox cum Vitellio* aut potius *advenisse modo cum Caecina.* Nam Vitellius ipse non cum exercitu Roma profectus erat, sed ibi cum fratre ignavo luxui indulgebat. c. 36 seqq. Coniicere possis *et advenisse nova iam Vitellio Britannici exercitus robora.*« At profecto nihil aliud dicit Tacitus nisi hoc: »ex quo ad Bedriacum dimicatum sit, advenisse etiam Britannici exercitus robora.« Itaque *mox*, ut haud raro, h. l. significat *postea*, *späterhin*, *in der Folge*, de quo usu cf. Hand Turs. III. p. 658. — *classes*] Ponti, Syriae, Aegypti. cf. 2, 4 *classes regesque.* 2, 76 *classium alarum cohortium robora.* — *alterius belli*] h. e. alius belli, cf. 2, 90 *alterius civitatis*; *Sirker*, Tac. Formenlehre p. 45. — *e praesentibus*] sic, non *ex praesentibus*, scriptum est 2, 65. 3, 69. 4, 18. 56 cf. *Nipperdey* praefatio p. V.

2. *Antonius Primus*] 2, 86. — *in procinctu*] semper paratos ad dimicandum, *schlagfertig.*

et castris habitos: per omnia Italiae municipia desides, tantum hospitibus metuendos, quanto ferocius ante se egerint, tanto cupidius insolitas voluptates hausisse. circo quoque ac theatris et amoenitate urbis emollitos aut valetudinibus fessos. sed addito spatio rediturum et his robur meditatione belli. nec procul Germaniam, unde vires; Britanniam freto dirimi; iuxta Gallias Hispaniasque; utrimque viros equos tributa; ipsamque Italiam et opes urbis; ac si inferre arma ultro velint, duas classes vacuumque Illyricum mare. quid tum claustra montium profutura? quid tractum in aestatem aliam bellum? unde interim pecuniam et commeatus? quin potius eo ipso uterentur, quod Pannonicae legiones deceptae magis quam victae resurgere in ultionem properent, Moesici exercitus integras vires attulerint. si numerus militum potius quam legionum putetur, plus hinc roboris, nihil libidinum; et profuisse disciplinae ipsum pudorem. equites vero ne tum quidem victos, sed quanquam rebus adversis disiectam Vitellii aciem. »duae tunc Pannonicae ac Moesicae alae perrupere hostem: nunc sedecim alarum coniuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac superfundent oblitos proeliorum equites equosque. nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi

2 se *delebat Lallemand; melius erat* antea egerint *Nipperdey.* 5/6 brittaniā 8 illyricūnare *sed nota deleta.* 9 In̄i In 10 pannonice legionis *sed* e *superscr.* 13 nichil 18 suāosor *nota deleta* actorque *Iacob*

Festus Ed. Muell. p. 249. in *Procincta classis*: *procincta autem toga Romani olim ad pugnam ire soliti sunt.* — *se egerint*] pro vulgari *se gesserint.* Frustra Lallemandus probante Ernestio deletum volebat *se.* Multa exempla huius locutionis collegit Ruhnkenius ad Rutilium Lupum p. 87. omnia fere a Criticis addubitata, sed a Codd. satis firmata, velut Seneca de Benef. 2, 20. Ed. Fickert II. p. 55: *mihi* (Brutus) - - *in hac re videtur vehementer errasse nec ex institutione Stoica se egisse*, ubi Guelf. I. *fecisse*, Gruterus *se gessisse.* Eutropius 10, 15: *qui tamen primis imperii annis ingenti se modestia egerit.* — *meditatione belli*] Quid hoc v. significet, monstrat 4, 26: *ibi struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant.* — *unde vires*] novae possent acciri. — *freto*] tantummodo facile transmittendo. — *duas classes*] Misenensem et Ravennatem. — *Illyricum mare*] Cicero de imperio Cn. Pompei 12, 35 *in oram Illyrici maris.* — *Moesici exercitus*] cf. 2, 32. 44. — *militum potius quam legionum*] quas plures numero habebat Vitellius, sed non plenas. Duebn. — *pudorem*] ex pugna adversa ortum. — *equites vero* etc.] referuntur haec ad 2, 41. cf. 2, 44: *ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam pulso equite.* — *duae — alae perrupere*] hinc in rectam orationem transit, de quo usu cf. *Dräger* Syntax § 256 in fine. — *pulsu sonituque*] cf. Verg. Aen. 7, 722 *scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus.* — *nube*] pulveris. — *idem suasor*] »quae iam suasi ipse exsequi et vobis commilitonibus exemplum praebere illico aggrediar, ad quod provocare poteritis.« cf. Curtius 3, 7, 7 *idem et auctor et nuntius venit* h. e. nuntiavit rem idem qui gesserat. Livius 2, 54, 7 *nec auctor quamvis audaci facinori deerat.* — *quibus fortuna in integro est*] qui remanentes nihil periclitamini, cum ego solus discrimen subeam. —

expeditae cohortes sufficient. iam reseratam Italiam, inpulsas Vitellii res audietis. iuvabit sequi et vestigiis vincentis insistere.« (3) haec ac talia flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur (etenim se centuriones et quidam militum consilio miscuerant), ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret, volgus et ceteri unum virum ducemque spreta aliorum segnitia laudibus ferrent. hanc sui famam ea statim contione commoverat, qua recitatis Vespasiani epistulis non ut plerique incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset: aperte descendisse in causam videbatur eoque gratior militibus erat, culpae vel gloriae socius. (4) proxima Cornelii Fusci procuratoris auctoritas. is quoque inclementer in Vitellium invehi solitus nihil spei sibi inter adversa reliquerat. Tampius Flavianus, natura ac senecta cunctator, suspiciones militum inritabat, tanquam adfinitatis cum Vitellio meminisset; idemque quod coeptante legionum motu profugus dein sponte remeaverat, perfidiae locum quaesisse credebatur. nam Flavianum omissa Pannonia ingressum Italiam et discrimini exemptum rerum novarum cupido legati nomen resumere et misceri civilibus armis impulerat, suadente Cornelio Fusco, non quia industria Flaviani egebat, sed ut consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie praetenderetur. (5) ceterum ut transmittere in Italiam inpune et usui foret, scriptum Aponio Saturnino, cum exercitu Moesico celeraret. ac ne iner-

1 reseratam Italiam *Pichena*; reseralta militiā. Italiam iam *Meiser* 5 ceterū *sed corr.* 1*m*. (vulgus ceterum *Madvig*) 6 segni | *in margine proximi versus* tia *add.* 1*m*. 7 eplis *cum lineola in litt.* l 8 interpretatione *Acidalius*: Intptationē 9 gratior *dett.*: grauior 11 Incliīnt 12 cunctator *Lipsius*: cuncta|tior (cunctantior *Halm*) 14 Idq; cęptante 19 honestas (s *del.* 2*m*.) 20 transmittere bellum *Acidalius* (in Italiam bellum *Halm*), transmittere militem *Ritter* Inpunē 21 aponio satiū reuirescere *scilicet librarius statim transilit ad c.* 7 revirescere *usque ad c.* 9 ut inimici *ac tum redit ad c.* 5 uinocū exercitū (*notam del.* 2*m*) moesico celeraret. *Ceteri codices in transpositione conspirant, corruptiones cumulant. Verum ordinem restituit Pichena.*

reseratam Italiam] *reserare Italiam* etiam Cicero dixit Phil. 7, 2. Supra 2, 17: *Aperuerat iam Italiam - - ala Siliana.* — *inpulsas*] iam iterandum videtur: *iam reseratam Italiam, iam inpulsas Vitellii res audietis*, ut 3, 19 *iam pacem, iam preces.*

3. *volgus et ceteri*] cf. 1, 25 *volgus et ceteros* 83 *volgus et plures. Dräger* Syntax § 113. — *Vespasiani epistulis*] 2, 82. — *interpretatione*] Cic. Acad. II 36, 116: *quae disputationibus huc et illuc trahuntur.* — *descendisse in causam*] sine ulla simulatione ad Flavianas partes transisse, ut Liv. 36, 7, 6: *si semel in causam* (nostram) *descenderit.* — *gratior*] »Si Med. *gravior* additum esset *auctor*, ut c. 43., probarem. Simpliciter *graviorem alicui* dici, intellecto *auctoris* verbo, non credo.« Ern. Et quidem vere; intolerabilis enim foret ambiguitas *gravior*, molestior, δυσαρέστερος· cf. A. 4, 68: *apud bonos laudatus et gravis iniquis.*

4. *Cornelii Fusci*] de quo et de Flaviano, Pannoniae praeside, 2, 86. — *natura — cunctator*] item 2, 25 *cunctator natura*, cf. 5, 14 *neuter ducum cunctator*, Ann. 15, 1 *cunctator ingenio.* — *perfidiae locum*] »Scilicet in Pannoniam revertisse credebatur ea mente, ut legiones illas rursum a Vespasiano alienaret.« Pichena.

5. *transmittere*] obiectum (*militem* vel *exercitum*) facile per se intellegitur. — *Aponio*]

mes provinciae barbaris nationibus exponerentur, principes Sarmatarum Iazugum, penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti. plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant: remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, aut maiore ex diverso mercede ius fasque exuerent. trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Sueborum, quis vetus obsequium erga Romanos, et gens fidei commilitio patientior. posita in latus auxilia infesta Raetia, cui Porcius Septiminus procurator erat, incorruptae erga Vitellium fidei. igitur Sextilius Felix cum ala Auriana et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Raetos Noricosque interfluit, missus. nec his aut illis proelium temptantibus fortuna partium alibi transacta.

(6) Antonio vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti comes fuit Arrius Varus, strenuus bello; quam gloriam et dux Corbulo et prosperae in Armenia res addiderant. idem

1 principis lazugū (*sic*) pęnes 2 ple|bē: pubem *Meiser* 5 traunt (r superscr., h *superscr.* 2*m*) parte sueporū *sed* p *in* b *mut.* 1*m* 6 commilitio *Meiser:* cōmissior (cōmissi *b*) quam iussorum *Scheffer* 7 opposita *Rhenanus.* Noricum in latus auxilio *Nipperdey.* 8 Incorrupte 9/10 occupandas *sed corr.* 1*m.* 10 Aeni *Rhenanus:* rheni missū 11 is 14 et] ei *Lipsius* prospere addiderat *superscr.* n 1*m.*

Moesiae praesidi. 1, 79. 2, 85, 96. — *Sarmatarum Iazugum*] qui habitabant inter Danuvium et Tisiam: cf. *Mommsen* Römische Geschichte V p. 197; *Kiepert* Alte Geographie § 306. — *in commilitium adsciti*] item Ann. 1, 60 *Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt.* — *plebem quoque*] plebem principibus opponi Ernesti putat, sed *pubem* scribendum videtur, nam *pubes*, non *plebs* ad bellandum requiritur. cf. *Noricorum iuventute* 2, 47 *tantum Romanae pubis.* — *ne inter discordias externa molirentur*] ne forte inter Romanorum discordias ipsi externam aliquam seditionem suscitarent aut in ipso bello ad Vitellium deficerent: quod evenire non poterat, cum plebs sine principibus domi remaneret ac principes in Italia sine popularium suorum manu militarent. Pichena. cf. 4, 32 *missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret.* — *ex diverso*] a Vitellii partibus. Sic 2, 75. — *Sido*] cf. Ann. 12, 29. — *Italicus*] fortasse Vangionis in regno successor; cf. *Mommsen* l. l. — *quis vetus obsequium erga Romanos*] Ann. 12, 30 *regnum Vangio ac Sido inter se partivere, egregia adversus nos fide.* — *gens fidei commilitio patientior*] gens in commilitium adscita et particeps facta et periculorum et praemiorum libentius fidem servabat et imperata faciebat quam sine honore commilitii. cf. Curtius 10, 3, 10 *obsequium et patientia imperii.* — *posita*] in latere collocata sunt auxilia, quod infesta erat Raetia. Ern. cf. similem sententiam c. 35 *simul transitus Alpium praesidiis occupati, suspecta Germania.* — *ala Auriana*] ab ignoto praefecto Aurio sic dicta. Perseveravit ad labens imperium legasque in Notitia imperii (Notitia orientis c. 35) sub dispositione ducis Armeniae *Ala Auriana, Dascusae* Lipsius. *ala I Hispanorum Auriana* nominatur in diplomate Traiani (CIL III, d. XXIV.) anni 108, quo tempore in Raetia militabat. De cognomine alae 'Aurianae' disputavit *Henzen:* Jahrb. d. V. r. Alt. i. Rhld. vol. XIII, p. 75. cf. *Jos. Vaders* de alis exercitus Romani 1883 p. 36. *F. Ohlenschlager* die römischen Truppen im rechtsrheinischen Bayern 1884 p. 40—42. — *Aeni*] hodie *Inn.* — *alibi transacta*] »Fortuna partium et Vitellianarum et Flavianarum alibi decisa est virtute consiliisque Antonii Primi et expugnatione Cremonae, dum nec Porcius Septiminus neque Sextilius Felix quidquam conantur.« De negatione cum participio tantum iungenda cf. *Heraeus* ad 1, 71, 8.

6. *Arrius Varus*] de quo Ann. 13, 9. —

secretis apud Neronem sermonibus ferebatur Corbulonis virtutes criminatus; unde infami gratia primum pilum adepto laeta ad praesens male parta mox in perniciem vertere. sed Primus ac Varus occupata Aquileia *per* proxima quaeque et Opitergi et Altini laetis animis accipiuntur. relictum Altini praesidium adversus classem Ravennatem, nondum defectione eius audita. inde Patavium et Ateste partibus adiunxere. illic cognitum tris Vitellianas cohortes alamque, cui Sebosianae nomen, ad Forum Alieni ponte iuncto consedisse. placuit occasio invadendi incuriosos: nam id quoque nuntiabatur. luce prima inermos plerosque oppressere. praedictum, ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent. et fuere qui se statim dederent: plures abrupto ponte instanti hosti viam abstulerunt. (7) volgato *in* victoriam principia belli secundum Flavianos data, legiones septima Galbiana, tertia decima Gemina cum Vedio Aquila legato Patavium alacres veniunt. ibi pauci dies ad requiem sumpti, et Minucius Iustus praefectus castrorum legionis septimae, quia adductius quam civili bello imperitabat, subtractus militum irae ad Vespasianum missus est. desiderata diu res interpretatione gloriaque *in* maius accipitur, postquam Galbae imagines discordia tem-

3 paratā (*notam del.* 2*m*) [male parta] *Prammer* perniceē (*corr.* 2*m*) ūteret (*ut ed. princ.*) *corr.* 2*m.* uarius 4 per *add. Baiter* quaeque proxima *Walther*, proxima quaeque vi obtinent *Haase*, occupant Aquileiam ac *Meiser* 5 relictū alpini classem Ravennatem *del.*: classis rauennati^s | (motum *add. Halm* conatus *Heinisch*) 6 Ateste *b*: aceste adiuncxere 7 alamq; *b corr.*: alā (et alam *alii*) Sebosianae *Nipperdey*: sebonianę 9/10 oppresse 12 abstu | ler. volgato in victoriam *Meiser*: Uolgata uictoria p̓rincipia (post principia *b*) principia — data *post* abstulerunt *ponit Nipperdey* 13 data *Rhenanus*: datę 14 Vedio *Rhenanus*: uideo 15 municius 16 quam pro *L. Spengel* 18 gloriaq; *b*: glęq; *cum lin.* in 1 in *om.* p̓quā

***male parta mox in perniciem vertere*] Ryckius suspicatur hoc factum esse per Domitiam Corbulonis filiam, quam Domitianus Aelio Lamiae abduxit, teste Suetonio Domit. c. 1 et 10. — *per proxima quaeque*] cf. c. 42 *per proxima litorum* 4, 37 *per proximas Belgarum civitates.* — *Opitergi*] *Opitergium*, hodie *Oderzo.* — *Altini*] erat opulentum Venetorum oppidum inter Concordiam et Patavium. Situm nomenque servat exiguus vicus *Altino*. *Mannert* Italien I. p. 85. — *defectione*] 2, 100. — *Atestε*] hodie *Este.* — *Sebosianae*] nomen duxisse videtur a Seboso quodam nobis ignoto, qui alam videtur constituisse. *ala Gallorum Sebosiana* anno 103 in Britannia versabatur (CIL III, d. XXI.). cf. *Jos. Vaders* l. l., p. 29 sq. — *Forum Alieni*] Plerisque est *Ferrara* (Cellar. G. a. I. p. 559.), aliis *Legnago*. Hic solum memoratur apud antiquos.**

7. *volgato in victoriam*] non erat plena ac iusta victoria, sed tamquam victoria parta volgatum est fortunam initio belli Flavianis favisse. cf. Ann. 3, 12 *haec in maius volgaverint* Liv. 4, 34, 7 *aliquarum navium concursum in maius, ut fit, celebrantes navalis victoriae vanum titulum appetivere.* In vulgata scriptura recte *Nipperdey* dilatatum quoddam et diiunctum orationis genus notavit, in remedio erravit. — *secundum Flavianos data*] cf. Liv. 30, 31, 5 *illius belli exitum secundum ius fasque dederunt.* — *adductius*] Germ. 44 *Gotones regnantur paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes.* — *quam civili bello*] scil. fieri debet et solet. Ruperti. — *desiderata diu res*] a partibus Flavianis, ut Galbae honor restitueretur. — *interpretatione gloriaque*] Ann. 1, 8 *iactantia gloriaque ad posteros.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 43 *pudor et gloria.*

porum subversas in omnibus municipiis recoli iussit Antonius, decorum pro causa ratus, si placere Galbae principatus et partes revirescere crederentur. (8) quaesitum inde, quae sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua praevalebant: simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur. possessa ipso transitu Vicetia; quod per se parvum (etenim modicae municipio vires) magni momenti locum obtinuit reputantibus illic Caecinam genitum et patriam hostium duci ereptam. in Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes iuvere. et interiectus exercitus Raetiam Iuliasque Alpes, [ac] ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat. quae ignara Vespasiano aut vetita: quippe Aquileiae sisti bellum expectarique Mucianum iubebat adiciebatque imperio consilium, quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi. eadem Mucianus crebris epistulis monebat, incruentam et sine luctu victoriam et alia huiuscemodi praetexendo, sed gloriae avidus atque omne belli decus sibi retinens. ceterum ex distantibus terrarum spatiis consilia post res adferebantur. (9) igitur repentino incursu Antonius stationes hostium inrupit temptatisque levi proelio animis ex aequo discessum. mox Caecina inter Hostiliam, vicum Veronensium, et paludes Tartari fluminis castra per-

1 municipis decorū̃s (s *del.* 1*m.*) 6 parvum *Halm:* parum 8/9 uęronensibus prętiū 9 interiectus *b*: intertectus 10 p̄tiā [ac] *Lipsius*, ac Noricum *Weissenborn* 12 aquilęię (*sed corr.* 1*m*) 14 ęgestate 15 eādē (*sed corr.* 1*m*) 16 eplis *cum lin. in* l 18 consilia p̓tres 21 hostiā [vicum Veronensium] *Helmreich* 21 cartari

8. *Vicetia*] haec recta est scriptura, non *Vicentia*. Inscr. m. Lat. N. 3110: *SEX. ATILIVS. M. F. SARANVS. PROCOS. EX. SENATI CONSVLTO. INTER.ATESTINOS. ET. VEICETINOS. FINIS. TERMINOSQVE. STATVI. IVSIT* (sic) a. u. c. 618. et N. 3219: *CVRATORI VICETINOR.* — *pretium fuit*] c. 31 *ubi pretium caedis erat* cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 57 *Germanico pretium fuit convertere agmen.* — *Iuliasque Alpes*] proprie inter Carniam et Istriam prope Forum Iulii (*Cividale del Friuli*), ita appellatae, quia Iulius Caesar per eas viam munierat, sed latiore sensu hic Alpium iuga a Raetia orientem versus sita comprehendere videtur. — *obsepserat*] cf. verba Antonii c. 53 *sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Raetorumque auxilia.* — *pervium*] substantive, ut apud Livium 30, 10, 5 *ut pervium in totum ordinem esset.* Fest. vici p. 371 *ut in eo aedificio pervium sit.* Sen. de prov. 6, 9 *quacumque via pervium est.* — *illa*] scil. via, parte. — *ignara*] sensu passivo i. q. *ignota*, ut saepius, cf. *Gerber* et *Greef* Lexic. Tac. s. v. — *claustra annonae*] qua provincia occupata frumenti subvectio in urbem posset intercludi. cf. Ann. 2, 59. Duebn. — *post res*] »post rerum ipsarum eventum.«

9. *Hostiliam*] appositionem *vicum Veronensium* hic demum addit, quamquam iam 2, 100 locus nominatus erat. Plinius 21, 73 *Hostilia vicus adluitur Pado.* — *Tartari*] fluvii Venetorum, etiamnunc *Tartaro.* —

muniit, tutus loco, cum terga flumine, latera obiectu paludis tegerentur. quodsi adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duae legiones nondum coniuncto Moesico exercitu potuere, aut retro actae deserta Italia turpem fugam conscivissent. sed Caecina per varias moras prima hostibus prodidit tempora belli, dum, quos armis pellere promptum erat, epistulis increpat, donec per nuntios pacta perfidiae firmaret. interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana advenit. legioni tribunus Vipstanus Messalla praeerat, claris maioribus, egregius ipse et qui solus ad id bellum artes bonas attulisset. has ad copias nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistulas Caecina, temeritatem victa arma tractantium incusans. simul virtus Germanici exercitus laudibus attollebatur, Vitellii modica et volgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus, quod aut corrumperet hostem aut terreret. Flavianarum partium duces omissa prioris fortunae defensione pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exitu securi, in Vitellium ut inimici rescripsere, facta tribunis centurionibusque retinendi quae Vitellius indulsisset spe, atque ipsum Caecinam non obscure ad transitionem hortabantur. recitatae pro contione epistulae addidere fiduciam, quod submisse Caecina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum duces contemptim, tanquam insultantes Vitellio, scripsissent.

(10) Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires et

1 fluminę (*sed corr.* 1*m*) 4 cecina 6 eplis *cum lin. in* l firmarentur *L. Spengel* 8 Vipstanus *Chr. Ad. Rupertus:* uipsanius 10 eplas *cum lin. in* l 11 *ante* simul *duae litterae* (fu *vel* fo) *crasae videntur* 16 exitu *Lipsius:* exercitu rescripsere *Freinsheim:* praesumpsere 18 obscurę recitate 18/19 eplę *cum lin. in* l 19 sūmisisse uelud 20 contemptim *b*: contēpti 23 Aponianus *Rhenanus:* apontan; octaua

duae legiones] VII Galbiana, XIII Gemina c. 7. — *fugam conscivissent*] Liv. 5, 53, 5 *ut — fugam nobis ex eo loco consisceremus* 33, 48, 11 *et alii fugam conscisse — fremebant.* — *prodidit*] commisit Caecina, ut primas occasiones belli neglegeret nec quidquam tentaret, id quod hostibus utile fuit. — *tempora belli*] cf. Lucian. dial. mort. 12, 6 de Hannibale Capuae otiante: τοὺς τοῦ πολέμου καιροὺς ὁ ϑαυμάσιος καϑηδυπαϑῶν. — *pacta perfidiae*] 2, 99 *rata apud Vespasianum fore pacta transitionis.* — *tribunus*] quia septimae legionis legatus, Tettius Iulianus, profugerat. 2, 85. — *Vipstanus Messalla*] is, cui partes sunt in Dialogo de oratoribus. Idem historiam sui temporis scripsit. Cf. infra c. 25 et 28. — *victa arma tractantium*] legionum Othonis, quas ducebat Antonius. — *rescripsere*] transpositione paginarum in codice facta (cf. ad c. 5) vocem *partes* (c. 7) excepit vox *rescripsere*, unde evenisse videtur, ut hoc vocabulum in *praesumpsere* depravaretur, quod vitium Freinsheim egregie sustulit. cf. c. 52 *Mucianus — scriptitabat — hi — rescripsere* c. 81 *Vitellio rescriptum* Ann. 14, 49 *consules — scripsere Caesari. ille — rescripsit.* — *quae Vitellius indulsisset*] cf. 2, 94.

10. *Dillius Aponianus*] idem secundum inscriptionem nuper inventam anno 73 p. Chr. curator riparum et alvei Tiberis fuit: cf. *Bulletino della commissione archeologica comu-*

militari vallo Veronam circumdare placuit. forte Galbianae legioni in adversa fronte valli opus cesserat, et visi procul sociorum equites vanam formidinem ut hostes fecere. rapiuntur arma metu proditionis. ira militum in Tampium Flavianum incubuit: nullo criminis argumento, sed iam pridem invisus turbine quodam ad exitium poscebatur: propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi clamitabant. nec defensioni locus, quanquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens. id ipsum apud infensos incitamentum erat, tanquam nimius pavor conscientiam argueret. obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret; fremitu et clamore ceteros aspernantur. uni Antonio apertae militum aures: namque et facundia aderat mulcendique vulgum artes et auctoritas. ubi crudescere seditio et a conviciis ac probris ad tela et manus transibant, inici catenas Flaviano iubet. sensit ludibrium miles disiectisque, qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. opposuit sinum Antonius stricto ferro aut militum se manibus aut suis moriturum obtestans, ut quemque notum et aliquo militari decore insignem aspexerat, ad ferendam opem nomine ciens. mox conversus ad signa et bellorum deos hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam inicerent orabat, donec fatisceret seditio et extremo iam die sua quisque in tentoria dilaberentur. profectus eadem nocte Flavianus obviis Vespasiani litteris discrimini exemptus est. (11) legiones velut tabe infectae Aponium Saturninum

1 galbiane 2 uisi | In procul (In *del.* 1*m*), inde procul *Weissenborn* 3 arma metu *Faernus*: armā (*notam del.* 2*m*) et ut (arma et metu *Nipperdey*) 4 Tampium *Faernus*: ·T·ampiū 6 clamitabat (n *superscr.* 1*m*) 9/10 obturbatur *Orelli* 10 cęptaret 11 aspernābatur (*sic*) *b* nanq; 16 quenq; 17 aspexerat. auferendā 19 fatiscere 21 discriminis (s *del.* 1*m*) 22 uelud

nale di Roma XV 1. — *militari vallo*] ex legibus disciplinae militaris structo. — *turbine quodam*] impetu repentino. Ern. — *propinquum*] adfinem. c. 4. — *Aponius*] cui cognomen *Saturninus*. c. 9. — *ubi crudescere seditio et — transibant*] de infinitivo historico et imperfecto iuncto cf. *Dräger* Synt. § 172, b. — *conviciis ac probris*] consociat eadem haec verba etiam 1, 47 et 2, 52. — *ludibrium*] quo iam alii erant servati. 1, 45. 58. Duebn. — *militari decore*] insignibus propter egregia facinora. Inscr. m. Lat. N. 3454: *TI. CLAVDIO. — — DONIS. D(onato). TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALER. CORONA. NAVALI.* — *ad signa et bellorum deos*] cf. A. 2, 17, ubi *aquilae* dicuntur *propria legionum numina.* cf. Tertullian. Apolog. 16: *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa iurat, signa omnibus deis praeponit.* Ceterum *bellorum dei* sunt Mars, Minerva, Bellona, Virtus, Victoria, Pavor, Pallor, quorum imagines ex signis fulgebant. — *hostium*] Virg. Ge. 3, 513: *Di meliora piis erroremque hostibus illum!* — *fatisceret*] paullatim elanguesceret ac sedaretur, metaphora desumpta a terra rimis fatiscente. — *obviis Vespasiani litteris*] »Antequam ipse ad Vespasianum perveniret, litterae et quibus accusabatur et quibus excusabatur, ad novum principem missae erant. Atque utrisque perpensis, Vespasianus eum statim absolvit periculoque exemit, scriptis et ab ipso litteris, quae Flaviano adhuc iter continuanti in via occurrerunt.« Gron.

11. *velut tabe*] ut 1, 26: *infecit ea tabes*

Moesici exercitus legatum eo atrocius adgrediuntur, quod non ut prius labore et opere fessae, sed medio diei exarserant volgatis epistulis, quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. ut olim virtutis modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat, ne minus violenter Aponium quam Flavianum ad supplicium deposcerent. quippe Moesicae legiones adiutam a se Pannonicorum ultionem referentes, et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant. in hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt. nec tam Primus et Aponianus et Messalla, quanquam omni modo nisi, eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus. mox omissis lictoribus Patavium concessit. digressu consularium uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis et obversis militum studiis. nec deerant qui crederent utramque seditionem fraude Antonii coeptam, ut solus bello frueretur.

(12) Ne in Vitellii quidem partibus quietae mentes: exitiosiore discordia non suspicionibus volgi, sed perfidia ducum turbabantur. Lucilius Bassus classis Ravennatis praefectus ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur, partibus eius adgregaverat. nox proditioni electa, ut ceteris ignaris soli in principia defectores coirent. Bassus pudore seu metu, quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt et paucis resistentium obtruncatis ceterum volgus rerum novarum studio in Vespasianum inclinabat. tum progressus Lucilius auctorem se palam praebet. classis Cornelium Fuscum

1 eo *corr. ex* et 1*m* 2 eplis *cum lin. in litt.* l 3 uirtutes *sed corr.* 1*m.* 4 petulentię *sed corr* 1*m.* 5 uolenter flauianū *corr.* 1*m ex* flauian; 6 legionis *sed* e *superscr.* 1*m.* 7 uelud 8 hortus 9 messala 13 militum *dett:* militib; (militis *Jac. Gronovius*) 14 cęptā 16 quiete 17 suspicioneb; *sed corr.* 1*m.* 19 prouincie 19/20 a Vespasiano *ed. princ.* 22 Trierarchus | *sed corr.* 1*m.* 23 resistentium *sed* tium *in rasura* 1*m* obtruncatis *det.:* obūbratis (obturbatis *L. Schiller*) 25 fuscum *ed. princ.:* tuscū

legionum quoque mentes; et duplici imagine Liv. 42, 5: *ex contagione, velut tabes, in Perrhaebiam quoque id* (seditionis) *pervaserat malum.* — *scripsisse credebatur*] cf. 2, 96. — *obscuritas latebrarum, quibus occulebatur,* — *abditus*] nota in scriptore brevitatem dicendi adfectante miram verborum copiam. cf. 2, 94 *super insitam inerti animo ignaviam* 2, 98 *plures fefellere* — *occultati* 1, 87 *retinebat* — *immutatus.* — *fornacibus*] hypocausto. Vide Vitruv. 5, 10. — *collegis*] Vedio, Dillio, Numisio, Vipstano, de quibus paullo ante. Duebn. — *obversis*] conversis in eum, ut c. 83. Ann. 4, 54. 16, 35. Liv. 6, 7. 24. plerumque tamen sensu proprio de corporibus, ut Liv. 9, 35: *inde signa in hostem obvertit.* — *bello frueretur*] gloria et commodis ex bello redundaturis, saltem sperandis. Ruperti.

12. *Cornelium Fuscum*] 2, 86. Hac in bello civili opera, nisi fallor, bene penitus in Vespasiani domum insinuavit et a Domitiano praefectus praetorio factus. Periit in Dacis infelici

praefectum sibi destinat, qui propere adcucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus Atriam pervectus a praefecto alae Vivennio Rufino praesidium illic agitante vincitur, sed exoluta statim vincula interventu Hormi Caesaris liberti: is quoque inter duces habebatur. (13) at Caecina defectione classis volgata primores centurionum et paucos militum, ceteris per militiae munia dispersis, secretum castrorum adfectans in principia vocat. ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem; in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius. mox incipientibus, qui conscii aderant, ceteros re nova attonitos in verba Vespasiani adigit. simul Vitellii imagines dereptae et missi qui Antonio nuntiarent. sed ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellii effigies aspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt. »huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine proelio, sine volnere vinctas manus et capta traderent arma? quas enim ex diverso legiones?

2 prefecto uiuenniorum *sed corr.* 1*m*. 3 presidiū *corr. ex* presidio 1*m*. 6 munia *Ritter:* munera secretum *Agricola:* secretorū (secreta *dett.*) 8 transfugisset *sed corr.* 1*m*. ar|te *sed corr.* 1*m* 15 prelio

pugna. Suet. Dom. 6. Dio 68, 9. Eutrop. 7, 23. Iuven. 4, 111: *Et qui vulturibus servabat viscera Dacis.* Lips. — *adcucurrit*] nam non iniuria milites diffidebant tam timido et ambiguo duci partium Basso. Duebn. — *honorata custodia*] quam ob causam non dicit, sed facile est divinatu, suspectam mansisse eius fidem, quamquam auctorem ad Vespasianum desciscendi se praebuerat. Certe nihil excidit inter vv. *praebet* et *classis*, uti ratus est Walther. Ritteri adnotationem dabimus in Excursu. — *Atriam*] scribitur etiam Hatria, sed Ἀτρία Strabo 5, p. 214 et Plin. 3, 120: *nobili portu oppidi Tuscorum* (eorum scilicet, qui olim oram maris superioris occuparant. cf. *Müller* Etrusker I. p. 144 et 228.) *Atriae, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Hadriaticum;* hodie *Adria*. — *is quoque*] Amare hoc et cum dolore dictum. cf. 1, 76. Duebn.

13. *militiae munia*] 1, 48 *cetera militiae munia* 5, 21 *alia militiae munia*. Ann. 15, 11 *cuncta militiae munia* cf. *Ritter* ad Ann. 3, 2. — *secretum castrorum*] id est aucupans tempus, quo solitudo esset in castris. Ryckius. — *adfectans*] »ipso hoc secreto castrorum allicere conabatur curiosos;« verbum studiose quaesitum. — *in arto commeatum*] praesertim ex Aegypto. — *in deterius*] contionando detorquet, imprimis Vitellium mox ab omnibus desertum iri significans. Iosephus B. I. 4, 11, 2: ταπεινῶν μὲν τὰ Οὐιτελλίου πράγματα, τὴν Οὐεσπασιανοῦ δὲ ἰσχὺν ἐπαίρων. — *dereptae*] raptim detractae de signis vexillisque textilibus, quibus, ut tum mos ferebat, innexae erant. cf. Ann. 4, 2. Rup. Dio 65, 10: τὰς τοῦ Βιτελλίου εἰκόνας ἀπὸ τῶν σημείων καθεῖλον. — *totis castris*] in quae ceteri erant reversi ex illis militiae muneribus et his quoque innotuerat proditio. *in fama* pro »vulgata erat.« (Ita narrat, ut statim movisse se miles videatur. At Hegesippus 4, 30 noctem interponit et mane demum *surgentes evaginatis gladiis insiluisse super Caecinam* facit. Lips. Rem ita narrat Iosephus l. l.: τῆς δὲ αὐτῆς νυκτὸς ἐμπίπτει μετάνοια τοῖς στρατιώταις· σπασάμενοι δὲ τὰ ξίφη τὸν Καικίνναν ὥρμησαν ἀνελεῖν.) — *praescriptum*] in signis. Vide Lipsium ad c. 31. — *cuncta*] hactenus pectoribus inclusa: dolor, indignatio, ira, similia. — *huc cecidisse*] simplex pro composito; sine causa Heinsius malebat *recidisse*, Ruperti

nempe victas. et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecumanosque; quos tamen isdem illis campis fuderint straverintque. ut tot armatorum milia, velut grex venalium, exuli Antonio donum darentur?, octo nimirum legiones unius classis accessionem fore. id Basso, id Caecinae visum: postquam domos hortos opes principi abstulerint, etiam auferre militem. integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos reposcentibus aut prospera aut adversa?« (14) haec singuli, haec universi, ut quemque dolor inpulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus vincla Caecinae iniciunt; Fabium Fabullum quintae legionis legatum et Cassium Longum praefectum castrorum duces deligunt; forte oblatos trium Liburnicarum milites ignaros et insontes trucidant; relictis castris, abrupto ponte Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus primae Italicae et unietvicensimae Rapaci iungerentur, quas Caecina ad obtinendam Cremonam cum parte equitum praemiserat.

(15) Ubi haec comperta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus adgredi statuit, antequam ducibus auctoritas, militi obsequium et iunctis legionibus fiducia rediret. namque Fabium Valentem profectum ab urbe adceleraturumque cognita Caecinae proditione coniectabat; et fidus Vitellio Fabius nec militiae ignarus. simul ingens Germanorum vis per Raetiam timebatur; et Britannia Galliaque

3 tot *om.* (*add. dett.*) uelud *sed corr.* 1*m.* 5 principis *sed* s *del.* 1*m.* 6 etiam auferre militem *Halm* (etiam milites auferre *Ferrettus*): etiam militibus principem auferre lite. 8 quenq; Inpulerant *sed corr.* 1*m.* 14 cęcinā *sed nota erasa* 18 nanq; 21 et *ex dett.* (e *ed. princ.*, ex *Agricola*) brittannia

decidisse, quae sunt explicationes, non emendationes. — *primanos quartadecumanosque*] illi remissi erant in Hispaniam, hi in Britanniam. 2, 66. 67. — *ut — darentur*] haec verba Haase post *traderent arma* collocavit, sed interrogatio potius indignantium statuenda est (cf. Livius 5, 24, 12 *victamne ut quisquam victrici patriae praeferret?*) et recte in Mediceo post *straverintque* puncto distinctum est. — *exuli Antonio*] cf. 2, 86. Ann. 14, 40. — *unius classis*] »Classiarii milites, undecunque corrasi, contemnebantur a legionariis. Vicissim, ut legionibus aggregarentur, affectantes classiarios supra vidimus.« Duebn. — *etiam auferre militem*] hanc vel *Halmii* vel *Ferretti* correctionem vitiosae scripturae Medicei sensus flagitat; qui vv. *militibus principem* quolibet modo servare student, sententiam debiliorem reddunt et rationem codici postponunt. — *aut adversa*] poscentibus, ut rationem reddant aut prosperorum aut adversorum: quomodo usi sint victora sua ad Bedriacum, aut quanam adversitate eo sint detrusi, ut *accessio classis* fierent. Duebn. Sic Liv. 39, 37, 10: *cur - - vos rationem reposcitis?* Caesar B. G. 5, 30: *abs te rationem reposcent.*

14. *Fabium Fabullum — Cassium Longum*] uterque hoc uno loco in huius belli narratione memoratur. — *relictis castris*] prope Hostiliam. — *abrupto ponte*] c. 9 *Caecina inter Hostiliam — et paludes Tartari fluminis castra permuniit.* — *praemiserat*] cf. 2, 100.

15. *ingens Germanorum vis*] timebat Antonius, ne Germanorum numerosa auxilia acciret Vitellius, quippe qui diu in Germania fuisset ac gentis principibus notus et amicus

et Hispania auxilia Vitellius acciverat, inmensam belli luem, ni Antonius id ipsum metuens festinato proelio victoriam praecepisset. universo cum exercitu secundis a Verona castris Bedriacum venit. postero die legionibus ad muniendum retentis auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missae, ut specie parandarum copiarum civili praeda miles inbueretur. ipse cum quattuor milibus equitum ad octavum a Bedriaco progressus, quo licentius popularentur. exploratores, ut mos est, longius curabant. (16) quinta ferme hora diei erat, cum citus eques adventare hostes, praegredi paucos, motum fremitumque late audiri nuntiavit. dum Antonius quidnam agendum consultat, aviditate navandae operae Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit inpulitque Vitellianos modica caede: nam plurium adcursu versa fortuna et acerrimus quisque sequentium fugacissimus erat. nec sponte Antonii properatum et fore quae acciderant rebatur. hortatus suos, ut magno animo capesserent pugnam, diductis in latera turmis vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque eius reciperet; iussae armari legiones; datum per agros signum ut, qua cuique proximum, omissa praeda proelio occurreret. pavidus interim Varus turbae suorum miscetur intulitque formidinem. pulsi cum sauciis integri suomet ipsi metu et angustiis viarum conflictabantur. (17) nullum in illa trepidatione Antonius

1 molem *Faernus* 2 prelio 3 secundi | 5 misse 5/6 Inbuerentur (milites *Halm*) 8 cursabant *Haase* 13 fugacissimus *Meiser:* fuge ultim; (fugae primus *Ernesti*, fugae citissimus *Halm*, fugae celerrimus *Nipperdey*, fugae velocissimus *C. Schenkl*) 14 acciderunt *Madvig* 17 amissa *sed corr.* 1*m.* prelio 19 Integrũ *sed corr.* 1*m.* suũ et

esset. cf. infra c. 35: *suspecta Germania, tanquam in auxilium Vitellii accingeretur.* — *belli luem*] pestem, perniciem bellicam, ut de terrae motu pernicioso Ann. 2, 47. Sine causa Faernus, Muretus, Acidalius malebant *molem*. cf. Silius 5, 107: *Siccine nos, inquit, Boiorum in bella ruentes Spectastis, cum tanta lues vulgusque tremendum Ingrueret?* — *secundis a Verona castris*] bidui itinere. Agmen quaque vespera castra ponebat. Duebn. — *inbueretur*] »inciperet gustare dulcedinem praedae, quamvis e civibus actae, eaque captus fieret bellandi et vincendi cupidior.« Mox *quo licentius popularentur*, quia sic per octo M. P. spatium ab ipso protecti maiorem praedam agere poterant. — *longius curabant*] speciose quidem Haase *cursabant* coniciebat, sed scripturam Medicei tuetur c. 56 *quae cura explorandi:* est igitur »longius procedendo cura sua fungebantur.«

16. *acerrimus quisque sequentium fugacissimus erat*] sensus simplex est: ex Flavianis qui acerrime Vitellianos secuti erant, iidem iam versa fortuna acerrime fugiebant. (Plautus Trinummus 723: *Credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore.*) sed vitiosa Medicei scriptura *fugae ultimus* sine artificio interpretandi non tam *primum* in fuga quam *postremum* denotat. quis credat Tacitum rem simplicem tam ambigue elocutum esse? vitium ortum videtur divulsione unius vocabuli *fugacissimus* in duas partes *fuga* et *cissimus*, quod membrum in *ultimus* detortum est. cf. Livius 5, 28, 8: *fusos esse ab ignavissimo et fugacissimo hoste* Tac. Agr. 34: *hi ceterorum Britannorum fugacissimi* Ann. 2, 15

constantis ducis aut fortis militis officium omisit. occursare paventibus, retinere cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio manu voce insignis hosti, conspicuus suis. eo postremo ardoris provectus est, ut vexillarium fugientem hasta transverberaret. mox raptum vexillum in hostem vertit. quo pudore haud plures quam centum equites restitere. iuvit locus artiore illic via et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo et praecipitibus ripis fugam impediebat. ea necessitas seu fortuna lapsas iam partes restituit. firmati inter se densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare capere, arma equosque abripere. et exciti prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriae se miscebant. (18) ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum signa Rapacis atque Italicae, laeto inter initia equitum suorum proelio illuc usque provecta. sed ubi fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire ultroque adgredi hostem tantum per spatium cursu et pugnando fessum forte victuri. haud perinde rebus prosperis ducem desideraverant atque in adversis deesse intellegebant. nutantem aciem victor equitatus incursat et Vipstanus Messalla tribunus cum Moesicis auxiliaribus adsequitur, quos multi e legionariis quanquam raptim ductos aequabant. ita mixtus pedes equesque rupere legionum agmen. et

1 fortis *Acidalius:* fortissimi occursa (re *superscr. 2 vel 3m.*) 2 aliquo 5 resistere 9 illi *Rhenanus:* illic Instere *sed corr.* 1*m.* 10 perculsis *b:* periculsis *ex* periculi *corr.* 1*m.* 11 armo. quosq ;| *corr. 2 vel 3m.* 12 uictorie 14 prelio prouectas. et 17 victuri *Agricola:* uicti (acti *Freinsheim*, ducti *Halm; fortes invicti Urlichs*) 19 equita|tatus Vipstanus *Chr. Ad. Rupertus:* uipsan; 20 multi e *Dübner:* mi|litię (milites legionarii *b corr.*) rapti *sed corr.* 2*m.* 21 cursu aequabant *Nipperdey*

hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos.

17. *constantis ducis aut fortis militis officium*] cf. Curtius 8, 11, 7: *Alexander non ducis magis quam militis munia exequebatur* Arrian. 5, 18, 4: Πῶρος δὲ μεγάλα ἔργα ἐν τῇ μάχῃ ἀποδειξάμενος μὴ ὅτι στρατηγοῦ ἀλλὰ καὶ στρατιώτου γενναίου. — *manu voce*] Sic Ann. 2, 17: *inter quos insignis Arminius manu voce vulnere sustentabat pugnam.* — *quo pudore*] quamvis hunc pudorem suis iniecisset, tamen *haud plures* cet. — *interfluentis rivi*] *la Delmona*, ut putant, illabens Ollio fluvio (*Oglio*). — *atque illi*] Haud scio, an sit animadversum *atque* hic poni exquisita illa significatione pro *statim*, de qua Gellius 10, 29., nos ad Liv. 26, 39, 16. Gron. Nimis quaesita videtur haec interpretatio.

18. *fulsere*] Horat. C. 1, 7, 19: *fulgentia signis castra*, propter laminas inargentatas. — *forte victuri*] egregiam Agricolae emendationem Acidalio et Ryckio probatam, quam recentiores editores iniuria spreverunt atque etiam oblivione obruerunt, in textum reduxi. sensum enim fundit, ut ait Ryckius, plenum et planum, quo recentiores nihil melius excogitaverunt. — *haud perinde*] prosperis rebus sine duce egissent, adversis eum deesse sentiebant. intellige de Caecina vincto. Duebner. — *multi e legionariis*] et facilis et egregia est Duebneri emendatio: *multi e legionariis*, »quamquam gravioribus armis instructi aequo

propinqua Cremonensium moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant. (19) nec Antonius ultra institit, memor laboris ac volnerum, quibus tam anceps proelii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque adflictaverat. inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. utque cumulos super et recentia caede vestigia incessere, quasi debellatum foret, pergere Cremonam et victos in deditionem accipere aut expugnare deposcunt. haec in medio pulchra dictu, illa sibi quisque, »posse coloniam *in* plano sitam impetu capi. idem audaciae per tenebras inrumpentibus et maiorem rapiendi licentiam. quodsi lucem opperiantur, iam pacem, iam preces et pro labore ac volneribus clementiam et gloriam, inania, laturos: sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore. expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere.« spernuntur centuriones tribunique, ac ne vox cuiusquam audiatur, quatiunt arma rupturi imperium, ni ducantur. (20) tum Antonius inserens se manipulis, ubi aspectu et auctoritate silentium fecerat, non se decus neque pretium eripere tam bene meritis adfirmabat, »sed divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo consultando cunctatione saepius quam temeritate prodesse. ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit, ratione et consilio, propriis ducis artibus, profuturum. neque enim ambigua esse quae occurrant, noctem et ignotae situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna. non si pateant portae, nisi explorato, nisi die, intrandum. an obpugnationem inchoaturos adempto omni prospectu, quis aequus locus,

3 prelii 6 accessere (a *del. et* in *superscr.* 1*m.*) 8 in *add. Puteolanus* 10 p̄ces 11 Inani|nia (*pr.* ni *del.* 1*m.*) 14 quatiuntur 16 p̄tiū 17 eriperet an (*in marg.* tam 2*m.*) 21 occurrunt *sed* a *superscr.* 1*m.* 22 nocte cunctas 22/23 oportuna

tamen gradu incedebant cum auxiliaribus rapido agmine ductis.« — *minorem*] de omissa particula *tanto* cf. *Dräger* Synt. § 181.

19. *cumulos super*] de anastrophe praepositionis cf. *Dräger* Synt. § 225, 3. Ann. 14, 37 *confixaque telis etiam iumenta corporum cumulum auxerant* Livius 10, 29, 19: *consulis corpus eo die, quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat, inveniri non potuit.* — *recentia caede vestigia*] Verg. Aen. 9, 454: *ingens concursus ad ipsa Corpora seminecisque viros tepidaque recentem Caede locum.* — *haec in medio*] palam dicebant, quippe fortitudinis speciem habebant, sed animis agitabant turpia, foeda. Ern. — *coloniam in plano sitam*] sic 5, 23: *castraque in plano sita* Livius 9, 26, 2: *urbs sita in plano.* — *ad duces*] qui potirentur pecunia a deditis pro clementia oblata. Liv. 37, 32, 12: *captas, non deditas diripi urbes, et in his tamen imperatoris, non militum arbitrium esse.* — *rupturi imperium*] cf. Ann. 13, 36.

20. *pro virili portione*] Cicero ac Livius praeferunt *pro virili parte.* — *noctem et ignotae situm urbis*] Tacitus ante oculos habuit locum Livii 5, 39, 3 *noctemque veriti et ignotae situm urbis.* Ern. — *si pateant*] »ne intranda quidem urbs prius, quam lux orta, exploratores missi sint, etiamsi pateant portae«. Rup. — *adempto omni prospectu*] Caesar B.

quanta altitudo moenium, tormentisne et telis an operibus et vineis adgredienda urbs foret?« mox conversus ad singulos, »num secures dolabrasque et cetera expugnandis urbibus secum attulissent« rogitabat. et cum abnuerent, »gladiisne« inquit »et pilis perfringere ac subruere muros ullae manus possunt? si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut volgus inprovidum, inriti stabimus, altitudinem turrium et aliena munimenta mirantes? quin potius mora noctis unius advectis tormentis machinisque vim victoriamque nobiscum ferimus?« simul lixas calonesque cum recentissimis equitum Bedriacum mittit copias ceteraque usui adlaturos. (21) id vero aegre tolerante milite prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa moenia vagos e Cremonensibus corripiunt, quorum indicio noscitur sex Vitellianas legiones omnemque exercitum, qui Hostiliae egerat, eo ipso die triginta milia passuum emensum, comperta suorum clade in proelium accingi ac iam adfore. is terror obstructas mentes consiliis ducis aperuit. sistere tertiam decimam legionem in ipso viae Postumiae aggere iubet, cui iuncta a laevo septima Galbiana patenti campo stetit, dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) praemunita; dextro octava per apertum limitem, mox tertia densis arbustis intersepta. hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat; praetorianum vexillum proximum tertianis, cohortes auxiliorum in cornibus; latera ac terga equite circumdata; Sido atque Italicus Suebi cum de-

1/2 uineis (machinamti gen; ad expugnandos muros In modū turriū factū. is) adgredienda *uncos addidit et super glossam* vacat *scripsit 2m.* 9 lixa scalonesq; 11/12 egremonensib; *sed* c *superscr. 1m.* 12 uitallianas 14 prçliū aaciā *sed pr.* a *del.* 17 In alç uo | 18 a dextro *Heraeus* 19 tertia *Pichena:* tertia decima 22 sue bicū

G. 7, 81, 5: *prospectu tenebris adempto.* — *dolabrasque*] dolabra, ferramentum ex una parte acie acuta, ex altera fossoria, longo manubrio instructum, ad caedendum et perfringendum. Forcell. cf. Lipsius Mil. Rom. 5, 13. Poliorcet. 1, 9. 3, 6., *Brechaxt, pioches* Louandre, contra Burnouf nomen servavit *des dolabres.* Livius 21, 11, 8: *quingentos ferme Afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit.* Curtius 8, 4, 11: *dolabris silvas sternere adgressi.* (*Dolabrae* formam exhibet columna Traiana N. 299. Oberl.) — *aggerem*] muris admovendum, cui imponerent vineas et tormenta. Duebn. — *vim victoriamque*] Livius 8, 9, 7. *vim victoriamque prosperetis.* — *ceteraque usui*] breviter dictum ut antea *cetera expugnandis urbibus*; non igitur opus est cum Madvigio *ceteraque quae usui* scribere.

21. *Hostiliae*] cf. c. 9. 14. — *agresti fossa*] ad irrigandos agros a cultoribus ducta. Duebn. — *apertum limitem*] ad latus eiusdem viae Postumiae in campo aperto, qui opponitur densis arbustis, quibus tertia intersepta stabat (*ein offener Feldweg*). *Limes* opponitur ipsi aggeri viae. (*La bordure, ou lisière découverte, qui régnait des deux côtés de la voie militaire.* Burnouf.) — *mox tertia*] intrusum hic in Med. v. *decima* ortum per ἀβλεψίαν e praecedd. *sistere tertiam decimam*, fortasse etiam ex v. *densis* primo aspectu prave lecto neque postea correcto errore. Alii, ut Ryckius et Ferlet, v. *decimam* delent supra, minus probabiliter. — *praetorianum vexillum*] intellege

lectis popularium primori in acie versabantur. (22) at Vitellianus exercitus, cui adquiescere Cremonae et reciperatis cibo somnoque viribus confectum algore atque inedia hostem postera die profligare ac proruere ratio fuit, indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora paratis iam dispositisque Flavianis inpingitur. ordinem agminis disiecti per iram ac tenebras adseverare non ausim, quanquam alii tradiderint quartam Macedonicam dextrum suorum cornu, quintam et quintam decumam cum vexillis nonae secundaeque et vicensimae Britannicarum legionum mediam aciem, sextadecumanos duoetvicensimanosque et primanos laevum cornu complesse. Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant, eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. proelium tota nocte varium anceps atrox; his, rursus illis exitiabile. nihil animus aut manus, ne oculi quidem provisu iuvabant. eadem utraque acie arma; crebris interrogationibus notum pugnae signum; permixta vexilla, ut quisque globus capta ex hostibus huc vel illuc raptabat. urguebatur maxime septima legio nuper a Galba conscripta. occisi sex primorum ordinum centuriones, abrepta quaedam signa: ipsam aquilam Atilius Verus primipili centurio multa cum hostium strage et ad ex-

1 primore *Ritter* 4 hara 6 quān|quā (*pr. notam del.* 1*m.*) Messalla tradiderit *Joh. Müller* 7 dextrum *Faernus:* dextro 8 secundeq; brittannicarū 9 sexta|decunos *sed* ma *superscr.* 1*m.* 10 cornū 11/12 Preliū 12 exitiabiles *sed* s *del.* 1*m.* 16 ad gaba 17 abreptaq; *librarius scripturus corr.*

praetorianos a Vitellio exauctoratos (cf. Suet. Vit. c. 10) et a Vespasiano reciperandae militiae praemio invitatos (cf. 2, 67. 82.) Walther. — *primori in acie*] *Sirker* Tac. Formenl. § 42 p. 35 probat Ritteri mutationem *primore;* at vide Silius 11, 143 *His super excisam primori Marte Saguntum* et Gellius 10, 19, 3 *in primori pueritia.*

22. *algore*] referuntur haec ad exeuntem mensem Octobrem. cf. c. 37. — *ratio fuit*] hoc faciendum erat, si ex ratione rerum prudenter agere vellet. Duebn. — *dextrum suorum cornu*] *suorum* additur, ut haec de Vitelliana acie strictius opponantur priori Flavianarum partium descriptioni. nam *dextrum* et *laevum* apud Vitellianos aliud fuit quam apud Flavianos. quare iam quarta Mac. debebat dici dextro *suorum* cornu locata. accuratum scriptorem cognosce. Walth. — *Rapaces* cet.] hae duae legiones eodem die magnam cladem passae erant c. 18.; hinc factum, ut consternatae adhuc omnibus se manipulis miscerent. — *tota nocte*] hoc ipsum proelium nocturnum significari a Curtio 10, 9, 3 primus opinatus est Rutgersius Var. Lectt. 1, 19.; sed vide Mützell I. p. LXX. — *his, rursus illis*] c. 83 *hos, rursus illos* cf. *Dräger* Synt. § 125. — *primipili centurio*] nam in eius centurionis custodia aquila. ego de Milit. Rom. 2, 8. Lips. Veget. 2, 8: *centurio primipili non solum aquilae praeerat, verum etiam quattuor centurias, hoc est, quadringentos milites, in prima acie gubernabat.* Val. Max. 1, 6, 11: *aquilarum altera vix convelli a primopilo potuit*; hi igitur, cum legiones in eo erant, ut procederent, aquilas convellebant atque aquiliferis tradebant. fallitur videlicet Fabrettus Col. Trai. c. 7. p. 188. opinatus primipilos fuisse eosdem aquiliferos. fieri enim non poterat, ut primipilus gravem illam aquilam aeream inauratam altero utro brachio gestaret simulque milites suos curaret.

trimum moriens servaverat. (23) sustinuit labantem aciem Antonius accitis praetorianis. qui ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. namque Vitelliani tormenta in aggerem viae contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo et arbustis sine hostium noxa inlisa. magnitudine eximia quintae decimae legionis ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat. lateque cladem intulisset, ni duo milites praeclarum facinus ausi, arreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormentorum abscidissent. statim confossi sunt eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque. sed Flavianis aequior a tergo; hinc maiores equorum virorumque umbrae, et falso, ut in corpora, ictu tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine conlucentes velut ex occulto iaculantibus incauti offerebantur. (24) igitur Antonius ubi noscere suos noscique poterat, alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens, »cur victa resumpsissent arma«, Pannonicas legiones interrogabat: »illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi reciperare gloriam possent«. tum ad Moesicos conversus

1 labentē 2 excipere 3 nanq; uie 4 e vacuo *Heraeus* disperso 5 quintae *Lipsius*: quartę 6 clateq; *sed* c *del.* 1*m.* 7 strages *sed* s *del.* 1*m.* 8 tormento *Lipsius*, [tormentorum] *Nipperdey* 12 corpora *ex* corpore *corr.* 1*m.* iactu *Acidalius* 15 laudes *sed* s *del.* 1*m.* 16 cur victa resumpsissent *L. Spengel*: currari (*in marg.* cur rari 1*m.*) sūpsissent (cur resumpsissent *Lipsius*, cur rursus sumpsissent *Ferrettus*)

23. *labantem aciem*] Germ. 8, 2 *acies inclinatas iam et labantes.* — *scutis*] adversariorum, quibus tecti haud agnoscebantur a Vitellianis, quia horum scutis inscriptum erat Vitellii nomen. vide Lipsium ad c. 31. — *libramenta*] »videntur ita dici pondera, quibus graventur tormenta, ut maiore impetu missilia iaciantur.« Boetticher. mihi videtur potius ἓν διὰ δυοῖν *vincla ac libramenta* pro funibus, loris nervisque, quibus tela e ballista excussa librabantur. — *tormentorum*] vocabulum *tormentorum* accipe de una ballista. Walth. numerus singularis huius vocabuli raro usurpatur; similiter pluralis *epistulae* saepe de una epistula dicitur. — *luna surgens*] rem prodigialiter auget Dio 65, 11: ἡ σελήνη οὐχ ὅτι κατεσκιάσθη - -, ἀλλ' ὅτι καὶ αἱματώδης καὶ μέλαινα ἄλλα τέ τινα χρώματα φοβερὰ ἀφιεῖσα ὤφθη. — *aequior a tergo*] surgens luna. similis eventus in pugna Pompeii cum Mithridate, quem narrat Plutarchus c. 32: Ἐπῄεσαν μὲν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ νώτου τὴν σελήνην ἔχοντες· πεπιεσμένου δὲ περὶ τὰς δύσεις τοῦ φωτὸς αἱ σκιαὶ πολὺ τῶν σωμάτων ἔμπροσθεν προϊοῦσαι τοῖς πολεμίοις ἐπέβαλλον οὐ δυναμένοις τὸ διάστημα συνιδεῖν ἀκριβῶς· ἀλλ' ὡς ἐν χερσὶν ἤδη γεγονότων τοὺς ὑσσοὺς ἀφέντες μάτην οὐδενὸς ἐφίκοντο. — *ut in corpora*] quoniam tela in umbras tamquam in corpora iaciebantur. Bach. — *ictu*] Acidalius coniiciebat *iactu*, quod placet Ernestio, qui addit *iactum* dici de telis, quoad mittantur, ut hic; *ictum*, cum attingant corpus. Liv. 30, 10, 13. contra Brotierius affert Lucan. 3, 469: *At saxum quotiens ingenti ponderis ictu excutitur* cet. et haut dubie id potissimum hic agitur, quod tela falso ictu ceciderint, satisque intelligitur falso iactu a Vitellianis exiisse, quae falso ictu caderent. Walther. cf. Baiterum ad Ann. 13, 40.

24. *cur victa resumpsissent arma*] cf. c. 9 *temeritatem victa arma tractantium incusans* 2, 44 *resumere arma* 4, 76 *resumpturos arma.* — *prioris ignominiae*] de qua 2, 43. —

principes auctoresque belli ciebat: »frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent«. haec, ut quosque accesserat; plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens, ut sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent. mox infensus praetorianis »vos« inquit »nisi vincitis, pagani, quis alius imperator, quae castra alia excipient? illic signa armaque vestra sunt et mors victis: nam ignominiam consumpsistis«. undique clamor et orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere. (25) vagus inde an consilio ducis subditus rumor advenisse Mucianum, exercitus in vicem salutasse. gradum inferunt quasi recentibus auxiliis aucti, rariore iam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore suus quemque impetus vel pavor contraheret diduceretve. postquam inpulsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat. laxati ordines abrumpuntur nec restitui quivere inpedientibus vehiculis tormentisque. per limitem viae sparguntur festinatione consectandi victores. eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. rem nominaque auctore Vipstano Messalla tradam. Iulius Mansuetus ex Hispania Rapaci legioni additus inpubem filium domi liquerat. is mox adultus inter septimanos a Galba conscriptus oblatum forte patrem et volnere stratum dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exanguem amplexus voce flebili precabatur placatos patris manes,

1 frustrā Inisset | uerbis 2 tollerent 5 infensius *J. Fr. Gronovius.* 6 alia *ex* alie *corr.* 1*m.* excipient *ex* excipiant *corr.* 1*m.* 7 Ignominia | (nia *add.* 2*m.*) consummastis *Cornelissen* Undeq; 9 mucianū *corr. ex* mucian; 1*m.* exercitūs (*notam del.* 1*m.*) 10 Infer̄ 11 quenq; 12 diduceretve *Lipsius:* duceretue inpulsos *Bipontini:* pulsos (perculsos *Acidalius*) 13 obturbat *dett.* laxati *sed* t *in rasura* 1*m.* (*etiam in marg.* ti 1*m.*) 15 cedes 16 Vipstano *Ch. Ad. Rupertus:* uipsano 17 legioni *corr. ex* legione 1*m* 18 mox *corr. ex* mos 1*m.* 20 flebili *ex* fleuili *corr.* 1*m.* p̄cabatur 21 platos *post* pla *superscr.* ca 2 *vel* 3*m.* (ne piatos *b*)

auctoresque belli] 2, 85. — *Parthos*] ante CIV annos. cf. Dio 49, 19 ad a. u. 718. gloria autem legionis propria manebat. Duebn. — *sub Corbulone*] Ann. 15, 26. Hist. 2, 74. — *Sarmatas*] supra 1, 79. — *mox infensus*] molli sermone tertianos allocutus erat, infensum se praetorianis praestabat: falsum igitur est Gronovii *infensius.* — *pagani*] »quos non iam commilitones existimo, sed viles paganos.« Acerbior etiam increpatio quam illud *Quirites* Iulii Caesaris Ann. 1, 42. — *illic*] apud hostem, quem monstrat. Duebn. — *consumpsistis*] »exhausistis; nulla iam vobis superest, qui occidistis Galbam, vinci sivistis Othonem, exauctorati estis a Vitellio.« Id. Lipsius confert Curtius 6, 8, 6: *Scit eos, qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse;* Ruperti Silius 11, 34: *Consumptusque pudor peccando.* — *tertiani*] qui in Syria cum Corbulone militaverant. idem mos Parthis, teste Herodiano 4, 30., qui pugnam inituri orto iam sole: ἀσπασάμενοι δὲ τὸν ἥλιον, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι, μεγίστῃ τε κλαγγῇ βοήσαντες, ἐπέδραμον τοῖς Ῥωμαίοις.

25. *impetus vel pavor contraheret diduceretve*] cf. 2, 41 *ut cuique audacia vel formido in primam postremamve aciem prorumpebant aut relabebantur.* — *Messalla*] teste oculato; praefuerat enim legioni VII. Claudianae. c. 9. — *inpubem*] cf. 4, 14 *inpubes, sed forma conspicui — ad stuprum trahebantur.* — *precabatur placatos patris manes*] h. e.

neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus, et unum militem quotam civilium armorum partem? simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et saevissimi belli execratio. nec eo segnius propinquos adfinis fratres trucidant spoliant: factum esse scelus loquuntur faciuntque.

(26) Ut Cremonam venere, novum immensumque opus occurrit. Othoniano bello Germanicus miles moenibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumiecerat eaque munimenta rursus auxerat. quorum aspectu haesere victores, incertis ducibus quid iuberent. incipere obpugnationem fesso per diem noctemque exercitu arduum et nullo iuxta subsidio anceps. sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, et victoria ad inritum revolvebatur. munire castra, id quoque propinquis hostibus formidolosum, ne dispersos et opus molientes subita eruptione turbarent. quae super cuncta terrebat ipsorum miles periculi quam morae patientior: quippe ingrata quae tuta, ex temeritate spes; omnisque caedes et volnera et sanguis aviditate praedae pensabantur. (27) huc inclinavit Antonius cingique vallum corona iussit. primo sagittis saxisque eminus certabant, maiore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur. mox vallum portasque legionibus adtribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret atque ipsa contentione decoris accenderentur. proxima Bedriacensi viae tertiani septimanique sumpsere, dexteriora valli octava ac septima Claudiana; tertiadecumanos ad Brixianam portam impetus tulit. paulum inde morae, dum e pro-

1 ne ue 2 attolere 3 supmo 4/5 seuissimi 5 trucidant *Jac. Gronovius:* trucidati (trucidatos *dett.*) 8 germa|cus 10 iuberent *ex* iuuerent *corr.* 1*m.* 11 fessos 12 bedriaco *sed* ū *superscr.* 1*m.* 14 formidolosūs s *del.* 1*m* 14/15 subite ruptione (*post* subit *lineola distinguit* 1*m*) 16 quipe 17 cedes uolnera | *ex* uoluera *corr.* 2*m.* sanguvis (*sic, sed* v 2*m*) 20 ballū *sed corr.* 1*m.* adtriuit *sed corr.* 1*m* 21 distingeret *sed* u *superscr.* 1*m* 24 e *dett.:* et (ex *Bekker*)

precabatur, ut placati essent, cf. Livius 30, 27, 11 *et ut placatis dis omnia inciperent agerentque* 2, 45, 14 *iratos invocat deos* 5, 11, 16 *quibus iratos quisque deos precatus sit.* — *neve se ut parricidam aversarentur*] Livius 3, 50, 5 *supinas deinde tendens manus commilitones appellans orabat, ne, quod scelus Ap. Claudi esset, sibi attribuerent, neu se ut parricidam liberum aversarentur.* — *publicum id facinus*] »ne sibi potius imputarent hoc facinus quam universis civilibus armis, universo exercitui bellum civile auso; cuius se minimam partem esse nec totam culpam ferre debere.« Ern.

26. *Othoniano bello*] Cremona fuerat locus castrorum Vitellianorum et belli sedes: quod etsi non diserte suo loco tradidit Tacitus 2, 22. 23, patet tamen ex h. l. et c. 32. Rup. — *quae super cuncta*] de anastrophe praepositionis cf. *Dräger* Synt. § 225, 1.

27. *vallum*] Vitellianorum. — *ut discretus labor fortes ignavosque distingueret*] 4, 23 *quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt.* — *Brixianam portam*]

ximis agris legiones dolabras et alii falces scalasque convectant. tum elatis super capita scutis densa testudine succedunt. Romanae utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt, disiectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur, donec soluta compage scutorum exangues aut laceros prosternerent multa cum strage. incesserat cunctatio, ni duces fesso militi et velut inritas exhortationes abnuenti Cremonam monstrassent. (28) Hormine id ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius neque Hormus a fama vitaque sua quamvis pessimo flagitio degeneravere. non iam sanguis neque volnera morabantur, quin subruerent vallum quaterentque portas, innixi umeris et super iteratam testudinem scandentes prensarent hostium tela brachiaque. integri cum sauciis, semineces cum expirantibus volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium. (29) acerrimum tertiae septimaeque legionum certamen et dux Antonius cum delectis auxiliaribus eodem incubuerat. obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent et superiacta tela testudine laberentur, ipsam

1 legionēs (*notam del.* 1*m.*) ligones *Rhenanus* 2 capita *ex* sapita *corr.* 1*m.* 3 fluuitantēq; 4 contisque *dett.*: c̄citisq; cōpale (g *superscr.* 1*m.*) 5 cūcustrage (cu *punctis del.* 1*m.*) 7 hormi ne traditā (ā *del.* 1*m.*) 8 potiora .G̅.plunius 9 discreuerit *sed corr.* 1*m.* 11 Inixi 13 integris 17 superiecta *dett.* (superiactata *ed. princ.*) de testudine *Halm*

quae spectabat viam Brixiam ducentem. Duebn. — *legiones — et alii*] item c. 31 *iam legiones in testudinem glomerabantur et alii tela saxaque incutiebant.* nolui igitur cum Rhenano *ligones* scribere: legiones, quibus Antonius vallum portasque adtribuerat, dolabras (cf. c. 20) ad perfringendum convectant. vocabulum *ligo* nusquam apud Tacitum legitur. — *convectant*] Verg. Aen. 7, 749 *Convectare iuvat praedas et vivere rapto.* — *testudine*] evidentem talis testudinis imaginem praebet Lucanus 3, 474: *Ut tamen hostiles densa testudine muros Tecta subit virtus, armisque innexa priores Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo.* cf. Liv. 44, 9. Dio 49, 30. — *Romanae utrimque artes*] Livius 5, 27, 8 *ego Romanis artibus, virtute, opere, armis — vincam* 42, 47, 4 *veteres et moris antiqui memores negabant se — Romanas agnoscere artes.* — *incesserat cunctatio*] quia multa strages, timidior et cunctantior iam miles. Lipsius. — *Cremonam monstrassent*] quam diripere illico possent. insignis est βραχυλογία, qua facile intelligitur, clare a ducibus promissam atque concessam esse militibus oppidi direptionem.

28. *Hormine*] cf. c. 12. — *id ingenium*] inventum, excogitatum ingenio, ut 2, 71: *cetero Neronianae aulae ingenio.* Plinius Pan. 49. *exquisita ingenia cenarum.* quibus locis, ut huic, in quo versamur, inest nescio quae ironia. — *Messalla*] Vipstanus. cf. c. 9. — *C. Plinius*] naturae historiarum scriptor, cuius tunc exstabant etiam *A fine Aufidi Bassi XXXI.* Plin. Epp. 3, 5. — *iteratam*] restitutam, postquam *disiecta* erat. c. 27. non significat, ut credebat Lipsius Poliorcet. 1, 5, »tertios super duplicem scutorum seriem ascendisse«. — *omni imagine mortium*] »generum mortis«. meminerat Vergiliani illius Aen. 2, 369: *ubique pavor et plurima mortis imago.* (sic Thucyd. 3, 81: πᾶσα ἰδέα κατέστη θανάτου. ibid. 98: πᾶσα ἰδέα κατέστη τῆς φυγῆς καὶ τοῦ ὀλέθρου.)

29. *septimaeque*] Galbianae. — *superiacta*]

postremo ballistam in subeuntes propulere, quae ut ad praesens disiecit obruitque, quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit. simul iuncta turris ictibus saxorum cessit. qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam perfregit. primum inrupisse C. Volusium tertiae legionis militem inter omnes auctores constat. is in vallum egressus deturbatis, qui restiterant, conspicuus manu ac voce capta castra conclamavit. ceteri trepidis iam Vitellianis seque e vallo praecipitantibus perrupere. completur caede quantum inter castra murosque vacui fuit. (30) ac rursus nova laborum facies: ardua urbis moenia, saxeae turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiae stato in eosdem dies mercatu congregata, quod defensoribus auxilium ob multitudinem, obpugnantibus incitamentum ob praedam erat. rapi ignes Antonius inferrique amoenissimis extra urbem aedificiis iubet, si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur. propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa fortissimo quoque militum complet; illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant. (31) iam legiones in testudinem glomerabantur et alii tela saxaque incutiebant, cum languescere paulatim

1 ballis tā 1/2 disiecto bruitq; 2 obtrivitque *Ernesti* quis *vel* in quos *Ernesti* 3 Iunctatur//ris 4 gladiisque] dolabrisque *Heinsius* 5 .G̅. 6 resisterant 8 precipitantib; 12 merca|tus

cf. 5, 6: *undae superiacta ferunt.* Sallust. Hist. 2 apud Nonium p. 508. Merc.: *superiactis fluctibus.* Plinius Nat. Hist. 11, 270 *harena superiacta.* — *quos inciderat*] *incidere aliquem* pro *in aliquem* dixit etiam Apuleius Met. 2, 18: *fortunam scaevam an saevam verius dixerim miser incidit.* ib. c. 14: *inimici nostri tam diram, immo vero Ulixeam peregrinationem incidant.* cf. *Dräger* Synt. § 40,c. — *nituntur cuneis*] hoc est, *cuneatim irrupere.* cf. Ann. 1, 51. Hist. 2, 42. 5, 16. 18. Oberl. — *gladiisque*] parum probabilis est Heinsii coni. *dolabrisque.* Ryckius contra monet, »castrorum portas intelligi, quae fortasse gladios non spreverint«. »eiusmodi videlicet«, inquit Burnouf, »erant Romanorum gladii, ut, ubi opus esset, iis simul pro securibus uti possent.« — *egressus*] eodem modo usus est verbo *egrediendi* infra c. 71: *in quarum tectum egressi.* Ern. Liv. 40, 22, 2: *quantum in altitudinem egrediebantur*, escendebant. — *conclamavit*] verbum *conclamare* de uno dictum et ab aliis, nominatim a Virgilio Aen. 9, 375: *conclamat ab agmine Volscens.* Valer. Flaccus 8, 259: *Di maris, attonito conclamat ab aggere Tiphys.* Ern. Statius Theb. 4, 801 *exultans conclamat ab agmine primus.* in his locis simplicis verbi auget vim compositum *conclamare*, ut sit *alta voce clamare.* ceterum nota in his verbis *capta castra conclamavit* rhythmum quendam et allitterationem. — *completur caede*] Dio 65, 15: ἔπαιον ἔσφαττον, ὥστε καὶ πέντε μυριάδας σὺν τοῖς ἐν τῇ μάχῃ πεσοῦσιν ἀπολέσθαι. cf. Iosephi ex b. I. locum ad c. 33.

30. *nova laborum facies*] est Vergilianum illud Aen. 6, 103: *non ulla laborum, O virgo, nova mi facies inopinave surgit.* — *stato*] certis diebus quotannis habito. — *trabibus*] Heinsius malebat *lateribus*, *lapidibus* Ernestius. »at *trabibus* bene habet. tectorum ipsorum tegulas et trabes de culmine domuum deiciebant in hostes. sic tormentis non erat opus«. Oberl.

Vitellianorum animi. ut quis ordine anteibat, cedere fortunae, ne Cremona quoque excisa nulla ultra venia omnisque ira victoris non in volgus inops sed in tribunos centurionesque, ubi pretium caedis erat, reverteretur. gregarius miles futuri socors et ignobilitate tutior perstabat. vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur. catenas Caecinae (nam etiam tunc vinctus erat) exsolvunt orantque, ut causae suae deprecator adsistat. aspernantem tumentemque lacrimis fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes. mox velamenta et infulas pro muris ostentant. cum Antonius inhiberi tela iussisset, signa aquilasque extulere: maestum inermium agmen deiectis in terram oculis sequebatur. circumstiterant victores et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox, ut praeberi ora contumeliis et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur, subit recordatio illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae tempe-

1 ante ibant 3 Inobs p̄tiū 4 miles *sed* m *corr. ex* qui 1*m* tututior *sed pr.* tu *del.* 1*m* 5 uias | in] non *Meiser* 6 potuissent (s *super* t *scr.* 2*m.*) 7 etiia (*sic*) *habet* tunc *ut ed. princ.*, *non* tum erant 8 dep̄cator 9 tu m̄tēq; fatigat (n *superscr.* 1*m.*) 15 subiit *Nipperdey*

31. *ne Cremona quoque excisa*] si praeter amoenissima extra urbem aedificia Cremona quoque interisset. — *ubi pretium caedis erat*] partim propter praedam, partim, ut viri maxime insignes e medio tollerentur. — *reverteretur*] sine causa Muretus, Ursinus, Acidalius malebant vulgarius *verteretur*; illud est *a vulgo retro verteretur.* — *vagi per vias, in domibus abditi*] sensus negationem potius flagitare videtur: gregarii milites securi per vias vagabantur, non trepidi domibus se abdebant ac ne tum quidem orabant pacem, cum bellare destitissent. scribendum igitur videtur *non domibus* (vel *non in domibus*) *abditi.* vulgatae scripturae minus apta sententia est: vagi per vias aut in domibus abditi etc. cf. Ann. 1, 39 *mox vagi per vias.* — *nomen atque imagines*] nomen eius in signis. mos enim ille, ut imperatoris sui nomen et vexillis inscriberent et scutis. quod etiam in libera re publica video factitatum. Dio de Crasso in Parthos movente 40, 18: σημεῖον δέ τι τῶν μεγάλων τῶν τοῖς ἱστίοις ἐοικότων καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτῆς πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων. Seneca Phoeniss. 399 etiam Graecis attribuit, sed mentem habens in militia Romana: *aurea clarum nota Nomen ducum vexilla praescriptum ferunt,* facitque litteras aureas, quas Dio puniceas. huc Suetonii illud pertinet Vesp. 6: *nomen eius vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* item Prudentii de Constantino, in Symm. 1, 488: *Christus purpureum gemmato textus in auro Signabat labarum, clypeorum insignia Christus Scripserat.* qui bene addit de clipeis sive scutis: nam et illic, ut dixi, inscribebant. Quintilianus pro milite c. 12: *inscriptum in scuto C. Marii nomen.* Dio 42, 15 Marcellum ait nomen Pompeii, cum id scutis suis milites inscriberent, delevisse, uti scilicet fautorem se Caesari ostenderet. idem 50, 5 notat Romanos milites Cleopatrae nomen scutis inscripsisse, quasi imperatoris. Lips. de nominibus adde Hist. 2, 85. 3, 13. Ern. — *tumentem*] superbia inflatum eorumque preces aspernantem. — *velamenta*] supplicum ritu. cf. 1, 66. — *signa aquilasque extulere*] scilicet ad Antonium. honesta deditio cum signis fiebat, quae his auferuntur. Duebn. — *ut praeberi* cet.] variata constructione inter infinit. histor. et tempus finitum, ut Ann. 12, 51: *post — ubi quati uterus et viscera vibran-*

rassent. sed ubi Caecina praetexta lictoribusque insignis dimota turba consul incessit, exarsere victores: superbiam saevitiamque, (adeo invisa scelera sunt) etiam perfidiam obiectabant. obstitit Antonius datisque defensoribus ad Vespasianum dimisit.

(32) Plebs interim Cremonensium inter armatos conflictabatur nec procul caede aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles. et vocatos ad contionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer, de Cremona in neutrum. exercitus praeter insitam praedandi cupidinem vetere odio ad excidium Cremonensium incubuit. iuvisse partes Vitellianas Othonis quoque bello credebantur; mox tertiadecimanos ad extruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus iurgiis inluserant. auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad proelium progressae. tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiore opum specie complebat. ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat. is balineas abluendo cruori propere petit. excepta vox est, cum teporem incusaret, »statim futurum ut incalescerent«. vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tanquam signum incendendae Cremonae dedisset, quae iam flagrabat. (33) quadraginta armatorum milia inrupere, calonum lixarumque amplior numerus et in libidinem ac saevitiam corruptior. non

1 lictorib; quę 2 seuitiāq; saevitiamque atque *Ritter* 4 auespasianū (d *superscr.* 1*m*) 6 p̄cib; 11 procacia *ex* procacię *corr.* 1*m* 13 gladiatorū|rū (*pr.* rū *del.* 1*m*.) 14 cibi *ex* ciui *corr.* 1*m* cesę 15 p̄liū 16 maiorē (maiorum *det.*) 17 balineas *ex* balneas *corr.* 1*m*. 18 *praefero* petiit *Nipperdey* 19 incalescerent *ed. princ.*: Inalesceret (n *superscr.* 1*m*) 22 seuitiā

tur. cf. supra 3, 10 *ubi crudescere seditio* et *Nipperdey* ad Ann. 2, 4 *ubi minitari.* de re cf. c. 85 *erigere os et offerre contumeliis. Böttiger* Sabina p. 278. Evang. Luc. 6, 29 τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην. Matth. 5, 39. — *qui nuper*] quod narratum 2, 45. — *dimota turba*] scilicet a lictoribus, qui praeeuntes consuli dicere solebant: *si vobis videtur, discedite, Quirites.* Ruperti. cf. c. 80 *occiditur proximus lictor dimovere turbam ausus.* — *superbiam saevitiamque*] cf. 2, 20 *at Caecina velut relicta post Alpes saevitia ac licentia.*

32. *in neutrum*] »in neutram partem quidquam pronuntiavit, neque ad salutem neque ad perniciem.« Ern. — *editum illic a Caecina*] 2, 67. et 70 — *excepta vox est*] Antonii scilicet: is enim, cum de aqua parum calida quereretur, his fere verbis in balneatores minaciter invectus esse putandus est: »Nisi balneum calfeceritis, vos calfieri statim iubebo« (cf. Cic. Ep. fam. 16, 18 *calface hominem.* Plaut. Cas. 291 *virgis calefactabere*). quam minantis vocem ita interpretati sunt homines maligni, quasi Cremonam incendi iussisset. — *vernile dictum*] (*ein plumper, schlechter Witz*) est dictum, quale vernas decet, cf. 2, 59 *vernilibus blanditiis.* recte de hoc loco a multis prave intellecto disputat *Joh. Müller:* Beiträge etc. II p. 21 sq. — *quae iam flagrabat*] revera igitur Antonius signum incendendae Cremonae non dederat.

dignitas, non aetas protegebat, quo minus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur. grandaevos senes, exacta aetate feminas, viles ad praedam, in ludibrium trahebant. ubi adulta virgo aut quis forma conspicuus incidisset, vi manibusque rapientium divolsus ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat. dum pecuniam vel gravia auro templorum dona sibi quisque trahunt, maiore aliorum vi truncabantur. quidam obvia aspernati verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere, faces in manibus, quas, ubi praedam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam iaculabantur; utque exercitu vario linguis moribus, cui cives socii externi interessent, diversae cupidines et aliud cuique fas nec quidquam inlicitum. per quadriduum Cremona suffecit. cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mefitis templum stetit ante moenia, loco seu numine defensum. (34) hic exitus Cremonae anno ducentesimo octogesimo sexto

1 cedib; 2 ętatę *sed corr.* 1*m.* 6 obtruncabantur *Heinsius*, trucidabantur *Ernesti* 7 obuiā 9 uacuos (a *superscr.* 1*m.*) per lasci|uia utque in *Ritter* 10 inessent *Ernesti* 12 cremonā ignem *Heinsius*, ignes *Ernesti*.

33. *stupra caedibus, caedes stupris*] figura ἀντιμεταβολῆς, ut 2, 37. Prammer. Curtius 9, 10, 30 *adeo nec luxuriae quicquam crudelitas nec crudelitati luxuria obstat*. Livius 39, 8, 8 *inter stupra et caedes*. — *ipsos postremo direptores*] talis illa in capta urbe descriptio Quintiliani 8, 3: *et conata retinere infantem suum mater et, sicuti maius lucrum, pugna inter victores*. Lips. cf. Curtius 5, 6, 4: *itaque inter ipsos victores ferro dimicabatur: pro hoste erat, qui pretiosiorem occupaverat praedam* etc. — *truncabantur*] pro *obtruncabantur* dictum, ut Valerius Flaccus 6, 568 *in medio truncantem marmore cervos*. — *faces in manibus*] scil. habentes, ἔχοντες Rup. — *vacuas domos et inania templa*] illas cogita divitiis, haec ornamentis ac donariis spoliata. eadem synonyma iungit 5, 9: *vacuam sedem et inania arcana*. — *exercitu vario*] ablat. absol.: »utque evenit, ubi exercitus est varius«. — *suffecit*] scil. direptioni et ignibus. Th. Kiessl. — *in igne*] Heinsius probante Ernestio *in ignem*, ut Verg. Aen. 2, 624: *omne mihi visum considere in ignis Ilium*, Statius Theb. 3, 184: *in cinerem consedit*. Propertius 4, 8, 37 *non flebo in cineres arcem sedisse paternos Cadmi*. sed utrumque genus dicendi bonum est ratione paulum diversa. Walth. — *Mefitis*] dea avertens molestiam odoris gravissimi, putoris, qui ex corruptione aëris nascitur. cf. Servius ad Aen. 7, 84. *Deuerling*: Glossae quae *Placido* non adscribuntur nisi in libro glossarum 1876 p. 24: *Mefitis dea, quae pluribus Italiae locis religiose colitur et in Lucanis quoque. cuius deae fons est, ex quo gravissimus odor redditur sulphureus*. Templum haud dubie situm Padum versus, flumen saepe exundans. Duebn. inscr. m Lat. N. 1795: *MEFITI* || *L. CAESIVS* || *ASIATICVS* || *VI. VIR FLAVIALIS* || *ARAM ET MENSAM* || *DEDIT. L. D. D. D.* Cremonae. ceterum de tota hac clade cf. Iosephus B. I. 4, 11, 3: Οἱ δὲ (Vitelliani) παραταξάμενοι πρὸς ὀλίγον μὲν ἀντέσχον, αὖθις δὲ τραπέντες ἔφευγον εἰς τὴν Κρεμῶνα. Καὶ τοὺς ἱππεῖς ἀναλαβὼν Πρῖμος ὑποτέμνεται τὰς εἰσόδους αὐτῶν, καὶ τὸ μὲν πολὺ πλῆθος κυκλωσάμενος πρὸ τῆς πόλεως διαφθείρει· τῷ δὲ λοιπῷ συνεισπεσών, διαρπάσαι τὸ ἄστυ τοῖς στρατιώταις ἐφῆκεν. Ἔνθα δὴ πολλοὶ μὲν τῶν ξένων ἔμποροι, πολλοὶ δὲ τῶν ἐπιχωρίων ἀπώλοντο, πᾶσα δὲ Οὐιτελλίου στρατιά, μυριάδες τρεῖς ἀνδρῶν καὶ διακόσιοι· τῶν δὲ τῆς Μυσίας Ἀντώνιος τετρακισχιλίους ἀποβάλλει καὶ πεντακοσίους.

a primordio sui. condita erat Ti. Sempronio et P. Cornelio consulibus, ingruente in Italiam Annibale, propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes, et si qua alia vis per Alpes rueret. igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, adnexu conubiisque gentium adolevit floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius pudore flagitii crebrescente invidia edixit, ne quis Cremonensem captivom detineret. inritamque praedam militibus effecerat consensus Italiae emptionem talium mancipiorum aspernantis: occidi coepere. quod ubi enotuit, a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur. mox rediit Cremonam reliquus populus: reposita fora templaque magnificentia municipum et Vespasianus hortabatur. (35) ceterum adsidere sepultae urbis ruinis noxia tabo humus haud diu permisit. ad tertium lapidem progressi vagos paventesque Vitellianos, sua quemque apud signa, componunt. et victae legiones ne manente adhuc civili bello ambigue agerent, per Illyricum dispersae. in Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Iulium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. simul transitus Alpium praesidiis occupati, suspecta Germania, tanquam in auxilium Vitellii accingeretur.

1 suo (o *del. et* i *superscr.* 1*m.*) Ti. *Lipsius*: .T. et *om. Halm* P. *om. add. Rhenanus* (Sempronio et Cornelio *Ritter*). cons. 3 irrueret *dett.* 4 oportunitate 5 Inacta (t *post* n *superscr.* 1*m.*) 6 crebescente Inuidię dixit 7 deteneret *sed corr.* 1*m.* 8 aspernantes cępere 10 munificentia *dett.* 11 adsideres epulię 12 noxia *ex* nonia *corr.* 1*m.* 13 quenq; 14 ambiguę 15 illiricū brittaniā 18/19 presidiis

34. *Ti. Sempronio et P. Cornelio*] a. u. c. 536. Varr. Liv. 21, 6, 3 *consules tunc Romae erant P. Cornelius Scipio et Ti. Sempronius Longus* 21, 25, 2 *quod nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas aegre patiebantur.* — *opportunitate fluminum*] Padi, Adduae, Ollii aliorumque plurium, sed minorum. Rup. — *ubere agri*] est Vergilianum Aen. 3, 164: *Terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae*, fertilitate. — *adnexu*] coniunctione quacunque, quales commercia, conubia, concilia communia (cf. Liv. 8, 14), cui subicitur species coniunctionis. Ern. Walther memorat 1, 4: *magnis domibus adnexa.* Ann. 5, 1: *sanguini Augusti per coniunctionem Agrippinae et Germanici adnexa.* — *gentium*] civitatum Galliae Transpadanae et Cispadanae vicinarum. — *civilibus infelix*] Bruti et Cassii partibus addicta et propterea agro multata. notus Vergilii versus Ecl. 9, 28: *Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!* — *magnificentia*] cf. 2, 5 *Mucianum — magnificentia et opes — extollebant.* 3, 38 *qui se — comem ac magnificum militibus ostentet.* non est absurdum, ut significet magnifice dandi modum. Walther.

35. *sepultae urbis*] similiter Sulpicius ad Ciceronem (ad Fam. 4, 5) de Graeciae oppidis quodam tempore florentissimis, tunc prostratis et dirutis scribit: *cum uno loco tot oppidorum cadavera proiecta iaceant.* Doebn. — *ambigue*] dubia fide. Rup. — *Alpinium*] cuius adventus et defectio infra narrabitur 4, 31. cf. 5, 19. — *ostentui misere*] ut manifestum gloriosumque victoriae indicium esset. Rup.

(36) At Vitellius profecto Caecina, cum Fabium Valentem paucis post diebus ad bellum inpulisset, curis luxum obtendebat. non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore volgi agere, sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita instantia futura pari oblivione dimiserat. atque illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit. nec multo post de Caecina adfertur mixtus gaudio dolor, et descivisse et ab exercitu vinctum. plus apud socordem animum laetitia quam cura valuit. multa cum exultatione in urbem revectus frequenti contione pietatem militum laudibus cumulat. Publilium Sabinum praetorii praefectum ob amicitiam Caecinae vinciri iubet, substituto in locum eius Alfeno Varo. (37) mox senatum composita in magnificentiam oratione adlocutus exquisitis patrum adulationibus attollitur. initium atrocis in Caecinam sententiae a L. Vitellio factum; dein ceteri composita indignatione, quod consul rem publicam, dux imperatorem, tantis opibus tot honoribus cumulatus amicum prodidisset, velut pro Vitellio conquerentes suum dolorem proferebant. nulla in oratione cuiusquam erga Flavianos duces obtrectatio: errorem inprudentiamque exercituum culpantes Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. nec defuit qui unum consulatus diem (is enim in locum Caecinae supererat) magno cum inrisu

3 firmaret *sed corr.* 1*m.* 5 suggeras *ex* suggerant *corr.* 1*m.* 7 pertulit (c *superscr. et in margine* cu *add.* 1*m.*) 11 Publilium *Halm:* plubiliū 12 locū *ex* loco *corr.* 1*m.* 15 ceteri *ex* cetera *corr.* 1*m* 16 cons̃ rem p. 17 amicus amicum *Meiser*

36. *at Vitellius*] revertitur ad 2, 101. — *ad bellum inpulisset*] ad bellum confestim proficisci iussisset. — *obtendebat*] i. e. curis neglectis luxui indulgebat. Th. Kiessling. Metaphora a velo translata, quia velatur aliquid, ne appareat. Walther. — *in ore*] in conspectu; modus est Sallustianus Hist. I. 98: *in ore agens gentibus, populo, civitati*, et II 50, 4 *a prima adulescentia in ore vostro privatus et in magistratibus egi.* Tacitus rursus c. 77: *Iulianus - - in ore eius iugulatur.* — *in nemore Aricino*] Aricia, oppidum Latii, hodie *la Riccia*, XVI M. P. a Roma distans, notum propter Dianam *Nemorensem*, ut appellabatur ob celebre atque amoenissimum illud *nemus*, in quo colebatur cum Virbio. Verg. Aen. 7, 515 et 761. Ovid. Met. 15, 497. — *Publilium Sabinum*] cf. 2, 92.

37. *composita indignatione*] nota idem verbum sic proxime repetitum post vv. *composita-oratione.* sed nemo frequentius talibus repetitionibus, ut ita dicam, abuti videtur quam Livius. — *cumulatus*] desidero tertio quoque loco (*consul — dux*) nomen substantivum: fortasse igitur ante *amicum* excidit *amicus* cf. Accius fr. 132 *qui neque amico amicus umquam gravis neque hosti hostis fuit.* (Ribbeck trag. Rom. fr. (2) p. 153.) — *suum dolorem*] hoc est, quem ex Caecinae iniuriis privatim publiceque ceperant. eum cum alias pressissent, tunc sub illa specie edebant. igitur graviter invecti in Caecinam, non Vitellii, sed suis iniuriis incensi. Ern. — *is enim in locum Caecinae*] »is enim unus dies supererat (post severum illud in Caecinam senatus decretum) volenti succedere in locum Caecinae sive si

tribuentis accipientisque eblandiretur: pridie kalendas Novembres Rosius Regulus iniit eiuravitque. adnotabant periti numquam antea non abrogato magistratu neque lege lata alium subfectum. nam consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus C. Caesare dictatore, cum belli civilis praemia festinarentur.

(38) Nota per eos dies Iunii Blaesi mors et famosa fuit, de qua sic accepimus. gravi corporis morbo aeger Vitellius Servilianis hortis turrim *in* vicino sitam conlucere per noctem crebris luminibus animadvertit. sciscitanti causam apud Caecinam Tuscum epulari multos, praecipuum honore Iunium Blaesum nuntiatur. cetera in maius, de apparatu et solutis in lasciviam animis. nec defuere qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blaesum incusarent, quod aegro principe laetos dies ageret. ubi asperatum Vitellium et posse Blaesum perverti satis patuit iis, qui principum offensas acriter speculantur, datae L. Vitellio delationis partes. ille infensus Blaeso aemulatione prava, quod eum omni dedecore maculosum egregia fama anteibat, cubiculum imperatoris reserat, filium eius sinu complexus et genibus accidens. causam confusionis quaerenti, non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris preces lacrimasque attulisse. frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicae legiones, tot provinciae virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris inmensis spatiis arceat. in urbe ac sinu cavendum

1 eblandiretur *Rhenanus:* blandiretur p̄ʀ kl (*cum lin. in* l) noueuēb. (*sic*) *cum lin. in* b (nouembris *ed. princ.*) 2 nunquā 4 Rebilus *Rhenanus:* rebitus Ḡ cęsarē (*notam del.* 1m.) 8 in *om.: add. Muretus* 9 cecinā 12 criminosiū 15 emulatione 19 p̿ces ait attulisse *Meiser* quȩ̄

quis sufficiendus Caecinae foret. Ern. — *eblandiretur*] Livius 27, 31, 7 *omnia emebat aut eblandiebatur.* — *adnotabant periti*] item Agr. 22, Ann. 12, 25. — *Caninius Rebilus*] a. u. c. 708. Cic. ad Fam. 7, 30, 1: *In campo certe non fuisti, cum H. II. comitiis quaestoriis institutis sella Q.* (Fabii) *Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset, quo mortuo nuntiato sella sublata est. Ille autem* (Caesar), *qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit; consulem H. VII. renuntiavit, qui usque ad Kalendas Ian. esset, quae erant futurae mane postridie. Ita Caninio consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est; fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit* (propter cenam aditialem usque in ipsas Kal. Ian. productam). Plutarch. Caes. 58. Suet. Iul. 76. Ner. 15. Dio 43, 46. Macrob. Sat. 2, 3.

38. *Iunii Blaesi*] cf. 1, 59. 2, 59. — *Servilianis*] in quibus Nero quoque morari solitus; Ann. 15, 55. Suet. Nero 47. Duebn. Caesarum tunc erant, et siti fuisse videntur prope Tiberis ripam in via, quae Ostiam versus ducebat. vide Suet. l. l. — *turrim*] aedificium liberioris praesertim prospectus causa in maiorem quam solitae domus altitudinem exstructum, ut *turris Maecenatiana.* Suet. Ner. 38. — *Caecinam*] memoratum Ann. 13, 20. Suet. Nero 35. — *in maius*] exaggerata atque in deterius aucta nuntiantur. — *maculosum*] cf. 1, 7. 2, 30. — *reserat*] »non sine quadam violentia, ostiario non prius interrogato, aperit et intrat.« — *causam — quaerenti — attulisse*] ante *attulisse* verbum *ait* excidisse suspicor;

hostem, Iunios Antoniosque avos iactantem, qui se stirpe imperatoria, comem ac magnificum militibus ostentet. versas illuc omnium mentes, dum Vitellius amicorum inimicorumque neglegens fovet aemulum principis labores e convivio prospectantem. reddendam pro intempestiva laetitia maestam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat vivere Vitellium et imperare et, si quid fato accidat, filium habere. (39) trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blaesi mors maturam perniciem, palam iussa atrocem invidiam ferret, placuit veneno grassari. addidit facinori fidem notabili gaudio Blaesum visendo. quin et audita est saevissima Vitellii vox, qua se (ipsa enim verba referam) pavisse oculos spectata inimici morte iactavit. Blaeso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit. integris quoque rebus a Caecina et primoribus partium iam Vitellium aspernantibus ambitus abnuere perseveravit. sanctus inturbidus nullius repentini honoris, adeo non principatus appetens parum effugerat, ne dignus crederetur.

4 reddenda 5 męsttā (*sic*) *ex* męstitiā *corr.* 1*m.* 6 Imperaret (t *del.* 1*m.*) quit 8 crassari 9 notabili *Faernus:* nobili blesū seuissima 11 bleso elegantiā *notam del.* 1*m.* 12 *super* fidei *apex et in marg.* al: (*cum lin. in* l) fides obstinata 1*m.* obfuit *Madvig* 13 uitelliūs (s *del.* 1*m.*) 14 sc̄s

nam participium *quaerenti* omissum verbum vix patitur. cf. Ann. 15, 66 *instanti minitantique — neminem ait plura scire* 16, 9 *suadentique venas abrumpere animum quidem morti destinatum ait.* — *Iunios Antoniosque avos*] ex utroque hoc nomine causam habuerunt stirpis suae originem ab Octavia repetendi, Augusti sorore, ut perspecta genealogiae series probat. Savilius. Iunia gente Blaesus Silanos attingebat cognatos Augusto; v. Ann. 13, 1. 15, 35. 16, 8. Ritter. — *stirpe imperatoria*] *imperatoria* h. l. est principalis et hoc respicit cognationem cum Antonio et Augusto, non quod Iunius Blaesus, avunculus Seiani, *imperator* a legionibus salutatus est prisco erga duces honore, ut relatum Ann. 3, 74. Ritter. cf. *Nipperdey* ad Ann. 6, 40 *duo Blaesi voluntario exitu cecidere.* — *amicorum inimicorumque neglegens*] amicos et inimicos prae stupore haud discernens. Deinceps *dum - - fovet* posito indicativo in oratione etiam obliqua ut c. 70: *dum inter Vespasianum ac Vitellium - - iudicatur,* — *fratrem Vespasiani mansisse in fide* cf. *Dräger* Synt. § 168. — *labores*] per euphemismum pro morbo (cf. *laborare*), ut *si quid fato accidat* pro »si forte gravi suo morbo succumbat«. Frequentius quidem omittitur v. *fato*, sed hic evidentiae causa additur, ut statim appareat mortem naturalem, non ab hostili manu significari. et sic Ann. 14, 47 *si quid fato pateretur*. Cicero Phil. 1, 4: *si quid mihi humanitus accidisset.*

39. *perniciem*] ipse igitur fratri crediderat insidias sibi strui a Blaeso. — *veneno*] »ego huc referam, in silentio interpretum, Suetonii haec de Vitellio c. 14: *nobiles viros, condiscipulos et aequales suos, omnibus blanditiis tantum non ad societatem imperii adlicefactos, vario genere fraudis occidit; etiam unum veneno manu sua porrecto in aquae frigidae potione, quam is adfectus febre poposcerat.* Priora Dolabellam notant; haec de veneno Iunium Blaesum.« Lips. quamquam Suetonii narratio non usquequaque cum h. l. congruit. — *se pavisse*] de alio *quodam* a Vitellio interfecto hoc refert Suet. Vit. 14. — *integris quoque rebus*] »cum Vitellii fortuna adhuc esset integra neque aemulus quisquam.« Rup. — *ambitus*] »invitatus, rogatus, ut imperium susciperet.« Rup. — *adeo non*] nedum, ut Ann. 3, 34. 6, 15: *adeo publicum consilium numquam adiit.* cf. *Hand* Turs. I p. 154. *Dräger* Synt. § 24. — *parum effugerat, ne*] cf. Livius 36, 25, 8 *ipsi, ne quid simile pa-*

(40) Fabius interim Valens multo ac molli concubinarum spadonumque agmine segnius quam ad bellum incedens proditam a Lucilio Basso Ravennatem classem pernicibus nuntiis accepit. et si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam praevenire aut ante discrimen pugnae adsequi legiones potuisset. nec deerant qui monerent, ut cum fidissimis per occultos tramites vitata Ravenna Hostiliam Cremonamve pergeret. aliis placebat accitis ex urbe praetoriis cohortibus valida manu perrumpere. ipse inutili cunctatione agendi tempora consultando consumpsit: mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis nec providit. (41) missis ad Vitellium litteris auxilium postulat. venere tres cohortes cum ala Britannica, neque ad fallendum aptus numerus neque ad penetrandum. sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere inlicitas voluptates adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus crederetur. aderant vis et pecunia et ruentis fortunae novissima libido. adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem attulerant. pudor tamen et praesentis ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincla apud avidos praemiorum et dedecoris securos. eo metu cohortes Ariminum praemittit, alam tueri terga iubet: ipse paucis, quos adversa non mutaverant, comitantibus flexit in Umbriam atque inde Etruriam, ubi cognito pugnae

3 cęptum 11 literis (t *superscr.* 1m.) 12 brittannica 12/13 pęnetrandū ., 19 reuerentiā (*notam del.* 1m.) pavidos *Faernus* 20 praemiorum *Meiser:* periculorū eo metu *Acidalius:* eo metu et paucis quos aduersa non mutauerant comitantibus (paucis — comitantibus *post* ipse *posuit Acidalius*)

terentur, effugerunt. Naevius tr. 15 *numquam hodie effugies, quin mea manu moriare.*

40. *a Lucilio Basso*] cf. c. 12. 36. 2, 100. 101.

41. *novissima libido*] qui diu frui non sperat, avidius fruitur. Pich. videbat finem adesse explendarum libidinum, cum rueret fortuna. itaque utendum facultate, dum maneat. in tali tempore solet etiam incitari cupiditas et vis. Ern. cf. 2, 47: *difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum.* — *avidos praemiorum*] cf. 1, 51 *exercitus — praemia quam stipendia malebat* 3, 37 *belli civilis praemia* 51 *ut gregarius eques — praemium a ducibus petierit* 58 *praemia periculorum* 60 *maiora illis praemia* 61 *praemiis defectorum versa fides* 74 *praemia navatae operae petebant* 4, 2 *praemiorum expertes* 5, 11 *cupidine praemiorum* 16 *praemiaque et quies in posterum sperabantur.* Ann. 1, 16 *ex civili bello spem praemiorum ostendebat* 24 *periculorum praemiorumque ostentator.* Faerni *pavidos periculorum* falsum est; nusquam enim Vitelliani ignavi describuntur: cf. c. 69 *miles Vitellii adversus pericula ferox* 73 *Vitellianus miles neque astu neque constantia inter dubia indigebat: ex diverso trepidi milites* 4, 2 *quanquam inter adversa salva virtutis fama.* — *dedecoris securos*] »non sollicitos de dedecore proditionis, iam in Galbam, Othonem exercitae.« Duebn. — *cohortes*] illas tres a Vitellio missas *Ariminum praemittit,* ut per hoc praesidium impediret, quo minus Ariminum a Flavianis occuparetur, et ipse *flexit in Um-*

Cremonensis eventu non ignavum et, si provenisset, atrox consilium iniit, ut arreptis navibus in quamcumque partem Narbonensis provinciae egressus Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret. (42) digresso Valente trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuscus admoto exercitu et missis per proxima litorum Liburnicis terra marique circumvenit: occupantur plana Umbriae et qua Picenus ager Hadria alluitur, omnisque Italia inter Vespasianum ac Vitellium Appennini iugis dividebatur. Fabius Valens e sinu Pisano segnitia maris aut adversante vento portum Herculis Monoeci depellitur. haud procul inde agebat Marius Maturus Alpium maritimarum procurator, fidus Vitellio, cuius sacramentum cunctis circa hostilibus nondum exuerat. is Valentem comiter exceptum, ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur, monendo terruit; simul ceterorum fides metu infracta. namque circumiectas civitates procurator Valerius Paulinus, strenuus militiae et Vespasiano ante fortunam amicus, in verba eius adegerat; (43) concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam, claustra maris, praesidio tuebatur, eo gravior auctor, quod Paulino patria Forum Iuli et honos apud praetorianos, quorum quondam tribunus fuerat; ipsique pagani favore municipali et futurae potentiae spe iuvare partes adnitebantur. quae ut paratu firma et aucta rumore apud varios Vitellianorum animos increbruere, Fabius Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus ad naves regreditur;

1 euentū (*notam del.* 1*m.*) 2 nerbonensis 3 et exercitus *om. det.* 5 proximas (s *del.* 1*m.*) 6 occupatur 7 adria (h *superscr.* 1*m.*) 7/8 Appennini *Puteolanus:* appenninis 13 Inracta. Nanq; 14 ualerios 16 exauctor rati (*pr.* r *del.* 1*m.*) sumebat (n *superscr.* 1*m.*) 16/17 coloniā *corr. ex* colia 1*m.* 17 *post* claustra *superscr.* q; 2 *vel* 3*m.* 20 ut *Iac. Gronovius:* ui (ubi *dett.*) 22 totidemque *dett.*

briam, homo omnis consilii expers et adulteriis stuprisque infamis. Ryck. — *si provenisset*] si prospere successisset, ut A. 1, 19: *ubi prima provenissent.* — *et exercitus*] quidquid copiarum etiamtunc erat in Galliis et utraque Germania, tractis in Vitellii partes etiam Germanicis aliquot gentibus. ceterum expectes potius *Gallias et Germaniae exercitus et gentes* cf. c. 62 *pervasisse in Germanias Valentem et veteres illic novosque exercitus ciere credebant.*

42. *Cornelius Fuscus*] de quo c. 4. 12 et 2, 86. — *Picenus*] regio inter Umbriam et mare Adriaticum, tractus circa Anconam, Firmium (*Fermo*), Asculum Picenum diversum ab Apulo (*Ascoli*). — *Appennini iugis*] c. 52 *Appennini iuga.* — *segnitia maris*] ob tranquillitatem maris, ventis vela non implentibus, non eo, quo volebat, pervenit, sed tantum in portum Herculis. verbum *depellitur* ad ultima modo refertur: ad priora generale verbum intelligendum est. Duebn. velut *impeditur*, quo minus in Galliam Narbonensem perveniat, uti decreverat. — *Monoeci*] portus Liguriae cum templo herois, hodie *Mónaco.* — *Marius Maturus*] cf. 2, 12. — *procurator Valerius*] Galliae Narbonensis procuratorem fuisse suspicatur Savilius, in qua Forum Iulii. Ern.

43. *omnibus*] praetorianis. vide 2, 67. — *Foroiuliensem*] dicta etiam colonia Pacensis et classica. Plin. 3, 35. ibi navale Augusti. Strabo 4. p. 184. Oberl. hodie *Fréjus.* — *favore municipali*] faventes municipi suo Valerio, qui postea potentiam adeptus apud Ve-

Maturo ceterisque remanere et in verba Vespasiani adigi volentibus fuit. ceterum ut mare tutius Valenti quam litora aut urbes, ita futuri ambiguus et magis quid vitaret quam cui fideret certus adversa tempestate Stoechadas Massiliensium insulas adfertur. ibi eum missae a Paulino Liburnicae oppressere.

(44) Capto Valente cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adiutrice legione orto, quae memoria Othonis infensa Vitellio decimam quoque ac sextam traxit. nec Galliae cunctabantur. et Britanniam traditus erga Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat, non sine motu adiunxit ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti expertum iam principem anxii mutabant. (45) ea discordia et crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos auctore Venutio, qui super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in Cartimanduam reginam stimulis accendebatur. Cartimandua Brigantibus imperitabat pollens nobilitate; et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur.

1 Maturo *Agricola:* maturę 4 defertur *Ernesti.* 7 hispania adprima 9 brittanniā traditus *Meiser:* Inditus (inclinatus *H. Schütz*, vetus *Haase*) fabor 9/10 legionis (s *del.* 1m.) 10 et pace et *W. Heraeus.* 13 brittanni 13/14 Venutio *Bipontini:* uenusio *et sic deinceps* 15 car|tismanduā (s *del.* 1m.)

spasianum ipsis commoda procurare posset, uti sperabant. — *volentibus fuit*] cf. Ann. 1, 59: *ut quibusque invitis aut cupientibus erat.* Sall. Iug. 84: *neque plebi militia volenti putabatur.* ib. 100: *uti militibus - - labor volentibus esset.* Graeca est constructio. Thuc. 2, 3: τῷ γὰρ πλήϑει - - οὐ βουλομένῳ ἦν. — *Stoechadas*] Strabo 4. p. 184: τρεῖς μὲν ἀξιόλογοι, δύο δὲ μικραί· γεωργοῦσι δ' αὐτὰς Μασσαλιῶται. hodie *les îles d'Hyères*, quia oppidum in continente situm Aereae, quod nunc *Hyères* appellatur. antiquum nomen habuerunt ab ordine, στοίχῳ, quo se excipiunt, *Prote, Mese, Hypaea* (Πρώτη, Μέση, Ὕπαια) hodie *Porquerolles, Port Cros* et *Titan* sive *Levant.* cf. Harduin. ad Plin. 3, 79. *Mannert* Geogr. II. p. 99. — *adfertur*] vulgaria vv. maluere Brotierius *fertur*, Ernestius *defertur.*

44. *per Hispaniam*] 2, 67: *prima classicorum legio in Hispaniam missa.* — *traditus erga Vespasianum favor*] sic scripsi pro corrupto *inditus;* nam hoc vult dicere: Vespasianus in Britannia olim sibi favorem conciliaverat, qui favor ex prioribus annis in posteriora tempora propagatus et traditus fuit nec memoria excidit. — *a Claudio*] Agric. 13: *divus Claudius auctor iterati operis transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano; quod initium venturae mox fortunae fuit. domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Vespasianus.* — *praepositus*] scil. *fuerat*, quod ex verbo *egerat* facile intellegitur; nihil igitur habet offensionis iunctura *praepositus et — egerat.* — *non sine motu*] recte explicat Louandre: *non sans quelque résistance de la part des autres légions.* — *ceterarum*] legiones IX., XIV. Gemina; XX. Victrix praeter II. Augustam tum erant in Britannia.

45. *Venutio*] Ann. 12, 40. — *Cartimanduam*] Ann. 12, 36. — *Brigantibus*] cf. Agric. 17 *et terrorem statim intulit Petilius Cerialis Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, adgressus.* hodie *Yorkshire* cf. *Mommsen* Römische Geschichte V. p. 166. — *Carataco*] cf. *Nipperdey* ad Ann. 12, 33. — *instruxisse*] ornasse. Claudium facta expeditione Britannica triumphasse Romae to-

inde opes et rerum secundarum luxus: spreto Venutio (is fuit maritus) armigerum eius Vellocatum in matrimonium regnumque accepit. concussa statim flagitio domus: pro marito studia civitatis, pro adultero libido reginae et saevitia. igitur Venutius accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione in extremum discrimen Cartimanduam adduxit. tum petita a Romanis praesidia. et cohortes alaeque nostrae variis proeliis exemere tamen periculo reginam: regnum Venutio, bellum nobis relictum.

(46) Turbata per eosdem dies Germania et socordia ducum, seditione legionum, externa vi, perfidia sociali prope adflicta Romana res. id bellum cum causis et eventibus (etenim longius provectum est) mox memorabimus. mota et Dacorum gens numquam fida, tunc sine metu abducto e Moesia exercitu. sed prima rerum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta in vicem hostilia accepere, expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danuvii ripa potiebantur. iamque castra legionum excindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriae gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi inrupissent. adfuit, ut saepe alias, fortuna populi Romani, quae Mucianum viresque Orientis illuc tulit, et quod Cremonae interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (pro consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Moesiae praepositus est, additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias

2 armigirũ *sed corr.* 1*m.* uel‖locatum (*post* uel *lit.* 1 *erasa*, locat *in rasura* 1*m.*) 6 ̄pliis 7 tandem *L. Spengel* regnũ *in rasura* 1*m.* 8 torbata *sed corr* 1*m.* 9 romanas (s *del.* 1*m.*) 13 hostiliã 16 cremo|aensis (cremo *in rasura* 1*m.*) 17/18 sepelias *in* sępe alias *corr.* 2*m.* 18 mucianunũ (Mucianum tum *Ritter*) 19 transegit (t *in* m; *corr.* 1*m.*) 20 con|sule (sule *in rasura* 1*m.*) 21 copis quę̄

statur Suetonius Claud. 17. sed is triumphus ductus est C. Crispo et T. Statilio coss. a. u. 797. cf. Dio 60, 23. Caratacus autem aliquot annis post illum triumphum captus est (a. u. 803). cf. Ann. 12, 36. quaeritur ergo, Tacitum memoria fefellerit, an triumphum hoc loco dicat latiore significatione et decoris causa. v. Lips. ad Ann. l. l. at si quid recte video, Cartimandua eo sensu videbatur triumphum Claudii instruxisse, ut gloriam et decus triumphi pridem acti tradito Carataco augeret alteramque partem triumpho adderet. nam appendicula quaedam triumphi Claudiani fuit pompa illa, in qua Caratacus postea ductus est. WALTH.

46. *memorabimus*] 4, 12. seqq. — *sextam legionem*] Ferratam, probe distinguendam a sexta Victrice, quae tunc in Hispania erat. c. 44. de Ferrata cf. 2, 83. — *fortuna populi Romani*] Liv. 2, 40, 13 *ibi fortuna populi Romani duos hostium exercitus — confecit.* — *transegimus*] rem confecimus. cf. *Nipperdey* ad Ann. 12, 19 *quotiens ignoscendo transigatur.* atque etsi bellum ipsum Cremonensi pugna haud omnino erat confectum, ea tamen de exitu dubitare non iam sinebat. — *Fonteius Agrippa*] post a Sarmatis caesus. Ioseph. B. I. 7, 4, 3. cf. de eo *W. Liebenam* Forschungen zur Verwaltungsgeschichte des römischen Kaiserreichs. I. Band: Die Legaten (Leipzig, Teubner 1888) p. 272. — *spargi*] c. 35: *victae legiones - - per Illyricum dispersae.*

et externo bello inligari pars consilii pacisque erat. (47) nec ceterae nationes silebant. subita per Pontum arma barbarum mancipium, regiae quondam classis praefectus, moverat. is fuit Anicetus Polemonis libertus, praepotens olim, et postquam regnum in formam provinciae verterat, mutationis inpatiens. igitur Vitellii nomine adscitis gentibus, quae Pontum adcolunt, corrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendae manus ductor Trapezuntem, vetusta fama civitatem a Graecis in extremo Ponticae orae conditam, subitus inrupit. caesa ibi cohors, regium auxilium olim; mox donati civitate Romana signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Graecorum retinebant. classis quoque faciem intulit vacuo mari eludens, quia lectissimas Liburnicarum omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. quin et barbari contemptim vagabantur fabricatis repente navibus: camaras vocant artis lateribus latam alvom sine vinculo aeris aut ferri conexam, et tumido

3 quodā (n *superscr.* 2 *vel* 3*m.*) 3/4 libertus | prepotens libertus 4 ūterat *corr. ex* ūteret 1*m.* 7 uetusta | mama (f *in marg. praescr.* 1*m.*) uetusta manu *b*, uetustam *b*² grecis 10 grecorum classi *b*² 11 faciem *Meiser:* faces uacuo *corr. ex* uacue 1m lectissima 12 mucianūs bizantiū 12/13 contēpti 13 fobricatis artis] altis *Nipperdey* navibus (camaras vocant) artis lateribus, lata alvo — conexa *Lipsius.*

47. *Polemonis*] ultimi regis Ponti, qui sub Nerone a. p. Chr. 63. regnum suum cesserat Romanis. cf. Suet. Ner. 18. *Visconti* Iconogr. gr. II. p. 141. et III. p. 304. — *temnendae*] hoc v. simplex poetis haud infrequens (cf. Verg. Aen. X. 737 *Pars belli haud temnenda*) hoc uno nunc loco apud Tacitum reperitur. — *Trapezuntem*] hodie *Trebizonda.* — *vetusta fama civitatem*] cf. 4, 83 *templum vetere inter accolas fama.* — *a Graecis*] Sinopensibus Mileto oriundis *conditam* in paeninsula et alto monte inclusam. Xenophon Ἀναβ. 4, 8, 22. Strabo 12. p. 548. Plin. 6, 11. — *subitus inrupit*] Ann. 15, 4 *repentinis hostibus circumventi* cf. *Dräger* Synt. § 3. — *in nostrum modum*] scil. *gerebant*, quod ex verbo *retinebant* subintellegendum est. — *classis quoque faciem intulit*] Anicetus non solum manus haud spernendae ductor fuit, sed regiae quondam classis praefectus classis quoque imaginem quandam habuit, ut terra marique arma moveret. cf. 1, 84 *imaginem quandam exercitus habet* 1, 85 *facies belli* Liv. 22, 54, 6 *iam aliqua species consularis exercitus erat.* vulgata lectio *classi quoque faces intulit* falsa est, quia nulla tum classis in Ponto erat, unde mare *vacuum* dicitur. cf. 2, 83 *classem e Ponto Byzantium adigi iusserat* (Mucianus). et ipsa verba *vacuo mari eludens* docent de classe Aniceti eiusque maritimis conatibus sermonem esse, classi faces inferre etiam ex terra potuit. — *eludens*] v. *eludere* saepe simpliciter ponitur sine regimine, ut Cic. de Div. 2, 70: *ars coniectoris eludentis ingenio.* estque fere idem atque mox *contemptim vagari*, agere quae lubet, contemptis aliis, nihil metuentem. Ern. — *barbari*] non sunt Aniceti milites, sed alii homines barbari, qui utebantur, ut fit, turbatis rebus, ut piraticam exercerent. Walth. — *camaras*] Strabo in descriptione Bosporanae orae 11 p. 495: ἀκάτια ἔχοντες λεπτά, στενὰ καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνθρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. — καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας. *Camaras* scilicet et Graeci et Latini vocant tecta curvata, fornicata. similes autem Suionum quoque naves Tacitus describit Germ. 44. cf. etiam naves Germanici iussu constructas Ann. 2, 6., quae in pari utrimque prora habebant gubernacula, ut repente converso remigio hinc vel illinc appellerent. »Eiusmodi navis exhibetur in *Pitture antiche d'Ercolano* II. Tab. XIV. p. 89.« Brot. — *artis lateribus latam alvom*] Ann. 2, 6 *naves — angusta puppi proraque et lato*

mari, prout fluctus attollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. sic inter undas volvuntur, pari utrimque prora et mutabili remigio, quando hinc vel illinc appellere indiscretum et innoxium est. (48) advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus ducemque Virdium Geminum spectatae militiae deligeret. ille inconpositum et praedae cupidine vagum hostem adortus coegit in naves; effectisqe raptim Liburnicis adsequitur Anicetum in ostio fluminis Chobi, tutum sub Sedochezorum regis auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat. ac primo rex minis armisque supplicem tueri: postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur, fluxa, ut est barbaris, fide pactus Aniceti exitium perfugas tradidit belloque servili finis inpositus.

Laetum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluentibus, Cremonensis proelii nuntius in Aegypto adsequitur. eo properantius Alexandriam pergit, ut fractos Vitellii exercitus urbemque externae opis indigam fame urgeret. namque et Africam eodem latere sitam terra marique invadere parabat, clausis annonae subsidiis inopiam ac discordiam hosti facturus.

(49) Dum hac totius orbis nutatione fortuna imperii transit, Primus

3 ueli (i *del.* 1m.) appellare 7 Chobi *Colerus:* cohlbi (*sic*) 8 subse dochezorū| quų̄ 13 supra *Wölfflin* 14 p̄lii 15 fractos *Meiser:* fracto exercitu *dett.* urbem quoque *det.* Italiam urbemque *Ritter*, urbem Italiamque *Heraeus* 16 nanq; 19 Dū ac

utero, qui locus docet falso Nipperdeium *altis* pro *artis* scripsisse. — *pari utrimque prora*] quales naves Graeci διπρώρους vocabant.

48. *Chobi*] Plinius 6, 14 *flumen Chobum e Caucaso per Suanos fluens;* Arrian. Peripl. Ponti Eux. 10 ἐς Χῶβον ποταμόν. hodie *Khopi. Forbiger* Geographie II. p. 443. — *Sedochezorum*] gentis Ponticae nusquam alibi memoratae. — *perfugas*] qui supplices ad eum confugerant. DUEBNER. — *cunctis super vota fluentibus*] Sall. hist. fragm. inc. 101 (70) *rebus supra vota fluentibus* (= Iustin. 23, 3, 12). — *Cremonensis proelii nuntius*] Iosephus B. I. 4, 11, 5: Εἰς δὲ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀφιγμένῳ τῷ Οὐεσπασιανῷ τὰ ἀπὸ τῆς Ῥώμης εὐαγγέλια ἧκε. (cf. Suet. Vesp. 7). praestigiator ille Apollonius apud Philostratum 5, 28. p. 96. Ed. Kayser. gloriatur sui causa Vespasianum in Aegyptum venisse seque ei detulisse imperium. Verba ipsa haec sunt: ὁ Οὐεσπασιανός, »ποίησόν με«, ἔφη, »βασιλέα«. ὁ δέ, »ἐποίησα«, εἶπεν, »ἤδη γὰρ εὐξάμενος βασιλέα δίκαιόν τε καὶ γενναῖον καὶ σώφρονα καὶ πολιᾷ κεκοσμημένον καὶ πατέρα παίδων γνησίων σὲ δήπου παρὰ τῶν θεῶν ᾔτουν ἐγώ.« — *ut fractos Vitellii exercitus — fame urgeret*] cf. c. 8 *quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi.* in Mediceo vitiose scriptum est *fracto — exercitus*, ut 4, 38 *intento hostis* pro *intentos hostis.* — *namque et Africam*] arte haec conectenda cum vv. *externae opis indigam;* »omni enim commeatu, non solum ex Aegypto, sed etiam ex Africa intersaepto urbem fame urgere volebat.« Ritter dubitanter proposuit *iamque.*

49. *totius orbis nutatione*] cf. Plinius Paneg. 5 *periculo patriae et mutatione rei publicae.* — *transit*] »in alius potestatem pervenit.« —

Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat, satisfactum bello ratus et cetera ex facili, seu felicitas in tali ingenio avaritiam superbiam ceteraque occulta mala patefecit. ut captam Italiam persultare, ut suas legiones colere, omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere. utque licentia militem inbueret, interfectorum centurionum ordines legionibus offerebat. eo suffragio turbidissimus quisque delecti, nec miles in arbitrio ducum, sed duces militari violentia trahebantur. quae seditiosa et corrumpendae disciplinae mox in praedam vertebat, nihil adventantem Mucianum veritus, quod exitiosius erat quam Vespasianum sprevisse. (50) ceterum propinqua hieme et umentibus Pado campis expeditum agmen incedere. signa aquilaeque victricium legionum, milites volneribus aut aetate graves, plerique etiam integri Veronae relicti: sufficere cohortes alaeque et e legionibus lecti profligato iam bello videbantur. undecima legio sese adiunxerat, initio cunctata, sed prosperis rebus anxia, quod defuisset. sex milia Dalmatarum, recens dilectus, comitabantur. ducebat Pompeius Silvanus consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum legionis legatum. is Silvanum socordem bello et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat *ad* omniaque, quae agenda forent, quieta cum industria aderat. ad has copias e classicis Ravennatibus legionariam militiam poscentibus optimus quisque adsciti: classem Dalmatae supplevere. exercitusque ad Fanum Fortunae iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod

4 viam *Lipsius:* uim] ac *b* 9 nichil 11/12 aquilęq; ui | uictriciū (ui *del.* 1m.) 14 adiuncxerat 19 ad *om.* ad omnia (*om.* que) *ed. princ.* aderat] agebat *L. Spengel* 20 copia | se 22 cunctates

post Cremonam] expugnata et excisa Cremona. Flor. 3, 1. init.: *Quis speraret post Karthaginem aliquod in Africa bellum?* id est Karthagine victa et deleta. — *ex facili*] facilia fore. similiter Graeci: Thuc. 1, 34: ἐκ τοῦ εὐϑέος. 3, 82: ἀπὸ τοῦ προφανοῦς. Herod. 3, 150: ἐκ τοῦ ἐμφανέος cet. Walch ad Agr. 15 et Emendd. Liv. p. 183. *Dräger* Synt. § 96, 5. — *legiones colere*] earum favorem ambire. — *viam sibi ad potentiam struere*] sic Lipsius emendavit, at fortasse rectius codex *b* exhibet *vim sibi ac potentiam struere*, ut c. 11 *uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit* 2, 39 *vis ac potestas penes Proculum* Germ. 42 *vis et potentia regibus ex auctoritate Romana.* — *legionibus offerebat*] nimirum ut ipsae legiones sibi quos vellent centuriones eligerent. Duebn. — *trahebantur*] »cogebantur exsequi quaecunque militum violentia iis imponebat.« — *mox in praedam vertebat*] Antonius pretium exigens confirmandis novis ducibus. Duebn. — *exitiosius*] »ipsi periculosius«; fracta est eius potentia a Muciano (4, 11.); supplicio eum affectum esse nusquam traditur.

50. *profligato*] prope confecto, ut 2, 4. — *undecima*] Claudiana, quae tunc in Dalmatia agebat. 2, 11 et 67. — *Pompeius Silvanus*] 2, 86. — *dies rerum*] idem quod c. 40: *agendi tempora.* — *ad omniaque — aderat*] cf. c. 59 *ad cuncta belli munia acres erant.* de vitata iunctura *adque* v. Wölfflin ad Liv. 22, 17, 2 *ad imaque.* — *Fanum Fortunae*] Umbriae oppidum, alibi *Fanum* simpliciter et *Colonia*

motas ex urbe praetorias cohortes audierant et teneri praesidiis Appenninum rebantur. et ipsos in regione bello attrita inopia et seditiosae militum voces terrebant clavarium (donativi nomen est) flagitantium. nec pecuniam aut frumentum providerant, et festinatio atque aviditas praepediebant, dum quae accipi poterant rapiuntur. (51) celeberrimos auctores habeo tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse, ut gregarius eques occisum a se proxima acie fratrem professus praemium a ducibus petierit. nec illis aut honorare eam caedem ius hominum aut ulcisci ratio belli permittebat. distulerant tanquam maiora meritum quam quae statim exolverentur; nec quidquam ultra traditur. ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat. nam proelio, quo apud Ianiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein cognito facinore se ipsum interfecit, ut Sisenna memorat: tanto acrior apud maiores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis paenitentia fuit. sed haec aliaque ex vetere memoria petita, quotiens res locusque exempla recti aut solacia mali poscet, haud absurde memorabimus. (52) Antonio ducibusque partium praemitti equites omnemque Umbriam explorari placuit, si qua Appennini iuga clementius adirentur; acciri aquilas signaque et, quidquid Veronae militum foret, Padumque et mare commeatibus compleri. erant inter duces qui necterent moras: quippe nimius iam Antonius et certiora ex Muciano sperabantur. namque Mucianus tam celeri victoria anxius, et ni praesens urbe potiretur, expertem se belli gloriaeque ratus ad Primum et Varum media scriptitabat, instandum coeptis aut rursus cunctandi utilitates

2 regione *Faernus:* legione 3 [donativi nomen est] *Castalio* 7 gregarios *sed corr.* 1*m.* 9 distulerunt *det.* 10 quam quae *Puteolanus:* quanquā 11 ̄plio 12 aput 13 ipse *Al. Ruperti* sisennā (*notam del.* 1*m.*) 14 aput flagitii *det.* 22 Nanq; 23 poteretur *Döderlein* 24 cęptis

Iulia Fanestris, hodie *Fano* inter Ariminum et Anconam. — *clavarium*] quasi quo clavi caligarum soleis suffigendi emerentur, *Stiefelnagelgeld.* simile *calcearium* Suet. Vesp. 8. militare hoc vocabulum, cuius significatio plerosque latebat, sane explicatione egebat, quam nolim cum Castalione atque Ernestio pro insiticia habere.

51. *auctores habeo*] sic Liv. 9, 36, 3: *habeo auctores — Romanos — solitos* cet. — *Sisenna*] L. Cornelius Sisenna (mortuus a. u. 687) laudatus scriptor historiarum, qui *bellum civile Sullanum* composuerat. Sall. Iug. 95, 2. Vellei. 2, 9. *Herm. Peter* Historicorum Rom. fragmenta (Lipsiae 1883) p. 175—189. »Cum Tacito aut Sisenna potius consentit Livius Epit. 79. et alterum militem in Pompeii exercitu statuit, alterum Cinnae. at Valerius 5, 5, 4 pro Cinna Sertorium substituit, cum quo et Orosius sentit 5, 19.« Lips.

52. *clementius*] minus ardue, ubi quidem *colles clementer adsurgentes*, ut Tacitus loquitur Ann. 13, 38. Duebn. Germ. 1: *molli et clementer edito -- iugo.* — *nimius*] nimis potens ac superbus. — *ex Muciano*] spem maiorem praemiorum habebant in Muciano, maioris virtutis, dignitatis et gratiae apud Vespasianum viro. Ern. — *potiretur*[de hac forma ter in historiis usurpata v. *Sirker* Tacit. Formenlehre § 61. — *media*] »ambigua, nihil

edisserens atque ita compositus, ut ex eventu rerum adversa abnueret vel prospera agnosceret. Plotium Griphum nuper a Vespasiano in senatorium ordinem adscitum ac legioni praepositum ceterosque sibi fidos apertius monuit, hique omnes de festinatione Primi ac Vari sinistre et Muciano volentia rescripsere. quibus epistulis Vespasiano missis effecerat, ut non pro spe Antonii consilia factaque eius aestimarentur. (53) aegre id pati Antonius et culpam in Mucianum conferre, cuius criminationibus eviluissent pericula sua; nec sermonibus temperabat, inmodicus lingua et obsequii insolens. litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem nec sine occulta in Mucianum insectatione: se Pannonicas legiones in arma egisse, suis stimulis excitos Moesiae duces, sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Raetorumque auxilia. quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum et sui operis. casum Cremonae bello inputandum: maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse. non se nuntiis neque epistulis, sed manu et armis imperatori suo militare. neque officere gloriae eorum, qui Daciam interim composuerint: illis Moesiae pacem, sibi salutem securitatemque Italiae cordi fuisse; suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. sed cecidisse in

1 uentu 3 adscitum *Ritter:* additum 4 sinistrę 5 eplis *cum lin. in litt.* l 8 euilui sent (s *super* i *add.* 2*m.*) 9 linguae *Lipsius* Insolens (l *ex* n *corr.* 1*m.*) littera| 13 germanorum (g *ex* s *corr.* 1*m.*) 14 procellā (*notam del.* 1*m.*) 15 bellū (*corr.* 1*m.*) 17 eplis *cum lin. in litt.* l 18 Imperatori suo | *corr. ex* Imperatorū uo 1*m.* Daciam *Sirker:* asiā (alia *Ritter*) 19 cōposuerit (n *superscr.* 1*m.*) 21 cęcidisse

certi in alterutram partem definientia.« Ern. — *in senatorium ordinem adscitum*] 2, 53 *in senatum nuper adscitus.* — *volentia*] accepta et grata. sic Sallustius Fr. Hist. 4, 56 (57): *multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.* cf. Ann. 15, 36.

53. *aegre id pati Antonius*] cf. c. 60 *aegre id pati miles.* — *eviluissent*] sensus est, »Mucianum criminando effecisse, ut Vespasianus res ab ipso fortiter et magno cum periculo gestas non perinde aestimaret, ac dignae essent.« Ern. — *inmodicus lingua*] frequentius cum secundo casu, sed et cum sexto Hist. 1, 69: *inmodicus saevitia.* Ryck. Ann. 6, 30: *modicus severitate.* — *iactantius quam ad principem*] scil. componere debebat. — *se Pannonicas legiones in arma egisse*] cf. 2, 86. — *Moesiae duces*] Aponius Saturninus, Moesiae rector (2, 85), Vipstanus Messalla tribunus, qui legioni VII. Claudianae praeerat (3, 9), Dillius Aponianus legatus legionis III., Numisius Lupus legatus legionis VIII. (3, 10). — *intersepta Germanorum Raetorumque auxilia*] c. 8 *interiectus exercitus Raetiam Iuliasque Alpes, [ac] ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat.* — *quod — Vitellii legiones — fudisset*] c. 16—25. — *per diem noctemque*] c. 26 *fesso per diem noctemque exercitu.* — *qui Daciam — composuerint*] quoniam in Asiae parte, quam Mucianus obtinebat, nihil turbarum fuerat, Sirker videtur recte scripsisse *Daciam* ex c. 46: *mota et Dacorum gens — abducto e Moesia exercitu.* cf. Agric. 41 *in Moesia Daciaque.* — *validissimam terrarum partem*] similiter Agric. 24 Britanniam, Hispaniam, Galliam *valentissimam* im-

inritum labores, si praemia periculorum soli adsequantur, qui periculis non adfuerint. nec fefellere ea Mucianum: inde graves simultates, quas Antonius simplicius, Mucianus callide eoque inplacabilius nutriebat.

(54) At Vitellius fractis apud Cremonam rebus nuntios cladis occultans stulta dissimulatione remedia potius malorum quam mala differebat. quippe confitenti consultantique supererant spes viresque; cum e contrario laeta omnia fingeret, falsis ingravescebat. mirum apud ipsum de bello silentium; prohibiti per civitatem sermones, eoque plures, ac, si liceret, vere narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. nec duces hostium augendae famae deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo; quos omnis Vitellius secreto percunctatus interfici iussit. notabili constantia centurio Iulius Agrestis post multos sermones, quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, ut ad vires hostium spectandas, quaeque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur. nec exploratione occulta fallere Antonium temptavit, sed mandata imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret, postulat. missi qui locum proelii, Cremonae vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit abnuentique vera esse quae adferret atque ultro corruptum arguenti »quando quidem« inquit »magno documento opus est nec alius iam tibi aut vitae aut mortis meae usus, dabo cui credas.« atque ita digressus voluntaria morte dicta firmavit. quidam iussu Vitellii interfectum, de fide constantiaque eadem tradidere. (55) Vitellius ut e somno excitus Iulium Priscum et Alfenum Varum cum quattuordecim praetoriis cohortibus et omnibus equitum alis

2 graue 7 ingravescebat malum *Meiser* (malum *ante* mirum *excidisse videtur* cf. Ann. 14, 51 gravescentibus in dies publicis malis), ingravescebant *Ernesti* aput 11 uro | ut robora (uro *del.* 1*m.*) 14 aput 17 p̄lii 18 adgrestis 22 constantiāq ;| *notam del.* 1*m.* 24 *fortasse* tredecim: cf. 2, 93. 3, 78 *Nipperdey.*

perii partem vocat. — *callide eoque inplacabilius*] similiter de Domitiano Agric. 42 *praeceps in iram et quo obscurior, eo inrevocabilior;* de Tiberio Ann. 1, 13 *in Haterium statim invectus est, Scaurum, cui inplacabilius irascebatur, silentio tramisit.*

54. *ingravescebat*] »deterior eius condicio sive debilior atque infirmior eius potentia fiebat«. (*ingravescere* proprie de aegris, quorum morbus acrior fit. Duebn.) et cum aegroto Vitellium comparat Tacitus. Ernestius maluit *ingravescebant* (mala); illud multo exquisitius. ut hic, de personis etiam Cic. de Sen. 11, 36: *corpora exercitationum defetigatione ingravescunt.* Plin. Epp. 2, 20: Verania *mox ingravescit, clamat moriens* cet. — *eoque plures*] scil. per civitatem sermones erant; alii iungunt *plures* (scil. homines) *ac vere narraturi.* — *ac, si liceret, vere narraturi*] h. e. atque homines, qui, si liceret, vere narravissent. — *centurio Iulius Agrestis*] similia Othonis principatu a milite gregario facta traduntur a Suetonio Oth. 10, Plutarcho Oth. 15, Dione apud Xiphil. 64, 11. Ritter. — *suumque animum*] non solum se imperatoris mandatis parere, sed semet ipsum cupere locum proelii visere significat.

55. *ut e somno excitus*] cf. 2, 90 *omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat.* — *Iulium* cet.] praefectos praetorio. 2, 92. 3,

obsidere Appenninum iubet. secuta e classicis legio. tot milia armatorum, lecta equis virisque, si dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. ceterae cohortes ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datae. ipse nihil e solito luxu remittens et diffidentia properus festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat; foedera sociis, Latium externis dilargiri; his tributa dimittere, alios immunitatibus iuvare; denique nulla in posterum cura lacerare imperium. sed volgus ad magnitudinem beneficiorum hians aderat; stultissimus quisque pecuniis mercabatur; apud sapientes cassa habebantur, quae neque dari neque accipi salva re publica poterant. tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus animi et infidis consiliis obnoxius. (56) contionanti (prodigiosum dictu) tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. accessit dirum omen, profugus altaribus taurus disiecto sacrificii apparatu longe, nec ut feriri hostias mos est, confossus. sed praecipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus

1 secutę classicis   2 lectę quis   4 nichil   5 fędera   5/6 la|tiū t̄nis   6 remittere *incerto auctore Nipperdey*   8 hians aderat *Meiser*: haberat (aderat *det.*, hiabat *Jo. Fr. Gronovius*).   9/10 saluare publica (*recte distinxit 2 vel 3m.*)   13 fędaru   15 nec ut *Frid. Schneider:* necui (ne quui *b*, ne cui *ed. princ.*) nec ubi *alii*, nec cui *Schramm.*

36. — *e classicis legio*] hic primum memorata neque confundenda cum prima adiutrice classicorum; etenim tunc ipsum a Vitellio conscripta e classe Misenensi, antequam haec quoque deficeret. c. 57. (*e classicis* enim *Ravennatibus*, qui desciverant, *legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti* a Flavianis. c. 50.) iterum memoratur c. 67 *audita defectione legionis.* — *foedera sociis*] quibus foederibus novas aliquot immunitates impertiebat Vitellius, tum etiam longius progressus, quam priores principes. — *Latium*, ius Latii, Latinitatem. Vide ad Ann. 15, 32. — *dimittere*] in perpetuum eos tributis liberabat edicto suo: *remittere* foret unam alteramve pensionem iis ita condonare, ut tamen tributarii manerent. — *lacerare imperium*] eleganter dicuntur, qui eius opes dissipant, ut *lacerare* de dissipatione rei familiaris et pecuniae Cic. Quint. 15, 50 Verr. 3, 70, 164, ubi *lacerata pecunia*, cuius pars aversa est. Ern. cfr. alias metaphoras haud dissimiles vv. *dilapidare* et *lancinare*. Catull. 29, 17: *Paterna prima lancinata sunt bona.* — *hians aderat*] prona animo avidoque haec beneficia accipiebat. cf. 1, 12 *hiantes* — *amicorum cupiditates* 3, 50 *cum industria aderat* 71 *furens miles aderat* 83 *aderat pugnantibus spectator populus* 4, 22 *bello ministra aderat* 42 *ultores aderant.* — *mercabatur*] immunitates et alia commoda. Duebn. — *Mevaniam*] Umbriae oppidum prope viam Flaminiam, ubi Tiniae fluvio miscetur Clitumnus, hodie *Bevagna.* — *multos ambitione, plures formidine*] scil. ductos: multos ambitiosos, plures offensam imperatoris remanendo metuentes secum trahebat.

56. *foedarum*] infausti ominis. Dio 65, 16: Θύσαντος αὐτοῦ θυσίαν τινὰ καὶ ἐπ᾽ αὐτῇ δημηγοροῦντος τοῖς στρατιώταις, γῦπες πολλοὶ προσπεσόντες τά τε ἱερὰ διεσκέδασαν καὶ ἐκεῖνον ἀπὸ τοῦ βήματος ὀλίγου δεῖν κατέβαλον. — *obtenderent*] ut nos *verhüllen, verfinstern.* Ita v. utuntur fere poetae, Virg. Georg. 1, 248: *obtenta densantur nocte tenebrae.* Silius 10, 227: *obtendit pulvere lucem.* Verumtamen etiam Cicero ad Q. Fr. 1, 1, 5: *Multis simulationum involucris tegitur et quasi velis quibusdam obtenditur unius cuiusque natura.* — *longe*] Ominosum id antiquitus, si hostia fugisset nec suo loco id est ante aram caesa

militiae, inprovidus consilii, quis ordo agminis, quae cura explorandi, quantus urguendo trahendove bello modus, alios rogitans et ad omnis nuntios voltu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. postremo taedio castrorum et audita defectione Misenensis classis Romam revertit, recentissimum quodque volnus pavens, summi discriminis incuriosus. nam cum transgredi Appenninum integro exercitus sui robore et fessos hieme atque inopia hostes adgredi in aperto foret, dum dispergit vires, acerrimum militem et usque in extrema obstinatum trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis centurionum dissentientibus et, si consulerentur, vera dicturis. arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, ut aspere, quae utilia, nec quidquam nisi iucundum et laesurum acciperet.

(57) Sed classem Misenensem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus centurio per ignominiam a Galba dimissus ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistulis pretium proditionis ostentans. praeerat classi Claudius Apollinaris neque fidei constans neque strenuus in perfidia; et Apinius Tiro praetura functus ac tum forte Minturnis agens ducem se defectoribus obtulit. a quibus municipia coloniaeque inpulsae, praecipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida, municipalem aemulationem bellis

1 consiliis. | 5 recentississim; (*sic*, v̄ *superscr.* 1*m.*) quoq; sūmis 7 dispergunt *Nipperdey* 10 arcuere *Lipsius*: arguere 11 aspere *Bipontini*: aspera 12 acciperent *Faernus* 15 uespani (*corr.* 2*m.*) eplis *cum lin. in* l p̄tiū 18 fortē Inturnis defectoreb; (*corr.* 2*m.*) 19 precipuę (ę *in* o *corr.* 1*m.*)

esset. Festus (p. 245. ed. Muell.): *Piacularia appellantur auspicia antiqua quadam loquendi consuetudine in sacrificiis, cum aut hostia ab ara fugit aut percussa mugitum dedit aut in aliam, quam oportuit, partem corporis cecidit.* Plinius 8, 183: *Notatum vitulos ad aras umeris hominis adlatos non fere litare, sicut nec claudicante nec aliena hostia deos placari nec trahente se ab aris.* Lips. — *ut*] corruptum in *ui* etiam c. 43. Schneideri *ut feriri* significat taurum qualicunque nec solito modo, sed festinanter a popis confectum esse. — *dein temulentus*] cf. 1, 62 *torpebat Vitellius — medio diei temulentus* 2, 91 *velut inter temulentos agebat.* — *summi discriminis*] *summum discrimen* est idem fere ac summa belli, universum bellum; periculum, quod imminebat, si bello vinceretur. mox *in aperto foret* idem est, quod in promptu, facile. Ern. (sic Agr. 1: *pronum magisque in aperto.*) Ann. 2, 12. H. 5, 15 *summae rei discrimen* dicitur. Oberl. — *hieme*] nam haec gesta mensibus Novembri et Decembri a. u. 822. — *dispergit vires*] *parte copiarum Narniae relicta.* c. 58. — *si consulerentur*] at hos peritos viros militares consulere dedignabatur, unice auscultans amicos adulatores. — *aspere*] ut Ann. 4, 31: *aspere acceptum ad praesens.*

57. *Claudius Faventinus*] proditoris huius monumentum superest in celebrata illa ara Casali, Romae asservata, cuius simplicissima est inscriptio corona civica circumdata: *TI. CLAVDIVS ‖ FAVENTINVS ‖ D. D. V. Die Ara Casali, Abhandlung von Fr. Wieseler. Göttingen* 1844. — *Apinius Tiro*] cf. c. 76 — *Minturnis*] oppidum erat Latii ad Lirim fl., cuius supersunt etiamnunc parietinae, amphitheatri atque aquaeductus reliquiae prope oppidulum *Traietta*. Mannert *Italien* I. p. 686. — *municipalem aemulationem*] prorsus ut inter

civilibus miscebant. Vitellius Claudium Iulianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit. data in auxilium urbana cohors et gladiatores, quibus Iulianus praeerat. ut collata utrimque castra, haud magna cunctatione Iuliano in partes Vespasiani transgresso Tarracinam occupavere, moenibus situque magis quam ipsorum ingenio tutam. (58) quae ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniae cum praefectis praetorii relicta L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit. ipse aeger animi studiis militum et clamoribus populi arma poscentis refovebatur, dum volgus ignavum et nihil ultra verba ausurum falsa specie exercitum et legiones appellat. hortantibus libertis (nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus) vocari tribus iubet, dantes nomina sacramento adigit. superfluente multitudine curam dilectus in consules partitur. servorum numerum et pondus argenti senatoribus indicit. equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. ea simulatio offici a metu profecta verterat in favo-

1 claudius *sed corr.* 1m. 1/2 misensē (*post* n *superscr.* nen 2m.) 7 p̄toriis (s *del.* 1m.) 10 refobebatur (*corr.* 1m.) nichil 12 dante 16 officia metu

Viennam et Lugdunum 1, 65. cf. imprimis 4, 3. — *Iulianum*] Mirum ni ille ipse Iulianus, qui Plinio *curasse* dicitur *gladiatorium munus Neronis principis* 37, 45. Lips. — *situque*] in monte, Horat. Sat. 1, 5, 26: *Impositum saxis late candentibus Anxur*, quod Etruscum Tarracinae nomen erat. — *ipsorum*] Iuliani et Apollinaris atque copiarum, quibus hi praeerant. cf. infra c. 76. minus recte Ryckius et Ernestius interpretati sunt »Tarracinensium«; his enim oppidanis nec robur bellicum neque firma voluntas se defendendi tribui poterat.

58. *Narniae*] Umbriae oppidum ad Narem (*Nera*) situm, hodie *Narni*. — *praefectis praetorii*] Iulio Prisco et Alfeno Varo. c. 55. — *tribus*] plebem in XXXV. tribus discriptam. Suet. Vit. 15: *dilectum quoque - - in urbe egit.* ceterum erudita annotatione Ritter demonstrare conatus est, veram non esse Casauboni ad Suet. Oct. 101, Ernestii et Wolfii ad Suet. Ner. 44 opinionem, ex qua tribus Caesarum temporibus significarint vilissimam populi partem; immo eas constitisse ex honestioribus civibus, uti appareat ex pluribus locis, v. c. Ann. 1, 8. Suet. Oct. 57. Grut. 244, 4: *IMP. T. CAESARI. DIVI. F. VESPASIANO. AVG. PLEBS. VRBANA. QVAE. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEPIT. ET. TRIBVS*; ubi manifesto tenuiores sint, qui frumentum publicum acceperint, et a tribubus distinguantur. »Igitur«, inquit, »ab aevo Augusti urbis Romae cives quattuor ordinibus discernebantur: erant senatores, erant equites, plebs urbana XXXV. tribuum« (cfr. Inscrr. m. Lat. N. 3064. 3065), »populus extra tribus, qui frumentum publicum accipiebat.« Addere poterat hoc *vulgus urbanum* (c. 80) tribubus non discriptum ortum esse potissimum e libertinis. cf. Inscr. m. Lat. N. 3105. et Marini *Atti* II. p. 482.: *Il solo monumento, che per la Tribù data a' Liberti si possa e debba nominare, è la Tavola Capitolina presso il Maffei* (M. V. p. 309), - - *nella quale s'incontrano tre Soldati Liberti.* — *superfluente multitudine*] vult dicere ab initio promiscue, quicunque darent nomina, sacramento adactos, post, redundante multitudine, etiam dilectum haberi coepisse. Ern. — *operam*] praecipue servos; *des bras* Burnouf. v. *operam* scilicet respondet praecedentibus *servorum numerum*, *pecuniasque* vv. *pondus argenti*. — *a metu*] verebantur, ne, si cessarent, ad plura etiam conferenda cogerentur.

rem; ac plerique haud proinde Vitellium quam casum locumque principatus miserabantur. nec deerat ipse vultu voce lacrimis misericordiam elicere, largus promissis et, quae natura trepidantium est, inmodicus. quin et Caesarem se dici voluit, aspernatus antea; sed tunc superstitione nominis et quia in metu consilia prudentium et volgi rumor iuxta audiuntur. ceterum ut omnia inconsulti impetus coepta initiis valida spatio languescunt, dilabi paulatim senatores equitesque, primo cunctanter et ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine, donec Vitellius pudore inriti conatus, quae non dabantur, remisit.

(59) Ut terrorem Italiae possessa Mevania ac velut renatum ex integro bellum intulerat, ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. erectus Samnis Paelignusque et Marsi aemulatione, quod Campania praevenisset, ut in novo obsequio, ad cuncta belli munia acres erant. sed foeda hieme per transitum Appennini conflictatus exercitus; et vix quieto agmine nives eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertisset, quae Flavianis ducibus non minus saepe quam ratio adfuit. obvium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. propinqua adfinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiae; eoque inter duces adsumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium multi tradidere; et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac praesidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciae valetudinem causabatur:

1 perinde *alii* 2 mīā 4 cesarē 6 cępta 7 se senetores (e *in* a *corr.* 1m.) 8 contemptim et sine *Pichena:* c̄tēpti mesti ne 10 męuania 12 ęlign; q; (p *superscr.* 2m.) 14 fęda 15 niue se luctantib; 19 propinquas (s *del* 1m.) 20 Flauiano 23 Inabilē (h *superscr.* 1m.)

verterat in favorem] »Haec simulatio a metu primum profecta, dein apud multos in sincerum (etsi haud constantem) favorem in Vitellium transierat.« *Ce faux semblant de zèle, né de la crainte, s'était changé en enthousiasme.* Louandre. — *casum locumque*] miseram condicionem principatus et quo tandem devenisset tam ignavo sub rectore, ad eum cum dignitate sustinendum prorsus invalido. v. *locus* ergo distinguendum a *casu* significat dignitatem principatus tantopere deminutam. — *nec deerat ipse - - elicere*] eadem constructione ac 4, 1: *nec deerat egentissimus quisque - - prodere*, pro *quin proderet*. — *aspernatus antea*] 1, 62. Suet. 8: *cognomen Caesaris in perpetuum recusavit.* — *superstitione nominis*] »quasi vero hoc nomen sanctitate quadam sua certam praeberet tutelam.«

59. *possessa*] occupata, ut c. 8: *possessa ipso transitu Vicetia.* — *erectus*] studiis in partes Flavianas. — *Campania praevenisset*] ad Vespasianum deficiens, etsi Capua ipsa etiamtunc Vitellio fida manserat. c. 57. — *exercitus*] Antonii. — *nives eluctantibus*] eadem constructione Agr. 17: *difficultates eluctatus.* Plin. Epp. 8, 8, 2 de fonte: *eluctatus, quem facit, gurgitem.* Walth. — *Petilium Cerialem*] Ann. 14, 32. — *custodias V. elapsum*] Ann. 1, 61 *pugnam aut vincula elapsi* cf. *Dräger* Synt. § 40, c. — *Flavio Sabino*] Vespasiani

Domitiano aderat animus; sed custodes a Vitellio additi, quanquam se socios fugae promitterent, tanquam insidiantes timebantur. atque ipse Vitellius respectu suarum necessitudinum nihil in Domitianum atrox parabat.

(60) Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilae signaque legionum adsequerentur, et locus ipse castrorum placebat, late prospectans, tuto copiarum adgestu, florentissimis pone tergum municipiis. simul colloquia cum Vitellianis decem milium spatio distantibus et proditio sperabatur. aegre id pati miles et victoriam malle quam pacem. ne suas quidem legiones opperiebantur, ut praedae quam periculorum socias. vocatos ad contionem Antonius docuit esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent, acres, si desperassent. initia bellorum civilium fortunae permittenda: victoriam consiliis et ratione perfici. iam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniae oram descivisse; nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio quam quod inter Tarracinam Narniamque iaceat. satis gloriae proelio Cremonensi partum et exitio Cremonae nimium invidiae. ne concupiscerent Romam capere potius quam servare. maiora illis praemia et multo maximum decus, si incolumitatem senatui populoque Romano sine sanguine quaesissent. his ac talibus mitigati animi. (61) nec multo post legiones venere. et terrore famaque aucti exercitus Vitellianae cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori et sibi in posterum gratiam, certabant. per eos cognitum est Interamnam proximis campis praesidio quadringentorum equitum teneri. missus extemplo Varus cum expedita manu paucos repugnantium interfecit; plures abiectis armis veniam petivere. qui-

3 respectus uarũs (s *del.* 1*m.*) nichil 6 aquilas (*corr.* 1*m.*) 7 latę 11 antonius (*notam del.* 1*m.*) 14 perfici *b*: profici (a consiliis — proficisci *dett.*) misen|sẽ capinię 16 p̄lio cre|monẽnsi (*notam del.* 1*m.*) 17 nec 18 maior 21 nutabant *det.*: nuntiabant 23 posterũ (erũ *in rasura* 1*m.*) ḡrã

fratri, praefecto urbi: 1, 46; 2, 55. 63. 99. — *necessitudinum*] matris, uxoris, liberum.

60. *Carsulas*] Umbriae oppidum, inter Tuder ac Spoletium, non longe a Mevania et Narnia, ubi hodie vicus *Casigliano*. — *aquilae signaque*] cf. c. 52. — *florentissimis - - municipiis*] ut erant Tuder, Spoletium, Mevania, Urbinum. — *praedae*] scil. potius. cf Ann. 1, 58: *pacem quam bellum probabam*. Claudianus in Eutrop. 2, 205: *concessoque cupit vixisse colonus Quam dominus rapto*. *Dräger* Synt. § 181, b. — *ambiguas, si deliberarent*] cf. 2, 77 in Muciani oratione acute dictum: *nam qui deliberant, desciverunt*.

61. *donum* cet.] eadem accusativi constructione, qua significatur consilium, quod quis exsequi destinarit, ut 1, 44: *munimentum ad praesens, in posterum ultionem*. 4, 18: *hortamenta victoriae vel pulsis pudorem*. — *Interamnam*] (*Terni*) ad sinistrum latus viae Flaminiae, ab hac tamen aliquantum distantem. 2, 64. — *Varus*] Arrius, dux Flavianus. c. 52.

dam in castra refugi cuncta formidine implebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi praesidii dedecus lenirent. nec ulla apud Vitellianos flagitii poena et praemiis defectorum versa fides ac reliquum perfidiae certamen. crebra transfugia tribunorum centurionumque; nam gregarius miles induruerat pro Vitellio, donec Priscus et Alfenus desertis castris ad Vitellium regressi pudore proditionis cunctos exolverent.

(62) Isdem diebus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. caput eius Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent. nam pervasisse in Germanias Valentem et veteres illic novosque exercitus ciere credebant. visa caede in desperationem versi. et Flavianus exercitus immane quantum *aucto* animo exitium Valentis ut finem belli accepit. natus erat Valens Anagniae, equestri familia. procax moribus neque absurdus ingenio famam urbanitatis per lasciviam petere. ludicro Iuvenalium sub Nerone velut ex necessitate, mox sponte mimos actitavit, scite magis quam probe. legatus legionis et fovit Verginium et infamavit. Fonteium Capitonem corruptum, seu quia corrumpere nequiverat, interfecit. Galbae proditor, Vitellio fidus et aliorum perfidia inlustratus.

(63) Abrupta undique spe Vitellianus miles transiturus in partes, id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque in subiectos Narniae campos descendere. Flavianus exercitus ut ad proelium intentus

1 augendorum orib; (*corr.* 1*m.*) 3 pęna versa *Freinsheim*: ūba 8 osten|tatur (*corr.* 1*m.*) 10 *post* versi *addit* versus *Meiser* (cf. 1, 85 animum voltumque conversis 2, 29 versi in laetitiam) 11 aucto animo *Haase*: animo (animo auctus *Acidalius*) 13 peteret (*corr.* 1*m.*) Iuvenalium *Lipsius*: Iuuenū 20 p̄liū

— *induruerat*] »obstinatum fidem servabat Vitellio.« *Le simple soldat s'opiniâtrait pour Vitellius.* Louandre. cf. Plinius ep. I 12, 10: *destinasse Corellium mori nec — precibus flecti —: tam obstinate magis ac magis induruisse.* — *donec - - exolverent*] »Cum cuncti iam viderent Priscum et Alfenum desertis castris de Vitellii causa desperantes ad hunc regressos esse, ipsi quoque desciscere ab eo non iam dubitarunt.« cfr. Ann. 6, 44: *donec Tiridates cum paucis in Syriam revectus pudore proditionis omnes exsolvit.*

62. *Fabius Valens*] ad Stoechadas insulas captus. cfr. c. 43. — *Urbini*] Umbriae erat oppidum, etiam hodie *Urbino.* — *immane quantum*] 4, 34 *immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit.* Horat. C. 1, 27, 5: *Vino et lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat* cf. *Dräger* Synt. § 154. — *aucto animo*] 2, 4 *Titus aucto animo ad patrem pervectus.* — *Anagniae*] Latii est oppidum, hodie *Anagni.* — *neque absurdus ingenio*] Sall. Cat. 25: *ingenium eius (Semproniae) haud absurdum.* — *ludicro Iuvenalium*] Ann. 16, 21 *Iuvenalium ludicro* 14, 15 *instituit ludos Iuvenalium vocabulo* 15, 33 *Iuvenalibus ludis.* — *probe*] honeste; etenim propterea a melioribus contemnebatur. — *infamavit*] ut opinor, crimina in Verginium Rufum iaciens, probum et sanctum hunc virum imperium affectasse, a qua cupiditate prorsus abhorrebat. cfr. Plin. Epp. 6, 10: *Hic situs est Rufus, pulso qui Vindice quondam Imperium adseruit non sibi, sed patriae.* — *Fonteium Capitonem*] de quo 1, 7 et 58. — *corruptum*] »in proditionem«, quae vv. ipsa Beroaldus hic praeter solitum temerarius factus ultro inculcavit.

63. *sine decore*] quod in eo reponebant, ut

ornatusque densis circa viam ordinibus adstiterat. accepti in medium Vitelliani et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur. pars Narniae, pars Interamnae subsistere iussi. relictae simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves et adversus contumaciam validae. non omisere per eos dies Primus ac Varus crebris nuntiis salutem et pecuniam et secreta Campaniae offerre Vitellio, si positis armis seque ac liberos suos Vespasiano permisisset. in eundem modum et Mucianus composuit epistulas; quibus plerumque fidere Vitellius ac de numero servorum, electione litorum loqui. tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur. (64) at primores civitatis Flavium Sabinum praefectum urbis secretis sermonibus incitabant, victoriae famaeque partem capesseret. esse illi proprium militem cohortium urbanarum, nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, et omnia prona victoribus. ne Antonio Varoque de gloria concederet. paucas Vitellio cohortes et maestis undique nuntiis trepidas; populi mobilem animum et, si ducem se praebuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum. gratiam patrati belli penes eum, qui urbem occupasset. id Sabino convenire, ut imperium fratri reserva-

1 ornatusq; *cum apice et in margine* armatus 1*m*. adsisterat 3 substitere 7 eplas *cum lin. in* l 11 sauinū (*corr.* 1*m*.) 15 mestis 18 pęnes 19 reseruari (*corr.* 1*m*.) reseraret *Jacob*

signis armisque non abiectis in partes Flavianas transirent. — *ornatusque*] instructus omni apparatu militari. — *viam*] Flaminiam, ad quam sita erat Narnia. — *secreta Campaniae*] recessum solitarium in Campania, ut 1, 10: *secretum Asiae*. — *seque ac liberos*] Ann. 4, 3 *seque ac maiores* cf. *Dräger* Synt. § 123, 3. — *litorum*] c. 66 *beatos Campaniae sinus* vocat. — *torpedo*] quae in eo maxime cernebatur, quod vitam a Vespasiano sibi concessum iri sperabat. — *oblivisceretur*] accuratius dicere debebat *obliturus fuerit*, ut 1, 26 *ut* — *rapturi fuerint*, *ni* — *timuissent*.

64. *proprium militem*] nam praefectus urbis urbanis cohortibus praeerat. — *vigilum cohortes*] quas principe Augusto institutas Dio scribit 55, 26. idque refert in a. u. 759. idem Paullus tradidit libro proprio De officio praefecti vigilum, ut vides in Pandectis 1, 15. Lips. Praeter gladios hi hamis et dolabris instructi erant. ibid. Dio 55, 26: καὶ εἰσὶ καὶ νῦν οἱ νυκτοφύλακες οὗτοι ἴδιόν τινα τρόπον οὐκ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων ἔτι μόνον ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ἄλλων στρατευόμενοι· καὶ τείχη τε ἐν τῇ πόλει ἔχουσι καὶ μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φέρουσιν. vide nunc Kellermann vigilum Romanorum latercula duo Caelimontana. Romae 1835. 4. — *servitia ipsorum*] eorum, qui ita exhortantur Sabinum. — *et omnia prona victoribus*] Agr. 33 *omniaque prona victoribus*. Sall. Iug. 114, 2 *alia omnia virtuti suae prona esse*. — *paucas*] tres. c. 78. — *ruentibus*] *ruentia*, ut *prospera*, substantivi loco fungitur; cf. Ann. 5, 10 *laetus praesentibus*. *Dräger* Synt. § 7, 3. *Nipperdey* ad Ann. 3, 18 *recentium seu veterum*. — *patrati belli*] *patrare bella* dictio Sallustiana: cf. Quintil. 8, 3, 44. — *reservaret*] Iacobi *reseraret* reiciendum est: nam *reseraverat* Vespasiano imperium Antonius victoria Cremonensi, Sabinum partum

ret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur. (65) haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat, invalidus senecta. erant qui occultis suspicionibus incesserent, tanquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur. namque Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat et credebatur adfectam eius fidem prave iuvisse domo agrisque pignori acceptis; unde, quanquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. melior interpretatio mitem virum abhorrere a sanguine et caedibus eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque per condicionem armis agitare. saepe domi congressi, postremo in aede Apollinis, ut fama fuit, pepigere. verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. voltus procul visentibus notabantur, Vitellii proiectus et degener, Sabinus non insultans et miseranti propior. (66) quod si tam facile suorum mentes flexisset Vitellius quam ipse cesserat, incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et condiciones abnuebant, discrimen ac dedecus ostentantes et fidem in libidine victoris. nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur; ne victos quidem laturos: ita

1 sauinū (*corr.* 1*m.*) 2 *Turbato ordine* M *post v.* senecta *interponit* seu ferebatur lecticula (c. 67) *cet. usque ad vv.* in Capitolium accivit (c. 69), *unde redit ad hunc locum* erant qui. *Luxata reposuit Puteolanus.* senecta. seu] senecta: sed *Haase* 3 Inuidię 4 Namquę 6 prave iuvisse *Döderlein:* p̄luuisse | (praes iuvisse *Heinsius*, parce iuvisse *Halm*) 8 Intp̄tatio 9 ponensisq; condiciones *Agricola* 13 sauin; (*corr.* 1*m.*) Sabini *Acidalius* pro|prior 15 uespa|ni 17 fidem] vitam *Meiser* 18 superbiam] socordiam *Meiser* lauros

imperium tueri et fratri occupata urbe *reservare* decebat. — *post Sabinum haberentur*] Livius 2, 56, 2 *post publicam causam privato dolore habito.*

65. *invalidus senecta*] item 1, 19. Ann. 3, 43. 13, 6. Liv. 6, 8, 2 *senecta invalidum.* — *invidia et aemulatione*] item 2, 21. — *privatis utriusque rebus*] item 5, 1. — *Vespasianum anteibat*] cf. c. 75 *quod inter omnis constiterit, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat.* — *prave iuvisse*] sic Döderlein corruptam Medicei scripturam *praeiuvisse* recte emendavit; nam Sabinus, cum domum agrosque fratris pignus acciperet, iuvisse credebatur non fraterno amore, sed pravo suae utilitatis studio, non ut frater, sed ut fenerator. bene Ed. Wolff exemplum liberalis animi ex vita Attici affert: Corn. Nep. Att. 9, 5 *ille se interposuit pecuniamque sine faenore sineque ulla stipulatione credidit, maximum existimans quaestum memorem gratumque cognosci simulque aperire se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum.* de re cf. Suet. Vesp. 4: *Africam integerrime — administravit —. rediit certe nihilo opulentior, ut qui prope labefactata iam fide omnia praedia fratri obligarit necessarioque ad mangonicos quaestus sustinendae dignitatis causa descenderit.* — *in aede Apollinis*] Palatini. — *pepigere*] Suet. Vit. 15: *Ubique aut superatus aut proditus salutem sibi et milies sestertium a Flavio Sabino Vespasiani fratre pepigit.* — *verba vocesque*] 1, 18 *verba ac voces.* frequens iunctura: cf. *Wölfflin* Die allitterierenden Verbindungen der lat. Sprache p. 88 et 93. — *Cluvium Rufum*] de quo 1, 8. 2, 58. 65. — *Silium Italicum*] poetam belli Punici secundi, de quo Plinius Ep. 3, 7, 3 *in Vitelli amicitia sapienter se et comiter gesserat.*

66. *superbiam*] si scriptura Medicei recte se habet, v. *superbia* bono sensu accipiendum est,

periculum ex misericordia. ipsum sane senem et prosperis adversisque satiatum: sed quod nomen, quem statum filio eius Germanico fore? nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniae sinus promitti: sed ubi imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis eius, non denique exercitibus securitatem nisi extincto aemulatore redituram. Fabium illis Valentem captivum et casibus dubiis reservatum praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant. non a Caesare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos, nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitelli cliens, cum Vitellius collega Claudio foret. quin, ut censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiae domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur. perstare militem,

1 mĩa sanẽ senẽ 3 promittis. et 5 extincto *ex* e tato (n *superscr.*) *corr.* 1*m.* aemulatore redituram *dett:* emulatore dituram | (aemulo redituram *Rhenanus*, aemulatu redituram *Lipsius*) 6 captivum et casibus dubiis *dett.*: captiũ et captis dieb; 9 altiore sp̃s 11 ut res (et tres *Acidalius*) totę gregię 12 deceret *dett.*: degeret audacia

ut infra *nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat.* cf. Horatius C. 3, 30, 14 *sume superbiam quaesitam meritis.* — *ex misericordia*] »ac si Vespasianus adversario parcere vellet, fore, ut ipsi Vitelliani misericordia instigati a tam indigna condicione per mortem eum liberare cuperent, vel ipsi eum occidentes vel etiam novas turbas excitantes, quibus Vespasianus ad eum necandum etiam invitus adigeretur.« Haec videtur vera interpretatio loci obscurioris ideo, quia primo adspectu ambigas, utrum significetur Vespasiani, an Vitellianorum misericordia. verum de his intellige. cf. c. 84 *quo maturius ludibrio eximeret.* — *filio eius Germanico*] 2, 59 *mox universum exercitum occurrere infanti filio iubet; perlatumque et paludamento opertum sinu retinens Germanicum appellavit cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus.* Honorificum hoc nomen consulto Vitellii amici in eius memoriam revocant. — *aemulatore*] v. *aemulator* pro *aemulus* usus est etiam Cicero ad Atticum 2, 1, 8 *Catoni et eius aemulatori.* — *casibus dubiis reservatum*] »ut pro rerum eventu diiudicaretur, utrum eum occidere, an eius vitae parcere magis conduceret; iam vero cum nimio fuisse oneri neque ullam utilitatem ab eius vita speratam, quocirca e medio sublatum esse.« — *reservatum*] in custodia, ut per eum, si res male caderent, veniam a Vitellio impetrare possent. — *nedum Primus*] »Iis non dabitur servandi Vitellii potestas, sed tantum occidendi.« Huetius. — *specimen*] ex quo potissimum coniecturam quis facere queat de tota Flavianarum partium indole. *Musterbild.* »*Le personnage le plus marquant, le coryphée, et comme on dirait en style moderne, la principale notabilité du parti.*« Burnouf. — *altiores spiritus*] generosiorem animum; in bonam partem, cum alibi in deteriorem dicatur. »Non est credibile Vespasianum, qui olim Vitelliae domus cliens fuerit, iam nobiliore celsioreque animo fore, quam Caesar et Augustus fuerint, passurumque vivere aemulum, cum illi passi non sint.« Ern. Ceterum constat nec Caesarem neque Augustum iussisse occidi adversarios, quibus tamen causa mortis erant, unde ita rem exaggerare poterant Vitellii consiliarii. — *Vitelli cliens*] cliens Vitelli dixit quasi Vitelliorum seu Vitelli domus. nam de L. Vitellio patre intellegit, bis collega Claudii in consulatu (Suet. Vit. 2: *mox cum Claudio principe duos insuper ordinarios consulatus censuramque gessit.*) Pichena. — *collega Claudio*] a. u. 796 (p. Chr. 43) et 800 (p. Chr. 47). — *tres consulatus*] L. Vitellius pater consul a. 787. 796. 800., censor a. u. 800—804 (p. Chr. 47—51) cf. *Nipperdey* ad Ann. 11, 13 *munia censoria.* — *desperatione saltem*] »si non forti ac generoso consilio.«

superesse studia populi. denique nihil atrocius eventurum quam in quod sponte ruant. moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant an per virtutem. (67) surdae ad fortia consilia Vitellio aures. obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret coniugi ac liberis. erat illi et fessa aetate parens; quae tamen paucis ante diebus opportuna morte excidium domus praevenit, nihil principatu filii adsecuta nisi luctum et bonam famam. xv. kalendas Ianuarias audita defectione legionis cohortiumque, quae se Narniae dediderant, pullo amictu Palatio degreditur, maesta circum familia. [seu] ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam. voces populi blandae et intempestivae; miles minaci silentio. (68) nec quisquam adeo rerum humanarum inmemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem et generis humani paulo ante dominum, relicta fortunae suae sede, per populum, per urbem exire de imperio. nihil tale viderant, nihil audierant. repentina vis dictatorem Caesarem oppresserat, occultae Gaium insidiae; nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant; Piso et Galba tanquam in acie cecidere. in sua contione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et praesenti maestitiae congruentia locutus, cedere se pacis et rei publicae causa — retinerent tantum memoriam sui fratremque et coniugem et innoxiam

1 nichil 2 ruat *Nipperdey* 3 spm̃ 4 aures obrueban|tur. 6 c̄lugis 7 [ante] *Ioh. Müller* 8 nichil filia kl *cum lin. in* l 9 Iañ legiones cohortiū | quęq; 10 famia | (*post* famia *spatium quattuor fere litterarum vacuum, dein sequitur novo versu* misso per neglecta *cf. ad c.* 65) seu] simul *Puteolanus*, post eum (= p'eū) *Meiser* 11 funebrę̄ ponpā | 14 ro|nū (ma *add* 2*m.*) 17 occulte 19 milites (*in fine paginae*) milites mestitię 21 suā̃ (*corr.* 1*m.*)

67. *pertinacibus armis*] »si pertinaciter bellum continuaturus esset.« Ruperti. — *ante — praevenit*] de hoc pleonasmo cf. dial. 18 *si illud ante praedixero. Dräger* Synt. § 241. — *opportuna morte*] Atque hinc suspicio, de qua Suet. Vit. 14: *Suspectus et in morte matris* (Sextiliae) *fuit, quasi aegrae praeberi cibum prohibuisset, vaticinante Cattha muliere, cui velut oraculo adquiescebat, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti extitisset.* — *nisi luctum*] 2, 64: *domus suae tantum adversa sensit.* — *XV. Kal. Ian.*] 18 d. mensis Decembris. cf. Suet. Vit. 15. Dio 65, 16. — *legionis*] c. 55 *secuta e classicis legio.* — *seu ferebatur*] pro *seu* scribendum videtur *post eum:* cf. Livius 27, 37, 11 *ordo talis fuit: — boves — albae duae — ductae. post eas duo signa — portabantur.* Curtius 8, 14, 10 *post eos posuerat peditem.* Tibullus 1, 10, 23 *atque aliquis voti compos liba ipse ferebat | postque comes purum filia parva favum.* — *lecticula*] Cornel. Nepos Att. 22 *elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine ulla pompa funeris.* Livius 24, 42, 5 *Scipio lecticula in aciem inlatus.* Cic. de div. 1, 26, 55 *lecticula in curiam esse delatum.*

68. *rerum humanarum*] cf. Sophocles Aias 131 ὡς ἡμέρα κλίνει τε κἀνάγει πάλιν ἅπαντα τἀνθρώπεια. — *occultae Gaium insidiae*] cf. Suetonius Caligula c. 56 sqq. — *ignotum rus*] suburbanum Phaontis liberti. Suet. Ner. 48. — *Piso et Galba*] Galbae necem narrat 1, 41, Pisonis 1, 43. — *in sua contione*] quam

liberorum aetatem miserarentur —, simul filium protendens, modo singulis modo universis commendans, postremo fletu praepediente adsistenti consuli (Caecilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut ius necis vitaeque civium, reddebat. aspernante consule, reclamantibus qui in contione adstiterant, ut in aede Concordiae positurus insignia imperii domumque fratris petiturus discessit. maior hic clamor obsistentium penatibus privatis, in Palatium vocantium. interclusum aliud iter idque solum, quo in sacram viam pergeret, patebat. tum consilii inops in Palatium redit. praevenerat rumor eiurari ab eo imperium scripseratque Flavius Sabinus cohortium tribunis, ut militem cohiberent. (69) igitur tanquam omnis res publica in Vespasiani sinum cecidisset, primores senatus et plerique equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere. illuc de studiis volgi et minis Germanicarum cohortium adfertur. longius iam progressus erat quam ut regredi posset; et suo quisque metu, ne disiectos eoque minus validos Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma inpellebant. sed, quod in eiusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. circa lacum Fundani descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum. modicum ibi

6 hinc *Haase* 7 Int̄ clausum 8 quod sacra 9 rediit *det.* iurari 11 uespasianis cecidisset *b*: cecississet (cessisset *alii*) primo res (s *super* o *del.* 1m.) 18 paucis (s *del.* 1m.) 19 armati *Kraffert*

iure suo ut imperator habebat. — *commendans, postremo fletu praepediente*] nemo, ne ipse quidem Tacitus, ante Rupertium animadvertit hunc esse hexametrum! cf. *Dräger* Synt. § 255, *Nipperdey* ad Ann. 1, 1. — *Caecilius Simplex*] de quo cf. 2, 60. — *pugionem*] Suet. Vit. 15: *Solutum a latere pugionem consuli primum, deinde illo recusante magistratibus ac mox senatoribus singulis porrigens, nullo recipiente, quasi in aede Concordiae positurus abscessit. Sed quibusdam adclamantibus »ipsum esse Concordiam«, rediit nec solum retinere se ferrum affirmavit, verum etiam Concordiae recipere cognomen.* — *in aede Concordiae*] in qua senatus haberi solebat, ad clivi Capitolini radicem. Duebn. — *domumque fratris*] foro imminentem vicinamque aedi Concordiae. cf. c. 70. Brot. — *hic*] ante ipsam fratris domum maiorem illum clamorem plurium adcursu sublatum esse et ex iis quae proxime sequuntur et ex c. 70 apparet. Ioh. Müller. — *obsistentium penatibus privatis*] ante aedes privatas fratris et introitum prohibentium. Rup. — *interclusum aliud*] sensus est: »omnes viae erant interclusae, quae alio quam in Palatium ferrent.« Ern. — *in sacram viam*] per quam a foro in Palatium ibatur. Duebn. eius incolae sacravienses. — *cohortium*] urbanarum et vigilum, cf. c. 69 *miles urbanus et vigiles.*

69. *in Vespasiani sinum cecidisset*] cf. Seneca Suasor. 7, 1: *quo tempore non quidem stabat res publica sed in boni principis sinum ceciderat.* — *de studiis volgi*] c. 67. extr. — *Germanicarum cohortium*] Vitellio etiamtunc faventium. cf. c. 78 *adversus tris cohortes.* *Germanicae* praetoriae cohortes h. l. nominantur, quod Germanico milite maximam partem compositae erant; v. 2, 93 et 94. Ritter. — *lacum Fundani*] ad montem Quirinalem; superest eius memoria in titulo suspecto Grut. 598, 5: »vidit Lipsius.« Inscr. m. Lat. N. 567: *L. CORNELIO L. F. SVLLAE.*

proelium inproviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida, quod tutissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam senatorum equitumque; quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam victore Vespasiano multi id meritum erga partes simulavere. subierunt obsidium etiam feminae, inter quas maxime insignis Verulana Gratilla, neque liberos neque propinquos sed bellum secuta. Vitellianus miles socordi custodia clausos circumdedit; eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fratris filium in Capitolium accivit, misso per neglecta ad Flavianos duces nuntio, qui circumsideri ipsos et, ni subveniretur, artas res nuntiaret. noctem adeo quietam egit, ut digredi sine noxa potuerit: quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat, et hibernus imber repente fusus oculos auresque impediebat. (70) luce prima Sabinus, antequam in vicem hostilia coeptarent, Cornelium Martialem e primipilaribus ad Vitellium misit cum mandatis et questu, quod pacta turbarentur. simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot illustres viros. cur enim e rostris fratris domum inminentem foro et inritandis hominum oculis quam Aventinum et penates uxoris petisset? ita privato et omnem principatus speciem vitanti convenisse.

1 p̄lio (*corr.* 1*m.*) Inprouisū (*corr.* 1*m.*) 2 quoq; (*corr.* 1*m.*) 3 aut tradere haud 5 subier̄ maximę 6 Gratilla *Ernesti*: gratilia bello (*corr.* 1*m.*) 8 domitian; (*corr.* 1*m.*) 9 *post* acciuit *spatium octo decemve litterarum vacuum: proximo versu sequitur* erant qui *cf. ad c.* 65 10 ipsos et ni *Pichena*: ipso se Ini (ipsum ni *b*) artes (*corr.* 1*m.*) (et artas *b*) 12 Inber 14 cęptarent 15 quęstu (questum *Madvig*) 16 simulatione 19 c̄tōnisse

FELICI. DICTATORI. VICVS. LACI (sic). *FVNDANI.* Romae. — *arcem Capitolii*] Sic et alibi Tacitus, ut mox c. 71. Livius et Cicero semper distincte *arcem et Capitolium* dicunt. Livius ter 5, 39. 40. nam arx et Capitolium in eodem erant monte: unde Dionysius Halic. 10, 14. p. 674 arcem vocat προσεχῆ τῷ Καπιτωλίῳ et spatium inter utrumque interiectum auctore eodem, loco mox ad c. 71 proferendo, duoque colles, non arx pars Capitolii aut in Capitolio; nisi quod mons ille subinde *mons Capitolinus* vocatur, cuius sane pars fuit arx. vide etiam Ryckium de Capitol. c. 5. Ern. *Capitolium* appellatum esse verticem montis occidentalem, constat vel ex Livio 35, 21. v. Preller in Philologo 1. p. 70. — *mixto milite*] hoc dicit, mixtos fuisse milites, senatores et equites quosdam, alios quoque cives, Flavianarum partium fautores; neutiquam vero mixtos fuisse *militem urbanum et vigiles* (cap. initio), quod memorare nihil attinebat. ac similiter 2, 14: *ut pars classicorum mixtis paganis in colles — exurgeret.* — *Gratilla*] cf. Plinius epp. 3, 11, 3 *relegatis Maurico Gratilla* 5, 1, 8 *et erant quidam in illis, quibus obici et Gratillae amicitia et Rustici posset.* — *concubia nocte*] Ann. 1, 39 *nocte concubia.* Livius 25, 9, 8 *conc. n.* — *in Capitolium*] ut ibi tutiores essent. sine causa haec vv. »a glossographo« profecta esse opinabatur Lipsius. — *neglecta*] partes a custodibus non insessas. Duebn. — *digredi*] elabi obsessoribus et confugere ad exercitum Flavianum; Ernestii *degredi* hic necessarium non est.

70. *inminentem foro et inritandis hominum oculis*] h. e. inminentem foro et inritaturam hominum oculos vel inritandis hominum oculis aptam pro vulgari: foro propinquam et conspicuam. — *quam Aventinum*] de omisso *potius*

contra Vitellium in Palatium, in ipsam imperii arcem regressum; inde armatum agmen emissum; stratam innocentium caedibus celeberrimam urbis partem; ne Capitolio quidem abstineri. togatum nempe se et unum e senatoribus: dum inter Vespasianum ac Vitellium proeliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium iudicatur, iam Hispaniis Germaniisque et Britannia desciscentibus, fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad condiciones vocaretur. pacem et concordiam victis utilia, victoribus tantum pulchra esse. si conventionis paeniteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani vix puberem: quantum occisis uno sene et uno iuvene profici? iret obviam legionibus et de summa rerum illic certaret: cetera secundum eventum proelii cessura. trepidus ad haec Vitellius pauca purgandi sui causa respondit, culpam in militem conferens, cuius nimius ardor: inparem esse modestiam suam. et monuit Martialem, ut per secretam aedium partem occulte abiret, ne *a* militibus internuntius invisae pacis interficeretur. ipse neque iubendi neque vetandi potens non iam imperator, sed tantum belli causa erat. (71) vixdum regresso in Capitolium Martiale furens miles aderat, nullo duce, sibi quisque auctor. cito agmine forum et inminentia foro templa praetervecti erigunt aciem per adversum collem usque ad primas Capitolinae arcis fores. erant antiquitus porticus in latere clivi, dextrae subeuntibus; in quarum tectum egressi saxis tegulisque

2 cedib; 4 p̄liis 5 capti|uitab; 6 germanisq; (Galliisque *Ritter*; *fortasse* Galliis Germaniisque *Nipperdey*) brittannia 8/9 seque | perfidia 11 cętera p̄lii 13 nimius ardor. Inparē (nimio ardori inparem *Puteolanus*) 14 secretā mędiū (*corr.* 1*m.*) 15 a *om.* 16 Iuuendi 19 colle 20 aantiquitus (*pr.* a *eras.*)

cf. *Dräger* Synt. § 181, b. — *captivitatibus urbium*] cf. Ann. 16, 16 *in cladibus exercituum aut captivitate urbium.* — *iudicatur*] verbum simplex pro composito hac in re magis solito *diiudicatur*. Vellei. 2, 3: *discordiae civium — ferro diiudicatae.* de modo indicativo in oratione obliqua cf. c. 38 *dum — fovet*, 5, 17 *dum — impediunt. Dräger* Synt. § 168. — *Germaniisque*] cf. 4, 13 et 31. — *donec — ad condiciones vocaretur*] cf. c. 65. — *non se — ferro peteret*] negatio *non* recte ponitur, quia oppositio latet *non se, sed legiones.* cf. *Nipperdey* ad Ann. 1, 11 *non ad unum omnia deferrent. Dräger* Synt. § 28, c. — *cetera secundum eventum proelii cessura*] cf. 1, 11 *inermes provinciae atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessurae erant* 70 *Noricos in certa victoriae praemia cessuros* — *cuius nimius ardor*] scil. esset. cf. 4, 39 *dimissa — legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor.* Puteolanus scripsit *cuius nimio ardori inparem esse modestiam suam* contra auctoritatem Medicei et contra legem grammaticam, quae *cuius nimio ardori inpar esset modestia sua* flagitat. — *per secretam aedium partem*] pro vulgari: per posticam. — *ipse — non iam imperator*] cf. c. 63 *tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.* — *belli causa erat*] cf. 4, 1 *Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coeperat.*

71. *erigunt aciem*] in arduum ducunt, ut Agr. 18: *erexit aciem.* — *porticus*] per quas in Capitolium ascendebant, qui pedibus ibant. Livius 41, 27 *porticum ab aede Saturni in Capitolium ad senaculum.* — *clivi*] Capitolini, quo aditu equis curribusve (Plin. 8, 42, 161)

Vitellianos obruebant. neque illis manus nisi gladiis armatae; et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur. faces in prominentem porticum iecere et sequebantur ignem ambustasque Capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revolsas undique statuas, decora maiorum, in ipso aditu vice muri obiecisset. tum diversos Capitolii aditus invadunt, iuxta lucum asyli et qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. inprovisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat. nec sisti poterant scandentes per coniuncta aedificia, quae, ut in multa pace, in altum edita solum Capitolii aequabant. hic ambigitur, ignem tectis obpugnatores iniecerint an obsessi, quae crebrior fama, *flamma* nitentes ac progressos depulerint. inde lapsus ignis in porticus adpositas aedibus; mox sustinentes fastigium aquilae vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. sic

8 que 9 sonū equabant 10 famā flamma *add. Meiser* (ita *Al. Ruperti*; quo — depellerent *alii*; dum — depellunt *Heraeus*) 11 labs; (*corr.* 1*m.*) adposita sędib; 12 ūtere flāmā

vehentes utebantur, *Fahrstrasse*; huic opponuntur mox *centum* illi *gradus*, per quos alius aditus praebebatur. cfr. Preller *Zur Geschichte und Topographie des Römischen Capitols*, Philologus I. p. 99. idem p. 87 ultro fatetur in tota huius proelii Capitolini descriptione, locis tantopere immutatis, complura nobis nunc obscura atque ambigua manere. — *prominentem*] »*ad primas Capitolinae arcis fores*«, ut paullo ante dicit. ibi autem subsellia lignea fuisse, quae tunc incensa sunt, ut olim in Caesaris funere, consentaneum est. incendi autem poterant porticuum tecta trabibus contignata et exedrae in porticibus collocatae. (Vitruv. 5, 11.) — *lucum asyli*] Liv. 1, 8, 5: (*Romulus*) *locum, qui nunc saeptus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit.* Dionys. Hal. 2, 15: τὸ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον μεθόριον δυεῖν δρυμῶν. Preller l. l. p. 99: *Den* aditus iuxta lucum asyli *hat Becker wohl mit Recht nicht für den Steig, der zum Asyle hinaufführte, gelten lassen wollen, sondern für einen Zugang zum Capitole von der Seite her, wo das Asyl lag, also vom Capitolsplatze* (area Capitolina) *her erklärt.* — *et qua Tarpeia rupes*] tertius hic aditus. Quae rupes erat in parte opposita ei quae per Forum adibatur. Duebn. »*Ausser dem Fahrwege gab es noch andere Zugänge zum Capitolium. Der eine, ein Stufenweg, führte unmittelbar vom Thale empor und zwar an der Südostseite des Berges, wo sich der neuerdings blossgelegte tarpejische Felsen befand (gegenüber der Kirche della Consolazione), ein steiler Abhang, von dem Meineidige, Hochverräter und andere Schuldige herabgestürzt wurden. Dieser Weg hiess die Centum gradus.*« *Otto Richter*, Topographie von Rom § 37 p. 812. — *coniuncta aedificia*] Capitolio, quorum etiamnunc supersunt parietinae nonnullae et excavationes ad cellarum formam in ipsam arcis rupem actae. *Preller* l. l. p. 101. — *flamma — depulerint*] post *fama* voc. *flamma* intercidit, quod sensu flagitante addidi. vocc. *ignis* et *flamma* promiscue utitur, ut subinde dicit *traxerunt flammam*. Curtius 6, 6, 30 *tunc undique ignis iniectus cuncta conprehendit. flammam in ora hostium ventus ferebat.* — *obpugnatores — an obsessi*] cfr. c. 75. extr. — *aedibus*] Dionys. Halic. 4, 61: ἐν δ' αὐτῷ (τῷ ναῷ) τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι κοινὰς ἔχοντες πλευράς. μέσος μὲν ὁ τοῦ Διός, παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος ὅ τε τῆς Ἥρας καὶ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. Hinc num. pluralis de uno templo Capitolino, ut de eodem 4, 53: *altitudo aedibus adiecta.* — *aquilae*] sunt trabes, quae in formam triangularem redactae efficiebant fastigium templi (ἀέτωμα) et propter similitudinem aquilae pennas extendentis vocaban-

Capitolium clausis foribus indefensum et indireptum conflagravit. (72) id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit, nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, deis, sedem Iovis Optimi Maximi auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsenna dedita urbe neque Galli capta temerare potuissent, furore principum excindi. arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata: nunc palam obsessum, palam incensum, quibus armorum causis, quo tantae cladis pretio? [stetit] pro patria bellavimus? voverat Tarquinius Priscus rex bello Sabino ieceratque fundamenta spe magis futurae magnitudinis quam quo modicae adhuc populi

2 fǫdissimūq; rei. p. 4 optimū 8 ̄ptio. Stetit. pro | stetit *om. det.* (quo tanta clades pretio stetit? *Pichena*, quod — pretium fuit? *Nipperdey*, quo — pretio? scilicet *Acidalius*) sedit *Fr. Walter*, stetit, dum *Haase*, stetit nimio, ni *Meiser* 10 quan

tur ἀετοί. Duebn. Bekk. Anecd. p. 348: ἡ γὰρ ἐπὶ τοῖς προπυλαίοις κατασκευὴ ἀετοῦ μιμεῖται σχῆμα ἀποτεταχότος τὰ πτερά. Prima harum aquilarum mentio est apud Pindarum Olymp. 13, 20 in Corinthiorum laude: Τίς γὰρ ἱππείοις ἐν ἔντεσσιν μέτρα, Ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλέα δίδυμον Ἐπέθηκ'; ἐν δὲ Μοῖσ' ἀδύπνοος κτλ., ubi vide Boeckhium, Boettiger *Amalthea* I. p. 78, quo iudice intelligendae aquilae duae et magnae e ligno dolatae aurataeque, *fastigium sustinentes*, alis ferentes. Welcker Mus. Rhen. II. p. 482. cf. Anthony Rich, *Illustriertes Wörterbuch der römischen Alterthümer* sub voce *aquila*.

72. *id facinus — luctuosissimum*] cf. Statius Silvae 5, 3, 195 *subitam civilis Erinys Tarpeio de monte facem Phlegraeaque movit Praelia. sacrilegis lucent Capitolia taedis Et Senonum furias Latiae sumpsere cohortes.* ‚Incendere Capitolium' ut facinus pessimum in proverbium cesserat cf. Plutarch. Tib. Gracchus 20, 3 τί οὖν, εἴ σε Τιβέριος ἐκέλευσεν ἐμπρῆσαι τὸ Καπετώλιον; Cic. Laelius 37 *in Capitolium faces ferre.* Epictet. diss. 1, 7, 32 μὴ γὰρ τὸ Καπιτώλιον ἐνέπρησα; — *rei publicae populi Romani*] integra formula exstat apud Livium 22, 10: *res publica populi Romani Quiritium.* cf. ibi Drakenb. et Gronovii Obss. 4, 14. Ern. — *si per mores nostros liceret*] cf. Horatius carm. 1, 3, 38 *neque per nostrum patimur scelus iracunda Iovem ponere fulmina.* — *pignus imperii*] cf. 4, 54 *nihil aeque quam incendium Capitolii, ut finem imperio adesse crederent, inpulerat.* Livius 1, 55 Capitolium vocat *arcem imperii caputque rerum.* Ambrosch *Studien* I. p. 225: *Eine Thatsache ist es, dass das Capitol das Heiligthum des römischen Staates, nicht bloss der Stadt Rom war.* — *Porsenna*] simplici *n* Horatius Epod. 16, 4: *Minacis aut Etrusca Porsenae manus,* itemque Silius 8, 389. 478. 10, 483. contra Vergilius Aen. 6, 646 *Porsenna iubebat.* — *dedita urbe*] Tacito convenit cum Plinio 34, 139: *In foedere, quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsina, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agri cultu uteretur.* cf. Niebuhr *Römische Geschichte.* ed. IV. vol. I. p. 575. aliter sane Livius. — *excindi*] infinitivus epexegeticus cf. *Dräger* Synt. § 146. — *civili bello*] Sullano a. u. 671, auctoribus ignotis. Appian. B. C. 1, 83. Cic. Catil. 3, 4. — *stetit*] nisi hoc vocabulum delendum est, locus corruptus ita restitui posse videtur, ut scribatur: *stetit nimio, ni pro patria bellavimus.* cf. c. 58 *maiore damno, plurium urbium excidiis veteres civium discordias rei publicae stetisse.* 2, 47 *hanc virtutem vestram ultra periculis obicere nimis grande vitae meae pretium puto.* Florus 2, 12, 12 *Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.* — *pro patria bellavimus?*] ad totum h. l. applicari possunt vv. Velleii 2, 66, quibus similem digressionem rhetoricam adversus M. Antonium veluti excusat: *cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore indignatio.* — *voverat*

Romani res sufficerent. mox Servius Tullius sociorum studio, dein Tarquinius Superbus capta Suessa Pometia hostium spoliis extruxere. sed gloria operis libertati reservata: pulsis regibus Horatius Pulvillus iterum consul dedicavit ea magnificentia, quam inmensae postea populi Romani opes ornarent potius quam augerent. isdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto quadringentorum quindecim annorum spatio L. Scipione C. Norbano consulibus flagraverat. curam victor Sulla suscepit neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati eius negatum. Lutatii Catuli nomen inter tanta Caesarum opera usque ad Vitellium mansit. ea tunc aedes cremabatur. (73) sed plus pavoris obsessis quam obsessoribus intulit. quippe Vitellianus miles neque astu neque constantia inter dubia indigebat: ex diverso trepidi milites, dux segnis et velut captus animi

3 gla (cum lineola in l) *in fine columnae* patrati operis *Ritter* pulnilius | 4 consule (*corr.* 2*m.*) 6 quindecim] viginti quinque *Lipsius* 7 Norbano consulibus] norbanacos | 9 tanta *b*: ta (tot *Pichena*) 10 cremebatur (*corr.* 1*m.*)

Tarquinius Priscus] vide Liv. 1, 38. — *Servius Tullius*] »Sed hic secundum ceteros Historicos Dianae templum in Aventino exstruxit: de opera Capitolio impensa nulla usquam mentio.« Duebn. at minime credibile est, quod opinabatur Sachse *Rom* I. p. 278, a Tacito confusum esse Capitolium cum Dianae templo in Aventino monte, verum hic quoque certos auctores nunc deperditos secutus videtur, ut alibi, ubi res antiquiores tangit. sic, si non exstaret fatalis, ut ita dicam, ille Plinii de Porsenna locus, Taciti vv. *dedita urbe* fortasse pro mero errore haberentur. (De templo Dianae Communis a Servio Tullio exstructo locus praecipuus est Dionys. Halic. 4, 26.) — *Suessa Pometia*] Volscorum capite. Liv. 1, 53. — *gloria operis*] scil. Capitolii exstructi, quod ex voc. *extruxere* intellegitur. — *Horatius Pulvillus iterum consul*] a. u. c. 247. consentit cum Tacito Dionysius Antiq. Rom. 5, 35. Livius autem Horatium primum consulem anno primo post reges exactos dedicantem Capitolium producit 2, 8, item Polybius 3, 22. Ritter. — *quadringentorum quindecim*] immo CCCCXXV. secundum Fastos, scil. ab a. 247-671. — *curam victor Sulla*] Plin. 36, 45: *Athenis templum Iovis Olympii, ex quo Sulla Capitolinis aedibus advexerat columnas.* — *hoc solum felicitati*] Plinius 7, 138: *Hoc tamen nempe felicitati suae defuisse confessus est, quod Capitolium non dedicavisset.* *Felicis* cognomen ascivit Sulla occiso Mario iuvene. Vellei. 2, 27. — *Lutatii Catuli nomen*] fallit nos ergo aut falsus ipse Dio 43, 14 haec tradens: Τό τε ὄνομα αὐτοῦ (Caesaris) ἐπὶ τὸ Καπιτώλιον ἀντὶ τοῦ Κατούλου, ὡς καὶ τὸν νεών, ἐφ' οὗ τῇ ἐκποιήσει εὐθύνειν ἐκεῖνον ἐπεχείρησεν, ἐκτελέσαντος, ἀντεγγραφῆναι ἐκέλευσαν. quod ex hoc loco omnino non potest. Lips. Ryckius putat nomen Catuli ita erasum et inscriptum Caesaris nomen, ut tamen Catuli nomen adhuc appareret, cuius rei exempla plura in marmoribus antiquis reperiantur. quod mihi non satisfacit. vereor, ne decretum illud ad effectum non venerit. atque sic placebat Iac. Gronovio. verba Taciti nimis certa et clara sunt deque re tali, quae obscura esse non poterat. Ern. Dio quidem testatur hoc quoque decretum cum aliis nonnullis receptum esse a Caesare, alia repudiata. cf. etiam Interpretem ad Dionis 37, 44. Plutarch Poplic. 15 τὸν δὲ δεύτερον (ναὸν) ἀνέστησε μὲν Σύλλας, ἐπεγράφη δὲ τῇ καθιερώσει Κάτουλος Σύλλα προαποθανόντος. Plinius n. h. 19, 23 *Postea in theatris extenta* (vela) *umbram fecere, quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret.* 33, 57 *cum varie sua aetas de Catulo existimaverit, quod tegulas aereas Capitoli inaurasset.* Catulus autem templum Iovis Capitolini dedicavit a. u. 685, mortuo Sulla a. 676. — *inter tanta Caesarum opera*] Augustus

non lingua, non auribus competere; neque alienis consiliis regi neque sua expedire; huc illuc clamoribus hostium circumagi; quae iusserat, vetare, quae vetuerat, iubere. mox, quod in perditis rebus accidit, omnes praecipere, nemo exequi. postremo abiectis armis fugam et fallendi artes circumspectabant. inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine ferro flammisque miscent. pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes Cornelius Martialis, Aemilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scaeva, pugnam ausi obtruncantur. Flavium Sabinum inermem neque fugam coeptantem circumsistunt et Quintium Atticum consulem umbra honoris et suamet vanitate monstratum, quod edicta in populum pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium iecerat. ceteri per varios casus elapsi, quidam servili habitu, alii fide clientium contecti et inter sarcinas abditi. fuere qui excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve audaciam pro latebra haberent. (74) Domitianus prima inruptione apud aedituum occultatus sollertia liberti lineo amictu turbae sacricolarum inmixtus ignoratusque apud Cornelium Pri-

3 Iuuere 5 saguine (n *superscr.* 1*m.*) [sanguine] *L. Spengel* 5/6 flāmisq; 6 Insignis 8/9 cęptantē 10 suā et 12 fidē (*notam del.* 1*m.*) con|tecti (protecti *Nipperdey*) 13 [quo inter se noscebantur] *Nipperdey*

in Monum. Ancyr. 4, 9 (cap. 20): *Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei.*

73. *non lingua, non auribus competere*] Sallustiana sunt verba, quibus utitur etiam Ann. 3, 46. servavit illa Nonius 4, 110 ex Hist. 1, 88: *Sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere.* — *quae iusserat vetare, quae vetuerat iubere*] ἀντιμεταβολή, ut c. 33. Prammer. — *ferro flammisque*] Ann. 1, 51 *ferro flammisque pervastat.* Cic. Catil. 2, 1 *ferro flammaque minantem.* Livius 1, 29, 2 *omnia ferro flammaque miscet.* cf. *Wölfflin:* Die allitterierenden Verbindungen der lateinischen Sprache p. 55. — *Cornelius Martialis*] de quo c. 70. — *Aemilius Pacensis*] de quo 1, 20. 87. 2, 12. — *consulem*] mensium Novembris et Decembris; collega eius, Caecilius Simplex, Vitellio favebat. c. 68. Duebn. de consulatibus huius anni cf. 1, 77. 2, 60. *Ios. Klein:* Fasti consulares p. 42. — *pro Vespasiano magnifica*] c. 9 *pro Vespasiano magnifice* — *in Vitellium ut inimici.* Sallust. Iug. 84, 1 *magnifica pro se.* — *iecerat*] sparserat; non enim palam et publice proposuit. Duebn. — *signo, quo inter se noscebantur*] h. e. tessera. cf. c. 22 *crebris interrogationibus notum pugnae signum.* Ann. 13, 2 *signumque militiae petenti tribuno dedit Optimae matris.* — *audaciam pro latebra*] Sall. Cat. 58, 17: *audacia pro muro habetur.*

74. *lineo amictu*] Suet. Dom. 1: *Isiaci celatus habitu,* qui lineus erat, unde Ovid. Met. 1, 747 illos appellat *linigeram turbam* et Iuven. 6, 533: *gregem linigerum.* cf. Böttiger *Sabina* II. p. 162. (Domitiani fugam sic narrat Philostratus V. A. 5, 30. p. 97. ed. Kayser: ξυμβεβήκει δὲ ἄρα κατὰ τὴν Ῥώμην Δομετιανὸν μὲν τὸν Οὐεσπασιανοῦ παῖδα παρατετάχθαι πρὸς τὸν Βιτέλλιον ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς τοῦ πατρός, πολιορκίας δ' αὐτὸν περισχούσης ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τὸν μὲν διαπεφευγέναι τοὺς πολιορκοῦντας, τὸν νεὼν δ' ἐμπεπρῆσθαι. ceterum cf. Dio 65, 17: Δομιτιανὸς δὲ καὶ Σαβῖνος ὁ τοῦ Σαβίνου παῖς ἐν τῷ πρώτῳ θορύβῳ διαφυγόντες ἐκ τοῦ Καπιτωλίου καὶ ἐς οἰκίας τινὰς κατακρυφθέντες ἐλελήθεσαν. hunc Sabinum minorem, patruelem suum, postea occidit Domitianus. Suet. Dom. 10.) — *sacricolarum*] pro hoc v. Suetonius Dom. 1, ubi singulatim

mum paternum clientem iuxta Velabrum delituit. ac potiente rerum patre disiecto aeditui contubernio modicum sacellum Iovi Conservatori aramque posuit casus suos in marmore expressam; mox imperium adeptus Iovi Custodi templum ingens seque in sinu dei sacravit. Sabinus et Atticus onerati catenis et ad Vitellium ducti nequaquam infesto sermone voltuque excipiuntur, frementibus qui ius caedis et praemia navatae operae petebant. clamore *a* proximis orto sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. stantem pro gradibus Palatii Vitellium et preces parantem pervicere, ut absisteret. tum confossum conlaceratumque et absciso capite truncum corpus Sabini in Gemonias trahunt. (75) hic exitus viri haud sane spernendi. quinque et triginta stipendia in re publica fecerat, domi militiaeque clarus. innocentiam iustitiamque eius non argueres; sermonis nimius erat: id unum septem annis, quibus Moesiam, duodecim, quibus praefecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor.

6 e|nouatę (*litt.* e *supra lineola notata*) enavatae *alii* 7 a *om.* (e *Baiter*) 9 p̄ces parentē | (a *superscr.* 2*m.*) c̄fossūs (s *del* 1*m.*) 9/10 conlace ratūq; (laceratumque *Nipperdey*) 12 re. p. 14 duodecim] septem *vel* totidem *Borghesi* (octo *vel* novem *Ritter*)

narrat, quomodo evaserit Domitianus, hosce vocat *sacrificulos vanae superstitionis*, id est *Isiacos* Inscrr. m. Lat. 2306. — *Velabrum*] vicum iuxta Palatinum montem. — *contubernio*] habitatiuncula aeditui, qui sane ἱερόδουλος erat. cf. 1, 43: *Piso in aedem Vestae pervasit exceptusque misericordia publici servi et contubernio eius abditus* cet. — *Iovi Conservatori*] utrumque ἐπίθετον coniungitur Inscr. m. Lat. N. 1228: *IOVI. OPT. MAX. CVSTODI. CONSERVATORI.* »Inde in aversa plurimorum Domitiani nummorum parte Iuppiter stat dextra fulmen, sinistra hastam tenens cum inscriptione *IOVI. CONSERVATORI. S. C*; *sacellum araque* fuere in Capitolio inter Capitolini et Custodis Iovis templa.« Brot. alii eius nummi inscripti *IVPPITER. CONSERVATOR.* et *IVPPITER. CVSTOS.* Akerman I. p. 201 et 204. — *casus suos — expressam*] Oratio audacter ad Graecam normam conformata, pro »expressos habentem«, τὰς τύχας αὐτοῦ ἐγκεχαραγμένην, ut a Valerio Flacco Argon. 1, 491: *Casusque tuos expressa, Phalere, Arma geris.* Duebn. ceterum cogita de marmore anaglypho. — *in sinu dei*] sedentis, qui minorem Domitiani effigiem suo in gremio stantem dextra tenebat. — *ad Vitelliam ducti*] idem tradit Dio 65, 17, sed Sabinum incendio perisse Victor Caes. 8. et Eutrop. 7, 18. — *conlaceratumque*] ἅπαξ λεγόμενον. — *absciso capite truncum*] Curtius 7. 2, 32 *capite deciso truncum.* — *in Gemonias trahunt*] Ann. 3, 14 *effigiesque Pisonis traxerant in Gemonias ac divellebant.* Plinius 8, 145 *abiecti in gradibus gemitoriis.* »*Eine nicht mehr nachweisbare, von dem höher gelegenen Carcer nach der Strasse herabführende Treppe hiess s c a l a e G e m o n i a e. Sie wird in der Kaiserzeit öfters als der Platz bezeichnet, auf den die Leichen der Hingerichteten geworfen wurden.*« *Otto Richter:* Topographie von Rom § 26, 4 (p. 788) et § 37 (p. 812).

75. *stipendia in re publica*] »Verba *in re publica* mihi suspecta. Quorsum enim et quo exemplo adduntur, praesertim in brevitatis tanto amatore? nisi forte transpositio facta est a librariis Tacitique manus sic dedit: *XXXV stipendia fecerat: in re publica domi* cet.« Ern. Broterius rectius censet *in re publica* opponi civilibus bellis. Walther. — *sermonis nimius*] est non tam »loquax« quam »rerum a se gestarum iactator«. — *duodecim*] »*Hier liegt sicher ein Fehler vor, mit Rücksicht auf Tac Ann.* 14, 42. 43. *Borghesi III.* 327 *liest für* duodecim *besser* totidem. *Ich werde darüber handeln, wenn ich die Liste der Stadtpräfekten untersuche.*« *W. Liebenam:* Forschungen zur Verwaltungsgeschichte des römischen Kaiserreiches I. p. 268. — *calum-*

in fine vitae alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. quod inter omnis constiterit, ante principatum Vespasiani decus domus penes Sabinum erat. caedem eius laetam fuisse Muciano accepimus. ferebant plerique etiam paci consultum dirempta aemulatione inter duos, quorum alter se fratrem imperatoris, alter consortem imperii cogitaret. sed Vitellius consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus ac velut vicem reddens, quod interrogantibus, quis Capitolium incendisset, se reum Atticus obtulerat eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse et a partibus Vitellii amolitus videbatur.

(76) Isdem diebus L. Vitellius positis apud Feroniam castris excidio Tarracinae imminebat, clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant. praeerat, ut supra memoravimus, Iulianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis quam ducum similes. non vigilias agere, non intuta moenium firmare: noctu dieque fluxi et amoena litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. paucos ante dies discesserat Apinius Tiro donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis plus invidiae quam virium partibus addebat. (77) interim ad L. Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit pollicitusque, si praesidium acciperet, vacuam arcem traditurum, multa nocte cohortes expeditas summis montium iugis super caput hostium

3 pęnes 4 direpta 8 sibe (*corr.* 1*m*.) 8/9 tēporis (s *del.* 1*m*.) 11 excidio (ex *in ras.* 1*m*.) 12 terraci|nę 13 pericūlū (*sic*) 14 pollinaris 16 diuque *Wurm* 20 seruūs Verginii *Puteolanus*: ūgilii 21 traditurum *b*: tradi futurum

niatus est] reprehendit, et quidem ita, ut vitium hoc aliquatenus exaggeraret. ceterum est v. aliquatenus mitius, quam *criminatus est*; etenim nulla in eo vitio culpa poenâ digna erat. — *constiterit*] »constitit, ni fallor.« DUEBN. cf. *Dräger* Synt. § 28, b. — *decus domus penes Sabinum erat.*] c. 65 *namque Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat.* — *consulis*] Quintii Attici. c. 73. — *vicem reddens*] cf. 4, 3 *tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exolvere.*

76. *L. Vitellius*] cf. c. 58 — *Feroniam*] Horat. Sat. 1, 5, 24: *Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha. M i l i a tum pransi t r i a repimus atque subimus Inpositum saxis late candentibus Anxur* (Tarracinam). Feronia erat dea Latii indiges et libertorum libertarumque, a quibus ex eius templo pileus libertatis insigne petebatur. *eam Varro libertatem deam dicit.* Servius ad Verg. Aen. 8, 564. diverse Dionys. Halic. 3, 32. p. 505 R.: ἱερόν — ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης, ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν οἱ μὲν Ἀνθοφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν. cf. de Feronia *Roscher*: Ausführliches Lexicon der griechischen und römischen Mythologie p. 1477—1481. — *ut supra*] c. 57. — *Apinius Tiro*] Flavianis partibus deditus ibid.

77. *Verginii Capitonis*] codices *Vergilii*, ut 4, 3. male. *Capito* est Verginiorum cognomen. ERN. — *vacuam*] arcem per se tutam fore neque capi posse ab hostibus opinatus Iulianus, eam praesidio munire intermiserat; ita factum, ut ex *summis montium iugis* facile

sistit. inde miles ad caedem magis quam ad pugnam decurrit. sternunt inermos aut arma capientes et quosdam somno excitos, cum tenebris, pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. pauci gladiatorum resistentes neque inulti cecidere. ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine inplicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. sex Liburnicae inter primum tumultum evasere, in quis praefectus classis Apollinaris; reliquae in litore captae aut nimio ruentium onere pressas mare hausit. Iulianus ad L. Vitellium perductus et verberibus foedatus in ore eius iugulatur. fuere qui uxorem L. Vitellii Triariam incesserent, tanquam gladio militari cincta inter luctum cladesque expugnatae Tarracinae superbe saeveque egisset. ipse lauream gestae prospere rei ad fratrem misit, percunctatus statim regredi se an perdomandae Campaniae insistere iuberet. quod salutare non modo partibus Vespasiani sed rei publicae fuit. nam si recens victoria miles et super insitam pervicaciam secundis ferox Romam contendisset, haud parva mole certatum nec sine exitio urbis foret. quippe L. Vitellio quamvis infami inerat industria; nec virtutibus, ut boni, sed quo modo pessimus quisque, vitiis valebat.

(78) Dum haec in partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat. causa tam pravae morae, ut Mucianum opperirentur. nec defuere qui Antonium suspicionibus arguerent tanquam dolo cunctantem post secretas Vitellii epistulas, quibus consulatum et nubilem filiam et dotales opes pretium proditionis offerebat. alii ficta haec et in gratiam Muciani composita. quidam omnium id ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum quam inferre, quando validissimae cohortes a Vitellio descivissent, et

6 liburnice 7 prefectus reliquas captę. ut 8 *fortasse* irruentium *Nipperdey* 9 fędatus 10 incesserent *b*: incesserant cinc|tā 11 t̄racinae (*super* t̄ *scr. a* 1*m.*) seueq: 12/13 perdomandā (*corr.* 1*m.*) 15 paruā (*notam del.* 1*m.*) 17 bonis (s *del.* 1*m.*) modo *delet Eussner* 19 hec 20 festo 21 praue 23 eplas *cum lin. in litt.* 1 p̄tiū 24 gr̄a 26 ualidissime

ab illis occupari potuerit. — *verberibus foedatus*] Verg. Aen. 11, 86: *Pectora nunc foedans pugnis nunc unguibus ora.* — *in ore eius*] Seneca de Benef. 7, 19, 8: *si in ore parentum liberos iugulat*; quod Verg. Ge. 4, 477: *ante ora parentum.* Oberl. — *gladio militari*] cf. Seneca dial. 6, 26, 2 *ad ictum militaris gladii.* — *lauream*] litteras laureatas. sic Plin. Paneg. 8: *adlata erat ex Pannonia laurea.* Plin. H. N. 15, 133: (*Laurus*) *Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris et militum lanceis pilisque.* — *quod salutare*] intervallum illud temporis, quo fratris responsum exspectavit.

78. *Narnia*] cf. c. 58 et 63. — *festos Saturni dies*] XVI. Kal. Ian. (d. 17. m. Decembr.) — *Ocriculi*] Umbriae oppidum prope confluentes Naris et Tiberis, hodie *Otricoli.* cfr. Inscr. m. Lat. 3857 de thermis hiemalibus Ocriculanis. — *alii ficta haec*] scil. dice-

abscisis omnibus praesidiis cessurus imperio videbatur: sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini corrupta, qui sumptis temere armis munitissimam Capitolii arcem et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem adversus tris cohortes tueri nequivisset. haud facile quis uni adsignaverit culpam, quae omnium fuit. nam et Mucianus ambiguis epistulis victores morabatur, et Antonius praepostero obsequio, vel dum regerit invidiam, crimen meruit; ceterique duces dum peractum bellum putant, finem eius insignivere. ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus praemissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat, donec obsessi Capitolii fama cunctos simul exciret. (79) Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra multo iam noctis serum auxilium venit. illic interfectum Sabinum, conflagrasse Capitolium, tremere urbem, maesta omnia accepit; plebem quoque et servitia pro Vitellio armari nuntiabatur. et Petilio Ceriali equestre proelium adversum fuerat. namque incautum et tanquam ad victos ruentem Vitelliani, interiectus equiti pedes, excepere. pugnatum haud procul urbe, inter aedificia hortosque et anfractus viarum; quae gnara Vitellianis, inconperta hostibus metum fecerant. neque omnis eques concors, adiunctis quibusdam, qui nuper apud Narniam dediti fortunam partium speculabantur. capitur praefectus alae Iulius Flavianus; ceteri foeda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis victoribus. (80) eo successu studia populi

5 eplis *cum lin. in litt.* 1 6 regerit *Pichena*: regeret 13 oma 14 ęquestre proreliū (*sed syll.* pro *per compendium*) adūsus (*sed corr.* 1*m.*) 15 nanq; 18 oms (i *superscr.* 1*m.*) 19 aput 20 Iulius *Agricola*: tulius (Tullius *alii*) cętori fęda

bant. — *adversus tris cohortes*] »Vitellius XVI cohortes praetorias conscripserat (2, 93.) XIV ad Appenninum obsidendum miserat (supra c. 55), cum quarum VI. fratrem ingruenti per Campaniam bello opposuit (c. 58). ex VIII restantibus una cum ex Appennino Romam redeuntem comitata sit necesse est; alioquin in urbe non fuissent nisi duae; VII igitur Narniae sese dedidere Flavianis (c. 63). Ferlet et Burnouf. — *regerit*] in Mucianum retorquet. est *invidia* concremati Capitolii. Duebn. — *finem eius insignivere*] magno flagitio conspicuum reddidere, id quod nonnulla properatione ipsorum vitari poterat. Id. — *Salaria via*] »ita dicta a *salinis* Sabinorum, ad quos ducebat.« Id. sed Plinius 31, 89: *ex nomine Salariae viae, quoniam illa salem in Sabinos portari convenerat.* Festus p. 326. ed. Muell.: *Salaria propterea appellabatur, quod impetratum fuerit, ut ea liceret a mari in Sabinos salem portari.* incipiebat a porta Collina. cf. c. 82. et *G. Castelli*: La via consolare Salaria: Roma — Reate — Asculum — Adriaticum con carta itineraria del Piceno. Ascoli Piceno 1886.

79. *per Flaminiam*] scil. viam, ut c. 82 *per Salariam.* — *Saxa rubra*] nono miliario ab urbe situm oppidulum, in via Flaminia, nunc *Grotta Rossa.* cf. Cic. Phil. 2, 77. Livius 2, 49, 12. Martialis 4, 64, 15 *Fidenas veteres brevesque Rubras.* — *plebem — nuntiabatur*] eadem constructione, qua A. 2, 69: *maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari.* — *foeda fuga consternantur*] exquisitius pro »*in foedam fugam consternantur*«, quod ipsum substitutum sine causa volebat Ernestius. sane ita Liv. 10, 43, 13: *repente in fugam consternantur.* sed non ideo mutanda Taciti constructio. — *Fidenas*] quinto miliario ab urbe.

aucta; volgus urbanum arma cepit. paucis scuta militaria; plures raptis, quod cuique obvium, telis signum pugnae exposcunt. agit grates Vitellius et ad tuendam urbem prorumpere iubet. mox vocato senatu deliguntur legati ad exercitus, ut praetexto rei publicae concordiam pacemque suaderent. varia legatorum sors fuit. qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum discrimen adiere, aspernante milite condiciones pacis. volneratur praetor Arulenus Rusticus: auxit invidiam super violatum legati praetorisque nomen propria dignatio viri. pelluntur comites, occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus: et ni dato a duce praesidio defensi forent, sacrum etiam inter exteras gentes legatorum ius ante ipsa patriae moenia civilis rabies usque in exitium temerasset. aequioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed duci plus auctoritatis. (81) miscuerat se legatis Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus; coeptabatque permixtus manipulis, bona pacis ac belli discrimina disserens, armatos monere. id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam. obviae fuere et virgines Vestales cum epistulis Vitellii ad Antonium scriptis. eximi supremo certamini unum diem postulabat: si moram interiecissent, facilius omnia conventura. virgines cum honore dimissae; Vitellio rescriptum Sabini

1 aucti (*corr.* 1*m.*) rapti 2 uitelliū 3 uocatis senato (is *in* o *et* o *in* u *mut.* 1*m.*) 4 rei. p. 6 c̄diones (ti *superscr.* 3*m.*) 7 arulenius 8 pelluntur *b*: palantur (pulsantur *Th. Kiessling*) 10 inter *dett.*: In 11 equiorib; 14 cęptabatq; 16 tedio 19 eplis *cum lin. in litt.* l sup̄mo 20 certamine Intlecissecissent om̄a

80. *volgus urbanum*] »Hoc est, populi pars tribubus non descripta: tribus enim iam ante (c. 58) delectu habito arma ceperant. quod hoc loco *volgus urbanum*, id alio (1, 4) *plebem sordidam* appellavit eique *populi partem integram*, id est, tribus« (vel dic potius honestiorem, tribubus adscriptam) »opposuit. confirmantur his locis, quae ad c. 58 de tribubus exposui.« Ritter. — *raptis, quod cuique obvium, telis*] sine causa Heinsius, probante Ernestio: *raptis, quod cuique obvium teli.* — *Arulenus Rusticus*] haud aliunde lucem Plinio sive M. Regulo potius dederis apud Plinium Epp. 1, 5: *Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum insectatur atque etiam Stoicorum simiam appellat; adicit Vitelliana cicatrice stigmosum. agnoscis eloquentiam Reguli.* hoc cicatricis Vitellianae convicium est a vulnere, quod Tacito teste accepit. Lips. De hoc viro eximio vide Ann. 16, 26. Agr. 2. Suet. Dom. 10. — *proximus lictor*] primus lictorum, ceterorum quinque quasi dux, qui proxime ante praetorem ingrediebatur. Cic. Verr. 5, 142. Liv. 24, 44, 10. — *sacrum — legatorum ius*] cf. Ann. 1, 39 *ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani Romanis in castris sanguine suo altaria deum commaculavisset.* c. 42 *hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium rupistis.*

81. *Musonius Rufus*] de quo Ann. 14, 59. 15, 71. Hist. 4, 10. 40. Plin. Epp. 3, 11. *Wendland:* Quaestiones Musonianae. De Musonio Stoico Clementis Alexandrini aliorumque auctore. Berlin, Mayer et Müller, 1886. — *Vestales*] cfr. Suet. Vit. 16. — *dirempta belli*

caede et incendio Capitolii dirempta belli commercia. (82) temptavit tamen Antonius vocatas ad contionem legiones mitigare, ut castris iuxta pontem Mulvium positis postera die urbem ingrederentur. ratio cunctandi, ne asperatus proelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret. sed omnem prolationem ut inimicam victoriae suspectabant. simul fulgentia per colles vexilla, quanquam inbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. tripertito agmine pars, ut adstiterat, Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit; tertium agmen per Salariam Collinae portae propinquabat. plebs invectis equitibus fusa; miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit. proelia ante urbem multa et varia, sed Flavianis consilio ducum praestantibus saepius prospera. ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis ad Sallustianos hortos per angusta et lubrica viarum flexerant. superstantes maceriis hortorum Vitelliani ad serum usque diem saxis pilisque subeuntes arcebant, donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumvenirentur. concurrere et in campo Martio infestae acies. pro Flavianis fortuna et parta totiens victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant; et quanquam pulsi, rursus in urbe congregabantur. (83) aderat pugnantibus spectator populus utque in ludicro certamine hos, rursus illos clamore et plausu fovebat. quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut si quam in domum perfugerant, erui iugularique expostulantes parte maiore praedae potiebantur: nam milite ad sanguinem et caedes obverso spolia in volgus cedebant. saeva ac deformis urbe tota facies: alibi proelia et volnera, alibi balineae popinaeque; simul cruor et strues corporum, iuxta scorta et scortis similes; quantum in luxurioso otio libidinum, quidquid in acerbissima captivitate scelerum,

1 direpta 3 mului diē (*notam del.* 1*m.*) 4 prelio 8 adsisterat 10 presidiis occurit. p̄lia 11 prestantib; 12 sepius 15 arcebant *in rasura* 1*m.* 16 Infęstę (*pr notam del.* 1*m*) 17 fluuianis (*sic*) 19 *ante* hos rursus *in margine add.* modo 2*m.* (modo *delet et post* hos *virgulam ponit* 3*m.*) 23 a (c *superscr.* 1*m.*) 24 Iacies (fa *superscr.* 2*m.*) alii p̈lia popineq; [simul] *Nipperdey* 25 cruoret et (*super* ret *scr.* r 1*m.*) 26 aceruissima (*corr.* 1*m.*)

commercia] commercia bellantium, condiciones pacis bellive agitantium. est Vergilianum illud Aen 10, 532: *belli commercia Turnus Sustulit ista prior iam tum Pallante perempto.*

82. *iuxta pontem Mulvium*] praeter hunc locum memoratur hic pons 1, 87. 2, 89 et Ann. 13, 47, quo loco Mediceus recte *pons Mulvius* habet. — *trinis praesidiis*] agminibus; sed consulto variavit vocabulum post vv. *tripertito agmine.* de *trinis*, pro quo *tribus* expectes, cf. 1, 2 *trina bella civilia* et *Sirker*: Tacit. Formenlehre § 49. — *Sallustianos hortos*] ad portam Collinam, in quibus multa aedificia erant. Canina *Indicazione* p. 124.

83. *hos, rursus illos*] ut c. 22: *his, rursus illis exitiabile.* — *erui — expostulantes*] cf 1, 82 *ostendi sibi Othonem expostulantes.* Dräger Synt. § 146. — *scortis similes*] exoleti, *Lust-*

prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. conflixerant *et* ante armati exercitus in urbe, bis Lucio Sulla, semel Cinna victoribus; nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas et ne minimo quidem temporis voluptates intermissae; velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exultabant fruebantur nulla partium cura, malis publicis laeti.

(84) Plurimum molis in obpugnatione castrorum fuit, quae acerrimus quisque ut novissimam spem retinebant. eo intentius victores, praecipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem tormenta aggeres facesque, quidquid tot proeliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes. urbem senatui ac populo Romano, templa dis reddita: proprium esse militis decus in castris; illam patriam, illos penates; ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. contra Vitelliani, quanquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare suprema victis solacia amplectebantur. multi semianimes super turres et propugnacula moenium expiravere. convolsis portis reliquus globus obtulit se victoribus; et cecidere omnes contrariis volneribus versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit. Vitellius

2 et ante *Ritter*: ante (ante *om. b*) luciosilla (*in margine* sylla 2*m.*) L. Cinna *Ritter* 8 precipuo 10 aggerem *Ritter* 11 periculis (s *del.* 1*m.*) consu|mari 13 pęnates 16 fędare sup̄ma

knaben. — *conflixerant et ante*] cf. c. 37 *consul uno die et ante fuerat.* c. 72 *arserat et ante Capitolium.* — *bis L. Sulla*] lege de his invasionibus Florum 3, 21. DUEBN. — *semel Cinna*] item sine praenomine Cinna nominatur 3, 51 *adversus Cinnam.* Ann. 1, 1 *non Cinnae — longa dominatio.* — *minimo — temporis*] cf. *Dräger* Synt. § 66, a. — *festis diebus*] Saturni. cf. c. 78. — *id quoque gaudium*] spectandi pugnam quasi ludum gladiatorium. — *exultabant fruebantur*] ut in ludicro certamine. utrumque verbum ita solet usurpari de laetitia et voluptate spectatorum. Plin. Paneg. 34: *Agnoscebamus et fruebamur, cum velut piaculares publicae sollicitudinis victimae — ad lenta supplicia gravioresque poenas ducerentur.* WALTH. v. *exultabant* refertur ad externos atque omnibus conspicuos gestientium motus; *fruebantur* ad internam et quasi arcanam laetitiam.

84. *castrorum*] Praetoriana intelligi vix attinet monere. ERN. — *veterum cohortium*] praetorianorum exauctoratorum a Vitellio, a Flavianis sub signa revocatorum. — *testudinem*] eius generis, quas *arietarias* vocat Vitruvius 10, 19, *Schutzdach*, non *Schilddach*, ut est c. 27 et 28. — *suprema*] haec tamquam suprema, illa scilicet, quae infinitivis exposita sunt. Evidentissime videlicet depingit ultimum ac desperatum Vitellianorum furorem, dicens, ad ultimum sine causa ab iis homines obtruncatos horumque cruore domos atque etiam aras foedatas esse, quibus facinoribus cladem suam quasi solati sint. sic Iuven. 13, 178: *corpore trunco Invidiosa dabit minimus solacia sanguis. At vindicta bonum vita iucundius ipsa.* — *contrariis volneribus*] Sallustius Cat. 61, 3 *omnes tamen advorsis volneribus conciderant.* Florus de proelio cum Pyrrho rege 1, 13, 17: *omnium vulnera in pectore; quidam hostibus suis morte sua conmortui; omnium in manibus ensis, et relictae in voltibus minae et in ipsa morte ira vivebat.* ceterum de hac clade Dio 65, 19: ὥστε ἐς πέντε μυριάδας ἀνθρώπων

capta urbe per aversam Palatii partem Aventinum in domum uxoris sellula defertur, ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. dein mobilitate ingenii et, quae natura pavoris est, cum omnia metuenti praesentia maxime displicerent, in Palatium regreditur vastum desertumque, dilapsis etiam infimis servitiorum aut occursum eius declinantibus. terret solitudo et tacentes loci; temptat clausa, inhorrescit vacuis; fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans ab Iulio Placido tribuno cohortis protrahitur. vinctae pone tergum manus; laniata veste, foedum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. obvius e Germanicis militibus (Vitellium infesto ictu per iram, vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum adpetierit, in incerto fuit) aurem tribuni amputavit ac statim confossus est. (85) Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra aut Galbae occisi locum contueri, postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini iacuerat, propulere. una vox non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti se tamen imperatorem eius fuisse respondit; ac deinde ingestis volneribus concidit. et volgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem.

1 [Aventinum] *Nipperdey* 4 presentia 7 latebras (s *del.* 1*m.*) 8 protraitur (h *superscr.* 1*m.*) 9 poene fędū 10/11 mīā abstulerant (nt *del. et* t *superscr.* 1*m.*) 19 prauitatē (*notam del.* 1*m.*)

ὅλας ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις φθαρῆναι. — *Aventinum*] de omissa praepositione cf. *Dräger* Synt. § 38. Sueton. Tit. 15 *Esquilias in hortos Maecenatianos transmigravit.* — *si diem*] *dies* (lux) opponitur nocturnae fugae, qua Tarracinam petere meditatus erat. — *terret solitudo*] Verg. Aen. 2, 755: *Horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.* — *temptat clausa*] »si forte amici ibi lateant.« Duebn. — *pudenda latebra*] Suet. Vit. 16.: *mox levi rumore et incerto, tamquam pax impetrata esset, referri se in Palatium passus est: ubi cum deserta omnia repperisset, dilabentibus et qui simul erant, zona se aureorum plena circumdedit confugitque in cellulam ianitoris, religato pro foribus cane lectoque et culcita obiectis.* contra Dio 65, 20: ὁ Οὐιτέλλιος φοβηθεὶς χιτωνίσκον τε ῥακώδη καὶ ῥυπαρὸν ἐνέδυ, καὶ ἐς οἴκημα σκοτεινόν, ἐν ᾧ ἐτρέφοντο κύνες, ἐκρύφθη. — *obvius e Germanicis*] rem ita narrat Dio 65, 21: οἱ στρατιῶται ξιφιδίοις αὐτὸν ὑπὸ τὸ γένειον ὑπεκέντουν, ἵνα καὶ ἄκων ἄνω βλέπῃ. ἰδὼν δὲ τοῦτο Κελτός τις οὐκ ἤνεγκεν, ἀλλ' ἐλεήσας αὐτόν, »Ἐγώ σοι«, ἔφη, »βοηθήσω, ὡς μόνως δύναμαι.« καὶ ὁ μὲν ἐκεῖνόν τε ἔτρωσε καὶ ἑαυτὸν ἔσφαξεν.

85. *rostra*] cum per forum raperetur, ubi populus eum paulo ante saepiusque audiverat contionantem et insignibus maiestatis decoratum viderat. cf. Dio 65, 20. ibidem imperium eiuraverat. v. c. 68. 70. Brotier. — *Galbae occisi locum*] 1, 41 *iuxta Curtii lacum.* — *ad Gemonias*] Suet. Vit. 17: *tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est et inde unco tractus in Tiberim.* — *se tamen imperatorem*] Dio 65, 21: ὑπεραλγήσας καὶ οἷς ἔπαθε καὶ οἷς ἤκουεν, »Ἀλλ' ἔγωγε, ἔφη, αὐτοκράτωρ ποτὲ ὑμῶν ἐγενόμην«.

(86) patria illi Luceria. septimum et quinquagesimum aetatis annum explebat, consulatum, sacerdotia, nomen locumque inter primores nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. principatum ei detulere, qui ipsum non noverant; studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quaesita perinde adfuere quam huic per ignaviam. inerat tamen simplicitas ac liberalitas; quae, ni adsit modus, in exitium vertuntur. amicitias dum magnitudine munerum, non constantia morum contineri putat, meruit magis quam habuit. rei publicae haud dubie intererat Vitellium vinci, sed imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent.

Praecipiti in occasum die ob pavorem magistratuum senatorumque, qui dilapsi ex urbe aut per domos clientium semet occultabant, vocari senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum et Caesarem consalutatum miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.

1 patria illi Luceria *Oberlin*: patrē illi luceriā (patria illi Nuceria (e Suetonio Vit. 1. 2.) *Gruter*) etatis 3 prin|patū (*sic, om. syllaba* ci) 3/4 ei detulere *Rhenanus*: ejdē tulere 7 magnitudinē (*notam del.* 1*m*.) contineri *Acidalius*: continere 8 rei p. 9 vinci *dett.*: uicinis 11 precipit 15 CORNELI taciti Liber XVIIII explicit Incipit uicesimus (*rubris litteris*).

86. *Luceria*] Apuliae oppidum, hodie *Lucera*. cf. *Wachsmuth* de Luceria, Apuliae urbe. Partes III. Lipsiae 1844. 1845. — *septimum et quinquagesimum*] sic et Suetonius 18. contra Dio 65, 22: ζήσαντα μὲν ἐπὶ τέσσαρα ἔτη καὶ πεντήκοντα καὶ ἡμέρας ἐννέα καὶ ὀγδοήκοντα, ἄρξαντα δὲ ἐνιαυτὸν ἡμερῶν δέκα ἀποδέοντα. Occisus autem est d. 20. mensis Decembris a. u. 822, post Chr. 69. Clinton *Fasti Romani* I. p. 56. — *patris claritudine*] cfr. Ann. 6, 32. — *meruit*] »comparavit pretio largisque donis.« — *imputare*] quasi meritum egregium ac praemio dignum sibi tribuere non poterant. cf. 1, 38. 55. 71. 2, 60. 85. hoc dicit, quod Vitellius de imperio deiectus sit, reipublicae salutare fuisse, sed in eo casu nullam virtutem et meritum eorum agnoscendum esse, qui Vitellium Vespasiano prodiderint, Alienum Caecinam et socios designando (cf. 2, 100 sq.): hos enim a Galba principe probo et innocente ad Vitellium longe deteriorem descivisse atque ostendisse sibi melioris imperatoris curam non fuisse. Ritter. 2, 101 *scriptores temporum — curam pacis et amorem reipublicae, corruptas in adulationem causas, tradidere*. — *praecipiti in occasum die*] Livius 4, 9, 13 *praecipitique iam die* 25, 34, 14 *praecipiti iam ad vesperum die*. 10, 42, 1 *praeceps in occasum sol*. — *ad duces partium*] absconditus primum apud Cornelium Primum paternum clientem (cf. 74.), iam ad Antonium ceterosque progressus.

EXCURSUS AD HIST. III. C. XII.

Classis Cornelium Fuscum cet.] Haec cum antecedentibus non cohaerere nonnullis interpretibus visa sunt; et sane I. Fr. Gronovius Savilii de hoc loco dubitationes non satis luculente refutavit, ut nuper rursus a Walthero novae dubitationes motae sint. Sed optime omnia cohaerent. Cum defectio pararetur, Lucilius Bassus adeo timidus trepidusque egit, ut milites non iniuria ei sive diffiderent sive propter ignaviam succenserent. Itaque pro viro tam ambiguo praefectum sibi illum fecere, qui partibus Flavianis statim ab initio acerrimam facem praetulerat. Cf. 2, 86. Fuscus autem cupide militum in Bassum suspicionem fovit, ut molestum aemulum honesta specie posset amovere. Itaque Bassus honorata custodia Atriam missus est, ubi cum rumor de eius perfidia tempore spatioque atrocior factus esset, praefectus alae vinciendum eum curavit: sed exsoluta sunt vincula a liberto Caesaris, quem rectius de Basso edoctum fuisse suspicari licet. Ritter.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena. — 739

HISTORIARUM
LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Interfecto Vitellio milites Flaviani in urbe saeviunt. 2. Domitianus nomen sedemque Caesaris nactus adulteriis filium principis agit. L. Vitellius interficitur. 3. Campania composita Vespasiano senatus consulatum cum Tito filio, praeturam Domitiano et consulare imperium decernit. 4. Muciani, Antonii, ceterorum honores. restituendi Capitolii consilium. libertati consulit Helvidius Priscus, cuius 5. vita et mores, 6—8. et cum Eprio Marcello acre iurgium de legatis ad principem mittendis. 9. de impensis publicis dissensio. 10. Musonius Rufus in P. Celerem invehitur. 11. Mucianus urbem ingressus cuncta in se trahit, Calpurnium Galerianum caedi iubet, Asiaticum libertum servili supplicio tollit. 12. Germanicae cladis fama. eius belli causa in Batavis 13. duce Iulio Civile. 14—16. is Batavos Canninefates Frisios excitat, statim dolo, mox aperta vi Romanos superat. 17. victoriae huius fama motae Germaniae auxilia offerunt Civili, qui et Galliarum societatem adfectat. 18. Hordeonii Flacci segnitia. victi Romani in Vetera castra fugiunt. 19. Batavorum et Canninefatium cohortes, iussu Vitellii in urbem pergentes, corruptae Civili iunguntur et 20. Bonnensi proelio Romanorum aciem perfringunt. 21. Civilis consilii ambiguus suos in verba Vespasiani adigit hostilia velans; 22. 23. mox Vetera obsidet frustra. 24. 25. Hordeonius Flaccus seditione conflictatus summam rerum Voculae permittit. 26. 27. huic additus Herennius Gallus re male gesta verberatur nova seditio. 28—30. Civilis immensis auctibus ab universa Germania elatus obsidium Veterum urget, Ubios vexat. varia certamina.

31. Nuntiato Cremonensi proelio auxilia Gallorum a Vitellio desciscunt. suos quoque Hordeonius in Vespasiani verba adigit haesitantes. 32. ad Civilem missus Montanus, ut a bello absistere iubeat, ab ipso tentatur. 33. 34. cum Vocula confligit Civilis vario eventu non sine utriusque ducis culpa. 35. Vocula male utitur victoria. Vetera obsidione liberat. 36. Civilis Geldubam capit. Romani milites Hordeonium necant. Vocula per tenebras evadit. 37. mox a Civile superati Voculam denuo sequuntur, quocum obsidione Mogontiacum liberant. Treveri nunc fidi, mox rebelles.

38. Vespasianus cum Tito consulatum init. falsi pavores in urbe et a L. Pisone. 39. Domitianus praetor. vis penes Mucianum. is Primi Antonii potentiam infringit. 40. restituti Galbae honores. Bareae Sorani Manibus P. Celere damnato satisfactum. 41. alii quoque delatores castigati. 42. in his Aquilium Regulum a Messalla fratre defensum Montanus percellit. 43. 44. idem in Marcellum tentat Helvidius intercedente Caesare abolendam priorum temporum memoriam rato. itaque in paucos modo saevitum.

45. Senenses ob pulsatum senatorem puniti. Antonius Flamma lege repetundarum damnatus. 46. militaris seditio a Muciano repressa. 47. abrogati consulatus quos Vitellius dederat. funus censorium Flavio Sabino ductum. 48—50. L. Pisonis Africae proconsulis caedes. servi eius egregium mendacium. Oeensium Leptitanorumque discordiae compositae. fusi Garamantes. 51. Parthorum auxilia non recipit Vespasianus. 52. hunc iratum Domitiano Titus mitigat. 53. cura restituendi Capitolii in L. Vestinum collata.

54. Audita mors Vitellii duplicaverat bellum per Gallias Germaniasque. cum incendio Capitolii finis imperio adesse creditus. 55—58. interfecto Hordeonio conspirant cum Civile et Classico Iulius Tutor et Iulius Sabinus. nutant reliquae Galliae, Romanae quoque legiones tentantur frustra renitente Vocula, quo 59. 60. caeso vinctisque Herennio et Numisio legatis istas pro imperio Galliarum sacramento adigit Civilis, Tutor Agrippinenses, Classicus obsessos ad Vetera. 61. Civilis voti compos crinem deponit. tum et maior auctoritas Velaedae. 62. captarum legionum maestum silensque agmen. ala Picentina necem Voculae vindicat. 63—65. colonia Agrippinensis Transrhenanis gentibus invisa in summum discrimen adducta cum Civile societatem init, Velaedae numen donis placat. 66. Civilis Baetasios, Tungros, Nervios in fidem accipit. 67. fusi Lingones a Sequanis. Iulius Sabinus victus latet. 68. Mucianus cum Domitiano ad bellum accingitur. 69. Remi Gallias in fide Romana conservant exceptis Treveris atque Lingonibus. 70. sed nec iis

nec reliquis civitatibus nec ipsis ducibus satis consilii ac concordiae. Tutor ad Bingium victus. 71. Petilius Cerialis Mogontiacum venit, spes Romanorum erigit. Valentinum ducem magna strage adfectum capit. 72. Treveros intrat. militibus exitium coloniae poscentibus resistit. victas legiones in castra recipit. 73. 74. Treveros et Lingones officii admonet. 75. Civilis et Classicus ad Cerialem litteras mittunt, ad quas ille nihil. 76. Civilis cunctandum, Tutor et Classicus statim pugnandum statuunt. 77. 78. atrox proelium, quo Cerialis initio victus mox victor castra hostium excindit. 79. Agrippinenses a Germanis desciscunt. 80. Mucianus Vitellii filium interficit. Antonius Primus ad Vespasianum profectus non pro spe excipitur. 81. multis miraculis caelestis in Vespasianum favor ostensus. ipse oculorum tabe notum, alium manu aegrum sanitati restituit, 82. confirmatur omine in templo Serapidis, cuius 83. 84. origo Sinopensis, templum Alexandriae magnificum, nomen. 85. Valentinus supplicio adfectus. 86. Domitianus frustra tentato Ceriale, an sibi exercitum imperiumque traditurus foret, litterarum studium et amorem carminum simulat.

Gesta haec partim eodem anno, partim imp. Vespasiano iterum Tito filio coss.

(1) Interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coeperat. armati per urbem victores inplacabili odio victos consectabantur. plenae caedibus viae, cruenta fora templaque passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. ac mox augescente licentia scrutari ac protrahere abditos; si quem procerum habitu et iuventa conspexerant, obtruncare nullo militum aut populi discrimine. quae saevitia recentibus odiis sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam. nihil usquam secretum aut clausum sinebant Vitellianos occultari simulantes. initium id perfringendarum domuum vel, si resisteretur, causa caedis; nec deerat egentissimus quisque e plebe et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. ubique lamenta, conclamationes et fortuna captae urbis, adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. duces partium accendendo civili bello acres, temperandae victoriae inpares: quippe inter turbas et discordias pessimo cuique plurima vis, pax et quies bonis artibus indigent. (2) nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus,

1 cęperat 3 quenq; 4 fors *in margine* 2*m*: sors protrahere *sed* r *post* t *corr. ex* h 1*m*. 5 conspexerat (n *superscr.* 1*m*) obtruncaret (t *del.* 1*m*) 6 seuitia 9 domū | 10 pessimis (s *del.* 1*m*) 11 ubi (q; *supra lin. add. itemque in marg.* ubiq; 1*m*) fortuna *dett*: fortunę (forma *Vertranius*) 13 accendo 14 inter *Wurm*: in

1. *procerum*] Duas notas Germanici militis habebant, proceritatem corporis itemque iuventam. nam Germani plerumque proceri (Germ. c. 20) et milites a flore et robore aevi colligebantur. Lips. Sic. c. 14. de Batavis: *et est plerisque procera pueritia.* Oberl. — *verterat*] Groslotius: *vertebat*, sed plusquamp. celeritatem huius mutationis designat. — *nec deerat - - prodere*] ut 1, 36. 3, 58: *nec deerat ipse - - elicere*; item infra c. 11: *nec deerat ipse - - amplecti.* — *dites dominos*] Bachius distinxit: *dites, dominos*; »propterea«, inquit, »quod *ditibus* opponitur *egentissimus quisque e plebe*, *dominis* opponuntur *pessimi servitiorum*.« at nimis artificiosa haec distinctio videtur. nam qui dites, iidem domini, et qui domini, iidem dites erant. cf. 2, 56: *dites dominos in praedam — destinabant.* — *alii ab amicis monstrabantur*] cf. 1, 2: *corrupti in dominos servi, in patronos liberti; et quibus deerat inimicus, per amicos oppressi.* — *conclamationes*] cf. Ann. 3, 2: *lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur.*

2. *sedemque Caesaris*] Palatium; primum fuerat in paternis Penatibus. 3, 86. — *nondum ad curas*] iuris dictionem aliave ne-

sed stupris et adulteriis filium principis agebat. praefectura praetorii penes Arrium Varum, summa potentiae in Primo Antonio. is pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapere: ceteri modestia vel ignobilitate ut in bello obscuri, ita praemiorum expertes. civitas pavida et servitio parata occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus exstinguique reliqua belli postulabat. praemissi Ariciam equites; agmen legionum intra Bovillas stetit. nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere, et miles infelicia arma haud minus ira quam metu abiecit. longus deditorum ordo saeptus armatis per urbem incessit, nemo supplici voltu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis volgi inmobiles. paucos erumpere ausos circumiecti pressere; ceteri in custodiam conditi, nihil quisquam locutus indignum, et quanquam inter adversa, salva virtutis fama. dein Lucius Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in principatu eius vigilantior nec perinde prosperis socius quam adversis abstractus. (3) isdem diebus Lucilius Bassus cum expedito equite ad componendam Campaniam mittitur, discordibus municipiorum animis magis inter semet quam contumacia adversus principem. viso milite quies et minoribus coloniis inpunitas: Capuae legio tertia hiemandi causa locatur et domus illustres afflictae, cum contra Tarracinenses nulla ope iuvarentur. tanto proclivius est iniuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. solacio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo adfixus in isdem anulis,

4 ignouilitate 5 tarracinā (*notam del.* 1*m*) 6 exstingui|que arciam | 7 Intrabo uillas 9 septus 11 adūsū plas; 12 prẹssere (oppressere *Faernus*) 14 frīs (fratri *Faernus*) 16 Iddē (*corr.* 1*m.*) 22 Verginii *Puteolanus*: ūgilii

gotia publica. cf. Agr. 7: *iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante.* ceterum Ernestius: »Qui attente haec leget«, inquit, »animadvertet aliquid esse, quod offendat. constaret oratio, si esset *agens* pro *agebat*, aut *sed*, quod est post *intentus*, ante *nondum*.« sed Tacitus *vulgaria temnit*, ut ait Horatius. — *in bello obscuri*] 3, 32: *ceteri duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat.* — *occupari*] praeveniri. Tarracina sita in LIX. miliario viae Appiae, Aricia in XVI. eiusdem. Duebn. — *Bovillas*] oppidum Latii, X. miliario ab urbe. — *pressere*] simplex pro composito *oppressere.* cf. Ann. 14, 5. 16, 9: (*Silanum*) *premi a militibus iubet.* cf. Verg. Aen. 9, 330: *armigerumque Remi premit.* — *abstractus*] adversa fratris fortuna atque exitio et ipse afflictus in perniciemque abreptus est, ut Ann. 4, 13. Ern. cf. 2, 64: *domus suae tantum adversa sensit.* 3, 67: *nihil principatu fili adsecuta nisi luctum.* 4, 52: *maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant.*

3. *Lucilius Bassus*] olim classis Ravennatis praefectus. 2, 100. 3, 12. — *municipiorum animis*] cf. 3, 57. — *Capuae*] urbs haec ita punita est, quia Vitellio fida fuerat. cf. ibid. — *Tarracinenses*] de quorum meritis erga Flavianas partes v. 3, 76. nihilominus nulla ope adiuti sunt. — *gratia oneri*] Cicero Planc. § 78: *leve enim est onus beneficii gratia.* — *diximus*] 3, 77. — *anulis*] equitum Romanorum insigni; id factum, quo

quos acceptos a Vitellio gestabat. at Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit, laetus et spei certus, quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germaniis, mox Illyrico, postquam Aegyptum Iudaeam Syriamque et omnis provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe cepisse finem videbantur. addidere alacritatem Vespasiani litterae tanquam manente bello scriptae. ea prima specie forma: ceterum ut princeps loquebatur, civilia de se et rei publicae egregia. nec senatus obsequium deerat: ipsi consulatus cum Tito filio, praetura Domitiano et consulare imperium decernuntur.

3 Germaniis *Halm:* germanis 5 lustrauerat (n *superscr.* 1*m*) 7 cęterū 8 et rei publicae *Iac. Gronovius:* & RP. | (de republica *Muretus*) 9 consularē (*notam del.* 1*m*)

contumeliosius etiam eius esset supplicium. — *cuncta principibus*] locus similis de initiis Othonis 1, 47: *adcurrunt patres; decernitur Othoni tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes principum honores.* eadem de Vitellio 2, 55. statim post hoc senatus consultum sancita est lex illa, quae vocatur, de imperio Vespasiani, cuius magna pars in aenea tabula etiamnunc Romae asservatur. cf. Puchta, *Geschichte des Rechts bei dem röm. Volk.* ed. II. p. 376. Multi eam ediderunt, etiam ego in Inscr. m. Lat. I. p. 567. inter alia sancitur: *VTIQVE. QVAECVNQVE. EX. VSV. REI. PVBLICAE. MAIESTATE. DIVINARVM. HVMANARVM. PVBLICARVM. PRIVATARVMQUE. RERVM. ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE. FACERE. IVS. POTESTASQVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG. TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO. FVIT.* cf. CIL. 6, 930. C. G. Bruns, *Fontes iuris Romani antiqui ed. VI. cura Th. Mommseni et Ottonis Gradenwitz. Freiburg* 1893. p. 192 sqq. de quaestione, utrum lex haec fuerit an SC., v. *Mommsen,* Staatsrecht 2[3], 876—9. — *spei certus*] quoniam post victoriam partium Flavianarum nullus iam alius aemulus imperii extimescendus erat. — *Gallias* cet.] brevissime complectitur praecedentes motus bellicos: in Galliis Vindicis, in Hispaniis Galbae, in Germaniis Vitellii, in Illyrico Antonii Primi, in Aegypto, Iudaea Syriaque Vespasiani ac Muciani. — *alacritatem*] ob Vespasiani animum civilem, qui in iis manifestabatur. — *ea prima specie forma*] »haec erat forma epistolae primum et obiter legenti: sed, si accuratius considerabatur, reperiebatur loqui, ut confecto bello et principatum iam adeptus.« Ern. ceterum apparet Vespasiano iam notam fuisse cladem Cremonensem, nondum tamen Vitellii interitum: hinc scribit *tanquam manente bello* simulque certus spei fore, ut aemulus periret. hae litterae autem paullo post Vitellii necem (21. d. m. Decembr.), ante Kal. Ian. a. 823., de quibus tradit demum c. 39, Romam pervenerunt. — *civilia*] modesta, quasi unus ex civibus esset. — *rei publicae egregia*] cf. 1, 15: *et mihi egregium erat — et tibi insigne.* Ann. 3, 6 *id et sibi et cunctis egregium.* — *nec senatus obsequium deerat*] »senatus ad demonstrandum suum erga novum imperatorem obsequium quam maxime promptus erat.« inest levis quaedam ironia significans senatum servitio iamdudum assuetum tunc quoque festinasse honoribus cumulare Vespasianum eiusque filios. — *consulare imperium*] maxime quia etiamtunc aberant pater et frater maior. Dio 54, 10 de Augusto: τὴν ἐξουσίαν τὴν τῶν ὑπάτων διὰ βίου ἔλαβεν· ὥστε καὶ ταῖς δώδεκα ῥάβδοις ἀεὶ καὶ πανταχοῦ χρῆσϑαι καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἀεὶ ὑπατευόντων ἐπὶ τοῦ ἀρχικοῦ δίφρου καϑίζεσϑαι. (egregie hunc locum illustrat nummus, in quo hinc *IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG.*, caput laureatum: illinc *T. CAES. AVG. F. COS. D. CAESAR. AVG. F. PR(aetor)*; capita adversa Titi et Domitiani. de quo Eckhel D. N. VI. p. 368. Oberl.) Suet. Dom. 1: *honorem praeturae urbanae consulari potestate suscepit titulo tenus, nam iuris dictionem* (Taciti *curas*) *ad collegam proximum transtulit.*

(4) miserat et Mucianus epistulas ad senatum, quae materiam sermonibus praebuere. si privatus esset, cur publice loqueretur? potuisse eadem paucos post dies loco sententiae dici. ipsa quoque insectatio in Vitellium sera et sine libertate. id vero erga rem publicam superbum, erga principem contumeliosum, quod in manu sua fuisse imperium donatumque Vespasiano iactabat. ceterum invidia in occulto, adulatio in aperto erant: multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civium data: sed in Sarmatas expeditio fingebatur. adduntur Primo Antonio consularia, Cornelio Fusco et Arrio Varo praetoria insignia. mox deos respexere; restitui Capitolium placuit. eaque omnia Valerius Asiaticus consul designatus censuit: ceteri voltu manuque, pauci, quibus conspicua dignitas aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur. ubi ad Helvidium Priscum praetorem designatum ventum, prompsit sententiam ut honorificam in bonum principem * * falsa aberant, et

1 eplas *cum lineola in litt.* 1 senatūs (s *del.* 1*m*) 4 rē p. 6 erat (n *superscr.* 1*m*) 7 civium *Walther:* ciuiliū (ciuili *dett.*) 9 respexere *dett.:* respere | 13 adeluidiū (h *superscr.* 1*m*) 14 ut *om. b.* bonum] novum *Halm* *post* principem *add.* ita *Agricola*, ita adulationis expertem *Lipsius*, ita pro re publica decoram. adulationum *Heraeus*, ita libertate insignem *Meiser*.

4. *cur publice loqueretur*] idem fere est, quod apud Cic. Epp. 15, 1 et 9 *publice scribere;* sed tamen aliquid amplius. nam illud etiam, qui non principes essent, fecere, de rebus a se gestis scribentes ad senatum, a quo missi essent. sed Mucianus non, ut magistratus provinciales solebant, de rebus a se gestis scripserat, sed alia ad rem publicam pertinentia litteris complexus erat, quae *loco sententiae* (idem ac *pro sententia* Ann. 15, 74) coram dicere cuivis senatori licebat, scribere ad senatum non nisi principes solebant. Ern. — *sine libertate*] quia iam nullum a Vitellio periculum instabat. — *invidia* — *adulatio* — *erant*] plurali utitur, ut Ann. 2, 53 *avunculus Augustus, avus Antonius erant.* cf. *Nipperdey-Andresen* ad Ann. 2, 42, ubi exempla collecta sunt. — *de bello civium*] amare dictum: nam non nisi de exteris gentibus devictis triumphari poterat. Lucan. Phars. 1, 10: *Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta, Bella geri placuit nullos habitura triumphos.* sic c. 72: *civium bello*, exquisitius aliquanto quam *civili.* — *in Sarmatas*] ob Dacorum repulsionem (3, 46) triumphalia ei data fingebantur. etiam infra c. 54 iunguntur *Sarmatae Dacique.* — *mox deos respexere*] non sine amara reprehensione memorat tunc hominibus posthabitos esse deos. Gellius 14, 7, 9: *Varro docet immolare hostiam prius auspicarique debere, qui senatum habiturus esset, de rebusque divinis prius quam humanis ad senatum referendum esse.* Livius 5, 50, 1 (*Camillus*) *omnium primum, ut erat diligentissimus religionum cultor, quae ad deos inmortalis pertinebant, rettulit.* (8) *His peractis, quae ad deos pertinebant — tum demum — in contionem escendit.* — *Valerius Asiaticus*] gener Vitellii. 1, 59. — *voltu*] laete annuentes. — *manuque*] ratio assentiendi in senatu voce aut signo. signo dupliciter, pedibus aut manu. pedum in discessione usus; manus etiam in sessione aut statione, cum ea exporrecta significarent talem sententiam se approbare. Vopiscus in Aurel. 20: *deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententias euntibus, plerisque verbo consentientibus conditum est S. C.* Seneca Ep. 1, 8, 6: *non videor tibi plus prodesse, quam cum — in senatu candidato vocem et manum commodarem?* Lips. — *falsa aberant*] qui nihil inserunt nisi *ita*, verba *ita falsa aberant* dicta putant pro *ita falsis carentem* vel *ita adulationis expertem* et talem dictionem

studiis senatus attollebatur. isque praecipuus illi dies magnae offensae initium et magnae gloriae fuit.

(5) Res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus [regione Italiae] e Caracinae municipio Cluviis, patre, qui ordinem primi pili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit, non ut plerique, *ut* nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rem publicam capesseret. doctores sapientiae secutus est, qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia, potentiam nobilitatem ceteraque extra animum neque bonis neque malis adnumerant. quaestorius adhuc

3 quoniam *b* (*Agricola et editio princeps*): q̃ (quia *dett.*) cf. c. 73 5 [regione Italiae] *Ernesti;* origine Italica *Lipsius.* e Caracinae *Madvig:* care|cinę 6 Cluviis *Haase et Nipperdey:* cluuios (s *del.* 1m.) origine Caracina, e municipio Cluviano *Heraeus.* patrē (*notam del.* 1m.) 7 non ut, ut *L. Spengel* pleriq; | ut *add. dett.* (quo *Iacob et Weissenborn*) 8/9 rē p. 9 dooctores sapientiae *det.:* sapientiū 10 poten|tiā ceteraq; (cetera quae *L. Spengel;* ceteraque quae *Agricola*)

a Taciti stilo non alienam esse: sed nemo laudavit exemplum. Ruperti. — *studiis senatus attollebatur*] se applaudere sententiae tam generosae manu vultuque significabat senatus. sic. 2, 90: *laudibus attollens*, atque omnino hoc verbo saepius utitur Tacitus. — *isque praecipuus — dies*] adiectivum pro adverbio, ut Ann. 11, 14 *mox alios ac praecipuum Simoniden.* cf. *Dräger* Syntax § 8. — *magnae offensae*] quia delatus ab inimicis tandem occisus est.

5. *iterum*] post 2, 91. — *viri saepius memorandi*] in libris deperditis narrare debuit, quomodo occisus sit a. u. 826. sub Vespasiano, hoc tamen paene invito; nam *quamvis relegatum primo, deinde et interfici iussum magni aestimavit servare quoquo modo, missis, qui percussores revocarent; et servasset, nisi iam periisse falso renuntiatum esset.* Suet. Vesp. 15. cf. Dio 66, 12, qui eum culpat, ut τὴν τοῦ Θρασέου παρρησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενον· additque: καὶ βλασφημῶν τὸν αὐτοκράτορα οὐκ ἐπαύετο· praeterea turbidum eius ingenium studiumque rerum novarum exagitat; in quibus, ut haud raro in aliis viris illustribus, Cicerone imprimis et Seneca, reprehendendis rem exaggerasse videtur. v. Plin. Epp. 3, 11; qui *libros de Helvidi ultione* composuit. 9, 13. — *e Caracinae municipio*] *Caracina* vel *Caracena* regio Samni est. Hirpini, Caudini, Pentri, Caraceni, Frentani sunt gentes Samnitium. Ptolem. 3, 1 p. 184. Zonar. 8, 7. caput gentis Caracenorum fuit Aufidena. Livius 10, 12, 9. cf. *Kiepert*, Lehrbuch der alten Geographie, § 380. — *Cluviis*] *Cluvia* memoratur apud Livium 9, 31, 2 *in Samnio Cluviam praesidium Romanum*, unde conicias, quoniam litt. *s* in Mediceo inducta est, hic quoque scribendum esse *municipio Cluvia.* — *ingenium inlustre*] maxime ad eloquentiam refertur, ut recte significavit I. Fr. Gronovius; opponuntur quodammodo *altiora studia* philosophiae. — *ut nomine magnifico segne otium velaret*] cf. Cornelius Nepos de Attico 17: *neque id fecit natura solum — sed etiam doctrina. nam principum philosophorum ita percepta habuit praecepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur.* — *doctores sapientiae*] Stoicos, quorum disciplinam sectabantur plerique homines generosiores ac fortiores sub imperatoribus tamquam optimum servitutis solacium. — *qui — adnumerant*] ex verbo *adnumerant* post *turpia* subintellegas *putant*, nisi hoc verbum ante *potentiam* excidit. ceterum cf. dialog. 31: *de quibus — nemo dicere potest, nisi qui cognovit naturam humanam et vim virtutum pravitatemque vitiorum et habet intellectum eorum, quae nec in virtutibus nec in vitiis numerantur.* — *quaestorius*] quaestor autem fuit sub Nerone et Achaiam administravit; quod Schol. Iuven. 5, 36 prodidit. at praetor demum sub Vespasiano, diserte ita

a Paeto Thrasea gener delectus e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit, civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitae officiis aequabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. (6) erant quibus adpetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur. ruina soceri in exilium pulsus, ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Thraseae accusare adgreditur. ea ultio, incertum maior an iustior, senatum in studia diduxerat: nam si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. primo minax certamen et egregiis utriusque orationibus testatum; mox dubia voluntate Galbae, multis senatorum deprecantibus, omisit Priscus, variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus moderationem laudantium aut constantiam requirentium.

Ceterum eo senatus die, quo de imperio Vespasiani censebant, placuerat mitti ad principem legatos. hinc inter Helvidium et Eprium acre iurgium. Priscus eligi nominatim a magistratibus iuratis, Marcellus urnam

1 socer (*corr.* 1m.) nichil eque 2 cun (c *superscr.* 1m.)|tis 10 depcantib; 14 priū (e *suprascr.* 1m.) 15 nurnā

scribente Suetonio 15. alius est *Helvidius Priscus, legatus legionis* a. u. 805., Ann. 12, 49. huius fortasse frater maior, cf. *Nipperdey* ad Ann. 12, 49. — *a Paeto Thrasea*] qui ei in matrimonium dedit filiam Fanniam, mulierem et patre et marito dignissimam. Plin. Epp. 7, 19.

6. *cupido gloriae novissima exuitur*] Agric. 9 *ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit.* recordatus fortasse est dicti Platonici in Stoicorum scholis tralaticii, apud Athenaeum 11, 116. p. 507: Πλάτων ἔφησεν, Ἔσχατον τὸν τῆς δόξης χιτῶνα ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῷ ἀποδυόμεθα, ἐν διαθήκαις, ἐν ἐκκομιδαῖς, ἐν τάφοις. Simplicius in Epict. 33. p. 118, ed. Paris.: Ἔσχατος λέγεται τῶν παθῶν χιτὼν ἡ φιλοδοξία· διότι τῶν ἄλλων πολλάκις δι᾽ αὐτὴν ἀποδυομένων αὕτη προσίσχεται μᾶλλον τῇ ψυχῇ. — *in exilium*] Ann. 16, 33. Schol. Iuven. 5, 36: *Helvidius post damnationem soceri Paeti Thraseae interdicta sibi Italia Apolloniam concessit.* vocabulum *exilium* hoc loco *relegationem* significat. cf. *Nipperdey* ad Ann. 16, 33 et 14, 50 *Italia depulit.* — *delatorem Thraseae*] Ann. 16, 22 et 28. cf. de eo *Nipperdey* ad Ann. 12, 4. — *incertum maior an iustior*] *maior*, quatenus virum illustrem ac potentem accusare aggrediebatur, *iustior*, quoniam soceri sui delatorem iusta ultione persequebatur. — *agmen reorum*] hominum, qui ea ipsa sententia rei facti essent, Eprio olim adstipulati. — *testatum*] »intellige certaminis illius testimonia superfuisse in egregiis utriusque orationibus, quae adessent Tacito.« Walth. *testatum* passive, ut Livius 34, 41, 3 *testata quoque ipso Nemeorum die voce praeconis libertas est Argivorum.* — *eo senatus die*] »Hoc factum credo alio die et conventu senatus, quam de quo supra dixit c. 3. nullo modo intelligi potest, quomodo omnia, quae supra commemorata sunt, et hanc concertationem Helvidii et Marcelli idem dies capere potuerit.« Ern. »Mihi, ut Bipontinis, secus videtur. Gesta unius diei hactenus procurrunt. Id narrationis series docet. Regiae legis formula, cuius fragmentum Romae servatur, prioribus iam principibus concessa repetit. Parum ergo ea res temporis absumpsit. Tum properati alii quoque honores. Sententia Helvidii Prisci, ut inter patres concertationi, sic narrandis vitae eius momentis ansam dedit Cornelio, quibus expositis redit ad persequendum iurgium ipsum. Denique si alio die de lege regia esset actum, clarius id indicaturum fuisse auctorem puto.« Oberl. recte Oberlinus, nisi quod legem de imperio Ve-

postulabat, quae consulis designati sententia fuerat. (7) sed Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne aliis electis posthabitus crederetur. paulatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quaerente Helvidio, quid ita Marcellus iudicium magistratuum pavesceret: esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgueretur. sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent. pertinere ad utilitatem rei publicae, pertinere ad Vespasiani honorem occurrere illi, quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures imperatoris inbuant. fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio; quorum accusatores etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere. hoc senatus iudicio velut admoneri principem, quos probet, quos reformidet. nullum maius boni imperii instrumentum quam bonos amicos esse. satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium inpulerit: frueretur praemiis et inpunitate, Vespasianum melioribus relinqueret. (8) Marcellus non suam sententiam inpugnari, sed consulem designatum censuisse dicebat, secundum vetera exempla, quae sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimi-

1/2 studiū (ū *ex* o *corr.* 1*m.*) 2 crederentur (n *del.* 1*m.*) 4 querente 8 rei. p. 11 Sentio] Seneca *dett.* 15 Inpunitatē (*notam del.* 1*m.*) 17 c̃sulē (*notam super* e *del.* 1*m.*, *per errorem, ut videtur*) sec̃

spasiani legem regiam vocat; quod nomen huiusmodi legibus tempore demum posteriore, tertio post Chr. saeculo dabatur, ¡ut docet Puchta, *Geschichte* I. p. 377. cf. Alexander Severus Cod. 6, 23, 3: *Licet enim lex imperii sollemnibus iuris imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium imperii est quam legibus vivere.*

7. *per altercationem*] v. proprium de disputationibus adversantium sibi senatorum. particulam talis altercationis vide apud Cic. ad Att. 1, 16: *Clodium fregi in senatu altercatione eiusmodi* cet. altercationibus opponuntur *continuae orationes*, et v. *infestas* indicat in altercationibus nihil inimici necessario inesse. proprie non est nisi ἀμοιβαῖος λόγος. Gloss Philox. Ern. — *Sentio*] nobis ignoto; de illis Ann. 16, 21. seqq. — *instrumentum*] sic 1, 22 mathematicos vocat *pessimum principalis matrimonii instrumentum*. — *bonos amicos esse. satis*] haec vetus distinctio praeferenda videbatur novae Rhenani *bonos amicos. esse satis*. Γνώμη add. erat verbum. Ad sensum cf. Xenoph. Cyrupaed. 8, 7, 13 οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πιστοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. Sallust. Iug. 10, 4 *non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas: officio et fide pariuntur.* — *praemiis*] Ann. 16, 33 *accusatoribus Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis — tribuuntur.*

8. *censuisse* cet.] βραχυλογία pro »non se, sed consulem designatum ita censuisse dicebat. et quidem secundum vetera exempla«; quae ratio indicatur commate a Bekkero ante v.] *secundum* posito. — *secundum vetera exempla*, »Accipe, non quasi semper legati sorte olim missi, sed saepe« (immo interdum, in rebus levioribus, ubi haud multum attinebat, quis legaretur). »In eam rem exempla haec reperio. Cicero ad Att. 1, 19: *Senatus decrevit, ut legati cum auctoritate mitterentur.* Addit post pauca: *non queo praeterire: cum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit.* E quibus sortitionem illic fuisse clare vides. Dio 59, 23: Πρέσβεις τε ἐπ' αὐτοῖς ἄλλους κλήρῳ καὶ τὸν Κλαύδιον αἱρετὸν ἔπεμψαν.«

citiis locus foret. nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur; sufficere omnes obsequio. id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus novo principatu suspensus et voltus quoque ac sermones omnium circumspectans. se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint; ulteriora mirari, praesentia sequi; bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. non magis sua oratione Thraseam quam iudicio senatus adflictum: saevitiam Neronis per eius modi imagines inlusisse, nec minus sibi anxiam talem amicitiam quam aliis exilium. denique constantia fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex illo senatu, qui simul servierit. suadere etiam Prisco, ne supra principem scanderet, ne Vespasianum senem triumphalem, iuvenum liberorum patrem praeceptis coerceret. quo modo pessimis imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. haec magnis utrimque contentionibus iactata diversis studiis accipiebantur. vicit pars, quae sortiri legatos malebat, etiam mediis patrum adnitentibus retinere morem; et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu invidiae, si ipsi eligerentur.

(9) Secutum aliud certamen. praetores aerarii (nam tum a praetoribus tractabatur aerarium) publicam paupertatem questi modum inpensis postulaverant. eam curam consul designatus ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem principi reservabat: Helvidius arbitrio senatus agen-

4 principatu *ex* principis (v. 2) *corr.* 1*m.* 8 seuitiā 16 que mallebat 18 eode 20 erariū 21 consul *ex* curā *corr.* 1*m.* designatūs (*sic* 1*m.*)

Lips. — *patres avique*] duas iam aetates praeterisse inde ab Augusti principatu monet Eprius. — *ulteriora*] quae sint ultra Augustum. Duebn. — *quam iudicio senatus*] hoc dicit Eprius: non se magis auctorem interficiendi claros viros Neroni fuisse quam senatum universum, qui eos damnaverit. Lips. — *inlusisse*] ludum egisse per imaginem sive speciem iustae quaestionis, cum re vera per vim ac violentiam ageret. Duebn. — *ne supra principem scanderet*] »ne sibi plus arrogaret aut ita ageret, tamquam super principem esset.« cf. dialog. 7 *tum mihi supra tribunatus et praeturas et consulatus ascendere videor.* Germ. 25. (*liberti*) *et super ingenuos et super nobiles ascendunt.* — *mediis*] ut Livius 2, 27, 3 *ita medium se gerendo nec plebis vitavit odium nec apud patres gratiam iniit.* 40, 20, 4 *hos tamquam medios nec in alterius favorem inclinatos miserat rex.*

9. *a praetoribus*] ut sub Augusto, cum Claudius quaestores reduxisset. cf. Ann. 1, 75. 13, 28 et 29. »Ceterum haec parenthesis suspecta erat Ernestio et Baumgarten-Crusio ad Suet. Claud. 24. Quorsum enim, ait ille, hoc additur, cum additum non sit Ann. 1, 75, cum res nota esset ex ipsius traditione Ann. 13, 28, quae et ad Traianum usque duravisset? At post Historias demum prodierunt Annales, nec inepte illa verba adduntur, quia variae huius rei fuerunt mutationes. Intererat igitur, ut scriptor doceret tum curam aerarii non amplius fuisse apud quaestores, sed apud praetores. Simile additamentum, quod post editos Annales inutile fuisset, legitur infra c. 15: *Transrhenana gens est.*« Walth. —

dum censuit. cum perrogarent sententias consules, Vulcatius Tertullinus tribunus plebis intercessit, ne quid super tanta re principe absente statueretur. censuerat Helvidius, ut Capitolium publice restitueretur, adiuvaret Vespasianus. eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit: fuere qui et meminissent. (10) tum invectus est Musonius Rufus in Publium Celerem, a quo Baream Soranum falso testimonio circumventum arguebat. ea cognitione renovari odia accusationum videbantur. sed vilis et nocens reus protegi non poterat: quippe Sorani sancta memoria; Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amicitiae, cuius se magistrum ferebat. proximus dies causae destinatur. nec tam Musonius aut Publius quam Priscus et Marcellus ceterique, motis ad ultionem animis, expectabantur.

(11) Tali rerum statu, cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non princeps in civitate essent,

1 Uulcacius tertullin; (i *ex* e *corr.* 1m.) 2 absentes (s *del.* 1m.) 5 oblivione *Madvig* 7 accusatorum *Nipperdey* 9 sc̃a 10 cuius — ferebat *post* Baream *ponit* *Urlichs.* 12 ad ultionem *Lipsius:* adulationib (adulationẽ *corr.* 1m.) 13 patres *b:* partes

perrogarent] pr. universos senatores sententias rogarent, ut Liv. 29, 19, 10.: *perrogari eo die sententiae — non potuere.* 32, 23, 1: *populi Achaeorum cum sententias perrogarentur.* Suet. Oct. 35. — *oblivio*] poetica vox et in num. fere plur. usum habens, adeo, ut fortasse hoc uno loco in singulari nunc inveniatur. Mar. Victor. I. p. 2469, P.: *Contagio, ut obsidio et oblivio, sed poetica licentia primo fecit contagia et oblivia, postea dici coepit et oblivium et obsidium et contagium.* voc. *obsidium* frequenter usurpat Tacitus. alii mutationem subiecti statuunt et *oblivio* nominativum interpretantur. — *silentio — transmisit*] cf. 1, 13 *rumoribus nihil silentio transmittentium.* 4, 31 *nomen — silentio transmittebant.* Ann. 1, 13 *Scaurum — silentio tramisit.* 13, 22 *Plautus — silentio transmissus est.* — *qui et meminissent*] nimirum de sententia Helvidii secundas tantum partes datas imperatori in re tanta. Duebn. atque id Vespasiano delatum videtur ab illius iniquis.

10. *Musonius Rufus*] de quo 3, 81. — *Celerem*] de P. Egnatio Celere cf. Ann. 16, 32. Dio 62, 26. — *odia accusationum*] nonnulli quidem reprehendebant Musonium, quod invidiosas illas accusationes, quae imprimis sub Nerone exercitae erant, ita renovare videretur; nihilominus Celer protegi non poterat. — *professus sapientiam*] Agric. 2 *expulsis insuper sapientiae professoribus.* — *corruptorque amicitiae*] violator amicitiae, cuius, ut aliarum virtutum, praecepta dabat, quemadmodum solebant philosophi; vide modo Ciceronis Laelium et multos illos de amicitia et amicis locos apud Senecam. sic Lipsii coniectura *amici et cuius* necessaria non est, immo propterea admodum improbabilis, quia *corruptor* cum genitivo personae Tacito ut aliis est, »qui quocunque modo animum moresque aliorum depravat«, neutiquam vero, »qui alium convellit atque exitio dat«; atque nescio quomodo languet Lipsianum illud *et.* ad rem cf. Iuven. 3, 116: *Stoicus occidit Baream delator amicum Discipulumque senex;* Schol. ad Iuven. 1, 33 *magni delator amici: Soranum Baream Celer philosophus magister ipsius apud Neronem scelere delationis occidit, et ipse postea sub Vespasiano hoc ipsum Musonio Rufo accusante damnatus est.* cf. Ann. 16, 32 (*P. Egnatius*) *dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces.* — *proximus dies*] quo primum rursum senatus haberetur. vide infra c. 40.

Mucianus urbem ingressus cuncta simul in se traxit. fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis voltu tegeretur. sed civitas rimandis offensis sagax verterat se transtuleratque: ille unus ambiri, coli. nec deerat ipse, stipatus armatis domos hortosque permutans, apparatu incessu excubiis vim principis amplecti, nomen remittere. plurimum terroris intulit caedes Calpurnii Galeriani. is fuit filius Gai Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne et decora ipsi iuventa rumore volgi celebrabantur, erantque in civitate adhuc turbida et novis sermonibus laeta, qui principatus inanem ei famam circumdarent. iussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragensimum ab urbe lapidem Appia via fuso per venas sanguine extinguitur. Iulius Priscus praetoriarum sub Vitellio cohortium praefectus se ipse interfecit, pudore magis quam necessitate. Alfenus Varus ignaviae infamiaeque suae superfuit. Asiaticus (is enim libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit.

(12) Isdem diebus crebrescentem cladis Germanicae famam nequaquam maesta civitas excipiebat; caesos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias non ut mala loquebantur. id bellum quibus causis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Chattorum, seditione domestica pulsi extrema Gallicae orae vacua cultoribus simulque insulam iuxta sitam occupavere, quam mare Oceanus a fronte, Rhenus amnis

2 malę 4 stipatis 6 cedē 8 ipsius *editio princeps* 9 ei] & 14 Infamieq; 15 is enim *Ernesti:* enī is (is *om. editio princeps;* [enim] *Nipperdey;* etenim is libertus *vel* is enim libertus *e nota marginali in textum venisse putat Ernesti*) 17 mesta cesos 21 gallicę (ę *ex* a *corr.* 1*m.*) 22 iuxta *Walch:* Iuuata (inter uada *dett.*) sitam *b:* sit|an Oceanum *dett.*

11. *transtulerat*] ab Antonio Varoque ad Mucianum. — *unus ambiri*] Dio 66, 2: ὁ Μουκιανὸς τιμᾶσθαι ὑφ' ἁπάντων ὑπὲρ πάντας ἤθελε καὶ ἤχθετο, εἴ καὶ ὁστισοῦν οὐχ ὅτι ὑβρίσειεν αὐτὸν, ἀλλ' οὐ μεγάλως ἀγήλειεν. — *nec deerat ipse*] cum his vv. iungo infinitivos *amplecti, remittere,* ut c. 1: *nec deerat egentissimus quisque --prodere* cet. — *C. Pisonis*] qui contra Neronem coniuraverat. A. 15, 48. — *Asiaticus*] 2, 57 et 95. is ergo patibulo affixus, ut Verginii Capitonis servus supra c. 3. et Icelus 1, 46. Verbis autem *is enim libertus* post priorem eius mentionem 2, 57 breviter eius condicionem lectori in memoriam revocans significat, cur ille tam contumelioso supplicio affectus sit. *is enim* in parenthesi, ut 2, 18 *Spurinnae* (*is enim — obtinebat*) 3, 37 *diem* (*is enim — supererat*) 4, 58 *proelium et acies parantur* (*id enim fas — est*).

12. *Chattorum*] Germ. 29. Ukert, *Gallien* p. 366. — *insulam*] Ann. 2, 6. — *seditione domestica pulsi*] quo tempore, incertum est, sed certe ante Caesarem, qui *insulae Batavorum* meminit B. G. 4, 10. Zeuss, *die Deutschen* p. 100. — *iuxta sitam*] WALCHIUS in Melet. crit. Ienae 1809. p. 16: »Legendum *insulam iuxta sitam occupavere* et scriptura optimorum codicum ducente et sensu postulante. Facile intelligitur describi in his insulam, quae alibi Tacito *Rheni* vel *Batavorum insula* dicitur, Vahali ac Mosa a parte meridionali, a septentrione Rheno flumine circumfusa. Quo modo appellaretur insula, in tali descriptione quis requireret? Unde autem dilucida *extremae*

tergum ac latera circumluit. nec opibus (rarum in societate validiorum) adtritis viros tantum armaque imperio ministrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio, arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere *solitus*. (13) Iulius Paulus et Iulius Civilis

1 rarum in *H. Tiedke:* Romanis 2 adtritis *H. Tiedke:* adtriti ministrabant *Wurm* 3 brittanniam gloriã (*notam del.* 1*m.*) 4 erant (adsuerat *vel* insuerat *Heinisch*, suerant *Heraeus*) 5 armę | quosq; 6 perrumpere solitus *Pichena:* perrūpere | (*aut* suetus, solitus, exercitus *addendum aut* perrumpens *legendum esse censet Pichena*) Iulius Civilis *Ritter:* claudius ciuilis (Iulius Civilis et Claudius Paulus *Heraeus*)

Galliae orae cognitio legenti exoriretur nisi ex *insula iuxta sita*? Poterat a regionis ignaris varie in *extremis Galliae oris* apud Morinos, Nervios, Venetos errari. Ne quis erraret, una illa ratione cavebatur. Iam quisque vel invitus ad meridionalem Vahalis ripam (Romanorum ripam) sive regionem inter Vahalem et Mosam retrahitur. Denique *iuxta sita*, ut Ann. 2, 62. Hist. 2, 74.« adde vulgatam lect. *inter vada sitam* neque satis esse claram et nimium quantum recedere a Med. vestigiis, quibus sane firmius insistit Walchiana. ceterum cf. Caesar B. G. 4, 10: *Mosa --, parte quadam ex Rheno recepta, quae appellatur Vacalus, insulam efficit Batavorum.* — *mare Oceanus*] Ann. 1, 9 *mari Oceano* 15, 34 *maris Hadriae* Caes. B. G. 3, 7 *proximus mare Oceanum.* — *opibus — adtritis*] 1, 10 *attritis opibus* 2, 56 *adtritis Italiae rebus.* — *rarum in societate validiorum*] Ann. 13, 2 *rarum in societate potentiae* 6, 10 *rarum in tanta claritudine* 1, 39 *rarum etiam inter hostes.* Ovidius Trist. 4, 10, 121 *quod rarum est.* de hoc genere parenthesium cf. *Dräger* Syntax § 139. — *viros tantum — ministrant*] c. 17 *Batavos — tributorum expertes* 5, 25 *sibi non tributa, sed virtutem et viros indici.* Germ. 29 *nec tributis contemnuntur nec publicanus atterit; exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur.* — *per Britanniam*] 1, 59. Agr. 18 et 36. — *erat et domi*] praeter cohortes auxiliares in Britanniam missas remanserat etiam in insula Batavorum delectus equitatus. — *praecipuo nandi studio*] Agric. 18 *lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt.* Ann. 14, 29 *equites vadosa secuti aut altiores inter undas adnantes equis tramisere.* — *perrumpere solitus*] Florus 1, 38, 10 *rex ipse Teutobodus, quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum, cum fugeret, ascendit.* ceterum scripturam Medicei etiam *ut* inserendo sanare possis, ut scribas: *praecipuo nandi studio, ut arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumperet.*

13. *Iulius Civilis*] 1, 59 vocatur *Iulius Civilis*, aliisque Graecis et Latinis (Plut. Ἐρωτ. c. 25. Frontin. Strat. 4, 3, 14). Paulus videlicet et Civilis fratres erant. vide c. 32: *necem fratris.* ceterum de Civile (haec enim recta ablativi forma, ut *Lateranense*, *Iuvenale*, a Med. servata: perperam in Edd. nonnullis est *Civili*) cf. Haken in Ersch et Gruber *Encyclopaedie* I. XVII. p. 332, qui perbene narrationem suam ita concludit: »*Eine unglückliche Lücke in dem meisterhaften Berichte des Tacitus* (5, 26) *lässt hier die fast einzige geschichtliche Quelle versiegen, welche über diese denkwürdigen Ereignisse eine Auskunft geben kann, und das fernere Schicksal des wackern Kämpfers bleibt in Nacht und Dunkel gehüllt.*« tum consule imprimis Thierry *Histoire des Gaulois* Ed. III. Paris 1845. III. p. 371, qui egregie totas Civilis res gestas denarrat. rectissime sane de eo indicat: *La bravoure à la fois impétueuse et opiniâtre de sa nation n'était pas le seul mérite du chef batave; il y joignait un esprit fin, habile aux ruses de la politique, comme à celles de la guerre, et de plus la connaissance du gouvernement romain et des hommes influens de cette époque.* — (Obscurius de tota hac Gallorum Germanorumque rebellione agit Iosephus B. I. 7, 4, 2. eandem excepta Iulii Sabini in sepulchro latebra diuturna prorsus praeterit Xiphilinus 66, 3, quippe, ut ait, οὐδὲν ἐς μνήμην ἐμοὶ γοῦν

regia stirpe multo ceteros anteibant. Paulum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecit; iniectae Civili catenae, missusque ad Neronem et a Galba absolutus sub Vitellio rursus discrimen adiit, flagitante supplicium eius exercitu. inde causae irarum spesque ex malis nostris. sed Civilis ultra quam barbaris solitum ingenio sollers et Sertorium se aut Annibalem ferens simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium praetendit, missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus avertere accita Vitellio auxilia et tumultus Germanici specie retentare legiones iubebatur. eadem Hordeonius Flaccus praesens monuerat, inclinato in Vespasianum animo et rei publicae cura, cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armatorum milia Italiam inrupissent. (14) igitur Civilis desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex eventu iudicaturus, novare res hoc modo coepit. iussu Vitellii Batavorum iuventus ad dilectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent: rursus inpubes, sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. hinc invidia; et compositi seditionis auctores perpulere, ut dilectum abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos volgi specie epularum sacrum in nemus vocatos ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis

1 multos anteibat (n *superscr.* 1*m.*) fonteiū (*corr.* 1*m.*) 3 adit 4 Indę 5 haud 6 annibalē 8 sanę 9 aūteret (*corr.* 1*m.*) a Vitellio *dett.* 11 uespanū (ū *ex* o *corr.* 1*m.*) rei p. 14 cępit 15 dilectūs (s *del.* 1*m.*) 17 p̃tio sed] et *Halm* 18/19 compositae *det.*

ὄφελος φέρουσαν.) — *regia stirpe*] ut Ann. 11, 16 de Cheruscis: *uno reliquo stirpis regiae* - - *Italico;* utrobique, utpote apud populos Germanicos, intellige de iis, qui orti sunt e principibus (*Häuptlingen*) civitatis maxime illustribus. cf. Sybel *d. Königthum* p. 100. — *Fonteius Capito*] de quo 1, 7. 3, 62. Ann. 14, 1. — *oris dehonestamento*] cum item, ut Hannibal, altero oculo captus esset. Liv. 22, 2. et de Sertorio idem tradit Plutarchus Sert. 1. — *praetendit*] simulat, ad tegenda consilia utitur. intelligendum: *consiliis*. Ern. — *Antonii litteris*] c. 32 *epistulae Antonii ad Civilem* 5, 26 ubi Civilis ait: *hoc Primo Antonio notum, cuius epistulis ad bellum actus sum, ne Germanicae legiones et Gallica iuventus Alpes transcenderent.* — *accita Vitellio*] 2, 97. de dativo cf. *Dräger* Syntax § 51; *Nipperdey* ad Ann. 2, 50. — *Hordeonius Flaccus*] legatus superioris exercitus, ad Rheni ripae curam a Vitellio relictus. 1, 9. 2, 57.

14. *ad dilectum*] 2, 57. 97. — *gravem*] quippe in longam et longinquam militiam. Velleius in laudibus Tiberii 2, 130: *Quanta cum quiete hominum rem perpetui praecipuique timoris, supplementum, sine trepidatione delectus providet!* Lips. — *compositi*] *compositi seditionis auctores* sunt subornati, cf. Sall. Hist. fr. 1, 43 (46) *lenones et vinarii laniique* — *pretio compositi. composita seditio* ambiguum esset, nam et praeparatam et finitam seditionem (ut Suet. Octavius 4 *composita seditione civili*) significat. — *specie epularum*] Germ. 22: *de pace ac bello plerumque in conviviis consultant.* — *nocte ac laetitia*] ἓν διὰ δυοῖν, ut vocat Roth de Synon. apud Tac. p. 53, pro *nocte per laetitiam transacta. laetitiam* autem intellige de larga compotatione. Verg. Aen.

orsus iniurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. »neque enim societatem, ut olim, sed tanquam mancipia haberi. quando legatum, gravi quidem comitatu et superbo, cum imperio venire? tradi se praefectis centurionibusque; quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia praedandi vocabula. instare dilectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur. numquam magis afflictam rem Romanam nec aliud in hibernis quam praedam et senes: attollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent. at sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientes. ne Romanis quidem ingratum id bellum; cuius ambiguam fortunam Vespasiano inputaturos: victoriae rationem non reddi.« (15) magno cum adsensu auditus barbaro ritu et patriis execrationibus universos adigit. missi ad Canninefates, qui consilia sociarent.

6 liberi apparentib; (*prius* p *del.* 1m.) frs affrib; supmũ (supremis *Nipperdey*) 8 at tollerent 9 at sibi robur *in rasura ac paene evanida* 10 cupientib; (e *superscr. et* b; *in* s *mut.* 1m.) 12 ritus (s *del.* 1m.) 13 canine fates consilias| (s *del.* 1m.)

1, 734: *Adsit laetitiae Bacchus dator!* — *quando -- venire?*] Batavi Germaniae inferiori accensebantur. Duebn. hoc dicit: raro et fere numquam ad se venire legatum, cuius comitatus quidem permolestus sit et superbus (cohors imprimis amicorum), sed tamen ab his, quorum saltem imperium legitimum sit, socios non tam impudenter despoliari neque omnis generis vexationibus ac suppliciis opprimi, ut faciant praefecti centurionesque, »latrunculi minuti,« ut ait Lipsius. — *sinus*] novos depraedandi modos et praetextus; ut 2, 92. 3, 19. figura relata ad sinus, quibus pecuniam condebant. — *velut supremum*] Verg. Aen. 3, 67 *animamque sepulcro Condimus et magna supremum voce ciemus.* igitur *velut supremum* idem est ac tamquam morte. cf. *Bötticher* Lexicon Taciteum sub voce *supremus*. de neutro adiectivi pro adverbio posito cf. *Dräger* Syntax § 22. — *nomina*] vidimus Vitellium minuisse, non explevisse legiones. Duebn. 2, 94: *robora legionibus alisque subtracta.* — *ne Romanis quidem*] Flavianis et melioribus omnium Romanorum, quos erat credibile Vespasianum Vitellio praelaturos. Gronov. — *inputaturos*] »Quodsi ambigua maneat belli cum Vitellianis fortuna neque adeo consilium suum Batavi prorsus exsequi possint, nihilominus tamen illud se obtenturos, ut tota res pro Vespasiano contra Vitellium suscepta videatur, cuius meritum apud Vespasianum, qui haud dubie victor evasurus sit, sibi tribuere queant et quidem eo magis, quia Civilis *Vespasiani amicitiam studiumque partium praetenderat.* c. 13. Male Ernestius aliique opinati sunt, subiectum v. *inputaturos* esse *Romanos;* unde ita interpretatur: »si male successerit, culpam Vespasiani fore iudicio Romanorum; sibi nihil metuendum.« — *victoriae rationem*] »quodsi Batavi plena victoria potirentur adeoque se a Romanorum dominatione liberarent, fore, ut nullius iam, ne Vespasiani quidem, rationem ultra habere debeant, quippe qui pristinum servitium exuerint.« recte totum locum intellexit Thierry *Histoire* III. p. 376: »*Vaincus, nous nous en ferons un mérite auprès de Vespasien; vainqueurs, qui viendra nous demander des comptes?*«

15. *barbaro ritu -- adigit*] imitatio formulae *adigere sacramento;* obstringit. Ern. de Germanorum sacramentis et iuramentis v. Grimm *deutsche Rechtsalt.* p. 892. seqq., ubi docet eos iurasse per deos, per sancta pignora (ea tangendo), per humum, gramen, arbores, aquas, fontes, fluvios, montes, rupes, lapides, pectus, barbam, capillos, caput, vestimenta, plerumque per arma et praecipue gladium, de quo v. Grimm l. l. p. 165. Rup. — *Canninefates*] vide Ann. 4, 73. 11, 18. primum

ea gens partem insulae colit, origine lingua virtute par Batavis; numero superantur. mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes missas in Germaniam, ut supra rettulimus, ac tum Mogontiaci agentes. erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni. pater eius multa hostilia ausus Gaianarum expeditionum ludibrium inpune spreverat. igitur ipso rebellis familiae nomine placuit inpositusque scuto more gentis et sustinentium umeris vibratus dux deligitur. statimque accitis Frisiis (Transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna proxima accubantia Oceano inrumpit. nec praeviderant impetum hostium milites nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat: capta igitur ac direpta castra. dein vagos et pacis modo effusos

2 brittannica 4 canine ne fatib ; | (ne *del.* 1*m.*) 5 Insigni | (insignis *Th. Kiessling*) 6 fami|liȩ (ȩ *in rasura* 1*m.*) nomine *ex* homine *corr.* 1*m.* (nomine *b*, omine *dett.*) 7 uibratis (u *superscr.* 1*m.*) 9 proxima (a *in* o *mut. et in marg. add.* mo 2*m.*) accubantia *Meiser*: occupata (occupatu *Lipsius*, occupatum *Weissenborn*) 10 prouidissent

memorantur a Velleio 2, 105. — *ut supra*] 2, 29. ceterum cohortes Batavorum sunt ipsa Britannica auxilia, quod diu in Britannia auxiliorum nomine militaverant. Ern. — *Gaianarum*] Germ. 37. Agr. 13. Dio 59, 21. Suet. Caligula c. 43. seqq. summum illud ludibrium c. 46: *Postremo quasi perpetraturus bellum directa acie in litore Oceani ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante, quidnam coepturus esset, repente, ut conchas legerent, galeasque et sinus replerent, imperavit, spolia Oceani vocans Capitolio Palatioque debita.* — *nomine*] eam ob causam, quod ipse, ut ante fecerat pater eius, rursus bellum contra Romanos suscipere paratus erat. — *more gentis*] Galli, Gothi, Franci hunc in cooptando principe morem habuerunt, translatum postea etiam ad Romanos. Zosimus 3, 9, 4 in electione Iuliani: οἱ στρατιῶται κατάγουσι δημοσίᾳ τὸν Καίσαρα, καὶ ἐπί τινος ἀσπίδος μετέωρον ἄραντες ἀντεῖπόν τε σεβαστὸν αὐτοκράτορα καὶ ἐπέθεσαν σὺν βίᾳ τὸ διάδημα τῇ κεφαλῇ. de Gothis et Francis v. P. Pithoeum Subsecivorum 2, 6. Ex Lips. Pithoei Opera. Parisiis 1609. p. 420. loci praecipui, quos affert, sunt Cassiodori Variarum 10. Ep. 31. Ed. Garetii I. p. 157: *Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios more maiorum scuto supposito regalem nobis contulisse praestante deo dignitatem, ut honorem arma darent, cuius opinionem bella pepererant. Non enim in cubilis angustiis, sed in campis late patentibus electum me esse noveritis.* Adonis Chronic. in Magna Bibliothec. vet. Patrum. Ed. Paris. 1644. VII. p. 362: *Sigebertus Turnacum, ubi Chilpericus residebat, obsedit. Eo tempore S. Germanus, Parisiorum episcopus, Sigeberto regi mandavit, ut contra fratrem suum nullo modo abiret neque de interfectione illius cogitaret. Quod ille audire contempsit; sed Francis consentiens more gentis impositus clipeo rex constitutus est ac regnum fratris sui Chilperici adeptus.* adde Pasquier *les Recherches de la France. Paris* 1607. p. 544: *Je trouuay, que les Roys arriuans à la Couronne, au lieu des Sacres somptueux et despensifs, qui depuis furent obseruez par la France, estoient par les Princes et grands Barons portez sur leurs boucliers, ou escussons par le camp, et mis en ceste maniere en veuë de toute leur gendarmerie, pour faire entendre à chacun que sur l'appuy des armes ils deuoient fonder l'entretenement de leur Estat.* cf. Grimm *Rechtsalterthümer* p. 234, qui complura huius moris exempla collegit. — *hiberna proxima — inrumpit*] Caes. b. civ. 3, 9, 6 *in proxima Octavi castra irruperunt.* — *accubantia Oceano*] Suet. Iul. 44 *theatrum summae magnitudinis Tarpeio monti accubans.* terra, non mari hostes inrupisse *Eduard Wolff* recte inde colligit, quod initio rebelles gentes naves non habebant. cf. c. 17 *armaque et naves, quibus indigebant, adepti.* praeterea *accubantia Oceano* aperte opposita

lixas negotiatoresque Romanos invadunt. simul excidiis castellorum imminebant, quae a praefectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. signa vexillaque et quod militum in superiorem insulae partem congregantur, duce Aquilio primipilari, nomen magis exercitus quam robur: quippe viribus cohortium abductis Vitellius e proximis Nerviorum Germanorumque pagis segnem numerum armis oneraverat. (16) Civilis dolo grassandum ratus incusavit ultro praefectos, quod castella deseruissent: »sese cum cohorte, cui praeerat, Canninefatem tumultum compressurum; illi sua quisque hiberna repeterent.« subesse fraudem consilio et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem ducem eius belli sed Civilem esse patuit, erumpentibus paulatim indiciis, quae Germani, laeta bello gens, non diu occultaverant. ubi insidiae parum cessere, ad vim transgressus Canninefates Frisios Batavos propriis cuneis componit. derecta ex diverso acies haud procul a flumine Rheno et obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc adpulerant. nec diu certato Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit; perculsique milites inprovisa proditione a sociis hostibusque caedebantur. eadem etiam *in* navibus perfidia: pars remigum e Batavis tanquam inperitia officia nautarum propugnatorumque impediebant, mox contra tendere et puppes hostili ripae obicere, ad postremum gubernatores centurionesque, nisi eadem volentis, trucidant, donec universa quattuor et viginti navium classis

3 Insule 6 Gugernorumque *Ritter*, Tungrorumque *Heraeus*. 8 sesecū (*post.* se *del.* 2*m.*) 11 esse *det.*: eius 14 et] est *Madvig*. 15 quasi 17 cedebantur in *add. Wurm* 18 remigiū Inperitia (Im *corr.* 1*m.*) nau|torum 21 uolenti | (s *superscr.* 1*m.*)

sunt iis, quae paulo post dicit *in superiorem insulae partem congregantur*. — *Nerviorum*] fortissima ac potentissima inter Belgas (Gallos) natio, *qui*, ut ait in Germ. 28: *circa adfectationem Germanicae originis ultro ambitiosi sunt*; collato Caesare B. G. 2, 4: *plerosque Belgas esse ortos ab Germanis; - - - Nervios, qui maxime feri inter ipsos habeantur*, ad flumen Sabim (h. *Sambre*), quorum oppida praecipua Camaracum (h. *Cambray*), Turnacum (h. *Tournay*), Bagacum (h. *Bavay*), Ukert *Gallien* p. 374. Walckenaer *Géographie des Gaules*. *Paris* 1839. I. p. 470. — *Germanorumque*] Tungrorum cis Rhenum colentium. vide c. 16. Germ. 2. ceterum de h. l. vide Zeuss *die Deutschen* p. 214. — *oneraverat*] admodum significanter: »segnibus hisce arma ipsa ingrato tantummodo oneri erant.«

16. *cui praerat*] de indicativo in oratione obliqua cf. *Dräger* Syntax § 151, *Nipperdey* ad Ann. 1, 10 *abstulerat*. — *erumpentibus — indiciis*] Ann. 1, 4 *multaque indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere*. — *propriis cuneis*] more patrio. Germ. 6: *Acies per cuneos componitur*. DUEBN. — *derecta ex diverso*] significat partem contrariam, Civili hostilem, quam e regione huius instructam fuisse simul indicatur. Sic rursus c. 46. Ann. 13, 40: *adsultare ex diverso Tiridates*. ibid. 57: *diversam aciem*. — *officia nautarum — impediebant*] Curtius 4, 3, 18 *miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat, et, quod in eiusmodi casu accidit, periti ignaris parebant: quippe gubernatores alias imperare soliti tum metu mortis iussa exequebantur*. cf. Ann. 2, 23. Livius 22, 19, 10.

transfugeret aut caperetur. (17) clara ea victoria in praesens, in posterum usui; armaque et naves, quibus indigebant, adepti magna per Germanias Galliasque fama libertatis auctores celebrabantur. Germaniae statim misere legatos auxilia offerentes: Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat, captos cohortium praefectos suas in civitates remittendo, cohortibus, abire an manere mallent, data potestate. manentibus honorata militia, digredientibus spolia Romanorum offerebantur. simul secretis sermonibus admonebat malorum, quae tot annis perpessi miseram servitutem falso pacem vocarent. »Batavos, quanquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse. prima acie fusum victumque Romanum. quid si Galliae iugum exuant? quantum in Italia reliquum? provinciarum sanguine provincias vinci. ne Vindicis aciem cogitarent: Batavo equite protritos Aeduos Arvernosque; fuisse inter Verginii auxilia Belgas, vereque reputantibus Galliam suismet viribus concidisse. nunc easdem omnium partes, addito, si quid militaris disciplinae in castris Romanorum viguerit. esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. servirent Syria Asiaque et suetus regibus Oriens: multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos. nuper certe caeso Quintilio Varo pulsam e Germania servitutem, nec Vitellium principem sed Caesarem Augustum bello provocatum. libertatem natura etiam

1 presens 3 Germani *Ritter* 14 Gallias *Wurm* 15 discipline 16 uigueret (*corr.* 1m.) 17 siria asyaq; 18 gallias (s *del.* 1m.) (Galliis *Wurm*) ante] an [nuper] *Prammer* 20 cesarem naturā (*notam del.* 1m.)

17. *honorata militia*] 1, 87 *facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiae.* — *servitutem falso pacem vocarent*] Agric. 30: *auferre trucidare rapere falsis nominibus imperium, atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.* Appian. Samn. 10 καὶ ταῦτά τινες εἰρήνην ἀντὶ δουλείας τολμῶσιν ὀνομάζειν. — *Batavo equite*] inter Romanorum copias auxiliares. — *Aeduos*] quos *fratres nostros* vocat Cicero ad Att. 1, 19. Fam. 7, 10. Caesar B. G. 1, 11. Ann. 11, 25. hodie *Bourgogne* et *Nivernois.* — *Arvernosque*] populum Galliae Aquitanicae, h. *Auvergne.* Cevenna monte ab Helviis disclusi erant. Caesar B. G. 7, 8. Walckenaer I. p. 339. — *reputantibus*] dativus; »si quis rem, ut est, reputet.« DUEBN. — *suismet viribus*] Horat. Epod. 16, 2: *Suis et ipsa Roma viribus ruit.* — *nunc easdem omnium partes*] id unum requiri atque agi, ut iunctis viribus omnes gentes Gallicae et Germani accolae, una nisi, e Gallia ac Batavorum insula servitutem pellant; easque vires auctas ideo, quod iam Romanam disciplinam addidicerint. — *procubuerint*] vide 2, 43 et 66. — *multos adhuc in Gallia vivere*] »censum Galliarum Augustus septimum consul a. u. 727. instituerat. sed Civilis intelligere videtur tributa a Iulio Caesare imperata ante CXX. fere annos, quos attingere potest senectus felix.« DUEBN. cf. Dio 53, 22 de Gallis: καὶ αὐτῶν καὶ ἀπογραφὰς ἐποιήσατο καὶ τὸν βίον τήν τε πολιτείαν διεκόσμησε. sed vel ii, qui meminisse poterant instituti ab Augusto census ante hunc geniti, a. 823. minimum C annos nati esse debebant: atque omnino quis in his non perspicit hyperbolen rhetoricam? — *nuper certe*] »nimirum ut multo post Galliam subactam, quamquam ante LX annos.« DUEBN. Cic. nat. d. 2, 50 (126) *ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis, medicorum ingeniis reperta sunt.* Livius praef. 12 *nuper divitiae avaritiam — invexere,* ubi vide interpretes.

mutis animalibus datam, virtutem proprium hominum bonum. deos fortioribus adesse: proinde arriperent vacui occupatos, integri fessos. dum alii Vespasianum alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque.‹ (18) sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat. at Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit: ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen trepidi nuntii adferebant, Munium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis praeerat) egredi adversus hostem iubet. Lupercus legionarios e praesentibus, Ubios e proximis, Trevirorum equites haud longe agentis raptim transmisit, addita Batavorum ala, quae iam pridem corrupta fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis maiore pretio fugeret. Civilis captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. ut virorum cantu, feminarum ululatu sonuit acies, nequaquam par a legionibus

1 brutis *Acidalius* 1/2 for|fortiorib; 3 utrimq; 6 qui primos — aluit, *L. Spengel* dissimulationē aluit (*notam del. et* m *super* a *scr.* 1*m.*? *unde editio princeps* maluit) 10 tre uirorum 13 ˆtio caesarum *Nipperdey* 16 pulsus 17 lęgi|nib; (*apicem sub* e *del. et* o *super* i *add.* 1*m.*)

— *mutis animalibus*] Acidalius coniicit *brutis*. quasi non *muta* eadem, quae bruta, et quidem elegantius. vide ad Senecam Ep. 90. Gronov. Cic. N. D. 2, 53 (133): *An bestiarum? Nihilo probabilius deos mutorum et nihil intelligentium causa tantum laborasse.* scilicet *muta* non intelligendum, quae soni nihil edant, sed quae loqui non possint. Ern. cf. Boetius in librum de interpretatione I p. 50 (Meiser) *ferarum quoque mutorumque animalium voces aliqua significatione praeditas esse perspicimus* ac sic saepius apud eundem. — *hominum*] nimium teneras aures habuit, qui primus, ut vitaretur triplex *um*, scripsit *hominis*, quemadmodum est in Guelf. Puteol., Edd. ante Iac. Gronovium. — *occupatos — fessos*] intellige in utroque *aliis bellis*. *arripere* autem pro vim inferre, bellum. Ern.

18. *validissimarum*] ad Germanos, *ditissimarum* ad Gallos pertinet. — *dissimulationem*] simulatam ignorationem. Duebn. — *Munium*] haud rari *Munii* in Inscr., unus enim Gruterus praebet octo. — *hibernis*] significat *castra Vetera*. cf. C. extr. — *maiore pretio fugeret*] immo *transfugeret*, ut paulo post *Batavorum ala transfugiens* c. 16 *donec — classis transfugeret*. — *captarum cohortium*] c. 16. — *ante oculos et hostes*] »Bipontini *ante oculos esset, hostes*. egregie; quaeritur, an vere? codices obstant; neque in vulgata dura ellipsis.« Oberl. — *matrem suam sororesque*] ex more Germanorum. Germ. 7: *in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium.* cf. de hoc etiam Britannorum more Ann. 14, 34. — *pulsis*] Med. *pulsus* placet Doederleinio, »ut sit genitivus substantivi passive usurpati.« non accedo. — *cantu*] *baritum* (sic Grimm. Cod. Peris.: *barditum*) vocabant. Germ. 3. — *nequaquam par*] quod valde Romani observabant et velut omen habebant eventus. Plutarch. Crass. 27: ὁ Κράσσος — συναλαλάξαι κελεύσας ἤλεγξε τοῦ στρατοῦ τὴν κατήφειαν, ὡς ἀσθενῆ καὶ ὀλίγην καὶ ἀνώμαλον κραυγὴν ἐποιήσαντο· ἡ δὲ παρὰ τῶν βαρβάρων λαμπρὰ καὶ θρασεῖα κατεῖχε. Lips. Liv. 4, 37, 9: *Clamor indicium primum fuit, quo res inclinatura esset, excitatior crebriorque ab hoste sublatus: ab Romanis*

cohortibusque redditur clamor. nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens statimque in nos versa; sed legionarius miles, quanquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia foeda fuga dispersa totis campis palantur. illuc incubuere Germani; et fuit interim effugium legionibus in castra, quibus Veterum nomen est. praefectus alae Batavorum Claudius Labeo, oppidano certamine aemulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares vel, si retineretur, semina discordiae praeberet, in Frisios avehitur.

(19) Isdem diebus Batavorum et Canninefatium cohortes, cum iussu Vitellii in urbem pergerent, missus a Civile nuntius adsequitur. intumuere statim superbia ferociaque et pretium itineris donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum, promissa sane a Vitellio, postulabant, non ut adsequerentur, sed causam seditioni. et Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quae sciebant negaturum. spreto Flacco inferiorem Germaniam petivere, ut Civili iungerentur. Hordeonius adhibitis tribunis centurionibusque consultavit, num obsequium abnuentes vi coerceret. mox insita ignavia et trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito dilectu suppletae legiones angebant, statuit continere intra castra militem: dein paenitentia et arguentibus ipsis, qui suaserant, tanquam secuturus scripsit Herennio Gallo legionis primae legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum haesurum. et opprimi poterant, si hinc Hordeonius inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum aliisque litteris Gallum monuit, ne terreret abeuntes. unde suspicio sponte legatorum excitari bellum cunctaque, quae acciderant aut metuebantur, non inertia militis neque hostium vi, sed fraude ducum evenire. (20) Batavi cum castris Bonnensibus pro-

1 cornū 4 fęda 6 prefectus 7 emulus Inuidia| 9 cannine fatiū 11 p̄tium 18 auxiliorū auxiliorū | (*alterum del.* 1*m.*) 19 penitentia 20 herrennio 21 bonā 24 Inceptūs (s *del.* 1*m.*) 24/25 teneret *Rhenanus*

dissonus, impar, segnius saepe iteratus incerto tenore prodidit pavorem animorum. — *Veterum*] hodie *Fürstenberg* prope *Xanten.* cf. Ann. 1, 45. *von Veith:* Vetera Castra mit seinen Umgebungen als Stützpunkt der römisch-germanischen Kriege im 1. Jahrhundert v. u. n. Chr., Berlin, Mittler, 1881. de genetivo cf. *Nipperdey-Andresen* ad Ann. 2, 16. *Idisiaviso.* — *oppidano certamine*] quale inter eiusdem oppidi incolas oriri solet, praesertim ex aemulatione in captandis honoribus municipalibus.

19. *Batavorum et Canninefatium cohortes*] additas antea legioni XIV., de quibus 1, 59. 2, 27. 66. 4, 15. — *augeri equitum numerum*] quorum facilior militia, stipendium amplius. — *insita ignavia*] 1, 9: *exercitus Hordeonium Flaccum spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate.*

20. *castris Bonnensibus*] olim hiberna

pinquarent, praemisere, qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret. »nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus totiens bellassent: longa atque irrita militia fessis patriae atque otii cupidinem esse. si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros.« cunctantem legatum milites perpulerant, fortunam proelii experiretur. tria milia legionariorum et tumultuariae Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava sed procax ante periculum manus, omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero inpares circumfundant. illi veteres militiae in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti. sic tenuem nostrorum aciem perfringunt. cedentibus Belgis pellitur legio, et vallum portasque trepidi petebant. ibi plurimum cladis: cumulatae corporibus fossae; nec caede tantum et volneribus, sed ruina et suis plerique telis interiere. victores colonia Agrippinensi vitata nihil cetero in itinere hostile ausi Bonnense proelium excusabant, tanquam petita pace, postquam negabatur, sibimet ipsi consuluissent.

(21) Civilis adventu veteranarum cohortium iusti iam exercitus ductor, sed consilii ambiguus et vim Romanam reputans, cunctos qui aderant in verba Vespasiani adigit mittitque legatos ad duas legiones, quae priore acie pulsae in Vetera castra concesserant, ut idem sacramentum acciperent. redditur responsum, »neque proditoris neque hostium se consiliis uti: esse sibi Vitellium principem, pro quo fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos: proinde perfuga Batavus arbitrium rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris poenas expectaret.« quae ubi relata Civili, incensus ira universam Batavorum gentem in arma rapit.

1 propinguarent (*corr.* 1*m.*) herrennio 4 occurant 5 cunctantem *dett.*: Cunctē perpulerant | fortunā (for *et* ā *in rasura*) ṗlii 6 legioniarū (*corr.* 1*m.*) belgarū (*super* g *scr.* i 1*m.*) 7 Ignauia (*ut editio princeps*) 8 erumpunt *dett.*: rumpunt (prorumpunt *Ritter*) 11 ballū (*corr.* 1*m.*) 12 cumolatę (*corr.* 1*m.*) cędi 13 interiere *dett.*: interire 14 Agrippinensi *Meiser*: agrippinensiū bonense ṗliū 16 c̄siluissent 23 suṗmū spm arbitrum *alii* 24 romanorū merita pęnas 25 Insens; (*corr.* 1*m.*) armā (*notam del.* 1*m.*)

leg. I. ad Aram Ubiorum fuerant. Ann. 1, 39. Ukert *Gallien* p. 519. — *perpulerant* — *experiretur*] cf. c. 64 *postulamus a vobis, muros coloniae — detrahatis*. *Dräger* Syntax § 144. — *tumultuariae*] raptim et ad hoc solum bellum conscriptae. Ann. 1, 56. — *veteres militiae*] ut Ann. 1, 20: *vetus operis ac laboris*. — *tergaque ac latus*] expectes potius *tergumque ac latera*, ut c. 12 *tergum ac latera circumluit*. Ann. 1, 50 *frontem ac tergum vallo, latera concaedibus munitus*. — *colonia Agrippinensi*] sic ubique dicit, non *colonia Agrippinensium*: c. 55 et 63 *in colonia Agrippinensi*, 1, 56. 4, 25. 56. 63 *coloniam Agrippinensem*. syll. ū ex sequenti vocabulo (*uitata*) orta videtur.

21. *arbitrium — ne ageret*] cf. Ann. 13, 14 *velut arbitrium regni agebat*. Livius 24, 45, 4 *libera de quoque arbitria agere*, 44, 15, 5 *arbitria belli pacisque agere*. Curtius 6, 1, 19 *agere arbitria victoriae*, 8, 1, 34 *victoriae*

iunguntur Bructeri Tencterique et excita nuntiis Germania ad praedam famamque. (22) adversus has concurrentis belli minas legati legionum, Munius Lupercus et Numisius Rufus, vallum murosque firmabant. subversa longae pacis opera, haud procul castris in modum municipii extructa, ne hostibus usui forent. sed parum provisum, ut copiae in castra conveherentur: rapi permisere. ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quae adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis medium agmen cum robore Batavorum obtinens utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos equite. simul naves in adversum amnem agebantur. hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos. et spem obpugnantium augebat amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum Romanorum tuebantur. sed lixarum multitudo turbata pace illuc congregata et bello ministra aderat. (23) pars castrorum in collem leniter exurgens, pars aequo adibatur. quippe illis hibernis obsideri premique

1 brutteri (*corr.* 1m.) **4** longe ĩmodũ **5** ut *Lipsius:* ui **8** utrimque *Lipsius* **10** ãnen **11** deprompte luusgue (*ad hunc versum* signa — imagines *recens manus adnotat in margine* d. a. = *desunt aliqua?*) **12** ciuili **14** quinque]. V. **15** Romanorum *om. det.* **17** p̄miq;

arbitrium agis. — *Bructeri*] vide Ann. 1, 51. — *Tencterique*] 13, 56.

22. *concurrentis*] Bipontini iungunt recte, opinor, *concurrentis minas* et *concurrentis* pro vulg. *concurrentes* scriptum putant, quia quae concurrant plura sint. Ruperti. Cornelissen ex Verg. Aen. 8, 637 *consurgere bellum* suspicatur *consurgentis belli.* — *in modum municipii extructa*] aedificia, quae postulante usu annecti solebant stativis castris aut hibernis legionum; lixis, mercatoribus, advenis aliis deversoria. vocabantur haec *procestria.* Duebn. vocabulum est apud Festum Ed. Muell. p. 225. sed in Gloss. Labb.: *Procastria,* οἰκήματα πρὸ παρεμβολῆς, castris. cf. Lipsium Mil. Rom. 5, 1. Opp. III. p. 137. — *copiae*] intellege *cibaria; rapi* scil. *copias.* — *utramque Rheni ripam*] Lipsius *utrimque* scribens intellegit supra infraque castra militem locatum. »Pichena vulgatam scripturam defendit. nihil sane inest, quod emendationem requirat. exciti nuntiis Germani undique advolant: alii catervis superato Rheno occupant ripam laevam, alii in dextra remanent illos secuturi.« Walther. — *silvis lucisque*] *silvae* et *luci* coniunguntur tamquam synonyma vel ut sit ἓν διὰ δυοῖν. sic in Germ. 9. iungit *lucos ac nemora.* c. 10: *nemoribus ac lucis.* c. 45: *nemora lucosque,* Walth. — *ferarum imagines*] ursorum luporumque. cf. Germ. 7 *effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt.* — *duabus legionibus situm*] positum, κείμενον. capiebat igitur circiter XII milia cum copiis auxiliaribus. — *armatorum Romanorum*] militum legionariorum, praeter auxiliares, a quibus firma fides exspectari non poterat. et *Romanis* statim opponuntur *lixae,* qui ferme provinciales erant atque inermes, unde armatos Romanos *imbellis turba* (c. 23) potius impediebat ac turbabat. opponuntur item c. 23 *servitia,* quorum *fluxa fides.* voc. *Romanorum* ἐναργείας h. l. causa a Tacito ipso positum puto. quamquam fatendum *armatos* simpliciter dici 2, 87. 88. 3, 13. 33.

23. *leniter exurgens*] sic Caesar B. G. 7, 19: *collis erat leniter ab infimo adclivis.* alibi Tacitus *clementer,* ut Ann. 13, 38: *colles erant clementer adsurgentes.* Germ. 1. — *obsideri premique*] reprimi, cohiberi, Germanorum in-

Germanias Augustus crediderat, neque umquam id malorum, ut obpugnatum ultro legiones nostras venirent. inde non loco neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quaeque gens consistunt, eminus lacessentes. post ubi pleraque telorum turribus pinnisque moenium irrita haerebant et desuper saxis volnerabantur, clamore atque impetu invasere vallum, adpositis plerique scalis, alii per testudinem suorum. scandebantque iam quidam, cum gladiis et armorum incussu praecipitati sudibus et pilis obruuntur, praeferoces initio et rebus secundis nimii. sed tum praedae cupidine adversa quoque tolerabant. machinas etiam, insolitum sibi, ausi. nec ulla ipsis sollertia: perfugae captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subiectis rotis propellere, ut alii superstantes tanquam ex aggere proeliarentur, pars intus occulti muros subruerent. sed excussa ballistis saxa stravere informe opus. et crates vineasque parantibus adactae tormentis ardentes hastae, ultroque ipsi obpugnatores ignibus petebantur, donec desperata vi verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum inbellis turbae. simul ex inopia proditio et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur. (24) Flaccus interim cognito castrorum obsidio et missis per Gallias, qui auxilia concirent, lectos

1 aūg 7 tnstudinē 8 scutorum *Fr. Walter* scandebanq; 14 occulti (s *del.* 1m.) muro 16 astę (h *praescr.* 2m.)

cursus arceri posse. — *neque umquam*] duram constructionem vocat Ernestius; sane vulgaris scriptor sic potius dixisset: »neque umquam id malorum oriturum, eventurum, fore cet.« — *non loco*] situi naturali, qui etiam extra munimenta defensioni aptior reddi poterat. — *labor additus*] ex Verg. Georg. I 150 *mox et frumentis labor additus.* — *Transrhenanique*] Bructeri Tencterique imprimis. — *sibi quaeque*] rursus hoc durius dictum videbatur Ernestio: sed quod clarissimum est, ita vocari non debet. est enim: *pro se quaeque* (ut Liv. 26, 36, 11), *suo quaeque loco, separata ab aliis.* cf. 3, 27 *ut discretus labor fortes ignavosque distingueret atque ipsa contentione decoris accenderentur.* — *per testudinem suorum*] Fr. Walter ex loco Curtii 7, 9, 3 *remigem lorica non indutum scutorum testudine armati protegebant* apud Tacitum quoque corrigit *per testudinem scutorum.* at multo elegantius et exquisitius dictum est *per testudinem suorum* quam ieiunum illud *per testudinem scutorum.* alii per scalas escendebant, alii per suos, qui testudinem faciebant, ut homines instar scalarum essent. — *nimii*] inflati atque superbi, ut Liv. 6, 11, 3 M. Manlius Capitolinus *nimius animi* dicitur. — *in modum pontis*] confecerunt turres ambulatorias, ut ait Vegetius 4, 17, ex trabibus tabulatisque compactas: hae, eodem auctore, circa mediam partem accipiebant pontem factum ex duabus trabibus saeptumque de vimine. iam his ipsis verbis *in modum pontis* significare videtur Tacitus admodum rudes fuisse has machinas nec solita Romanis accuratione constructas, ut clarius mox vocat *informe opus.* — *ardentes hastae*] falaricae, quae valido praefigebantur ferro: inter tubum et hastile sulphure, resina, bitumine stuppisque convolvebantur, infuso oleo, quod incendiarium vocabant. Veget. 4, 18. — *ultroque*] »atque insuper«, ut saepe.

e legionibus Dillio Voculae duoetvicensimae legionis legato tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret, ipse navibus, invalidus corpore, invisus militibus. neque enim ambigue fremebant »emissas a Mogontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos. non Primi Antonii neque Muciani ope Vespasianum magis adolevisse. aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum obscura eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hordeonium e cubiculo et lectulo iubere, quidquid hosti conducat. tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valetudine regi. quin potius interfecto proditore fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent.« his inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatae a Vespasiano litterae, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro contione recitavit, vinctosque qui attulerant ad Vitellium misit. (25) sic mitigatis animis Bonnam, hiberna primae legionis, ventum. infensior illic miles culpam cladis in Hordeonium vertebat: »eius iussu derectam adversus Batavos aciem, tanquam a Mogontiaco legiones sequerentur; eiusdem proditione caesos, nullis supervenientibus auxiliis. ignota haec ceteris exercitibus neque imperatori suo nuntiari, cum adcursu tot provinciarum extingui repens perfidia potuerit.« Hordeonius exemplares omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit instituitque pessimum facinus, ut epistulae aquiliferis legionum traderentur; a quis ante militi quam ducibus legebantur. tum e seditiosis unum vinciri iubet, magis usurpandi iuris quam quia unius culpa foret.

1 e *add. det.*: *om.* 2 navi vectus *Ritter* (navibus vectus *Haase*), pavidus *dett.* 3 ambiguȩ fremebant *Rhenanus*: p̄mebant 10 proditore *Ferretus*: traditore (traditove *Heinsius*) omine *dett.*: homine 14 bonā 15 derecta 16 magontito (magontiaco *corr.* 1*m.*) 19 exemplaria *dett.* (exempla *Ritter*) 20 brittanniāq; et] ex 21 eplȩ *cum lin. in litt.* 1 22 siditionis (siditiosis *corr.* 1*m.*)

24. *duoetvicensimae legionis*] est legio XXII. Primigenia, cf. *W. Pfitzner*, Geschichte der römischen Kaiserlegionen p. 126 et 270. — *ipse navibus*] scil. *sequitur*, quod ex verbo *celeraret* paulo durius subaudiendum est. opponuntur haec Voculae itineri per ripam; additur ratio, cur ipse navigarit, nimirum propter valetudinem infirmam, simulque significatur eum copiasque, quae naves ascenderant, cum Civile pugnare non potuisse, quocirca vires Romanorum iam per se haud nimis validae magis etiam attenuatae sint. — *malo omine*] quia, si proditorem ducem patiebantur, ipsi noxii et proditione ducis polluti videbantur. *Ritter* et *Ed. Wolff* malum omen ad infaustum Hordeonii cognomen *Flaccus* referunt. at non erat, cur tum demum hoc omen reformidarent.

25. *exemplares*] »usum adiectivi *exemplares* ab hac aetate non plane abhorrere efficitur ex Frontonis Epist. 2, 5, ubi ad Antoninum scribit: *exemplares eorum excerptorum nullos feci.*« Petersen Ann. in Tac. Spec. II. p. 19. — *epistulae aquiliferis*] quia legendae ad signa id est in principiis. Spartianus in Pescennio Nigro 4 ex epistola M. Antonini: *itaque misi litteras recitandas ad signa.* Lips. — *usurpandi iuris*] causa, ut Ann. 2, 59 et alibi. Duebn. Sall. Iug. 88, 4: *quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit.* Liv. 27, 9, 12 *ea prodendi imperii Romani, tradendae Han-*

motusque Bonna exercitus in coloniam Agrippinensem, adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe iuvabant: mox valescentibus Germanis pleraeque civitates adversum nos arma *sumpsere* spe libertatis et, si exuissent servitium, cupidine imperitandi. gliscebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant. quin idem ille arguebat ultro conscientiam ducis, tanquam nuntius inter Civilem Flaccumque falso crimine testis veri opprimeretur. conscendit tribunal Vocula mira constantia prensumque militem ac vociferantem duci ad supplicium iussit. et dum mali pavent, optimus quisque iussis paruere. exim consensu ducem Voculam poscentibus Flaccus summam rerum ei permisit. (26) sed discordes animos multa efferabant: inopia stipendii frumentique et simul dilectum tributaque Galliae aspernantes, Rhenus incognita illi caelo siccitate vix navium patiens, arti commeatus, dispositae per omnem ripam stationes, quae Germanos vado arcerent, eademque de causa minus frugum et plures qui consumerent. apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque et vetera imperii munimenta desererent. quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira dei vocabatur.

Ingressis Novaesium sexta decuma legio coniungitur. additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus; nec ausi ad hostem pergere loco, *cui* Gelduba nomen est, castra fecere. ibi struenda acie, muniendo

3 sumpsere *add. Agricola: om.* (armatae *dett.*) 5 indiderant *b*[2]: indiderat 10 c̄sensū (*notam del.* 1*m.*) flaccū 11 efferabant *Beroaldus*: efferebant 18 dī = dei (deum *Nipperdey*) 19 nouesiū xuj (= XVI) 21 cui *add. dett.*: *om.*

nibali victoriae esse. Lips. cf. de hoc genetivo qualitatis *Nipperdey-Andresen* ad Ann. 2, 59 *cognoscendae antiquitatis*, *Dräger* Syntax § 205. — *arma sumpsere*] item 5, 9 *arma potius sumpsere.* — *cupidine imperitandi*] brevissime hoc significat, unam quamque harum Gallicarum civitatium hoc spectasse et cupisse, ut deinde ipsa suos per magistratus ceteris imperitaret id est principatum, ἡγεμονίαν, novi imperii Gallici adipisceretur. de qua aemulatione cf. c. 69.

26. *efferabant*] cf. 1, 21 *iuvenem ingenio trucem et longo exilio efferatum.* Livius 15, 26, 10 *adsuetudine mali efferaverant animos.* — *amnes quoque et vetera imperii munimenta*] haec per ἓν διὰ δυοῖν et appositionem dicta vel *et* est ἐξηγητικόν. sic Germ. 29: *ultra Rhenum ultraque veteres terminos imperii.* Agr. 31: *de limite imperii et ripa.* Roth Syn. Tac. p. 47. *Dräger* Synt. § 113. — *ira dei*] scil. Rheni cf. 1, 86 *a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur*, ubi de subita inundatione Tiberis sermo est. — *Novaesium*] oppidum Germaniae in regione Duesseldorfiensi, hodie *Neuss.* Ukert, *Gallien* p. 522. *Dr. Karl Tücking*: Das Römerkastell Novaesium, der fränkische Salhof und die Stadt Neuss. Programm des Gymnasiums zu Neuss. 1891. — *Herennius*] de quo c. 19. — *loco, cui — nomen est*] cf. c. 84 *loco, cui nomen Rhacotis.* — *Gelduba*] oppidum Ubiorum in Germania inferiore prope Rhenum, hodie *Gelb* sive *Gellep* in tractu Duesseldorfiensi. Walckenaer I p. 505 vocat *Geloub.* cf. Ukert *Gallien* p. 522. Plin. 19, 90 *Gelduba appellatur castellum Rheno inpositum.*

vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant. utque praeda ad virtutem accenderetur, in proximos Cugernorum pagos, qui societatem Civilis acceperant, ductus *a* Vocula exercitus; pars cum Herennio Gallo remansit. (27) forte navem haud procul castris frumento gravem, cum per vada haesisset, Germani in suam ripam trahebant. non tulit Gallus misitque subsidio cohortem. auctus et Germanorum numerus paulatimque adgregantibus se auxiliis acie certatum. Germani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. victi, quod tum in morem verterat, non suam ignaviam sed perfidiam legati culpabant. protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore, quo pretio, quibus consciis prodidisset exercitum, dicere iubent. redit in Hordeonium invidia: illum auctorem sceleris, hunc ministrum vocant, donec exitium minitantibus exterritus proditionem et ipse Hordeonio obiecit; vinctusque adventu demum Voculae exolvitur. is postera die auctores seditionis morte adfecit: tanta illi exercitui diversitas inerat licentiae patientiaeque. haud dubie gregarius miles Vitellio fidus, splendidissimus quisque in Vespasianum proni. inde scelerum ac suppliciorum vices et mixtus obsequio furor, ut contineri non possent, qui puniri poterant.

(28) At Civilem inmensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. ille, ut cuique proximum, vastari Ubios Trevirosque, et aliam manum Mosam amnem transire iubet, ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret. actae utrobique

2 Cugernorum *Nipperdey:* gugernorum (Cugerni *codex* 5, 16 *et tituli Henzen* 5442. 6726. *Wilmans* 1534.) 3 a *add. dett.: om.* (Voculae *Agricola*) 4 remansit *Nipperdey:* permansit 8 arripiunt (*corr.* 1*m.*) 8/9 tūlmorē 10 p̄tio 13 uictusq; (n *superscr.* 1*m.*) 15 patientieq; 16 dubię splendissim; 21 ubi ostre uirosq; aliam manum *Freinsheim:* alia manu transiri *ex* transire *corr.* 1*m.*

— *meditamentis*] praeparationibus, exercitiis, ut 3, 2 *meditatione belli.* — *Cugernorum*] Plin. 4, 106 *Rhenum autem accolentes Germaniae gentium — in Ubis colonia Agrippinensis, Guberni* (sic), *Batavi.* cf. Zeuss, *Die Deutschen* p. 85. Ukert *Germanien* p. 354. *Gallien* p. 365, qui eos pro Germanis habet. Walckenaer II p. 279 hos inter Rhenum et Scaldim (*Schelde, Escaut*) collocat. Kiepert, *Lehrbuch der alten Geographie* § 454.

27. *illum*] Hordeonium, qui Novaesii remanserat, *hunc* Herennium, qui aderat Geldubae. — *gregarius miles Vitellio fidus*] 3, 61 *gregarius miles induruerat pro Vitellio.*

28. *inmensis auctibus*] cf. 1, 86 de Tiberi: *inmenso auctu — plana urbis loca — implevit.* Plin. 4, 79 *inmenso aquarum auctu — Hister — in Pontum vastis sex fluminibus evolvitur.* Bene comparavit Acidalius Vell. 2, 40: *huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit*; ususque eo v. aliquoties Livius, ut 4, 2, 2. — *Menapios*] populum Galliae Belgicae inter Scaldim et Mosam (*Maas, Meuse*). Ukert, *Gallien* p. 373. Walckenaer I p. 501. saepe iunguntur cum vicinis Morinis. ibid. p. 440. — *Morinos*] itidem Galliae Belgicae populum ad fretum Britannicum circa *Saint-Omer, Boulogne, Ypres.* Virg. Aen. 8, 727: *Extremique hominum Morini.* Plin. 19, 2: *ultimi hominum existimati Morini.* Pomp. Mela 3, 2: *ultimos Gallicarum gentium Morinos*, atque eodem sensu h. l. Tacitus *Morinos et extrema Gal-*

praedae, infestius in Ubiis, quod gens Germanicae originis eiurata patria Romano nomine Agrippinenses vocarentur. caesae cohortes eorum in vico Marcoduro incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. nec quievere Ubii, quo minus praedas e Germania peterent, primo inpune, dein circumventi sunt, per omne id bellum meliore usi fide quam fortuna. contusis Ubiis gravior et successu rerum ferocior Civilis obsidium legionum urgebat, intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. machinas molemque operum Batavis delegat: Transrhenanos proelium poscentis ad scindendum vallum ire detrusosque redintegrare certamen iubet, superante multitudine et facili damno. nec finem labori nox attulit: (29) congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. intellectum id Civili et restincto igne misceri cuncta tenebris et armis iubet. tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi neque declinandi providentia. unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere artus.

2 Romano nomine *Lipsius:* romanorum nom̃ (nomine *dett.*) [Romanorum nomen] *Gruter* agrippinensen (*corr.* 1*m.*) 3 uicos (s *del.* 1*m.*) 6 gauior (r *superscr.* 1*m.*) 8 penetrarent (*corr.* 1*m.*) mo|lāq; (*corr.* 1*m.*) 9 p̄liū 11 c̃cestis 13 perspicuā (*corr.* 1*m.*) 14 et fulgens 16 casus incerti *b: in Mediceo a* 2*m.* corsus Inceptti. „*Scilicet hoc lectionis monstrum in ultimo versu columnae exaratum est in frustulo membranae ibi agglutinato ab homine, qui archetypi litteras recte legere non poterat, unde scripsit* or *pro* a, ptti *pro* rti.“ *sic rectissime Baiter. Prior Medicei scriptura agglutinatione cooperta est.* (concursus incerti *Heraeus*) 17 circūageret (t *del.* 1*m.*) artus *Lipsius:* arcus (acrius *Orelli,* intendere ictus *Weissenborn*)

liarum. Rup. Ukert, *Gallien* p. 376. Walckenaer I. p. 437. Kiepert § 455 et 457. — *quod — Agrippinenses vocarentur*] Germ. 28 *ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.* — *Marcoduro*] vico Ubiorum in Germania inferiore, in tractu Aquisgranensi (*Aachen*) ad Rhuram, hodie *Dueren, Durem.* Ukert, *Gallien* p. 540. Kiepert § 454. — *meliore usi fide quam fortuna*] 3, 1 *meliore fato fideque.* — *legionum*] quae obtinebant castra Vetera. — *Batavis delegat*] quia hi ex militia Romana melius aliquanto quam Transrhenani artem machinas struendi callebant. — *facili damno*] parum enim Civilis Gallus curabat auxiliorum Transrhenanorum damna. cf. Ann. 2, 85 de Iudaeis in Sardiniam missis: *et si ob gravitatem caeli interissent, vile damnum.*

29. *congestis circum lignis accensisque*] scilicet haec gesta mense Octobri exeunte, quoniam quidem nuntius Cremonensis proelii mox has in regiones pervenit. c. 31. — *simul epulantes*] inter epulas, Graeca structura: ἅμα δειπνοῦντες. Duebn. »*Tout en prenant leur repas ils courent se battre.*« Burnouf. — *circumagere corpora, tendere artus*] scripturam Medicei *arcus* falsam esse Lipsius ex rerum veritate, Ernesti ex lege grammatica docuerunt. *tendere artus* est: porrigebant brachia cum telis, si forte hostem ferirent. saepe *corpora* et *artus* iunguntur. cf. 2, 70 *lacera corpora, trunci artus.* Germ. 20 *in hos artus, in haec corpora — excrescunt.* 30 *duri-*

nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare, et ignavorum saepe telis fortissimi cadere. apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles periculorum gnarus ferratas sudes, gravia saxa non forte iaciebat. ubi sonus molientium aut adpositae scalae hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi; multos in moenia egressos pugionibus fodere. sic exhausta nocte novam aciem dies aperuit. (30) eduxerant Batavi turrim duplici tabulato, quam praetoriae portae (is aequissimus locus) propinquantem promoti contra validi asseres et incussae trabes perfregere multa superstantium pernicie, pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione. simul a legionariis peritia et arte praestantibus plura struebantur. praecipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso praeter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti verso pondere intra castra effundebantur. Civilis omissa expugnandi spe rursus per otium adsidebat, nuntiis et promissis fidem legionum convellens.

(31) Haec in Germania ante Cremonense proelium gesta, cuius eventum litterae Primi Antonii docuere, addito Caecinae edicto; et praefectus cohortis e victis, Alpinius Montanus, fortunam partium praesens fatebatur. diversi hinc motus animorum: auxilia e Gallia, quis nec amor neque odium in partes, militia sine adfectu, hortantibus praefectis statim a Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. sed adigente Hordeonio Flacco,

2 apud | apud (*prius del.* 1*m.*) 3 gnarus b^2: Ignarus 5 moenia *sed* a ex ę *corr.* 1*m.* 6 faciem *Meiser* 7 equissim; locū 8 Incusse 9/10 prospere ruptione 10 prestantibus 13 infra 14 expugnandi *Ruperti*: obpugnandi 16 p̄liū 17 cecinę 18 victis *Rhenanus*: ,uictus 19 motus *corr. ex* moti 1*m.* 20 militia *Rhenanus*: militię

ora genti corpora, stricti artus. 46 *corpora atque artus ferarum gerere.* — *exhausta nocte*] cum labore transacta. Duebn. — *novam aciem dies aperuit*] Agric. 38 *proximus dies faciem victoriae latius aperuit.* unde conicias hoc quoque loco *faciem* scribendum esse. cf. 3, 30 *nova laborum facies, ardua urbis moenia, saxeae turres.* hic quoque *novam faciem,* aspectum turris, praebuit dies.

30. *praetoriae portae*] cfr. Veget. 1, 23. — *verso pondere*] machina fuit similis Archimedeae apud Liv. 24, 34. sed est aliquid obscuritatis in *verso pondere.* nam in sublime rapiebuntur pondere tollenonis, e quo manus ferrea pendebat, in solum depresso, ut naves apud Livium. sed *rapti in altum* deinde dicuntur in castra *effusi verso pondere,* scilicet conversione quadam ponderis et tollenonis ipsius, ut manus ferrea castra versus torqueretur, et rapti supra castra penderent atque in castra praecipites darentur, vel machinae totius, verso eius cardine. Ern. Vegetius 4, 21: *Tollenno dicitur, quotiens una trabes in terram praealta defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabes longior dimensa medietate conectitur eo libramento, ut, si unum caput depresseris, aliud erigatur.* cf. Festus in *Tolleno* p. 356. Muell. — *expugnandi spe*] Ann. 1, 67 *donec expugnandi hostes spe propius succederent.*

31. *Caecinae*] is enim tunc consul. videtur cohortatus esse edicto alias legiones, ut partes Flavianas amplecterentur. Ern. — *Alpinius Montanus*] Trevir, de quo 3, 35. — *militia sine adfectu*] 1, 15 *adsentatio erga quemcumque principem sine affectu peragitur.* Ann. 14,

instantibus tribunis, dixit sacramentum, non voltu neque animo satis adfirmans; et cum cetera iuris iurandi verba conciperent, Vespasiani nomen haesitantes aut levi murmure et plerumque silentio transmittebant. (32) lectae deinde pro contione epistulae Antonii ad Civilem suspiciones militum irritavere, tanquam ad socium partium scriptae et de Germanico exercitu hostiliter. mox adlatis Geldubam in castra nuntiis eadem dicta factaque, et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret: si Vespasianum iuvare adgressus foret, satisfactum coeptis. ad ea Civilis primo callide: post ubi videt Montanum praeferocem ingenio paratumque in res novas, orsus a questu periculisque, quae per quinque et viginti annos in castris Romanis exhausisset, »egregium« inquit »pretium laborum recepi, necem fratris et vincula mea et saevissimas huius exercitus voces, quibus ad supplicium petitus iure gentium poenas reposco. vos autem Treveri ceteraeque servientium animae, quod praemium effusi totiens sanguinis expectatis nisi ingratam militiam, inmortalia tributa, virgas, secures et dominorum ingenia? en ego praefectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus vel saepta ferro fameque premimus. denique ausos aut libertas sequetur aut victi idem erimus.« sic accensum, sed molliora referre iussum dimittit: ille ut inritus legationis redit, cetera dissimulans, quae mox erupere. (33) Civilis parte copiarum retenta veteranas cohortes, et quod e Germanis maxime prom-

3 aut plerique *L. Spengel* transmittebat (n *superscr.* 1*m.*) 4 Lectę *ex* lectę *corr.* 1*m.* eple *cum lin. in litt.* l 6 gelduban 7 absi|stere 8 arma *Lipsius* 9 cęptis montanū *ex* montan; *corr.* 1*m.* 12 p̄tiū recipi 13 seuissimas Iurę 14 pęnas uos aū tre|ueri 17 cannene fates 18 septa 19 p̄mim; 20 molji ora re ferre

27 *ignoti inter se — sine affectibus mutuis.* — *verba conciperent*] »ita, ut praeibantur verba, pronuntiarent.« verbum proprium in iure iurando; unde Livius 43, 16, 15 *conceptis verbis iurare.* eadem formula mox c. 41. Ern. sic Livius 1, 32: *concipere ius iurandum.*

32. *externa*] sunt hostilia, hostilis animus, ut alibi (1, 79. 3, 5 et infra c. 72). »Ne specie belli pro Vespasiano gerendi hostilem adversus Romanos animum tegere conaretur.« Ern. — *egregium — recepi*] Ernestius putat esse imitationem Verg. Aen. 4, 93: *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis.* — *vincula mea*] cf. c. 13. — *ceteraeque servientium animae*] cf. 2, 92 *servilia ingenia.* Verg. Aen. 11, 372 *nos animae viles.* Iuvenal. 8, 254 *plebeiae Deciorum animae, plebeia fuerunt nomina.* — *inmortalia*] ne semel quidem unquam remissa. — *ingenia*] semper mutabilia ac plerumque servientibus iniqua, *Launen, caprices.* — *en ego*] Horatius Sat. 1, 1, 15 *si quis deus ‚en ego' dicat ‚iam faciam quod voltis'.* — *vana illa castrorum spatia*] c. 22: *amplitudo valli, quod duabus legionibus situm vix quinque milia armatorum Romanorum tuebantur.* — *accensum*] ad libertatem Galliarum duce Civile recuperandam. — *inritus legationis*] Velleius 2, 63, 2 *inritus consilii gladio se ipse transfixit.* Curtius 6, 5, 31 *ne se inritam spei abire pateretur.* cf. *Dräger* Syntax § 71, b.

33. *parte copiarum retenta*] ut Vetera castra

ptum, adversus Voculam exercitumque eius mittit, Iulio Maximo et Claudio Victore, sororis suae filio, ducibus. rapiunt in transitu hiberna alae Asciburgii sita; adeoque inprovisi castra involavere, ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit. id solum, ut in tumultu, monuit, subsignano milite media firmare. auxilia passim circumfusa sunt. eques prorupit exceptusque compositis hostium ordinibus terga in suos vertit. caedes inde, non proelium. et Nerviorum cohortes metu seu perfidia latera nostrorum nudavere. sic ad legiones perventum; quae amissis signis intra vallum sternebantur, cum repente novo auxilio fortuna pugnae mutatur. Vasconum lectae a Galba cohortes ac tum accitae, dum castris propinquant, audito proeliantium clamore intentos hostis a tergo invadunt latioremque quam pro numero terrorem faciunt, aliis a Novaesio aliis a Mogontiaco universas copias advenisse credentibus. is error *Romanis* addit animos, et dum alienis viribus confidunt, suas recepere. fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie corripuerant. caesorum eo die in partibus nostris maior numerus et inbellior; e Germanis ipsa robora. (34) dux uterque pari culpa meritus adversa prosperis defuere. nam Civilis si maioribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset castraque perrupta excidisset: Vocula nec adventum hostium exploravit eoque simul egressus victusque; dein victoriae parum

2 uictores (s *del.* 1m.) 7 cedes p̄liū 10 lęcte 11 p̄liantiū intentos *det.*: Intento 12 nūmero (*notam del.* 1m.) 13 magontiaco 14 Romanis *add. dett.*: *om.* (is] nostris *Ioh. Müller*) 15 funduntur] trucidantur *Nipperdey*, conciduntur *Halm* 16 cesorum 17 et] set *Madvig*

obsidione porro premeret. — *rapiunt*] »celeriter magnoque cum impetu adoriuntur atque capere conantur.« sic Liv. 6, 23, 5: *qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus.* — *Asciburgii*] oppidi Germaniae inferioris sive potius Galliae Belgicae, ad Rhenum, *Asberg*, vicus inter Geldubam et Vetera. cf. Ukert, *Gallien* p. 522. Walckenaer I. p. 505. Kiepert § 454. — *subsignano*] legionario, ut 1, 70, ubi vide; atque hanc veram esse significationem demonstrant verba *sic ad legiones perventum.* — *terga in suos vertit*] βραχυλογία pro: »fugam ceperunt eamque direxerunt suos versus, non aliorsum.« — *Vasconum*] populus erat Hispaniae Tarraconensis, ubi nunc Catalonia est et regnum Navarraeum. Kiepert § 427. — *intentos*] scilicet in milites, qui in castris. Liv. 2, 53, 2: *pars Romanos toto impetu intentos in castra adoriuntur.* Ern. — *funduntur*] scil. humi, ut hoc loco idem sit, quod caeduntur, sternuntur, ut sequens v. *evasit* satis demonstrat. Ann. 12, 13 *reperiunturque fusae passim ferae* (ubi *fusae* = caesae). Verg. Aen. 9, 722 *Pandarus ut fuso germanum corpore cernit.* Propertius 5, 10, 8 *cuspide fundis* (= sternis). Curtius 7, 7, 35 *magna strage eos fuderat.* recte igitur Servius ad Verg. Aen. 2, 421 adnotat: *fudimus* modo fugavimus, alibi interemimus significat. — *maior numerus et inbellior*] saepe *et* ponitur, ubi nos *set* expectamus, cf. c. 43 *hinc multi bonique, inde pauci et validi.* *Dräger*, Syntax § 113.

34. *circumiri*] acies, non Civilis; nam ipse Civilis non aderat. cf. seqq. et c. 33. init. Rup. — *nec — exploravit*] *nec* pro ne —

confisus tritis frustra diebus castra in hostem movit, quem si statim impellere cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem impetu potuit. temptaverat interim Civilis obsessorum animos, tanquam perditae apud Romanos res et suis victoria provenisset: circumferebantur signa vexillaque; ostentati etiam captivi. ex quibus unus egregium facinus ausus clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis; unde maior indici fides. simul vastatione incendiisque flagrantium villarum venire victorem exercitum intellegebatur. in conspectu castrorum constitui signa fossamque et vallum circumdari Vocula iubet: depositis inpedimentis sarcinisque expediti certarent. hinc in ducem clamor pugnam poscentium; et minari adsueverant. ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto incompositi fessique proelium sumpsere. nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium quam virtute suorum fretus. varia apud Romanos fortuna et seditiosissimus quisque ignavus: quidam recentis victoriae memores retinere locum, ferire hostem, seque et proximos hortari et redintegrata acie manus ad obsessos tendere, ne tempori deessent. illi cuncta e muris cernentes omnibus portis prorumpunt. ac forte Civilis lapsu equi prostratus, credita per utrumque exercitum fama volneratum aut interfectum, inmane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit: sed Vocula omissis fugientium tergis vallum turrisque castrorum augebat, tanquam rursus obsidium immineret, corrupta totiens victoria non falso suspectus bellum malle. (35) nihil aeque exercitus nostros quam egestas copiarum fatigabat. impedimenta legionum cum inbelli turba Novaesium missa, ut inde terrestri itinere frumentum advehe-rent: nam flumine hostes potiebantur. primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile. qui ubi rursum missos Novaesium frumentato-

1 triti **6** illico *Freinsheim:* illic **12** Incpositi pliu **13** uirtutes (s *del.* 1m.) **18** labsu **19** Inmanē **21** īnmineret **22** falsos Nichil

quidem, cf. *Dräger* Syntax § 119. — *nam Civilis aderat*] sensus est: miles Romanus pugnare festinabat, nam Civilis quoque urgebat et instabat, cum Romanorum imprudentia callide uteretur. — *seditiosissimus quisque ignavus*] expectes *ignavissimus;* at cf. c. 27 *splendidissimus quisque in Vespasianum proni.* — *credita — fama*] cf. Ann. 6, 35: *fama tamen occisi falso credita.* — *immane quantum*] 3, 62 *immane quantum aucto animo.* — *castrorum*] Veterum. — *corrupta totiens victoria*] »tot victoriis non usus, ut poterat atque debebat.« *Il avait tant de fois laissé échapper la victoire* Louandre; contra ausus est retinere imaginem Thierry III p. 402: *Tant de victoires qu'il gâtait le firent soupçonner de vouloir éterniser la guerre.* — *bellum malle*] quam hostem celeriter debellare semelque rem transigere.

35. *impedimenta legionum*] id est carri et iumenta. — *cum inbelli turba*] cum lixis, calonibus, militibus minus strenuis. — *primum agmen*] sunt frumentatores primum missi, diversi a frumentatoribus rursum missis. — *nondum satis firmo*] nondum prorsus sanato a concussione corporis orta ex illo equi lapsu.

res datasque in praesidium cohortes velut multa pace ingredi accepit, rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus invadit, praemissis, qui pontes et viarum angusta insiderent. pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec proelium nox dirimeret. cohortes Geldubam perrexere, manentibus, ut fuerant, castris, quae relictorum illic militum praesidio tenebantur. non erat dubium, quantum in regressu discriminis adeundum foret frumentatoribus onustis perculsisque. addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quinta decima legionibus apud Vetera obsessis, indomitum militem et ducibus infensum. plures quam iussum erat profecti palam in agmine fremebant non se ultra famem, insidias legatorum toleraturos. at qui remanserant, desertos se abducta parte legionum querebantur. duplex hinc seditio, aliis revocantibus Voculam, aliis redire in castra abnuentibus. (36) interim Civilis Vetera circumsedit: Vocula Geldubam atque inde Novaesium concessit. Civilis capit Geldubam; mox haud procul Novaesio equestri proelio prospere certavit. sed miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur; et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctae legiones donativum exposcunt, conperto pecuniam a Vitellio missam. nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit, idque praecipuum fuit seditionis alimentum. effusi in luxum et epulas et nocturnos coetus veterem in Hordeonium iram renovant, nec ullo legatorum tribunorumve

4 p̄liū 7 adeundē frum̃torib; 7/8 perculsisque *Rhenanus*: periculisq; 11 remanserat (n *superscr.* 1m.) 12 se *dett.*: que (derelictos se desertosque *Ritter*) 13 iterum *Nipperdey* 15 [Civilis capit Geldubam] *Urlichs* aut *sed* haud *corr.* 1*m.* *post* Novaesio *inserit* Vocula *Gutmann*, *post* proelio *add.* Romanus *Ritter* equestri] eques noster *Meiser* 15/16 inprospere *Weissenborn* 16 perinde *dett.*: proinde 17 adventū (*notam del.* 1m.) 20 effusi *corr. ex* effus; 1m. cętus

— *pontes et viarum angusta*] ad tramites per paludes factos referenda videntur, ut Ann. 1, 61 *pontesque et aggeres umido paludum et fallacibus campis imponeret*, 63 *pontes longos — angustus is trames vastas inter paludes.* cf. *Völker:* Der Freiheitskampf der Bataver ad hunc locum et *Rein:* Gelduba, das ietzige Gelb, Jahresbericht der Stadtschule zu Crefeld 1851. p. 12 et 16. — *manentibus, ut fuerant, castris*] c. 26. *loco, cui Gelduba nomen est, castra fecere.* — *Vocula*] qui vallo turribusque castrorum Veterum auctis (c. 34) et frumentis eo comportatis Geldubam revertitur. — *aliis*] qui in castris Veteribus relicti erant, *aliis*, qui cum Vocula abibant iique plures quam iussum erat.

36. *prospere certavit*] Civilis. nonnulli decepti a v. seq. *secundis* referebant haec ad Voculam, adeoque eius nomen hic excidisse rebantur. sed Vitellianorum *secunda* erant felix illa eruptio, narrata c. 34 extr., quem successum tamen neglexerat Vocula; *adversa* vero haec Civilis victoria. v. *sed* ut saepissime, non ἀντίθεσιν, sed merum transitum efficit. recte accepit etiam Thierry III. p. 403. sic Orelli: mihi omnia melius cohaerere videntur, si scribas *eques noster proelio prospere certavit.* nam sic demum apparet vv. *sed miles* (scil. noster) ad Romanos spectare. *proelio certavit* simpliciter dictum est, ut Ann. 15, 10 *duxit legiones quasi proelio certaturus.* Sall. Iug. 81, 3 *proelio sese certaturos.* — *in Hor-*

obsistere auso (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. eadem in Voculam parabantur, nisi servili habitu per tenebras ignoratus evasisset. ubi sedato impetu metus rediit, centuriones cum epistulis ad civitates Galliarum misere, auxilia ac stipendia oraturos: (37) ipsi, ut est volgus sine rectore praeceps pavidum socors, adventante Civile raptis temere armis ac statim omissis, in fugam vertuntur. res adversae discordiam peperere, iis, qui e superiore exercitu erant, causam suam dissociantibus. Vitellii tamen imagines in castris et per proximas Belgarum civitates repositae, cum iam Vitellius occidisset. dein mutati in paenitentiam primani quartanique et duoetvicensimani Voculam sequuntur; apud quem resumpto Vespasiani sacramento ad liberandum Mogontiaci obsidium ducebantur. discesserant obsessores, mixtus ex Chattis Usipis Mattiacis exercitus, satietate praedae nec incruenta re: *in* via dispersos et nescios miles noster invaserat. quin et loricam vallumque per fines suos Treveri struxere magnisque in vicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga populum Romanum merita mox rebelles foedarent.

(38) Interea Vespasianus iterum ac Titus consulatum absentes inierunt, maesta et multiplici metu suspensa civitate, quae super instantia mala falsos pavores induerat, descivisse Africam res novas moliente L. Pisone. is *pro consule* provinciae nequaquam turbidus ingenio: sed quia

1 ausos (s *del.* 1*m.*) 3 redit (i *superscr.* 1*m.*) 4 eplis *cum lin. in litt.* 1 6 ūtentur (v *superscr.* 1*m.*) 10 penitentiā 12 ex Cattis *Rhenanus*: et caitis 13 incruenta re *Meiser*: Incruentari (incruentati *dett.* incruenti *Agricola*) in *add. Lipsius* via] quia *Heraeus* adispersos 17 fędarent 18 ac titus *corr.* 2*m.*: accitus 19 Inier̄ (inierant *Haase*) instantiā (*notam del.* 1*m.*) 21 pro consule *add. Iac. Gronovius* (praeerat *add. dett.*)

deonium iram] de qua iam 1, 9 et passim. — *auxilia ac stipendia*] milites et pecuniam, quae in stipendiis militum consumeretur. Ern.

37. *e superiore exercitu*] e legionibus quarta et duoetvicesima. — *ad liberandum — obsidium*] pro solito *solvendum* vel *oppidum obsidione liberandum*. — *Usipis*] semel apud Tacitum Ann. 1, 51 *Usipetes* vocantur, omnibus aliis locis *Usipi*. — *Mattiacis*] Ann. 11, 20 *in agro Mattiaco*. Plinius 31, 20 *sunt et Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum* (Aquae Mattiacae = Wiesbaden). — *nec incruenta re*] hoc aperte latet in Medicei scriptura *incruentari* cf. Ann. 13, 37 *posse illi regnum stabile et res incruentas contingere*. Hist. 3, 69 *re trepida*. Ovidius metri necessitate coactus semel *incruentatus* pro *incruentus* dixit (Metam. 12, 497 *inque cruentatus Caeneus*), Tacitus, ut alii historici, *incruentus*. — *loricam*] ut Ann. 4, 49, *Brustwehr* vel, ut significantius etiam Helvetii, *Landwehr*, *un retranchement et une palissade* Lonandre. — *per fines suos*] cf. Ukert, *Gallien* p. 363. de vestigiis huius valli, quae hodie extant ab Andernaco usque in agrum Luceburgensem, cf. *Völker* ad h. l.

38. *consulatum*] a. u. 823., post Chr. 70. Vespasianus consul suffectus fuerat a. u. 804. Duebn. — *L. Pisone*] filius L. Pisonis consulis cum Nerone a. u. 810, p. Chr. 57 Ann. 13, 31, nepos L. Pisonis consulis p. Chr. 27 Ann. 4, 62, pronepos Cn. Pisonis et Plan-

naves saevitia hiemis prohibebantur, volgus alimenta in dies mercari solitum, cui una ex re publica annonae cura, clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat, augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant, ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates externis quoque bellis inexplebiles nulla umquam civilis victoria satiavit. (39) Kalendis Ianuariis in senatu, quem Iulius Frontinus praetor urbanus vocaverat, legatis exercitibusque ac regibus laudes gratesque decretae; et Tettio Iuliano praetura, tanquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset, ablata, ut in Plotium Griphum transferretur; Hormo dignitas equestris data. et mox eiurante Frontino Caesar Domitianus praeturam cepit. eius nomen epistulis edictisque praeponebatur, vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque Domitianus instigantibus amicis aut propria libidine audebat. sed praecipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio, quos recentes clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem saevierant. et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum egregiis maioribus et fraterna imagine fulgentem ad capessendam rem publicam hortatus, haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem corrumpi facilis, adeo metuens incerta. igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat, citeriorem Hispaniam ostentans discessu

1 seuitia   2 re publica] rep   2/3 cōmeatūs (*notam super* n *del.* 1*m.*)   4 ne *lac. Gronovius:* nec| 5 nullā (*notam del.* 1*m.*)   8 decrete   Tettio *Orelli:* tito   10 cesar   11 cępit   eplis *cum lin. in litt.* l   12 mucianū *corr. ex* mucian; 1*m.*   13 propria *corr. ex* probria 1*m.*   15 seuierant   16 maiorib;q ; (q; *del.* 1*m.*) (moribus *Bötticher*; moribus maioribusque *Ritter*, artibus maioribusque *Haase*)   17 rē.p.   21 decessu *Nipperdey*

cinae. — *una — annonae cura*] sic de populo Romano Iuvenalis 10, 80: *duas tantum res anxius optat Panem et circenses.* Lips.

39. *Frontinus*] est idem Sex. Iulius Frontinus, cuius exstant Strategematon libri III et de aquis urbis Romae libri II. — *regibus*] Sohaemo, Antiocho, Agrippae. cf. 2, 81. — *Tettio Iuliano*] cf. 1, 79. 2, 85. — *Plotium Griphum*] cf. 3, 52. — *Hormo*] Vespasiani liberto. cf. 3, 12. 28. — *eiurante*] scil. praeturam. 3, 37 *iniit eiuravitque* (scil. consulatum), 3, 68 *eiurari ab eo imperium.* — *pleraque Domitianus — audebat*] Suetonius Dom. 1: (praetor) *omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut iam tum, qualis futurus esset, ostenderet,* cet. — *recentes*] ‚die Helden des Tages' 3, 77 *recens victoria miles.* — *egregiis maioribus*] 3, 9 *Vipstanus Messalla praeerat, claris maioribus, egregius ipse,* unde conicias hic quoque scribendum esse *egregium ipsum maioribusque et fraterna imagine fulgentem.* — *fraterna imagine*] Pisonis Liciniani, a Galba in imperium adoptati. 1, 14. 15. — *corrumpi facilis*] Silius 12, 163 *facilem tutatur adiri planitiem,* Gellius 17, 9, 14 *epistulam facilem legi. Dräger* Syntax § 152, b. — *adeo*] ut 1, 9 multo magis, de qua significatione v. *adeo* post *ne — quidem* apud Velleium, Tacitum, Curtium cf. Hand, *Turs.* I. p. 154. — *promissis onerat*] item Sall. Iug. 12, 3. Livius 24, 13, 4 *Hannibal conlaudatos eos oneratosque ingentibus promissis domum — redire iubet.* Curtius 5, 4, 12 *promissis oneratum* et saepius. — *discessu Cluvii Rufi* de

Cluvii Rufi vacuam; simul amicis eius tribunatus praefecturasque largitur. dein postquam inanem animum spe et cupidine inpleverat, vires abolet dimissa in hiberna legione septima, cuius flagrantissimus in Antonium amor; et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa; pars exercitus in Germanias ducebatur. sic egesto, quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia magistratuum.

(40) Quo die senatum ingressus est Domitianus, de absentia patris fratrisque ac iuventa sua pauca et modica disseruit, decorus habitu; et ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. referente Caesare de restituendis Galbae honoribus censuit Curtius Montanus, ut Pisonis quoque memoria celebraretur. patres utrumque iussere: de Pisone irritum fuit. tum sorte ducti, per quos redderentur bello rapta, quique aera legum vetustate delapsa noscerent figerentque et fastos adulatione temporum foedatos exonerarent modumque publicis inpensis facerent. redditur Tettio Iuliano praetura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse: Gripho honor mansit. repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et Publium Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani manibus satisfactum. insignis publica severitate dies ne privatim

3 legiones uŋ. 5 siriā 6 rediit *Haase* reditur bisua 7 magistratūū (*pr. notam del.* 1*m.*) 9 modice *W. Heraeus* 13 pisonē 14 delapsa *ex* delabsa *corr.* 1*m.* (dilapsa *dett.*) 15 fędatos exonorarent 17 cognitione 18 masoniū (o *super* a *scr.* 1*m.*)

quo 2, 65 *Cluvius comitatui principis* (Vitellii) *adiectus, non adempta Hispania, quam rexit absens.* falso igitur Nipperdey *decessu* pro *discessu* scripsit. — *inanem animum*] inanis gloriae et honorum cupiditate captum ideoque facilem deceptu talibus promissis Ern. — *septima*] Galbiana, cui praefuerat Antonius Primus (2, 86), unde *amor* hic memoratus. eius *hiberna* in Pannonia. — *tertia*] Gallica, non tertia Cyrenaica, quae in Aegypto tunc erat. 5, 1. illa Capuam missa fuerat. c. 3. — *familiaris Arrio Varo miles*] quia itidem in Syria Arrius sub Corbulone meruerat. 3, 6. — *in Germanias*] contra Civilem. — *legesque*] cum ante Muciani adventum in urbem, ut c. 11 dixerat, *non leges, non princeps in civitate essent.*

40. *Domitianus*] Domitiani adolescentis laudes habes apud Iosephum B. I. 7, 4, 2. — *crebra oris confusio*] crebro enim eius os rubore suffundebatur. Agr. 45. Suet. Dom. 18. Plin. Paneg. 48. — *Curtius Montanus*] de quo Ann. 16, 28 sq. 33. — *de Pisone irritum fuit*] haud dubie propter fratrem eius Scribonianum Crassum Muciano suspectum, quia Antonius eum ad capessendam rem publicam hortatus esse ferebatur. c. 39. — *aera legum — delapsa*] de parietibus, quibus clavis affixa fuerant. alia res est, quam de Vespasiano ipso narrat Suet. 8: *aerearum tabularum tria milia, quae simul* (*cum Capitolio*) *conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus.* quod Tacitus tradit, factum per senatum ante Vespasiani adventum in urbem; nisi vero error subest. — *adulatione*] praesertim ludis sacrisque in pessimorum hominum honorem decretis. Dübn. Ann. 15, 74. 16, 12. — *modumque publicis inpensis*] cf. c. 9. — *Gripho honor mansit*] etsi Tettio praetura ante in Griphum translata (c. 39) iam reddita erat, nihilominus Griphus eam eiurare iussus non est, sed mansit praetor extraordinarius sive honorarius. — *cognitionem*] de qua c. 10.

quidem laude caruit. iustam vindictam explesse Musonius videbatur: diversa fama Demetrio Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset. ipsi Publio neque animus in periculis neque oratio subpeditavit. signo ultionis in accusatores dato petit a Caesare Iunius Mauricus, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset. consulendum tali super re principem respondit. (41) senatus inchoantibus primoribus ius iurandum concepit; quo certatim omnes magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, deos testes advocabant nihil ope sua factum, quo cuiusquam salus laederetur, neque se praemium aut honorem ex calamitate civium cepisse, trepidis et verba iuris iurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. probabant religionem patres, periurium arguebant. eaque velut censura in Sariolenum Voculam et Nonium Attianum et Cestium Severum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret. nec destitit senatus manus intentare Voculae, donec curia excederet. ad Paccium Africanum transgressi eum quoque proturbant, tanquam Neroni Scribonios fratres concordia opibusque insignes ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cuius interrogationi-

1 cauruit . . iustam vindictam *Meiser:* Iustū Iudiciū (iustum officium *Nipperdey*) 2 de Demetrio *Heraeus* 3 abitiosius honestius *ex* honestiū *corr.* 1*m.* ā̃mus| *ex* ā̃m; *corr.* 1*m.* 4 petiit *Nipperdey* 5 Mauricus *Beroaldus:* maricus 6 faceret quç̄ | (quę̄ *del.* 1*m.*) quç̄ 7 Caesar consulendum *Nipperdey* talis 8 c̄cępit 10 cusquā (*post* cu *superscr.* iu 2*m.*) ledderetur premiū 11 cepisset 12 flagitiis (s *del.* 1*m*) 13 aarguebant (*pr.* a *eras.*) 16 destit 16/17 Intentaret (t *del.* 1*m.*) 19/20 audebant

— *iustam vindictam explesse*] Ann. 14, 35 *adesse tamen deos iustae vindictae.* 13, 43 *satis expleta ultione.* cf. infra *signo ultionis — dato,* c. 6 *ea ultio, incertum maior an iustior,* c. 10 *motis ad ultionem animis.* Curtius 7, 5, 35 *iusta ultio — non crudelitas.* — *diversa fama*] scil. exstitit vel orta est *Demetrio,* ut non opus sit *de* addere. — *Demetrio*] de quo Ann. 16, 34. — *Iunius Mauricus*] Agric. 45. Plinii amicus, qui de eo Epp. 1, 5. 4, 22: *Iunius Mauricus, quo viro nihil firmius, nihil verius.* — *commentariorum principalium*] in quos negotia principum cotidiana memoriae causa referebantur atque imprimis accusationes et indicia. Ann. 13, 43. Suet. Calig. 15. — *consulendum — principem*] quia ista Maurici sententia ad senatum relata *temptata* forent *arcana imperii,* ut ait Ann. 2, 36.

41. *magistratus, ceteri*] ii senatores, qui magistratus erant, sententias non rogabantur, sed sponte ipsi censebant, ceteri rogabantur. *Nipperdey* ad Ann. 3, 17. — *probabant — arguebant*] cum singuli iurarent, patres vultu, voce, manu indicabant, quis verum, quis falsum iuravisset; laudabant innocentes, noxios vituperabant. — *manus intentare*] minari se manus illaturos, ut 1, 69. Ann. 1, 27. — *Scribonios fratres*] de quibus Ann. 13, 48. Dio 63, 17: Σκριβώνιοι, Ῥοῦφός τε καὶ Πρόκλος, ἀδελφοί τε καὶ ἡλικιῶται τρόπον τινὰ ὄντες, καὶ μηδὲν μηδέποτε ἄνευ ἀλλήλων πράξαντες, ἀλλ᾽ ὥσπερ τῷ γένει, οὕτω καὶ

bus fatigabatur, ultro conversus miscendo, quae defendere nequibat, societate culpae invidiam declinavit.

(42) Magnam eo die pietatis eloquentiaeque famam Vipstanus Messalla adeptus est, nondum senatoria aetate, ausus pro fratre Aquilio Regulo deprecari. Regulum subversa Crassorum et Orfiti domus in summum odium extulerat: sponte senum consularium accusationem subisse iuvenis admodum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiae videbatur; et Sulpicia Praetextata Crassi uxor quattuorque liberi, si cognosceret senatus, ultores aderant. igitur Messalla non causam neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens flexerat quosdam. occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus, ut post caedem Galbae datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo adpetitumque morsu Pisonis caput obiectaret. »hoc certe« inquit »Nero non coegit, nec dignitatem aut salutem illa saevitia redemisti. sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios quam periclitari ipsi maluerunt: te securum reliquerat exul pater et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax aetas, nihil quod

3 eloquentieq; Vipstanus *Chr. Ad. Rupertus:* uiptanus 5 depc̄ari castrorum *sed in marg.* crassorum 1*m.* 6 senum consularium *Meiser:* e xs̄c ([ex SC] *Ernesti,* Caesaris *Joh. Müller*) accusationem *det.:* accusatio 8 Sulpicia *Puteolanus:* supplicia liberis 9 messala 13 aut salutem *Lipsius:* austa lutē illā 14 seuitia defensionēs (*notam del.* 1*m.*)

τῇ προαιρέσει τῇ τε οὐσίᾳ συμπεφυκότες κτλ. addit deinceps, cum ambo Germaniae praefuissent, vocatos a Nerone in Graeciam ibique incisis sponte venis perisse. — *miscendo*] »dum iis, quae in Crispum conferebat, admiscet ea, quae abnuere ipse ac defendere non poterat, eaque cum Crispo communicat, impunitatem obtinuit societate alterius«; sic dial. 5: *non patiar Maternum societate plurium defendi.* Ern. (dicendo communia sibi fuisse ea cum *Crispo.* Duebn.) cf. 2, 52 *inter multos societate culpae tutior.* de Crispo cf. 2, 10.

42. *Vipstanus*] cf. 3, 9. — *senatoria aetate*] quae tunc erat annus vigesimus quintus. — *Regulo*] quem saepius insectatur Plinius, ut Epp. 1, 5 (ubi § 14 vocatur *omnium bipedum nequissimus*) 2, 20. 4, 2. 6, 2. — *Crassorum*] M. Licinius Crassus consul a. 64 p. Chr. (Ann. 15, 33), frater Pisonis Liciniani, a Nerone interfectus erat. cf. 1, 48. Plin. ep. 1, 5, 3. — *Orfiti*] Ser. Cornelius Orfitus consul a. 51 p. Chr. (Ann. 12, 41. 16, 12). de supplicio eius nihil constat. — *sponte — accusationem subisse — videbatur*] quod Ioh. Müller coniecit *sponte Caesaris,* manifestae loci sententiae contrarium est: nam Regulus quidem dicebat a Nerone se coactum fuisse, sed sponte, non coactus accusationem subisse videbatur, augebatque iram hominum et indignationem, quod iuvenis admodum senes consulares accusaverat. sic omnia plana sunt simulque apparet, qui *senum consularium* in Medicei scripturam e xs̄c corrumpi potuerit. recte Müller falsam Madvigii de Latinitate opinionem refellens confert Ann. 11, 29 *delationem subire.* cf. praeterea Plin. ep. 3, 7, 3 de Silio Italico: *laeserat famam suam sub Nerone, credebatur sponte accusasse.* — *senum consularium accusationem*] cf. infra *inlustres senes,* Ann. 6, 23 *consulari seni.* — *depellendi periculi*] ut c. 25 *usurpandi iuris.* — *truci oratione*] Livius 4, 48, 16 *truci oratione in collegas invecti.* — *Curtius Montanus*] cf. c. 40. — *interfectori Pisonis*] 1, 43 duo interfectores Pisonis nominantur, unde conicias *interfectoribus* scribendum esse. — *istorum defensiones*] sese a Nerone ad accusandos viros illustres coactos temporum saevitiae impares fuisse. sic Eprius c. 8. — *te securum*] pauperibus enim a Nerone nihil timendum

ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. libidine sanguinis et hiatu praemiorum ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum caede nobili inbuisti, cum ex funere rei publicae raptis consularibus spoliis, septuagiens sestertio saginatus et sacerdotio fulgens innoxios pueros, inlustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres; cum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum senatum una voce subverti. retinete, patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis aetas instructa sit, et quo modo senes nostri Marcellum, Crispum, iuvenes Regulum imitentur. invenit aemulos etiam infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? et quem adhuc quaestorium offendere non audemus, praetorium et consularem ausuri sumus? an Neronem extremum dominorum putatis? idem crediderant, qui Tiberio, qui Gaio superstites fuerunt, cum interim intestabilior et saevior exortus est. non timemus Vespasianum: ea principis aetas, ea moderatio: sed diutius durant exempla quam mores. elanguimus, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat. optimus est post malum principem dies primus.«

1 nichil 3 cede 4 septuagienses tertio saginatus *b:* signatus 6 segnitia seques 8 p. c. 10 aemulos etiam *Acidalius:* etiam aemulos 11 quę questoriū 12 ausuri *Lipsius:* uisu|ri 14 seuior uespanū 15/16 auctores *Lipsius* 16 p. c.

erat. — *hiatu*] vehementi cupiditate. Duebn. — *ex funere rei publicae*] intellige atrocem Neronis dominationem, quam audaci imagine cum funere comparat pro solito: »in funesta illa rei publicae calamitate«. ceterum figura haud absimili Cic. de Prov. cons. 1 Gabinium et Pisonem vocat *funera rei publicae*. (»Scriptor rem publicam adsimilat homini, qui cecidit in bello et ex quo, dum iacet, spolia capiuntur.« Walther.) — *consularibus spoliis*] *spolia consularia* sunt praemia, quae, eversis per accusationem consularibus, acceperat. Ern. — *retinete*] similiter Cicero Verr. act. 2, 2, 31: *Retinete, retinete hominem in civitate, iudices; parcite et conservate, ut sit, qui nobiscum res iudicet, qui in senatu sine ulla cupiditate de bello et pace sententiam ferat.* — *Marcellum*] Eprium, saepius memoratum. — *Crispum*] Vibium. Ann. 14, 28. Hist. 2, 10. cet. — *quaestorium*] ergo summum XXX. annos natus tunc erat. — *diutius durant exempla quam mores*] optime haec interpretatus est Burnouf: »*exempla*, quae edit senatus immortalis, *diutius durant quam mores* principis vel optimi, cuius locum fieri potest ut brevi occupet malus.« ad *exempla* cf. Livius 29, 27, 4 *in civitatem Carthaginiensium exempla edendi facultatem detis.* Gellius 7, 14: *tertia ratio vindicandi est, quae* παράδειγμα *a Graecis nominatur, cum poenitio propter exemplum necessaria est, ut ceteri a similibus peccatis, quae prohiberi publicitus interest, metu cognitae poenae deterreantur. idcirco veteres quoque nostri* exempla *pro maximis gravissimisque poenis dicebant.* et *mores* simpliciter dicti sunt saepe *boni mores*, cf. Curtius 8, 3, 15 *vicit tamen gratiam meriti sceleris atrocitas denuntiarique iussit, ut excederet castris neu licentiae barbarae exemplar in Graecorum mores et mitia ingenia transferret.* Plinius ep. 3, 3, 7: *proinde faventibus diis trade eum praeceptori, a quo mores primum, mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur.* Ovidius Trist. 1, 6, 23: *sive tibi hoc debes, nullo pia facta magistro, cumque nova mores sunt tibi luce dati.* cf. *Greef*, Lexicon Taciteum p. 869. — *more maiorum*] quo nudi hominis cervix inserebatur furcae, corpus virgis ad necem caedebatur. Suet. Ner. 49. — *dies*

(43) Tanto cum adsensu senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius posse etiam Marcellum prosterni. igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui perinde dives et eloquentia clarus nulli umquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat ardentibus patrum animis. quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia, »imus«, inquit, »Prisce, et relinquimus tibi senatum tuum: regna praesente Caesare.« sequebatur Vibius Crispus, ambo infensi voltu diverso, Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens, donec adcursu amicorum retraherentur. cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies. (44) proximo senatu inchoante Caesare de abolendo dolore iraque et priorum temporum necessitatibus censuit Mucianus prolixe pro accusatoribus: simul eos, qui coeptam, deinde omissam actionem repeterent, monuit sermone molli et tanquam rogaret. patres coeptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus, ne sperni senatus iudicium et cunctis sub Nerone admissis data inpunitas videretur, Octavium, Sagittam et Antistium Sosianum senatorii ordinis egressos exilium in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam stupro cognitam et nuptias suas abnuentem inpotens amoris interfecerat; Sosianus pravitate morum multis exitiosus. ambo gravi senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem poena retenti sunt. nec ideo lenita erga Mucianum invidia. quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si

1 adsensū (*notam del.* 1m.) 3 eloquentie (a *suprascr.* 1m.) 4 facesisset 7 p̄sentē (*notam del.* 1m.) scrispus (p *ex* q *corr.* 1m.) 8 adcursū 13 cęptā 14 cęptatā 16/17 Sagittam *Rhenanus*: sabi|nū sagittā 18 positū Ināstu procognitā (postū *corr.* 1m., stupro *iungit* 2m.) 21 pęna

primus] »quo optima quaeque a mali principis successore sperari solent, bona voluntas, altiores animi et libertatis cupiditas exardescunt; interiecto autem tempore omnis animorum impetus *elanguescit.*« cf. 1, 4. 2, 10.

43. *Marcellum*] ut delatorem Thraseae; quam actionem Helvidius gener iam Galba imperante tentaverat; vide supra c. 6. Duebn. quem exitum tandem Eprius habuerit, ad a. u. 832. narrat Dio 66, 16. post insidias Vespasiano amico et fautori structas κριθεὶς ἐν τῷ συνεδρίῳ καὶ καταδικασθεὶς ἀπέτεμε τὸν λαιμὸν αὐτὸς ἑαυτῷ ξυρῷ. — *Cluvii Rufi*] qui Neronem comitatus erat in peregrinatione histrionali (Suet. N. 21. Dio 63, 14.) adeoque, si eius favore abuti voluisset, quemcunque facile pervertere poterat. — *perinde dives*] ac Marcellus et aeque clarus eloquentia. — *Caesare*] Domitiano. — *Crispus renidens*] de quo Iuvenalis 4, 81: *Venit et Crispi iucunda senectus, Cuius erant mores qualis facundia, mite ingenium.* Superstes igitur hic delator sub Domitiano.

44. *inchoante*] incipiente relationem, quae continuata et plenius exposita est a Muciano. cf. c. 41. — *necessitatibus*] eo rerum statu (sub Nerone maxime), quo plurimi ex sua voluntate agere non poterant. Duebn. — *prolixe*] favorabiliter simul et copiose. — *Octavium* cet.] de quibus Ann. 13, 44. 14, 48.

reverterentur: accusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur.

(45) Reconciliavit paulisper studia patrum habita in senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patruitus senator pulsatum se in colonia Seniensi coetu multitudinis et iussu magistratuum querebatur; nec finem iniuriae hic stetisse: planctum et lamenta et supremorum imaginem praesenti sibi circumdata cum contumeliis ac probris, quae in senatum universum iacerentur. vocati, qui arguebantur, et cognita causa in convictos vindicatum, additumque senatus consultum, quo Seniensium plebes modestiae admoneretur. isdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus *accusantibus* damnatur lege repetundarum et exilio ob saevitiam.

(46) Inter quae militaris seditio prope exarsit. praetorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati; et lectus in eandem spem e legionibus miles promissa stipendia flagitabat; ne Vitelliani quidem sine multa caede pelli poterant: sed inmensa pecunia

1 reuerterte|rentur 4 patrūi|tus (*notam del.* 1m.) (Patruinus *Lipsius*) 5 cętu 6 supmorum 7 p̄sentis ibi 10/11 Cyrenensibus *dett.*: cyrensib; 11 accusantibus *post* Flamma *add. Wurm* (*post* Cyrenensibus *Heraeus*) seuitiā 12 pretorianā 15 caede] mercede *Ritter et Weissenborn* depelli *Halm* *post* inmensa pecunia *in Mediceo ordo turbatus est, quem restituit Agricola: post* pecunia *enim sequitur* ferunt ne criminantium (c. 52) *usque ad* defuisse crede (c. 53) *deinde* tanta uis hominum (c. 46) *usque ad* sermone

45. *Patruitus*] »fortasse *Patruinus*, quod nomen in Symmachi epistolis plus semel leges.« Lips. et ter apud Gruterum; nusquam *Patruitus*. — *senator*] nullo adhuc honore functus, ut Ann. 3, 36. — *pulsatum se*] grande priscis illis moribus delictum, nam nec convicio senatorem aspergere licebat impune. Arnobius 4, 34: *magistratum in ordinem redigere, senatorem aut convicio prosequi suis esse decrestis periculosissimum poenis*. Lips. Ulpianus Dig. 47, 10, 5, 1: *inter pulsationem et verberationem hoc interest, ut Ofilius scribit: verberare est cum dolore caedere, pulsare sine dolore*. — *in colonia Seniensi*] Plinius n. h. 3, 51: *intus* (in Etruria) *coloniae Falisca Argis orta, — Lucus Feroniae, Rusellana, Seniensis, Sutrina*. est *Sena Iulia*, hodie *Siena*. cf. *Kiepert* § 351. — *coetu multitudinis*] in seditioso plebis concursu. Ern. — *supremorum*] funeris. facile in his agnosces illius temporis petulantiam ac licentiam municipalem, cuius et alibi supersunt vestigia, praesertim in Petronio. facetum est, quod hic adnotavit Ferlet: »*Il parait que ce Patruitus, ayant été blessé des coups qu'il avait reçus à Sienne, s'était mis au lit; et que là, pour ajouter l'insulte aux mauvais traitements, on lui avait fait ce que la femme fit à son mari plongé dans l'ivresse: à son reveil il trouve l'attirail de la mort à l'entour de son corps, un luminaire, un drap des morts*.« cf. fabulae Aesopicae 108 (*Halm*). — *Cyrenensibus accusantibus*] cf. Ann. 12, 22 *damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis*. 13, 30 *absolutus Cestius Proculus repetundarum Cretensibus accusantibus*. 13, 33 *accusante Asia*. 14, 28 *Vibius Secundus — accusantibus Mauris repetundarum damnatur atque Italia exigitur*. Plinius ep. 2, 11, 2: *Marius Priscus accusantibus Afris — iudices petiit*.

46. *a Vitellio dimissi*] cf. 2, 67. — *in eandem spem*] praetorianae militiae, facilioris utique ac magis quaestuosae propter amplius stipendium. — *ne Vitelliani quidem*] praetoriani, qui pro Vitellio antea pugnarant et ad Narniam (3, 63) et ad Bovillas (4, 2) in deditionem accepti erant. — *sine multa caede*] multa caedes facta esset, si vis in obstinatos et resistentes adhibita esset. — *pelli*] scil. ex praetorio, exturbari (Ann. 14, 31 *pellebant*

tanta vis hominum retinenda erat. ingressus castra Mucianus, quo rectius stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem et urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. eos Mucianus diduci et Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum, separatim adsistere iubet. illos primus statim aspectus obstupefecerat, cum ex diverso velut aciem telis et armis trucem, semet clausos nudosque et inluvie deformes aspicerent. ut vero huc illuc distrahi coepere, metus per omnes et praecipua Germanici militis formido, tanquam ea separatione ad caedem destinarentur. prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, ne desererentur soli neu pari causa disparem fortunam paterentur; modo Mucianum, modo absentem principem, postremum caelum ac deos obtestari, donec Mucianus cunctos eiusdem sacramenti, eiusdem imperatoris milites appellans falso timori obviam iret; namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum iuvabat. isque finis illa die. paucis post diebus adloquentem Domitianum firmati iam excepere: spernunt oblatos agros, militiam et stipendia orant. preces erant, sed quibus contradici non posset; igitur in praetorium accepti. dein quibus aetas et iusta stipendia, dimissi cum

orasse (c. 52) *tum* dicebatur audita interim (c. 54). *verbum* credebatur *igitur* (c 58) *in duas partes discerptum erat* (crede|batur), *unde interpolatione* dicebatur *pro* batur *ortum est. ad* ne criminantium *in margine add.* 1*m.*: hinc In alio filio (*sic*)
4 urbēs (s *del.* 1*m.*) 5 c̄quisiti *corr. ex* c̄quisita 1*m.* 6 brittannicũq; 7 separati 9 Inlubie (b *in* v *mut.* 1*m.*) 10 cepere 11 seperatione destinaretur pressare *Döderlein* 12 pectora] dexteras *Acidalius* Inecti (n *superscr.* 1*m.*) sup̄ma 13 pauri | causā (pari causa *superscr.* 2*m.*) 14 postremo *Wölfflin* 15 eius, Imperatoris| 16 Nanq; 19 preces erant *det.*: p̄cesserant

domibus, exturbabant agris). *pellere* et *retinere* recte inter se opponuntur, cf. Ann. 5 7 *singulos — retinens aut dimittens.* — *spectaret*] usitatius dixisset *nosceret*, ut *causas noscere* dicunt et similia. Ern. — *memoravimus*] c. 2. — *formido*] quia is exercitus bellum coeptarat. — *prensare commanipularium pectora*] Ann. 1, 21 *prensare circumstantium genua.* — *cervicibus innecti*] exquisitius pro usitato *cervices amplecti.* sed simul significat *artissime amplecti*; comparant Doederlein *Synon.* IV. p. 280. et Bachius προσφῦναι. ille subtiliter distinguit Appul. Met. p. 135, 40. Elm.: *colloque meo manibus ambabus implexa* de amplexus firmitate. — *ne desererentur*] »a commilitonibus« manifesto supplendum; unde patet rectam nostram esse distinctionem, quoniam facile intelligitur cum acribus et instantibus illis gestibus verba quoque ad milites fuisse coniuncta. contra hanc iuncturam nescio cur »absurdam« iudicans Walther distinxit *petere: ne desererentur* cet., ut haec iam pendeant e v. *obtestari.* — *caelum ac deos obtestari*] Ann. 1, 21 *caelum ac deos obtestantur.* — *firmati*] »animo iam confirmato et ad certa postulata proponenda composito ac praeparato audiere Domitiani contionem.« — *militiam et stipendia*] *militiam* intellige inter praetorianos et *stipendia* praetorianorum, qui mox *praetorium* appellantur, ut recte explicat Perizonius de Praetor. Diss. 2. p. 134. Ern. — *aetas*] quinquaginta annorum et stipendia legitima

honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli; quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur. (47) ceterum verane pauperie an uti videretur, actum in senatu, ut sescenties sestertium a privatis mutuum acciperetur; praepositusque ei curae Pompeius Silvanus. nec multo post necessitas abiit, sive omissa simulatio. abrogati inde, legem ferente Domitiano, consulatus, quos Vitellius dederat, funusque censorium Flavio Sabino ductum, magna documenta instabilis fortunae summaque et ima miscentis.

(48) Sub idem tempus L. Piso pro consule interficitur. ea de caede quam verissime expediam, si pauca supra repetiero ab initio causisque talium facinorum non absurda. legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus sub divo Augusto Tiberioque principibus proconsuli parebant. mox C. Caesar turbidus animi ac Marcum Silanum obtinentem Africam metuens ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit. aequatus inter duos beneficiorum numerus et mixtis utriusque mandatis discordia quaesita auctaque pravo certamine. legatorum vis adolevit

1 carp (tim *suprascr.* 1m.) quod 3 sescenties (sexcenties *suprascr.* 2m.) 4 prepositusq; 5 abrogati *det.*: abroganti 6 flabio (b *in* v *mut.* 1m.) 7 et ima *Agricola*: etiam 10 supra repetiero *Rhenanus*: sup petiero (a *suprascr.*) 12 [principibus] *Opitz* 13 G. turbidis (v *suprascr.* 1m.) ac *dett.*: ad 16 ius (uis *suprascr.* 2m.)

legionariorum viginti, praetorianorum sedecim. cf. Ann. 1, 17. 78. — *carptim et singuli*] *carptim* ‚truppweise' *Gerber* et *Greef*: Lexicon Taciteum sub v. *carptim* significat eos, quibus ignominiosa missio destinata erat, non prius universos unum in locum esse congregatos, et *singuli* uni cuique eam separatim indictam.

47. *an uti videretur*] simulatio haec si fuit, id spectabatur, ut immodica postulata, quae passim emergebant, inopiae publicae specie eo facilius reiici possent. comparare licet ipsius Vespasiani dictum apud Suet. 16: *sunt contra qui opinentur ad manubias et rapinas necessitate compulsum summa aerarii fiscique inopia; de qua testificatus sit initio statim principatus, professus »quadringenties millies opus esse, ut res publica stare posset«;* ubi nonnulli frustra volebant *quadragies.* — *Silvanus*] cf. 2, 86. — *legem ferente*] relationem faciente in senatu. — *funusque censorium*] publicum atque honorificentissimum; vide *Nipperdey* ad Ann. 3, 5. 4, 15. — *Flavio Sabino*] de cuius caede 3, 74. — *magna documenta*] ad utrumque refer, ad *abrogati — consulatus — funusque — ductum.* — *summaque et ima miscentis*] Horatius carm. 1, 34, 12 *valet ima summis mutare — deus.* Aurel. Victor Caes. 33, 4 *ita quasi ventis undique saevientibus parvis maxima, ima summis orbe toto miscebantur* et sic saepius.

48. *L. Piso*] cf. c. 38. — *supra repetiero*] Ann. 16, 18 *pauca supra repetenda sunt.* Hist. 2, 27 *altiore initio — repetam.* 4, 5 *paucis repetam.* — *legio in Africa*] tertia Augusta 1, 11. 2, 97. — *turbidus animi*] ut c. 38 *turbidus ingenio;* contra *mente turbida* Ann. 16, 1 est ‚male sana', ut Ann. 13, 3 *C. Caesaris turbata mens*, cf. *Bötticher*: Lexicon Taciteum sub v. — *M. Silanum*] Dio 59, 20 haec in rebus Gai mire confundit ac miscet; nec M. Silano proconsule evenisse divisionem hanc vult, sed ipso L. Pisone. vide eum et de hac ipsa caede, ut ait, *summo facinore* Plin. Epp. 3, 7, 12. Lips. adde Wesselingium Obss. 1, 17, qui Dionem bene refellit. Ern. de M. Iunio Silano cons. a. p. Chr. 19 cf. *Nipperdey* ad Ann. 2, 59. — *beneficiorum*] promotionum ad altiores gradus ex utriusque arbitrio concedendarum. vide

diuturnitate officii, vel quia minoribus maior aemulandi cura; proconsulum splendidissimus quisque securitati magis quam potentiae consulebant. (49) sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus, sumptuosae adolescentiae neque modica cupiens et adfinitate Vitellii anxius. is crebris sermonibus temptaveritne Pisonem ad res novas an temptanti restiterit, incertum, quoniam secreto eorum nemo adfuit et occiso Pisone plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. nec ambigitur provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse; et quidam e Vitellianis urbe profugi ostentabant Pisoni nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecto tutius bellum. inter quae Claudius Sagitta, praefectus alae Petrianae, prospera navigatione praevenit Papirium centurionem a Muciano missum adseveravitque mandata interficiendi Pisonis centurioni data: cecidisse Galerianum consobrinum eius generumque; unam in audacia spem salutis, sed duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet, nihil ad ea moto Pisone. centurio a Muciano missus ut portum Carthaginis attigit, magna voce laeta Pisoni omnia tanquam principi continuare, obvios et subitae rei miraculo attonitos, ut eadem adstreperent, hortari. volgus credulum ruere in forum, praesentiam Pisonis exposcere; gaudio clamoribusque cuncta miscebant indiligentia veri et adulandi libidine. Piso indicio Sagittae vel insita modestia non in publicum egressus est neque se studiis volgi permisit; centurionemque percunctatus, postquam quaesitum sibi crimen caedemque comperit, animadverti in eum

2 splendissim; 3 africā (*notam del.* 1m.) sūptuose 4 cupuens et] sed *dett.* 9 ostentabat (n *superscr.* 1m.) 10 suspecto *Victorius*: suscepto 11 Petrianae *Böcking*: petrinę 13 cecidisse *dett.*: cedisse 14 audaciā audiendi 17 oīa (= omnia, omina *Acidalius*) 19 exposcerent | (nt *del.* 1m.) 20 veri *Rhenanus*: uiri 23 cedemq;

Excursum. — *diuturnitate officii*] nam proconsules fere annui erant; legatorum tempora ex imperatore pendebant. DUEBN. — *securitati — consulebant*] curabant, ne vitam periclitarentur, si in suspicionem imperatoris venissent. Ann. 14, 61 *consuleret securitati*.

49. *Valerius Festus*] de quo 2, 98 — *anxius*] ne quoquo modo in Vitellii exitium implicaretur. — *crebris sermonibus*] 3, 65 *crebris cum Vitellio sermonibus*. — *alienato erga Vespasianum animo*] 2, 97 *quippe integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat*. — *in pace suspecto*] »quoniam vel in pace, quietem atque obsequium retinens, tamen suspectus foret Vespasiano ideoque semper extremo periculo expositus.« — *alae Petrianae*] cf. 1, 70. *Ios. Vaders*: De alis exercitus Romani, quales erant imperatorum temporibus. Programm des Realgymnasiums zu Münster i. W. 1893. p. 9. — *Galerianum*] Calpurnium, de qua caede cf. c. 11 — *laeta — omnia*] *laeta omnia continuare* significat »non nisi laeta, gratulationes ob principatum occupandum plurimas continuo acclamare«; opponuntur *dira omnia* 5, 17. cf. 2, 74 *fausta — omnia*. Ann. 11, 15 *et laeta quidem in praesens omnia*. — *quaesitum sibi*] confictum ac praeparatum

iussit, haud perinde spe vitae quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri cruentas legati sanguine manus ad caedem proconsulis rettulisset. anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne qua motus novi causa vel forte oreretur. (50) sed ubi Festo consternatio volgi, centurionis supplicium veraque et falsa more famae in maius innotuere, equites in necem Pisonis mittit. illi raptim vecti obscuro adhuc coeptae lucis domum proconsulis inrumpunt destrictis gladiis et magna pars Pisonis ignari, quod Poenos auxiliares Maurosque in eam caedem delegerat. haud procul cubiculo obvium forte servum, quisnam et ubi esset Piso, interrogavere: servus egregio mendacio se Pisonem esse respondit ac statim obtruncatur. nec multo post Piso interficitur: namque aderat, qui nosceret, Baebius Massa e procuratoribus Africae, iam tunc optimo cuique exitiosus et inter causas malorum, quae mox tulimus, saepius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem contendit praefectumque castrorum Caetronium Pisanum vinciri iussit proprias ob simultates, sed Pisonis satellitem vocabat, militesque et centuriones quosdam puniit, alios praemiis adfecit, neutrum ex merito, sed ut obpressisse bellum crederetur. mox Oeensium Leptitanorumque discordias componit, quae raptu frugum et pecorum inter agrestes modicis principiis, iam per arma atque acies exercebantur. nam populus Oeensis multitudine

3 procsulis *ex* procsulē *corr.* 1*m.* 9 pęnos 12 nanq; 13 Massa e *dett.*: massę 14 inter *Wex*: in (in causis *L. Spengel*) 15 adrime|to 16 cetroniū (*cf. Ann.* 1, 44) 18 puniit (punit *suprascr.* 2*m.*) 18/19 obp̄ressisse (*nota erasa*) 19 Oeensium *Lipsius*: offensiū lepcitanorumq; 20 raptū (*notam del.* 1*m.*) ut inter *Cornelissen* 21 offensis

suam in perniciem. »sensus h. l. est, centurionem vulgavisse laetas illas voces ad tentandum Pisonis animum, ut, si alacrem vidisset paratumque ad capessendum imperium, conscientiam criminis in eo magis argueret et sic iustius ac maiore ludibrio eum occideret; Pisonem autem cognito centurionis dolo iussisse in eum animadverti.« Pichena. — *Clodii Macri*] de quo 1, 7.

50. *consternatio*] ut 1, 83. 2, 49. Ann. 1, 39: *audita consternatione;* agitatio, tumultus, concursus in forum ex instinctu et fraude centurionis. — *quisnam*] scil. esset ille obvius. — *egregio mendacio*] cf. Horatius Carm. 3, 11, 35 (de Hypermnestra) *splendide mendax.* — *Baebius Massa*] famosissimus delator, accusatus a Baetica provincia, cuius causam egerunt Senecio et Plinius iunior. Agr. 45. Plin. Epp. 3, 4. 6, 29. 7, 33. Iuvenal. 1, 35. Rup. — *e procuratoribus Africae*] idem quod *procurator Africae*, ut scripsit editio princeps. — *mox*] sub Domitiano. — *Adrumeto*] Ἀδρύμης, Ἀδρύμητος oppidum Africae propriae sive septentrionalis, cui postea cognomen Σώζουσα inditum est, unde hodie *Süsa*, cf. *Kiepert* § 197. — *Oeensium*] populi Africae inter Leptin magnam et Syrtin minorem, ubi h. *Tripoli.* Silius 3, 256: *Sarranaque Leptis Oeaque Trinacrios Afris permixta colonos.* — *Leptitanorumque*] Leptis magna, hodie *Lebda*, cf. *Kiepert* § 193. Sall. Iug. c. 19, 3 (*duae Syrtes interque eas Leptis*) c. 77 sq. —

inferior Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter accolas latrociniis fecundam. unde artae Leptitanis res, lateque vastatis agris intra moenia trepidabant, donec interventu cohortium alarumque fusi Garamantes et recepta omnis praeda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

(51) At Vespasiano post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios cecidisse Vitellium multi cuiusque ordinis pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi nuntiavere. aderant legati regis Vologaesi quadraginta *milia* Parthorum equitum offerentes. magnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri neque indigere: gratiae Vologaeso actae mandatumque, ut legatos ad senatum mitteret et pacem esse sciret. Vespasianus in Italiam resque urbis intentus adversam de Domitiano famam accipit, tanquam terminos aetatis et concessa filio egrederetur. igitur validissimam exercitus partem Tito tradit ad reliqua Iudaici belli perpetranda. (52) Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse ferunt, ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrum-

2 arte lepcitanis 8 uologesi 9 milia *om.* (*hic add. b, post* equitum *dett.*) 10 uologeso 13 etatis 15 ante qua (ante quam *suprascr.* 2m.) 16 ferunt *hic posuerunt Bipontini: vide supra ad cap.* 46. *in Mediceo interpolate* dice|batur (*ad* dicebatur *et ad* ne criminantium *signum transpositionis in margine add.* 2m.)

Garamantas] populum Africae septentrionalis a Syrtibus meridiem versus habitantem. caput gentis fuit *Garama* in Phazania (hodie *Fezzân*), cf. *Kiepert* § 201. Ann. 3, 74 (*suffugia Garamantum*) 4, 23. 26. pertinet huc Plin. 5, 5, 38: *ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit, latronibus gentis eius puteos — harenis operientibus. proxumo bello, quod cum Oeensibus gessere initiis Vespasiani imperatoris, conpendium viae quadridui deprehensum est.* — *latrociniis fecundam*] late exercentem assidua latrocinia. DUEBN. Louandre: *nation indomptée, qui désole le pays par ses brigandages.* ad usum v. *fecundus* cf. Hist. 1, 51: *colonia fecunda rumoribus.* explicare nolim cum aliis »per latrocinia ditatam.« — *mapalium*] Festus p. 146 ed. Mueller: *mapalia casae Punicae appellantur.* - - *Cato Originum libro quarto: mapalia vocantur, ubi habitant: ea quasi cohortes rotundae sunt.* Sall. Iug. 18. Verg. Aen. 1, 421 *magalia* Glossae Placido adscriptae, rec. Deuerling 1876: *magalia* quasi magaria, quia mager punica lingua villa dicitur. sunt ergo una littera conmutata l pro r *magalia* tuguria, id est rotunda aedificiola in furnorum modum parva, quas alii casas vocant.

51. *Vespasiano*] Alexandriae commoranti, 2, 82. 3, 48. 4, 81. — *adgressi*] *ingressi* inutiliter proposuit Ferretus. recte Walther: »vulgatum quoque se recte habere censuerunt Ernestius et Broterius. debebant adfirmare multo melius se habere *adgressi.* nam hoc exprimit audaciam, quae fuit in illa navigatione, valetque *adgredi* de re ardua, hostili, periculosa.« — *regis Vologaesi*] cf. ad 1, 40. *ae* in hoc nomine servavit Mediceus 1, 40 et Ann. 15, 7. — *quadraginta milia*] nec nimis pro illo rege et militia totius gentis equestri. idem numerus in Suetonio C. 6: *e regibus Vologaesus Parthus promisit quadraginta milia sagittariorum* non pugnat; nempe equites illi sagittarii, ἱπποτοξόται. LIPS. — *ambiri*] tanta auxilia a socio rege ultro offerri. — *ad senatum*] tamquam supremum regimen imperii. hac scilicet formula inani speciem veteris rei publicae adversus Parthum sustinendam censebat. — *adversam de Domitiano famam*] cf. c. 39 et 68: *Domitiani indomitae libidines.* — *concessa filio*] c. 2 *stupris et*

que se ac placabilem filio praestaret. non legiones, non classes proinde firma imperi munimenta quam numerum liberorum. nam amicos tempore fortuna, cupidinibus aliquando aut erroribus imminui transferri desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant. ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum praebuisset. Vespasianus haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens bono esse animo iubet belloque et armis rem publicam attollere: sibi pacem domumque curae fore. tum celerrimas navium frumento onustas saevo adhuc mari committit, quippe tanto discrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Vespasiano commeatus subvenere.

(53) Curam restituendi Capitolii in Lucium Vestinum confert, equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. ab eo contracti

1 perinde *del.* 2 monimenta nurū (me *suprascr.* 1m.) 5 ali 6 mansurū 7 domitiono 8 RP. 9 cure 10 seuo urs 13 uestinū *sed* t *ex* s *corr.* 1m. ˜ferte (e *del.* 1m.)

adulteriis filium principis agebat, unde conicias hic quoque *filio principis* scribendum esse, cum *filio* per se nimis nude dictum videatur.

52. *numerum liberorum*] numero liberorum quamvis parvo, nam duo filii Vespasiano sunt, imperium firmatur, orbi principis imperium invalidum est. — *indiscretum*] inseparabilem; »liberos cuiusque esse ei artissimo vinculo coniunctos ita ut omnia parenti liberisque communia sint.« Ern. — *saevo — mari*] c. 38 et 1, 79 *saevitia maris.* — *decem haud amplius dierum*] Livius 28, 2, 11 *duo haud amplius milia peditum.* 28, 1, 5 *cum decem haud plus milibus militum* et sic saepius, cf. Weissenborn ad Livius 30, 27, 10.

53. *curam restituendi Capitolii*] adfuit igitur Vespasianus, an abfuit? adfuisse Suetonius fortiter dicit c. 8: *ipse restitutionem Capitolii aggressus ruderibus purgandis manus primus admovit ac suo collo quaedam extulit.* Similiter Dio 66, 10: Τόν τε νεὼν τὸν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ εὐθὺς οἰκοδομεῖν ἤρξατο, αὐτός τε τοῦ χοῦ πρῶτος ἐκφορήσας καὶ δηλονότι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐπιφανεστάτοις τὸ αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι κελεύσας, ἵνα καὶ τῷ λοιπῷ πλήθει ἀπαραίτητον τὸ διακόνημα γένηται. at Taciti verba et narratio aliorsum eunt et omnia sunt ut Vespasiano absente. si praesens, cur in alium transfert? cur ne nominatur quidem? cur cetera omnia, quae temporum serie narrantur, illo absente gesta? ego nihil nisi pugnam manifestam hic video. Lips. de restituendo Capitolio iam anno superiore in senatu actum. cf. c. 4 et 9. quam parum concordent in omni hoc restituti Capitolii negotio narrando, docet etiam Reimarus ad Dionis l. l. Oberl. — *L. Vestinum*] estne ille, de quo oratione pro Gallis Claudius Caesar?: *ex qua colonia* (Viennensi) *inter paucos equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo.* ego puto, idque paullo certius, quam eundem Martiali intellegi 4, 73: *Cum gravis extremas Vestinus duceret horas Et iam per Stygias esset iturus aquas, Ultima volventes oravit pensa sorores, Ut traherent parva stamina pulla mora, Iam sibi defunctus caris dum vivit amicis. Moverunt tetricas tam pia vota deas. Tunc largas partitus opes a luce recessit Seque mori post hoc credidit ille senem.* nam hic fuerit potius filius eius; qui videtur e clausula iuvenis obisse. Lips. cf. Zell et Nipperdey ad Claudii orationem. — *contracti haruspices*] »cur *contracti?* nonne Romae hoc quidem tempore *collegium haruspicum?* vide Ann. 11, 15.« (et quidem haruspicum publicorum LX. cf. Inscr. m. Lat. N. 2291. 2292.)

haruspices monuere, ut reliquiae prioris delubri in paludes aveherentur, templum isdem vestigiis sisteretur: nolle deos mutari veterem formam. undecimum kalendas Iulias serena luce spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque; ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis; dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque aqua e fontibus amnibusque hausta perluere. tum Hel-

1 harispices 2 nollet 3 xj kl (*cum lineola in litt.* l) luces (s *del.* 1m.) oīīē (*notam super* e *del.* 1m.) 4 vittis *dett.*: uictis cornisq; (o *superscr.* 2m.) *distinctionem post* cornisq; *om. editio princeps* 5 uirginis 6 aquatrimis (*in margine* 2m. *notat* patrimis. matrimis. aquatrimis): trimis *del. Baiter* (triuis *Agricola*, vivis *Jac. Gronovius*) oīb; q; perluere *Rhenanus:* pluere|

»erant sane Romae haruspices hac aetate, sed illi Vestino haud sufficere videbantur, ideoque quotquot supererant in Etruria, unde origo huius disciplinae sacerdotiique« (rectius dixeris *ordinisque*. Inscr. m. Lat. 2291.) »convocavit.« Ritter. — *paludes*] Ostienses. — *undecimum kalendas Iulias*] 1, 57 *tertium nonas Ianuarias*. de accusativo cf. *Ritter* ad Ann. 6, 50. — *fausta nomina*] mos religionis priscae. cui magnae curae, ut in his talibus initiis homines praeessent bono nomine, id est, e quorum nominibus captari velut augurium aliquod posset prosperitatis et diuturnitatis. talia sunt Salvius, Longinus, Statorius, Valerius. mala contra, e quibus triste aliquod, infirmum, breve, ut Curtius, Minucius, Furius, Hostilius. Cicero de Div. 1, 45: *cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in dilectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Plinius 28, 22: *publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus.* tale vaticinium lenonis illius Plautini in Lucride, Persa 4, 4, 73: *nomen atque omen quantivis est pretii; mihi quoque Lucridem confido fore te.* adi et Festum in *Lacus Lucrinus*. Lips. — *felicibus ramis*] id est, e felici arbore (dis grata, interpretatur Macrobius 2, 16) decerptis. Ammianus in religione simili 29, 1, 31: *linteis quidam indumentis amictus —, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans.* huic usui maxime laurus. Livius 40, 37, 3: *omnes coronati et lauream in manu tenentes supplicaverunt.* Hesychius: Αἴσακος· ὁ κλάδος τῆς δάφνης, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. Lips. adde ex Macrobii l. l. quercum, aesculum, ilicem, fagum. ceterum scribendum videtur *cum felicibus ramis*. — *patrimis*] quorum patres matresque etiamtunc vivebant, ἀμφιθαλεῖς. cf. Marini *Atti* I. p. 203, ad vv. Tabulae XXIII: *PVERIS. INGENVIS PATREMIS.* (sic) *ET. MATRIMIS. SENATORVM. FILIIS.* quod Servius ad Virg. Ge. 1, 31 tradit: *ex nuptiis confarreatis patrimi et matrimi nascebantur*, ita fortasse coniungendum est cum altera explicatione Festi p. 126. Müll., ut dicamus tales ad caerimonias adhibitos esse patriciorum liberos ex confarreatis nuptiis progenitos, antiquioribus certe temporibus, postea, cum omissa esset confarreandi assuetudo aut inter paucos retenta (Ann. 4, 16.), suffecisse, ut essent pueri ingenui et quidem senatorum filii. longas autem esse paenultimas elucet ex altera forma *patrimes et matrimes*, de qua vide Müllerum ad Festum p. 93. — *aqua — perluere*] sollemni et usitata lustratione, publice privatimque recepta. Tertull. de Bapt. 5: *ceterum villas, domos, templa totasque urbes aspergine circumlata aquae expiant passim.* huic rei et περιῤῥαντήρια vasa in templis, aqua lustrali plena, qua sacerdotes aut aeditui intrantes aspergerent aut etiam ipsi sese. Sozomenus 6, 6: Θαλλούς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας. Ovidius Fas.t 4, 728: *Udaque roratas laurea misit aquas.* Asconius in Divinationem: *alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonaei Iovis aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur.* Fallor, aut v. *mortuorum* ab inepto glossographo est; nec aliunde *delubra* derivari vult quam ab illa in templorum vasis aqua ad deluendum. Lips. in Baiteri mei Pseud-

vidius Priscus praetor, praeeunte Plautio Aeliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area et super caespitem redditis extis, Iovem Iunonem Minervam praesidesque imperi deos precatus, uti coepta prosperarent sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quis ligatus lapis innexique funes erant, contigit. simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi, studio laetitiaque conixi, saxum ingens traxere. passimque iniectae fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiae nullis fornacibus victae, sed ut gignuntur. praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. altitudo aedibus adiecta. id solum religio adnuere et prioris templi magnificentiae defuisse credebatur.

(54) Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitelli duplicaverat bellum. nam Civilis omissa dissimulatione in populum Romanum ruere, Vitellianae legiones vel externum servitium quam imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati, volgato rumore a Sarmatis Dacisque Moesica ac Pannonica hiberna circumsederi; paria de Britannia fingebantur. sed nihil

1 Plautio *Ursinus:* plauto lustratas 2 suovetaurilibus *Lipsius:* boue taurilib; aream | et s,cespitē (*in margine* super 2*m.*) sextis (*corr.* 1*m*) 3 imperii *superscr.* 2*m.* p̄catus cęptas 4 pietates uictas (*corr.* 1*m.*) 6 letitia quę (q; *superscr.* 2*m.*) 7 In|lectę (iniecte *superscr.* 2*m.*) 8 et auri que 9 gignuntur *det.:* signuntur| harispices 11 credebatur *Döderlein:* crede (*cf. ad cap.* 46) 12 et germaniasq; (et *om. b*) 16 uolgatorum more 17 circū sederit (t *del.* 1*m.*) brittannia

asconio p. 101. nunc est *abluendorum more Dodonaei* cet. — *amnibus*] quales sint intelligendi, facile colligitur ex Cic. de Nat. D. 3, 20: *in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Almonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus.* — *Helvidius Priscus praetor*] Domitiani, primi praetoris, quippe urbani, nullae in hac caerimonia partes ideo fuere, quia iam ex urbe tunc profectus esse videtur, in Galliam iter habens. c. 68. — *praeeunte*] precationis carmen de scripto recitante. — *Plautio Aeliano*] est T. Plautius Silvanus Aelianus, illustris illius aetatis vir, de quo exstat inscriptio ex clarissimo Plautiorum Mausoleo ad Ponte Lucano sito CIL. XIV 3608 = Wilmanns 1145 cf. *W. Liebenam*, Forsch. zur Verwaltungsgeschichte des römischen Kaiserreichs I. p. 269—272. — *redditis extis*] verbum est pontificium in hac re pro *impositis*. Virg. Ge. 2, 194: *Lancibus et pandis fumantia reddimus exta*, ubi Servius: *Reddi dicebantur exta, cum probata et elixa arae superponebantur.* quem ad locum cf. Vossium p. 349. dicebant etiam *exta porricere* atque *exta dare*. cf. Marini *Atti* II. p. 583. ad vv. Tab. XLI.: *AD. ARAM. EXTAS.* (sic) *REDDIDIT. PORCILIAR.* — *Iovem*] egregie haec illustrat nummus Vespasiani, in cuius postica templum hexastylon, statuis superne et utrinque exornatum, in cuius medio signum Iovis sedentis, cui ad dextram adstat Minerva, ad laevam Iuno; itemque in lucerna fictili apud Passerium I. p. 29. tres cellae templi Capitolini simili ordine locatae comparent. plura dat ex Titi et Domitiani nummis itemque ex collatis veterum locis Eckhel D. N. VI. p. 327. OBERL. qua occasione allata memorabo notabilem Vespasiani nummum cum inscriptione: *S. P. Q. R. ADSERTORI. LIBERTATIS. PVBLICAE.* Akerman I. p. 187. — *metallorum primitiae*] *Gold- und Silberstufen, des métaux vierges* Louandre. — *victas*] pro *coctae*; nam ignis eleganter dicitur *vincere*, quae duriora sunt et igni diu resistunt. ERN.

54. *audita interim*] continuant haec c. 37 narrata. — *a Sarmatis Dacisque*] est Dacorum

aeque quam incendium Capitoli, ut finem imperio adesse crederent, impulerat. captam olim a Gallis urbem; sed integra Iovis sede mansisse imperium: fatali nunc igne signum caelestis irae datum et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi superstitione vana Druidae canebant. incesseratque fama primores Galliarum ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, ne deessent libertati, si populum Romanum continua civilium bellorum series et interna mala fregissent. (55) ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit, quo coniuratio intellegeretur: interfecto Hordeonio commeavere nuntii inter Civilem Classicumque praefectum alae Trevirorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios: regium illi genus et pace belloque clara origo; ipse e maioribus suis hostis populi Romani quam socios iactabat. miscuere sese Iulius Tutor et Iulius Sabinus, hic Trevir, hic Lingonus, Tutor ripae Rheni a Vitellio

1 capitoliū (*notam del.* 1m.; *debuit etiam* u *delere*) imperii *superscr.* 2m. 3 pos|sionē (*unde editio princeps* passionem) 4 superstitionē uanā (*notas del.* 1m.) druidę 5 othonē (*notam del.* 1m.) 12 socios *Mercerus*: socius 13 ille Trevir *Pichena* Lingon; (Lingo *Nipperdey*)

tumultus a Muciano repressus, supra 3, 46. Duebn. — *finem imperio*] ut Ann. 2, 21: *finem bello fore*. codd. vulgares h. l. *imperii*. — *Druidae*] de quibus Caesar B. G. 6, 13. et supra Ann. 14, 30. Suet. Claud. 25. Duebn. Consule nunc etiam, non tamen sine necessaria circumspectione, Eckermann *Lehrbuch der Religionsgeschichte* III. p. 1 seqq. quodsi commoditati studes, inspice Pauly *Real-Encyclopädie* II. p. 1267. nonnullos e stirpe Druidarum posteriore tempore factos esse rhetoras Latinos testatur Ausonius in Commem. profess. Burdigal., ut de Attio Patera 5, 7: *Tu Baiocassi stirpe Druidarum satus, Si fama non fallit fidem, Beleni sacratum ducis e templo genus*. item 11, 24. de Phoebicio: *Qui Beleni aedituus — Stirpe satus Druidum*. rem ita expingit Thierry *Histoire des Gaulois* III. p. 406: *on vit alors de toutes parts les Druides sortir des retraites sauvages où la persécution de Claude les avait relégués, et reparaître en triomphe dans les villes, avec les Bardes, les chants prophétiques, les immolations humaines, et l'attirail ressuscité du vieux fanatisme. Donnant aux idées qui travaillaient la multitude, l'autorité de leur parole infaillible, ils annoncèrent au nom du ciel »que l'empire romain était fini; que l'empire gaulois commençait, et que l'heure était venue où la possession des choses humaines devait passer aux nations transalpines«.* — *primores Galliarum*] Walther recte interpretatur »proceres Galliae in urbe praesentes et inde ab Othone missos, ut populares suos adversus Vitellium concitarent«.

55. *Hordeonii caedem*] c. 36. — *Classicumque*] primum memoratum 2, 14. — *hostis — quam socios*] de omisso *potius* cf. Ann. 1, 58 *pacem quam bellum probabam*. *Draeger* Syntax § 181 b. — *Iulius Sabinus*] Dio 66, 3. — *hic — hic*] Vividius hoc quam ille — hic. sic etiam Ann. 14, 8: *hi — hi*. Cic. ad Fam. 9, 16. Verg. Ecl. 4, 55: *nec Thracius Orpheus Nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit*. — *Lingonus*] cum duo indubitata huius formae praeter hoc Med. exempla exstent apud Martial. 8, 75, 2: *Lingonus a Tecta Flaminiaque recens — Gallus*, et in inscriptione nuper in Gallia reperta (Iahn *Jahrbücher* XI. p. 302): *DEO. APOLLINI. BORVONI. ET. DAMOENAE. C. DAMINIVS. FEROX. LINGONVS. EX. VOTO.*, nolui scribere *Lingon*, etsi Tacitus ubique num. plur. *Lingonas* vocat. Sed hic, nisi fallor, vitavit duo disyllaba ex proximo ita sibi opposita *Trevir*, *Lingon*. (»Nec quemquam fere Tacito heteroclitorum studiosiorem fuisse disces ex Boetticheri Lexico p. 231.« Bach.)

praefectus; Sabinus super insitam vanitatem falsae stirpis gloria incendebatur: proaviam suam divo Iulio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse. hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari: ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt: nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat. ac tamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque, sed plurima vis penes Treviros ac Lingonas. nec tulere moras consultandi: certatim proclamant furere discordiis populum Romanum, caesas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnis exercitus suis quemque bellis distineri: si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate disceptaturas Gallias, quem virium suarum terminum velint. (56) haec dicta pariter probataque: de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. plerique interficiendos censebant turbidos infidos sanguine ducum pollutos: vicit ratio parcendi, ne sublata spe veniae pertinaciam accenderent; adliciendos potius in societatem; legatis tantum legionum interfectis ceterum volgus conscientia scelerum et spe inpunitatis facile accessurum. ea primi concilii forma, missique per Gallias concitores belli; simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. nec defuere qui Voculae nuntiarent, sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. inter ambiguos milites et occultos hostes optimum e praesentibus ratus mutua dissimulatione et isdem, quibus petebatur, grassari in coloniam Agrippinensem descendit. illuc Claudius Labeo, quem captum et extra

1 Sabin; (Sabinum *Weissenborn*) 1/2 incendebatur *det.*: Incendebat 3 secreti scrutati *Pichena* 4 conscientiā (*notam del.* 1*m.*) obstrixere 5 publicę 9 quenq; 10 disceptaturas *Victorius*: discep|ras (*in margine* al. despecturas 1*m.*, disceptas *b*, dispecturas *Rhenanus*) 12 reliquis 14 spes — accenderet *Ritter* aliciendo 16 conscientiā (*notam del.* 1*m.*) consilii *dett.* 21 artibus grassari *dett.* 22 agripinensē Claudius *Puteolanus*: gladius

— *distineri*] »occupatum esse atque ideo impediri, quo minus aliis exercitibus opem ferat.« cogitat orator potissimum de copiis Flavianis tunc ita distractis, ut partim cum Vitellianis pugnarent, partim bello Iudaico occupatae essent. cf. Ann. 14, 25: *Parthi Hyrcano bello distinebantur.* — *si Alpes praesidiis firmentur*] quo audaci et magnanimo consilio et condere et stabilire cogitabant novum Galliarum imperium, haud satis pensitantes, fore ut statim corrueret oppidanis certaminibus (c. 18) singulorumque principum ambitiosa aemulatione. — *capi cum maxime urbem*] »nunc ipsum rem inibi esse, ut Roma a Flavianis occuparetur«; quo de incepto iam aliquid inaudierant Galli. quam mire in his verbis vertendis a vero sensu aberrarint interpretes plerique, videbis apud Gutmannum. — *disceptaturas*] Ann. 2, 51 *laetabatur Tiberius, cum inter filios eius et leges senatus disceptaret.*

56. *pertinaciam accenderent*] Galli, qui in concilio consultabant. — *primi concilii*] cf. c. 64 *apud concilium Agrippinensium*. de altero Gallorum concilio refert c. 68: *Galliarum civitates in Remos convenere.* — *petebatur, grassari*] nihil excidisse e Med. arbitror, etsi probum per se est supplementum *artibus*. Liv. 22, 16, 4: *nec Hannibalem fefellit suis se artibus peti a Fabio.* — *descendit*] a Mogontiaco, c. 37. — *extra motum*] hoc

motum amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit; pollicitusque, si praesidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum, accepta peditum equitumque modica manu nihil apud Batavos ausus quosdam Nerviorum Baetasiorumque in arma traxit et furtim magis quam bello Canninefates Marsacosque incursabat. (57) Vocula Gallorum fraude inlectus ad hostem contendit nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor per speciem explorandi praegressi cum ducibus Germanorum pacta firmavere. tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula »non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii et ultores deos. sic olim Sacrovirum et Aeduos, nuper Vindicem Galliasque singulis proeliis concidisse. eadem rursus numina, eadem fata ruptores foederum expectarent. melius divo Iulio divoque Augusto notos eorum animos: Galbam et infracta tributa hostiles spiritus induisse. nunc hostes, quia molle servitium; cum spoliati

1 motum *Meiser*: cõm̄tū (conventum *Agricola*, commeatum *Iacob*, commercium *Haase*, commilitium *Völker*) amendatū 4 quosda 5 canneue fates 10 bocula 12 sacrouirū (ū *ex* o *corr.* 1m.) 13 hęduos p̄liis 14 numina *Rhenanus*: nomina fęderum 16 indidisse *Ritter*

verum videtur pro corrupta Medicei scriptura *extra commentum*: nam Claudius Labeo extra motum (*aus dem Bereiche des Aufstandes*), qui in sinistra Rheni ripa flagraverat, amandatus erat in dextram Rheni ripam, ne ullas in eo motu partes agere posset. vocabulo *motus* Tacitus saepissime utitur, ut docet *A. Graef* Lexicon Taciteum sub voce (c. 12 *id bellum — quanto — gentium motu flagraverit* c. 49 *motus novi causa* c. 63 *primo rerum motu* c. 69 *Vindicis motu*). cf. Plinius n. h. 6, 89 *extra orbem a natura relegata*. — *diximus* c. 18. — *Nerviorum*] populi Galliae Belgicae, in ripis fluminis Sabis (*Sambre*), circa Camaracum (*Cambrai*). cfr. Zeuss *Die Deutschen* p. 214. Kiepert § 457. — *Baetasiorumque*] Zeussio l. l. novo nomine iidem videntur, qui antea Aduatici appellabantur inter Eburones et Nervios. Memorantur etiam a Plinio 4, 106. prope hodiernum *Beetz*. cfr. Ukert *Gallien* p. 148. — *Marsacosque*] Plin. 4, 101 et 106 eos in insulis inter Helinium et Flevum collocat, ut videtur inter eam partem Rheni, quae Lugdunum Batavorum versus fluit et mare Meridionale (*Zuydersee*). Ukert *Gallien* l. l. *Germanien* p. 370.

57. *hostem*] Civilem, qui Vetera obsidebat, c. 36. — *Sacrovirum*] septimo imperii Tiberii anno. Ann. 3, 40 seqq. — *Vindicem*] Hist. 1, 6. — *Galbam et infracta tributa*] oratoria arte usus Vocula cum omnibus Gallis communicat, quod proprie non nisi de aliquot eorum populis valebat, qui Vindicem debellarant, quibusque Galba quartam tributorum partem remiserat. 1, 51. contra ipsos Treveros ac Lingonas *atrocibus edictis aut damno finium idem perculerat*. 1, 53. sic plerique interpretantur, etiam Thierry III. p. 411: *que c'était Galba, en supprimant leurs tributs, qui leur avait soufflé cet esprit de rébellion*. oppositio inter Galbam, qui inconsulto tributa diminuerit, et Iulium atque Augustum, qui ea imposuerint Gallosque omnino adductius habuerint ideo, quod eorum vanitatem rerumque novarum cupidinem probe nossent, hanc interpretationem unice veram esse satis docet. — *induisse*] scil. iis (Gallis). paulo durius dativus omissus est neque tamen sensus ambiguus esse potest. cf. Quintilianus inst. or. 4, 1, 28 *fictam orationem induere personis*. — *nunc hostes*] ex seq. v. *fore* huc eliciendum esse: »nunc Gallos hostes se gerere, quia non

exutique fuerint, amicos fore.« haec ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere Novaesium concedit: Galli duum milium spatio distantibus campis consedere. illuc commeantium centurionum militumque emebantur animi, ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba iurarent pignusque tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur. Vocula, quanquam plerique fugam suadebant, audendum ratus vocata contione in hunc modum disseruit: (58) »numquam apud vos verba feci aut pro vobis sollicitior aut pro me securior. nam mihi exitium parari libens audio mortemque, in tot malis optimum, ut finem miseriarum expecto: vestri me pudet miseretque, adversus quos non proelium et acies parantur (id enim fas armorum et ius hostium est): bellum cum populo Romano vestris se manibus gesturum Classicus sperat imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. adeo nos, si fortuna in praesens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanae legiones perire praeoptaverint, ne loco pellerentur? socii saepe nostri excindi urbes suas seque cum coniugibus ac liberis cremari pertulerunt; neque aliud pretium exitus quam fides famaque. tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones nec terrore aut promissis demoventur. nobis super arma et viros et egregia castrorum munimenta frumentum et commeatus quamvis longo bello pares. pecunia nuper etiam donativo suffecit; quod sive a Vespasiano sive a Vitellio datum interpretari mavoltis, ab imperatore certe Romano accepistis. tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem: sed est vallum murique et trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. sane ego displiceam: sunt alii legati, tribuni, centurio

2 nouęsio (*corr.* 1*m.*) 5 roman; (Romani *Ritter*) (flagitium incognitum Romani exercitus) *Halm*, (flagitium incognitum Romano exercitui) *Heraeus* iuraret *L. Spengel* 10 optimum *Meiser:* hostiū *sed* h *ex* u *corr.* 1*m.* (*del. Acidalius*, solacium *Th. Kiessling*) 11 p̄liū paratur *L. Spengel* 14 vos *Agricola*, *L. Spengel* presens 17 p̄tiū exitii *Ritter* 18 ueteras 19 vobis *L. Spengel* 21 suffecit *Lipsius:* sufficit 22 interp̄tari 26 co|currant (n *superscr.* 1*m.*) displiceār (r *del.* 1*m.*)

satis adducto servitio coerciti sint; prompte contra obedituros imperio Romano, simulatque spoliati fuerint.« — *duum milium spatio*] Caesar b. G. 3, 17 *cum Viridovix contra eum duum milium spatio consedisset*.

58. *mortemque, in tot malis optimum*] cf. Publilius Syrus 629 (Spengel) *ubi omnis vita metus est, mors est optimum*. Ovidius Metam. 9, 182 *Mors mihi munus erit.* Herodotus 7, 46 ὁ ϑάνατος μοχϑηρῆς ἐούσης τῆς ζόης καταφυγὴ αἱρετωτάτη τῷ ἀνϑρώπῳ γέγονε. — *ut finem miseriarum*] Cicero Catil. 4 § 7 *mortem — laborum ac miseriarum quietem esse.* — *proelium et acies*] ἓν διὰ δυοῖν, idem fere ac iustum proelium. — *ius hostium*] inter hostes, ut dicitur *ius gentium*. — *adeo nos — pellerentur?*] »Fierine potest, ut adeo veterum exemplorum simus immemores cet.? — *socii saepe nostri*] ut Saguntini, Casilinates (Liv. 23, 19). — *suffecit*] cf. c. 36. — *sane ego*]

denique aut miles: ne hoc prodigium toto terrarum orbe volgetur, vobis satellitibus Civilem et Classicum Italiam invasuros. an, si ad moenia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriae inferetis? horret animus tanti flagitii imagine. Tutorin Treviro agentur excubiae? signum belli Batavus dabit? et Germanorum catervas supplebitis? quis deinde sceleris exitus, cum Romanae legiones contra derexerint? transfugae e transfugis et proditores e proditoribus inter recens et vetus sacramentum invisi deis errabitis? te, Iuppiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te, Quirine Romanae parens urbis, precor venerorque, ut, si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis; militibus Romanis aut innocentiam detis aut maturam et sine noxa paenitentiam.« (59) varie excepta oratio inter spem metumque ac pudorem. digressum Voculam et de supremis agitantem liberti servique prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire. et Classicus misso Aemilio Longino, desertore primae legionis, caedem eius maturavit: Herennium et Numisium legatos vinciri satis visum. dein sumptis Romani imperii insignibus in castra venit, nec illi, quanquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret. iuravere qui aderant pro imperio Galliarum. interfectorem Voculae altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis attollit.

1 hohoc (*pr.* ho *del.* 1*m.*) 3 Infertis (e *superscr.* 1*m.*) 4 flagitii magine (i *superscr.* 1*m.*) tutor Intreuiro (Tutorine *lac. Gronovius*) ba|uus 5 dabit *sed* b *ex* u *corr.* 1*m.* et *del. Pichena* (Gallorum et *Ritter*) 6 legiones se *Madvig*, aciem contra *Nipperdey*, contra aciem *Ritter* 6/7 proditoris (i *del. et* e *superscr.* 1*m.*) 8 maximȩ 9 p̄cor 11 fe̜darique 12 Innocentiā *sed* t *ex* s *corr.* 1*m.* 13 penitentiam Uarię 14 digressū *sed corr. ex* digress; 1*m.* sup̄mis 15 fedissimam 16 ·J· legionis 17 legatos *sed* t *ex* b *corr.* 1*m.*

»fieri utique potest, ut ego displiceam; esto!« — *miles: ne hoc*] acerbi quid habet haec abruptior oratio: »quem horum vultis, ducem vobis eligito! dummodo ne hoc cet.« — *horret animus tanti flagitii imagine*] cf. Curtius 9, 6, 12 *horret animus cogitatione rei.* — *Tutorin*] cf. Ann. 3, 11 *adrecta omni civitate — satin cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius.* — *contra derexerint*] scil. *aciem* aut *se* Ruperti. de verbo *derigo* absolute posito cf. locos, quos *Georges* (Handwörterbuch) sub voce *dirigo* affert. ceterum potest etiam corrigi *Romani legiones*, ut *legiones* obiectum sit. — *octingentos viginti annos*] cf. 1, 1. — *si vobis non fuit cordi*] attulit iam Lipsius locum similem Livii 9, 8, 8: *Vos, dii inmortales, precor quaesoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium, T. Veturium consules cum Samnitibus prospere bellum gerere, at vos satis habeatis vidisse nos sub iugum missos* cet.

59. *foedissimam mortem*] crudelissimam, ab alio et quidem a scelesto desertore oblatam. honestior sane videbatur αὐτοχειρία, unde Tacitus quasi reprehendit nimiam illam servorum fidem. — *verba ultra suppeditavere*] Classicus prius auxiliaris, subito ut imperator Romanus procedens cum fascibus et securibus, circumdatus aquilis et signis tamen velut propria temeritate exterritus contionari non audet. — *altis ordinibus*] primorum ordinum centurionem fecit. Ern. primipilum, puto. — *flagitium navaverat*] minus solite dictum pro

Divisae inde inter Tutorem et Classicum curae. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occisis Mogontiaci tribunis, pulso castrorum praefecto, qui detractaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis pergere ad obsessos iubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur: aliter nihil spei; famem ferrumque et extrema passuros. adiecere qui missi erant exemplum suum. (60) obsessos hinc fides, inde egestas inter decus ac flagitium distrahebant. cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant, absumptis iumentis equisque et ceteris animalibus, quae profana foedaque in usum necessitas vertit. virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiaeque documentum fuere, donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis vitam orantes. neque ante preces admissae, quam in verba Galliarum iurarent: tum pactus praedam castrorum dat custodes, qui pecuniam calones sarcinas retentarent atque ipsos leves abeuntes prosequerentur. ad quintum ferme lapidem coorti Germani incautum agmen adgrediuntur: pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes occubuere; ceteri retro in castra perfugiunt, querente sane Civile et increpante Germanos, tanquam fidem per scelus abrumperent. simulata ea fuerint, an retinere saevientes nequiverit, parum adfirmatur. direptis castris faces iniciunt; cunctosque, qui proelio superfuerant, incendium hausit. (61) Civilis barbaro voto

1 diuise Indę ualidā (*notam del.* 1*m.*) 2 agrippienses 3 occisi 4 detrectaverant *editio princeps* Classicūs (*notam del.* 1*m.*) 4/5 quenq; editis (*post* di *superscr.* di 1*m.*) 6 passuris *L. Spengel* 9 assūptis 10 fędaq; 13 p̄ces qua 14 pact; (*sic, non* pacti) 15 sacircinas atque *Pichena:* atqui 16 ferme *Wölfflin:* fere coorti *Rhenanus:* cohorti 18 increpantes 19 fuerit 20 direptis — hausit *ponit post* perfugiunt (v. 18) *Haase* 21 p̄lio

»operam in flagitio perpetrando navaverat«, ut 5, 25: *bellum navare.* v. *navare* Cicero iungit fere cum vv. *operam, studium, rem publicam.*

60. *profana foedaque*] recte Gutmann: *unreine, ekelhafte Thiere,* Burnouf *immondes et dégoûtans.* — *miseriarum patientiaeque*] »Per ἓν διὰ δυοῖν dictum pro *patientiae miseriarum.* quis enim *miseriarum documentum* fuerit? Nec est in laude egregia, qualem illos tulisse Tacitus dicit, si quis miseria premitur, sed ex patientia sola laus petitur.« Roth de Syn. apud Tac. p. 37 et 51. quidni simplicius accipias ita: »magnum praebuere exemplum, quousque miseriarum devenire possent mortales simulque egregium patientiae documentum:« — ? — *leves*] intelleguntur Romani omnibus rebus spoliati, arma dumtaxat retinentes (ut colligitur ex iis, quae statim sequuntur), sine sarcinis impedimentisque abeuntes. — *coorti Germani*] non *custodes* illi, ut nonnulli accepere, sed alii necopinato ex insidiis prorumpentes. — *querente sane Civile*] Thierry III. p. 414: *Y eut-il perfidie de sa part? y eut-il impuissance de contenir ces hommes sauvages irrités par une longue résistance? c'est ce qui ne fut point éclairci.*

61. *barbaro voto*] patrium et sollemne Germanis hoc votum. Tacitus Germ. 31: *Aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cuiusque audentia apud Chattos in consensum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque summittere nec nisi hoste caeso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Mansit inferiore aevo. et lego apud Paulum

post coepta adversus Romanos arma propexum rutilatumque crinem patrata demum caede legionum deposuit; et ferebatur parvulo filio quosdam captivorum sagittis iaculisque puerilibus figendos obtulisse. ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit, fisus Germanorum opibus et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior. Munius Lupercus legatus legionis inter dona missus Velaedae. ea virgo nationis Bructerae late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas et augescente superstitione arbitrantur deas. tuncque Velaedae auctoritas adolevit: nam prosperas Germanis res et excidium legionum praedixerat. sed Lupercus in itinere interfectus. pauci centurionum tribunorumque in Gallia geniti reservantur pignus societati. cohortium alarum legionum hiberna subversa cremataque, iis tantum relictis, quae Mogontiaci ac Vindonissae sita sunt. (62) legio sexta decima cum auxiliis simul deditis a Novaesio in coloniam Trevirorum transgredi iubetur, praefinita die, intra quam castris excederet. medium omne tempus per varias curas egere, ignavissimus quisque caesorum apud Vetera exemplo paventes, melior pars rubore et infamia: »quale illud iter? quis dux viae? et omnia in arbitrio eorum, quos vitae necisque dominos fecissent.« alii nulla dedecoris cura pecuniam aut ca-

1 cepta   3 fingendos   4 quenquā   9 arbitrantur *editio princeps:* arbitrentur tūncq; (*sic*)   12 societate (*sed.* e *in* i *corr.* 1*m.*)   14 XVI.   17 cesorū   exemplum *L. Spengel*

Diaconum Hist. Langobard. 3, 7: *Sex milia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos incisuros, nisi se de Suavis hostibus ulciscerentur.* pulchre igitur et decore Silius Sarmenti Gallo hoc affingit 4, 200: *Occumbit Sarmens, flavam qui ponere victor Caesariem crinemque tibi, Gradive, vovebat.* quin et Romani usurparunt interdum, ut Iulius Caesar, de quo Suetonius 67: *Diligebat quoque (milites) usque adeo, ut audita clade Tituriana barbam capillumque submiserit nec ante dempserit, quam vindicasset.* Lips. *Rutilas comas* Tacitus Germanis tribuit Germ. 4. *Gallorum inventum* esse *rutilandis capillis ex sebo et cinere* Plinius refert 28, 191. Oberl. *Rutilatum* hunc *crinem* pro voti parte habuisse videtur Tacitus, immemor hunc morem haud infrequentem fuisse apud Gallos. — *ceterum neque se*] Thierry III. p. 415: *Au reste, on remarque que ni lui ni aucun de ses Bataves ne prêtèrent serment à l'empire Gaulois; il avait de vastes projets d'ambition personnelle, et n'aspirait pas à moins qu'à dominer à la fois la Germanie et les Gaules.* cf. c. 18. equidem potius dixerim Civilem novo isti Galliarum imperio diffisum id unice spectasse, ut Batavi sui auxiliantibus Germanis vicinis, in quos etiam postea auctoritatem suam exerciturus foret, in libertatem vindicarentur neque obnoxium esse voluisse Gallorum ambitionibus atque perpetuis aemulationum certaminibus. neque eum sane fugere poterant permagnae illae difficultates, quae minabantur imperio Galliarum quasque prudenter exponit Tacitus c. 69. — *Velaedae*] cf. Germ. 8. Stat. Silv. 1, 4, 90: *Captivaeque preces Veledae;* quae προσῳδία rectior quam Dionis 67, 5. Βελήδα videtur Grimmio *Mythologie* Ed. II. p. 85. cf. idem p. 374. — *pignus societati*] ut A. 1, 8: *subsidia dominationi.* — *Vindonissae*] hodie vicus *Windisch* in Helvetiae pago Argoviensi.

62. *legio sexta decima*] cf. c. 26. — *in coloniam*] Augustam Trevirorum. —

rissima sibimet ipsi circumdare; quidam expedire arma telisque tanquam in aciem accingi. haec meditantibus advenit proficiscendi hora expectatione tristior. quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. revolsae imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis; silens agmen et velut longae exequiae; dux Claudius Sanctus effosso oculo dirus ore, ingenio debilior. duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris altera se legio miscuerat. et volgata captarum legionum fama cuncti, qui paulo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur. non tulit ala Picentina gaudium insultantis volgi, spretisque Sancti promissis aut minis Mongontiacum abeunt; ac forte obvio interfectore Voculae Longino, coniectis in eum telis initium exsolvendae in posterum culpae fecere. legiones nihil mutato itinere ante moenia Trevirorum considunt.

(63) Civilis et Classicus rebus secundis sublati, an coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitavere. saevitia ingenii et cupidine praedae ad excidium civitatis trahebantur: obstabat ratio belli et novum imperium inchoantibus utilis clementiae fama; Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium eius primo rerum motu in colonia Agrippinensi deprehensum honorata custodia habuerant. sed

1 ipsis *Nipperdey* 4/5 inhonora *Victorius*: Inhora | 5 hinc Germanorum *Ritter* 6 sc̃s 7 flatiũ (*sic*) 11 sancti (*super* i *scr.* e 1*m*) 14 męnia 16 agrippiensẽ 17 seuitia 18 ingenii *Agricola*: ingenti (ingenita *Rhenanus*) 21 agrippiniensi dep̄hensũ custodia habuerant *Wurm*: custodię erant (honorate custodierant *dett.*)

haec meditantibus] similiter Livius loco de deditione ad Furculas Caudinas, allato a Lipsio, 9, 5, 11: *Haec frementibus hora fatalis ignominiae advenit, omnia tristiora experiundo factura.* — *imperatorum imagines*] eorum, qui inter divos relati erant, D. Iulii, D. Augusti, D. Claudii. — *inhonora*] sic recte Victorius; simile vitium in codice 2, 31 *inhostus* pro *inhonestus* et Ann. 15, 25 *inhosta* pro *inhonesta*. — *dux Claudius*] ducem viae deditis datum intelligi iam a Pichena monitum. is *dirus ore* dicitur ob deformitatem ab effosso oculo. atque hinc intelligi debet alterum *ingenio* etiam *debilior*. nam *debiles* dicuntur capti aliquo membro; itaque nihil aliud est, quam si dixisset »foedus ore, ingenio foedior.« Ern. — *ala Picentina*] nusquam praeterea a Tacito aliisve scriptoribus memorata. verum a. 1884. in via Mogontiaco Vormatiam ducente detectus est lapis, qui exsculptam prae se fert equitis figuram cum hac inscriptione: *SILIVS. ATTONIS. F. EQ. ALAE. PICENT. AN. XLV. STIP. XXIV. H. F. C.* (*heres faciundum curavit*). Bach. »In Germania ala exhibetur etiam in diplomatis Vespasiani (C. III. d. 9) et Domitiani (Eph. ep. IV. d. 68) annis 74 et 86 datis. Mogontiaci alam tum egisse concludendum est e duobus titulis prope hoc oppidum (Dienheim et Kastel) repertis (Bramb. 915, 1344). inde in Britanniam deducta est, ubi certe morabatur anno 124 (C. III. d. 30). — nomen alae sumptum esse a Picentio quodam vel Picente Henzenus putat (Ann. Rhen. 13 p. 77).« *Ioseph Vaders*: de alis exercitus Romani, quales erant imperatorum temporibus. Münster 1893 p. 10.

63. *honorata custodia habuerant*] »apud magistratum aliquem in libera custodia sine

Transrhenanis gentibus invisa civitas opulentia auctuque; neque alium finem belli rebantur, quam si promisca ea sedes omnibus Germanis foret aut disiecta Ubios quoque dispersisset. (64) igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis mandata apud concilium Agrippinensium edi iubent, quae ferocissimus e legatis in hunc modum protulit: »redisse vos in corpus nomenque Germaniae communibus deis et praecipuo deorum Marti grates agimus; vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. nam ad hunc diem flumina ac terras et caelum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut conloquia congressusque nostros arcerent, vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus. sed ut amicitia societasque nostra in aeternum rata sint, postulamus a vobis, muros coloniae, munimenta servitii, detrahatis (etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur), Romanos omnes in finibus vestris trucidetis (haud facile libertas et domini miscentur): bona interfectornm in medium cedant, ne quis occulere quicquam aut segregare causam suam possit. liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim maioribus nostris: quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus

1 auctũq: (*notam del* 1m.) 3 Ubios *dett.*: ubi hos 4 agrippieniensiũ Iuberent 7 liberi *dett.*: liber| 8 terras *dett.*: t̄rá| 11 p̃tio 12 sit *dett* 13 fera *dett.*: uera 16 utranq; 18 omnes] omnibus *L. Spengel* Institutã (*notam del.* 1m.)

vinclis habuerant.« cf. 3, 12 *honorata custodia* — *pervectus* 1, 58 *in custodia habitus* 1, 87 *in custodia habitos* Ann. 3, 22 *cum militari custodia haberentur.* — *auctuque*] refertur ad auctum incolarum numerum et nova aedificia, quibus urbis ambitus continuo extendebatur. — *promisca ea sedes*] ut Germano cuicunque ibi liceret sine ullo impedimento domicilium collocare neque necesse haberet prius ex decurionum decreto aut plebis scito Ubiorum civitate nominatim donari.

64. *Tencteri*] Ann. 13, 56. Germ 32. 38. — *concilium Agrippinensium*] id est, contionem populi Ubiorum, in colonia Agrippinensi habitam. Adamus Brem. lib. IV c. 21: *concilio populorum communi, quod ab ipsis* (Sueonibus) *w a r h vocatur.* cf. Waitz *D. Verfassungsgeschichte* I. p. 54. — *praecipuo deorum Marti*] Grimmio *Mythologie* Ed. II. p. 179 est *Zio* potius quam *Wuotan.* cf. apud eundem p. 39. Procop. de bello Goth. 2, 15 de Thulitis sive Scandinavis: τὸν Ἄρη θεὸν νομίζουσι μέγιστον εἶναι. — *caelum* — *clauserant*] scilicet altitudine murorum vallorumque. Ferlet. — *inermes*] nam Germani *nihil neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt.* Germ. 13. sic ipse memini ante hos quinquaginta annos rusticos Turicenses, quorum pater meus praefectus (*Landvogt*) erat, semper gladiis accinctos in vicorum suorum comitia venire Kalendis Maiis. — *sub custode*] in coloniam igitur intrantibus addebatur miles Romanus, ne quid hostile auderent. — *et pretio*] hoc quo pertineat, patet e responsione Agrippinensium: *Vectigal et onera commerciorum* (quae erant inter reditus coloniae) *resolvimus; sint transitus incustoditi.* — *muros* — *detrahatis*] pro vulgari *muros diruatis.* — *lucem diemque*] ἓν διὰ δυοῖν, ut Livius 7, 36, 6 *ad conspiciendam tantam virtutem luce ac die opus est.* — *abruptis voluptatibus*] illico et vel cum violentia remotis atque exstinctis, ut 2, 53: *abruptis vitae blandimentis*, de Othone morituro. — *quibus Romani*] inter Romanas artes

subiectos quam armis valent. sincerus et integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis aut aliis imperitabitis.« (65) Agrippinenses sumpto consultandi spatio, quando neque subire condiciones metus futuri neque palam aspernari condicio praesens sinebat, in hunc modum respondent: »quae prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis, consanguineis nostris, iungeremur. muros civitatis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quam diruere tutius est. si qui ex Italia aut provinciis alienigenae in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugerunt: deductis olim et nobiscum per conubium sociatis, quique mox provenerunt, haec patria est; nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici a nobis parentes fratres liberos nostros velitis. vectigal et onera commerciorum resolvimus: sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes, donec nova et recentia iura vetustate in consuetudinem vertantur. arbitrum habebimus Civilem et Velaedam, apud quos pacta sancientur.« sic lenitis Tencteris legati ad Civilem ac Velaedam missi cum donis cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. sed coram adire adloquique Velaedam negatum: arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. ipsa edita in turre; delectus e propinquis consulta responsaque ut internuntius numinis portabat.

2 aliis *dett.:* auis 5 libertatis (s *del.* 1*m.* ?) 7 maximę 9 fuerunt *Ritter* 10 societatis (*in margine* al. sociatis 1*m.*) 12 nostros *om.* (*supra lineam add.* 1*m.*) 13 Incustoditis| 14 vetustate in consuetudinem *Madvig:* In uetustatē c̃suetudine (in uetustatam *editio princeps, unde* in vetusta consuetudine *Meiser*) 15 uel ędā (*item* 16) 17 agrippiniensiū

fuit ad homines in imperio retinendos mollire vires eorum et per delicias amoenasque voluptates frangere. Agr. 21. Lips. — *ex aequo*] ἀπὸ τοῦ ἴσου, »ita agetis, ut aliis pares sitis neve in cuiusquam potestatem veniatis.« similiter Agr. 20: *civitates, quae in illum diem ex aequo egerant.* Bach.

65. *deductis olim*] Romanos dicit viginti ante annis iussu Agrippinae minoris (Ann. 12, 27) in hanc coloniam condendam deductos. — *qui provenerunt*] nati e nobis. verbum *provenire* de prole usurpatum in posteriore Latinitate ut olim *proventus* de frugibus, floribus, oleo, vineis. — *nova et recentia*] sic Dial. 6: *novam et recentem curam.* et iam Cicero ad Fam. 11, 21: (*Segulius*) *res novas quaerit; non quo veterem comederit: nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem novam devoravit;* ubi scite Manutius: »*Novum* est non quod nuper, sed quod nunc primum habemus; *recens* vero non quod nunc primum, sed quod nuper. et *novum* ad rem, *recens* ad tempus refertur. propterea ut simul utrumque significetur, coniunguntur item a Cicerone pro Flacco 6: *lege hac recenti ac nova.*« — *vetustate in consuetudinem vertantur*] cf. Dial. 4 *nisi frequens et assidua nobis contentio iam prope in consuetudinem vertisset.* Sall. Iug 85, 9 *mihi, qui omnem aetatem in optumis artibus egi, bene facere iam ex consuetudine in naturam vortit.* propius ad Medicei scripturam accedit, si corrigas *donec nova et recentia iura in vetusta* (scil. iura) *consuetudine vertantur* — *edita in turre*] varias de eius situ opiniones, incertas omnes, memorat Ledebur *Bructerer* p. 318. id unum sitam fuisse ad Lupiam fl. probabile fit ex Hist. 5, 22: *hostes a se captam praetoriam triremem flumine Lupia*

(66) Civilis societate Agrippinensium auctus proximas civitates adfectare aut adversantibus bellum inferre statuit. occupatisque Sunucis et iuventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo Baetasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Mosae fluminis anteceperat. pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani tranatantes terga Labeonis invasere. simul Civilis, ausus an ex composito, intulit se agmini Tungrorum et clara voce »non ideo« inquit »bellum sumpsimus, ut Batavi et Treveri gentibus imperent: procul haec a nobis adrogantia. accipite societatem: transgredior ad vos, seu me ducem seu militem mavultis.« movebatur volgus condebantque gladios, cum Campanus ac Iuvenalis, e primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumveniretur, profugit. Civilis Baetasios quoque ac Nervios in fidem acceptos copiis suis adiunxit, ingens rerum, perculsis civitatum animis vel sponte inclinantibus.

(67) Interea Iulius Sabinus proiectis foederis Romani monumentis Caesarem se salutari iubet magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. nec Sequani detractavere certamen. fortuna melioribus adfuit: fusi Lingones. Sabinus festinatum temere proelium pari formidine deseruit; utque famam exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit, illic voluntaria morte

1 ciuili societata (a *in* e *corr.* 1*m.*) agripiniensiũ 2 sunicis (u *suprascr.* 1*m.*) 4 betasiorum (b *ex* p *corr* 1*m.*) 6 ābigue̜ 7 intulit se *dett.*: Intulisse 8 Non dō 11 e *b*: ei (ex *alii*) 13 bettasios (b *ex* p *corr.* 1*m.*) 14 adiuncxit perculsit 15 fe̜deris romanis (s *del.* 1*m.*) 16 turba 19 p̄liũ 20 uilla

donum Velaedae traxere. ceterum similiter turres habitasse feruntur Brynhildr et Iettha, *mulier vaticiniis inclita*, apud Grimm *Mythologie* Ed. II. p. 85 et 374.

66. *adfectare*] ambire atque suasionibus suas ad partes amplexandas illicere. — *Sunucis*] sic scripsi cum corr. Med., quia Plinio 4, 106 etiam sunt *Sunuci* ab eo collocati inter Tungros et Frisiavones: erant Ubiorum vicini Occidentem versus ad Mosam. Zeuss *die Deutschen* p. 213. Ukert *Germanien* p. 368. nominis memoria in vico *Sinnich* comitatus Limpurgensis. — *Baetasiorum*] cf. c. 56. — *pontem Mosae*] ut videtur, *Traiectum Mosae, Maastricht.* — *seu me ducem*] insidiosa modestia dictum ut a Sallustii Catilina 20, 16: *vel imperatore vel milite me utimini.* Lips. — *profugit*] in avia Belgarum. c. 70. esse paludes Flandrorum prope Brugas coniicit Bucherius Belg. Rom. p. 178 et 184. Oberl. — *ingens rerum*] alibi cum ablativo; sic tamen etiam Ann. 1, 69: *femina ingens animi.* Sall. Hist. III 10 Kr., 13 D. *ingens ipse virium atque animi.* »Si quid mutandum, mallem *ingens virium*« Alex. Ruperti.

67. *Iulius Sabinus*] c. 55. — *monumentis*] »De στήλαις, cippis, columnis tabulisve (δέλτοις), quibus foedus, quod Romani Lingonibus dederant, incisum erat publiceque propositum, eversis et confractis intellige.« Gron. (qui multa foederum cippis insculptorum exempla hic collegit). — *melioribus*] quia fidem Romanis servaverant. — *fusi Lingones*] tangit hoc bellum Frontinus Strat. 4, 3, 14: *Auspiciis imperatoris Caesaris Domitiani Augusti Germanici eo bello, quod Iulius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quae ad Civilem desciverat, cum adveniente exercitu Caesaris populationem timeret, quod contra exspectationem inviolata nihil ex rebus suis

interisse creditus. sed quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum eius constantiam et insigne Epponinae uxoris exemplum suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit: resipiscere paulatim civitates fasque et foedera respicere, principibus Remis, qui per Gallias edixere, ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret.

(68) At Romae cuncta in deterius audita Mucianum angebant, ne quanquam egregii duces (iam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. nec relinquenda urbs sine rectore; et Domitiani indomitae libidines timebantur, suspectis, uti diximus, Primo Antonio Varoque Arrio. Varus praetorianis praepositus vim atque arma retinebat: eum Mucianus pulsum loco, ne sine solacio ageret, annonae praefecit; utque Domitiani animum Varo haud alienum deleniret, Arrecinum Clementem, domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano, praetorianis praeposuit, patrem eius sub C. Caesare egregie functum ea cura dictitans; laetum militibus idem nomen atque ipsum, quanquam senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere.

4 fędera 7/8 ne quanquam *Mercerus:* nequaquā 9 tolerarent *Mercerus:* tolerare 11 uarrus p̄posito 15 G. 16 egregię letū 17 fufficere (*in margine scr.* s *2m.*)

amiserat, ad obsequium redacta septuaginta milia armatorum tradidit mihi. — *suo loco reddemus*] in tradendo ultimo Vespasiani anno: sed in hoc ipso primo huius imperatoris anno abrumpuntur Historiae. *Epponinae* praeclarum facinus Plutarchus narravit in fine Amatorii, quem locum dabimus in Excursu, indicavit Dio 66, 16, qui *Peponillam* vocat. — *principibus*] »cuius μετανοίας (*resipiscentiam* vocat Lactantius Inst. 6, 24) initium fecerunt Remi.« — *Remis*] quorum caput *Durocortorum Remorum* (Caesar B. G. 6, 44), hodie *Reims.* Walckenaer I. p. 488. — *libertas an pax*] opponuntur vere aut *libertas* — *servitus* aut *bellum* — *pax*, sed ex his oppositis speciosiora vocabula sumpsit.

68. *in deterius audita*] eadem, etsi rariore, iunctura atque *in deterius aucta, credita, trahere, referre* passim apud Tacitum (Hist. 2, 52. Ann. 2, 82. 3, 10. cet.) Graeco modo, Polyb. 2, 21: ἡ ἐπὶ τὸ χεῖρον τοῦ δήμου διαστροφή. — *ne quanquam egregii*] cf. Agric. 16 *timor agitabat, ne, quamquam egregius cetera, — durius consuleret.* — *Cerialem delegerat*] »Immo ex Iosepho B. I. 7, 4, 23 proprie non delegerat ipse aut Vespasianus, sed casu et bona sorte Petilius consul creatus a Vespasiano in Britanniam missus erat. ille vero, audita hac rebellione, opportune supervenit et hostes vicit. notat et Dio 66, 3.« Lips. — *Domitiani indomitae libidines*] cf. c. 2. 39. 51. — *diximus*] c. 39. — *Arrecinum Clementem*] M. Arrecinus Clemens consul fuit a. u. 826 (p. Chr. 73), cuius sororem Arrecinam Tertullam Titus uxorem duxerat, cf. Suet. Titus 4. Domitian. 11. »nominis forma inter *Arrecinus* et *Arricinus* variat in scriptoribus lapidibusque.« Ioseph Klein: Fasti consulares p. 44. *Henzen* 5429. — *per adfinitatem innexum*] item Ann 6, 36 *per adfinitatem innexus erat.* — *quanquam senatorii ordinis*] »Suetonium igitur culpae quis purgat, scribentem Titum primum e senatoriis praetorio praefectum? in Tito 6: *Praefecturam quoque praetorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam.* occulte adsentitur Plinius Praef. operis: *Dum illud patri pariter et equestri ordini praestas, praefectus praetorio eius.* tamen Tacitus palam adfirmat Clementem hunc Arrecinum et praefectum et senatorem fuisse. adde quae notavimus ad Ann. 4, 40.« Lips. Interpretes

adsumuntur e civitate clarissimus quisque et alii per ambitionem. simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo, ille spe ac iuventa properus, hic moras nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia aetatis et pravis inpulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. legiones victrices octava, undecima, Vitellianarum unaetvicensima, e recens conscriptis secunda Poeninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur; quarta decima legio e Britannia, sexta ac decima ex Hispania accitae.

Igitur venientis exercitus fama et suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates in Remos convenere: Trevirorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Iulio Valentino. is meditata oratione cuncta magnis imperiis obiectari solita contumeliasque et invidiam in populum Romanum effudit, turbidus miscendis seditionibus et plerisque gratus vaecordi facundia. (69) at Iulius Auspex e primoribus Remorum, vim Romanam pacisque bona dissertans et »sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cuiusque periculo geri iamque super caput legiones,« sapientissimum quemque reverentia fideque, iuniores periculo ac metu continuit: et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur.

1 clarissimis ābitionēs (s *del.* 1m.) 4 paci (p *ex* b *corr.* 1m.) malę 5 octava, undecima *Nipperdey:* uim . xj uiij̃ . (sexta, undecima, octava *Ritter*) una et uicensima 6 pęninis 7 xiiij . brittannia sexta ac decima *Savilius:* uj . ac p̍ma (sexta ac prima et decima *Ritter*) 11 Iulio *b:* tulio (Tullio *alii*) 12 imperii 16 caput (t *ex* d *corr.* 1m.) 17 quenq;

purgant Suetonium ita, ut dicant, Seianum, praefectum praetorio, hoc munus equitem R. adhuc accepisse, praeturam vero et consulatum adeptum, in senatum venisse; in Clemente per turbas militares licentius actum esse a Muciano. cf. Guther. de off dom. Aug. 2, 4. — *adsumuntur*] post brevem quasi digressionem redit ad rem, de expeditione a Muciano suscepta, et commemorat, quos secum in Galliam abduxerit. Ern. — *clarissimus quisque*] e suspectis Muciano, quos ille honoris specie ad bellum Gallicum ablegabat. Pichena. simulque, his adsumptis, Gallis magis etiam impositurus erat. — *invasisset*] »si exercitum regere et per festinationem atque inconsideratius bellum gerere coepisset.« — *octava*] Augusta 2, 85. 3, 10. 21. 27. — *undecima*] Claudiana 2, 11. 67. 3, 50. — *unaetvicensima*] Rapax 1, 61. 67. 2, 43. 100. 3, 14. 18. 22. 25. *secunda*] e classicis, Adiutrix 3, 55. — *Poeninis*] *le grand Saint-Bernard.* Walckenaer I. p. 69. 71. 220. haec autem scriptura a plerisque inscriptionibus firmatur. Vide meas Inscriptiones Helvetiae. Turici 1844. N. 24 seqq. — *Cottianis*] *le mont Genèvre* ita dictis a Cottio rege. earum populi Caturiges (h. *Chorges*) et Segusini (h. *Susa*). Walckenaer I. p. 541. — *monte Graio*] Alpibus Graiis. cf. 2, 66, *le petit Saint-Bernard.* Walckenaer I. p. 221. 556. Kiepert § 328. — *quarta decima*] Gemina Martia Victrix 1, 59. 64. 2, 11. 27 et saepius 3, 13. — *sexta*] Victrix 3, 44. — *decima*] Gemina 2, 58. 3, 44.

69. *sapientissimum quemque — iuniores*] opponere debebat aut *sapientissimos* — *stultissimos* aut *seniores* — *iuniores*, sed mitiora et speciosiora vocabula elegit. cf. c. 67 *libertas an pax.* — *Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur*] ut Ovidius Met. 7, 20 *video meliora proboque, deteriora sequor.* Völker confert Verg. Georg. 2, 412 *laudato ingentia rura, exiguum colito.* —

constat obstitisse Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod Vindicis motu cum Verginio steterant. deterruit plerosque provinciarum aemulatio: »quod bello caput? unde ius auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent?« nondum victoria, iam discordia erat, aliis foedera, quibusdam opes viresque aut vetustatem originis per iurgia iactantibus: taedio futurorum praesentia placuere. scribuntur ad Treviros epistulae nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili venia et paratis deprecatoribus, si paeniteret: restitit idem Valentinus, obstruxitque civitatis suae aures, haud perinde instruendo bello intentus quam frequens contionibus. (70) igitur non Treviri neque Lingones ceteraeve rebellium civitates pro magnitudine suscepti discriminis agere; ne duces quidem in unum consulere, sed Civilis avia Belgarum circumibat, dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur; Classicus segne plerumque otium trahens velut parto imperio fruebatur; ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniae ripam et ardua Alpium praesidiis claudere. atque interim unaetvicensima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Raetiam inrupere; accessit ala Singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa; praeerat Iulius Briganticus sorore Civilis genitus, ut ferme acerrima proximorum odia sunt, invisus avonculo infensusque. Tutor Trevirorum copias, recenti Vangionum Caeracatium Tribocorum dilectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis spe aut metu subactis legionariis; qui primo cohortem praemissam a Sextilio Felice interficiunt, mox ubi duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere,

3 cap'|put (p' *del.* 1m.) 5 fędera 6 iurgia *Manutius:* Iuria tedio fu|futurorum 7 eplę (*cum lineola in litt.* l) 8 dep̄catoribus peniteret 10/11 ceterę uę 13 caperet (t *del.* 1m.) 15 germanię (ę *ex* a *corr.* 1m.) 16 unā et uincensima (*notam et* n *post* i *del.* 1m.) 18 transgressa (e *ex* a *corr.* 1m.) 21 dilectū (*notam del.* 1m.) 21/22 pedites| (s *del.* 1m.) 22 metus| (s *del.* 1m) 24 exercit; q; | roman; (Romani *Rhenanus*)

Vindicis motu] 1, 6. — *unde ius*] »quem illum fore Gallorum, qui potestatem belli gerendi et iussa a singulis exsequenda suo arbitratu daret, penes quem essent auspicia: verbo, quem imperatorem in Gallia fore?« sic apud Livium 22, 1, 5 iunguntur *iustum imperium* et *auspicium*. Ern. Louandre: *Quel serait le chef de la guerre? à qui demanderait-on les ordres et les auspices?* — *per iurgia*] iurgantes eos, qui contra dicebant quosque iactatores illi deprimere volebant.

70. *non — neque — ve*] nota rarissimam hanc istarum particularum consecutionem variandi causa triplici *nec* antelatam. — *avia Belgarum*] paludes esse Flandrorum prope Brugas suspicatur Bucher. Belg. Rom. p. 178. — *Sextilius Felix*] de quo 3, 5. — *ala Singularium*] hae alae discernendae sunt ab 'equitibus singularibus Augusti sive imperatoris' (cf. Henzen *sugli Equiti Singolari* in Ann. Rhen. 22 (1850) p. 13; Marquardt *Staatsverwaltung* V 2 p. 478). cf. Ioseph Vaders: *de alis exercitus Romani* p. 13. Frid. Ohlenschlager: *die römischen Truppen im rechtsrheinischen Bayern*. München

secutis Tribocis Vangionibusque et Caeracatibus. Tutor Treveris comitantibus, vitato Mogontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navae fluminis abruperat; sed incursu cohortium, quas Sextilius ducebat, et reperto vado proditus fususque. ea clade perculsi Treviri, et plebes omissis armis per agros palatur: quidam principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates, quae societatem Romanam non exuerant, perfugere. legiones a Novaesio Bonnaque in Treviros, ut supra memoravimus, traductae se ipsae in verba Vespasiani adigunt. haec Valentino absente gesta; qui ubi adventabat furens cunctaque rursus in turbas et exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatem, abscessere. Valentinus ac Tutor in arma Treviros retrahunt, occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris.

(71) Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Mogontiacum venit. eius adventu erectae spes; ipse pugnae avidus et contemnendis quam cavendis hostibus melior ferocia verborum militem incendebat, ubi primum congredi licuisset, nullam proelio moram facturus. dilectus per Galliam habitos in civitates remittit, ac nuntiare iubet sufficere imperio legiones: socii ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanae manus excepissent. auxit ea res Gallorum obsequium: nam recepta iuventute facilius tributa toleravere, proniores ad officia, quod spernebantur. at Civilis et Classicus ubi pulsum Tutorem, caesos Treviros, cuncta hostibus prospera accepere, trepidi ac properantes, dum

1 secutis *dett*: sicut ls 1/2 cōmitantibus 2 potē 3 Navae *Rhenanus*: nauas 4 perculsit 7 perfugerent (nt *del.* 1 *m.*) nouesio 8 ipsae *Ernesti*: ipsas 9 cuncta quę 10/11 absessere 12 minores (s *del.* 1*m.*) 17 liguisset p̄lio facturis 20 ausit 22 at] Ad cesos 23 prospera (*super* a *scr.* e 1*m.*)

1884 p. 42—47. — *Tribocis*] in hodierna Alsatia, quorum caput Argentoratum, h. *Strassburg*. Kiepert § 452. — *Vangionibusque*] quorum caput Borbetomagus, h. *Worms*. Walckenaer II. p. 277. — *Caeracatibus*] Tribocorum ac Vangionum vicinis, prope Mogontiacum. ibid. Ukert *Gallien* p. 359. — *Bingium*] Ausonii *Vincum*, oppidum Vangionum, h. *Bingen*. — *Navae*] h. *Nahe*. — *ea clade*] quam per immanem ὑπερβολήν Cannensi aequiparat Ausonius Mosellae 1: *Transieram celerem nebuloso flumine Navam, Addita miratus veteri nova moenia Vinco, Aequavit Latias ubi quondam Gallia Cannas, Infletaeque iacent inopes super arva catervae*. — *supra*] c. 62. — *se ipsae in verba Vespasiani adigunt*] belli initio in verba Vitellii, deinde Vespasiani c. 31, postea Vitellii iamiam mortui, ac rursus Vespasiani c. 37; exin iuravere pro imperio Galliarum c. 59, iam denuo pro Vespasiano. — *Mediomatricos*] Treverorum vicinos, Austrum versus, quorum caput Divodurum, h. *Metz*. Walckenaer I. p. 520. Kiepert § 451. *civitatem*, ut plerumque ubi de Gallis agitur, intellige non de una urbe Divoduro, sed de toto populo ad illam pertinente; *nation alliée* Louandre. — *Herennio ac Numisio*] in vincula coniectis, c. 59.

71. *dilectus — habitos*] h. e. milites dilectos.

dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, ne summae rei periculum faceret. eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto quod erat militum Mogontiaci quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit, quem locum magna Trevirorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosella amne saeptum; et addiderat fossas obicesque saxorum. nec deterruere ea munimenta Romanum ducem, quo minus peditem perrumpere iuberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste, quem temere collectum haud ita loco iuvari, ut non plus suis in virtute foret. paulum morae in ascensu, dum missilia hostium praevehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinae modo praecipitantur. et pars equitum aequioribus iugis circumvecta nobilissimos Belgarum, in quis ducem Valentinum, cepit. (72) Cerialis postero die coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite eruendae civitatis. »hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam; horum scelere clausas caesasque legiones. quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiae raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? stare in confinio Germaniae integram sedem spoliis exercituum et ducum caedibus ovantem. redigeretur praeda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniae ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur.« Cerialis metu infamiae, si licentia saevitiaque inbuere militem crederetur, pressit iras: et paruere, posito civium bello ad externa modestiores. convertit inde animos acci-

1 ualentinū (nū *ex* n; *corr.* 1m.) 3 ūteret (n *superscr.* 1m.) 4 traduxerat *Nipperdey* 6 septū 8 c̄ollē (*notam super* c *del.* 1m.) erigeret *b:* frigeret 9 aut (h *superscr.* 1m.) 15 cesasque 18 ducum *det.:* cū 20 metu *b*[2]: ame|tu (clementia an metu *Lipsius*, moderatione an metu *Ritter*) 21 seuitiaque

tertiis castris] tridui itinere confecto, ut 3, 15: *secundis a Verona castris.* — *Rigodulum*] vicus Galliae Belgicae ad Mosellam, non longe a Treviris secundo flumine, h. *Riol.* — *montibus aut Mosella*] ex uno latere montibus, ex altero Mosella. — *praevehuntur*] *dum* equites nostri *praevehuntur missilia* (accusat.) *hostium*, pro vulgari »dum equites hostium missilibus expositi sunt«: *praevehuntur*, ut saepe, idem est quod *praetervehuntur*. recte Thierry III. p. 427: *tant qu'ils furent en butte aux armes de trait.* nequaquam vero explices cum Bachio: »dum milites evadere conantur ictus missilium hostium«. neque probabilis est Strombeckii interpretatio: *dum missilia* (nominat.) *hostium praevehuntur*, id est, »praetervolant«; id quod significaret »hostium ictus prorsus irritos mansisse«. — *ventum in manus*] pro vulgari *ad manus*, ut edebant ante Ryckium contra Med. Liv. 2, 46, 3: *pugna iam in manus, iam ad gladios — venerat.*

72. *eruendae*] funditus delendae. sumptum e Virgilio Aen. 2, 611: *totamque a sedibus urbem Eruit.* Ern. — *Cremonam*] 3, 33. — *ducum caedibus*] Hordeonii c. 36, Voculae c. 59, Herennii ac Numisii c. 70. — *in fiscum*] Caesaris. — *ad externa modestiores*] 1, 79 *conversis ad civile bellum animis externa sine cura habebantur.* Ann. 11, 24 *tunc solida domi quies et adversus externa floruimus.* —

tarum e Mediomatricis legionum miserabilis aspectus. stabant conscientia flagitii maestae, fixis in terram oculis: nulla inter coeuntes exercitus consalutatio, neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes. nec proinde periculum aut metus quam pudor ac dedecus obstupefecerat, attonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant, donec Cerialis mulceret animos, fato acta dictitans, quae militum ducumque discordia vel fraude hostium evenissent. primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum facinorum neque imperatorem neque se meminisse. tunc recepti in eadem castra, et edictum per manipulos, ne quis in certamine iurgiove seditionem aut cladem commilitoni obiectaret. (73) mox Treviros ac Lingonas ad contionem vocatos ita adloquitur: »neque ego umquam facundiam exercui, et populus Romanus virtutem armis adfirmavit. sed quoniam apud vos verba plurimum valent bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur, statui pauca disserere, quae profligato bello utilius sit vobis audisse quam nobis dixisse. terram vestram ceterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani nulla cupidine, sed maioribus vestris invocantibus, quos discordiae usque ad exitium fatigabant; et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem inposuerant. quot proeliis adversus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum nostrorum laboribus quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. an vos cariores Civili Batavisque et Transrhenanis gentibus creditis, quam maioribus eorum patres avique vestri fuerunt? eadem

2 męsta (a in ę *corr.* 1m.) 2/3 consalutatio *det.*: consultatio 4 perinde *Beroaldus* 5 obstupefecerant *Ritter* 6 p̄cesq; 9 sa|m̄ti (*post* sa *add.* cra 2m.) 11 certaminę 12 c̄tionū (contionem *superscr.* 2m.) 13 populus Romanus *Nipperdey*: populi romani 14 adfirmauit (t *del.* 1m.) quoniam *b*: q̃ *ut c.* 5 (que *suprascr.* 2m. quia *alii*) 15 estimantur (es *ex* ex *corr.* 1m.) 20 Quod p̄liis 22 euentū (*notam del.* 1m.) 24 poteretur *Bekker* ciuilis (s *del.* 1m.) batauisq; (b *ex* u *corr.* 1m.)

e Mediomatricis] c. 70. — *qui vocem*] »qui Cerialem pro commilitonibus deprecari non ausi.« male Muretus *qui* deletum voluit, male Bipontini obsequente Oberlino *quis* pro *quibus* edidere, peius etiam Ruperti *quos*. »*Vocem precesque* et *lacrimis ac silentio* per ἓν διὰ δυοῖν dicta. nostrates dicere solent *durch laute Bitten* et inversis partibus *durch stilles Weinen*. erant enim *preces* quamquam voce non editae, et *venia posci* non poterat eo *silentio*, cui non signum aliquod animi accederet, ut h. l. *lacrimae*.« Roth de Syn. Tac. p. 27.

73. *auxilio Germani*] cf. Caesar B. G. 1, 31 seqq., ubi etiam de Ariovisto, *rege Germanorum*. — *Teutonosque*] Hac forma utuntur etiam Cic. pro lege Man. 20 § 60, Caes. B. G. 1, 33, Vell. 2, 12; altera *Teutones* Aurel. Vict. de Vir. ill. 67, Eutr. 5, 1 et 2, Florus 3, 3, 7. — *quove eventu*] Germ. 37: (Germani) *triumphati magis quam victi sunt*. — *insedimus*] legionibus, classibus, coloniis. — *potiretur*]

semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandae sedis amor, ut relictis paludibus et solitudinibus suis fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. ceterum libertas et speciosa nomina praetexuntur; nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. (74) regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius concederetis. nos, quanquam totiens lacessiti, iure victoriae id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur: nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt. cetera in communi sita sunt: ipsi plerumque legionibus nostris praesidetis, ipsi has aliasque provincias regitis; nihil separatum clausumve. et laudatorum principum usus ex aequo, quamvis procul agentibus: saevi proximis ingruunt. quo modo sterilitatem aut nimios imbres et cetera naturae mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. vitia erunt, donec homines; sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur. nisi forte Tutore et Classico regnantibus moderatius imperium speratis, aut minoribus quam nunc tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. nam pulsis, quod dii prohibeant, Romanis quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages haec coaluit, quae convelli sine exitio convellentium non potest. sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum causae. proinde pacem et urbem, quam victi

9/10 cōmunis Ita 11 nichil 17 brittanniq; 18 pulsi

hac forma utitur etiam 3, 52 et 5, 13. — *transcendendi in Gallias*] poetice pro *transeundi*, ut 5, 24 et Ann. 4, 44 *flumen Albim transcendit*; Livius epit. 105 *Caesar Rhenum transcendit*. — *possiderent*] refer ad *possido*, non *possideo*. — *nec quisquam* etc.] ergo, quod vituperat, in Romanos quoque cadit, quamquam oratorem fallere videtur.

74. *addidimus*] »oneris imposuimus, durius in vos statuimus«, ut Virg. Aen. 6, 90: *Teucris addita Iuno*, cui comparant Soph. Aiac. 610: ξύνεστιν ἔφεδρος. cf. Platon. apol. 30 e δοκεῖ ὁ θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθεικέναι. — *quo modo sterilitatem*] Seneca de Const. sap. 9: *Omnia igitur sic patitur* (*sapiens*), *ut hiemis rigorem et intemperantiam caeli, ut fervores morbosque et cetera forte accidentia.* et Dio Ciceronem ita loquentem inducit, ubi ἀμνηστίαν suadet post caedem Caesaris 44, 32: ὥστε τὰ μὲν γεγενημένα χαλάζης τέ τινος καὶ κατακλυσμοῦ τρόπον συμβεβηκέναι νομίσαντες λήθῃ παράδοτε. Lips. — *compages haec*] sic Iuvenalis de Caligulae furoribus 6, 618: *Ardebant cuncta et fracta compage ruebant.* — *convelli sine exitio convellentium non potest*] Plutarchus de Fort. Rom. 317 a: ὁ τὴν Ῥώμην ὑποβαλόμενος χρόνος μετὰ θεοῦ τύχην καὶ ἀρετὴν ἐκέρασε καὶ συνέζευξεν, ἵνα ἑκατέρας λαβὼν τὸ οἰκεῖον ἀπεργάσηται πᾶσιν ἀνθρώποις ἑστίαν ἱερὰν ὡς ἀληθῶς καὶ ὀνησιδώραν καὶ πεῖσμα μόνιμον καὶ στοιχεῖον ἀΐδιον, ὑποφερομένοις τοῖς πράγμασιν ἀγκυρηβόλιον σάλου καὶ πλάνης, ὥς φησι Δημόκριτος. — *opes, praecipuae bellorum causae*] cf. Platon. Phaedon 66 c διὰ γὰρ τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν πάντες οἱ πόλεμοι

victoresque eodem iure obtinemus, amate colite. moneant vos utriusque fortunae documenta, ne contumaciam cum pernicie quam obsequium cum securitate malitis.« tali oratione graviora metuentes conposuit erexitque.

(75) Tenebantur victore exercitu Treveri, cum Civilis et Classicus misere ad Cerialem epistulas, quarum haec sententia fuit: »Vespasianum, quanquam nuntios occultarent, excessisse vita; urbem atque Italiam interno bello consumptam; Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatium suarum contentos; si proelium mallet, ne id quidem abnuere.« ad ea Cerialis Civili et Classico nihil: eum qui attulerat ipsasque epistulas ad Domitianum misit.

Hostes divisis copiis advenere undique: plerique culpabant Cerialem passum iungi, quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. apud Germanos diversis sententiis certabatur. (76) Civilis opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires optererentur: Gallos quid aliud quam praedam victoribus? et tamen quod roboris sit, Belgas, secum palam aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanam adfirmabat, coeuntibus undique exercitibus: »transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia; nec subitum militem, sed veterem expertumque belli. nam Germa-

6 eplas (*cum lineola in litt.* l) *item* 11 7 quãnquã (*notam supra* an *del.* 1*m.*) quamquam amici *Ritter*, quamquam Mucianus occultaret *Nipperdey* 9 ipso 10 p̄lium 11 ciuilis (s *del.* 1*m.*) attolerat (v *superscr.* 1*m*) ipsasque *Acidalius:* ipsas (et ipsas *Al. Ruperti*) 16 Germanos et Gallos *L. Spengel* 17 geñs 19/20 cunctatio nec | res gererē (*super* g *scr.* c 1*m.*) 21 brittannia

γίγνονται. — *utriusque fortunae*] secundae sociorum populi Romani, adversae rebellium.

75. *nuntios occultarent*] scil. ii, ad quos nuntii huius rei pervenissent; praesertim Cerialis, ut ex sequentibus apparet. Duebn. — *si — velit —; si — mallet*] ut tolleret hanc, quae videtur, discrepantiam, Ernestius obsequente Oberlino correxit *malit.* verum consulto Tacitus variavit tempus, quo significaret Civili et Classico minus probabile fuisse fore, ut Cerialis proelium mallet. (Et prius membrum exprimit sententiam eorum, qui Ceriali imperium Galliarum offerunt, alterum vero prorsus pendet a voluntate Cerialis. Bach.) atque eadem variatione c. 20: *si — obsisteret —; sin — occurrant.* ceterum mirum mihi saepe visum est, quomodo sine aperta irrisione Civilis et Classicus Ceriali Galliarum imperium offerre potuerint, nisi crediderint, defectio et Gallorum et ducis Romani cum iis sociati si prospere cessisset, Gallos propter aemulationem inter ipsos ortam facilius imperium concessuros Romano quam cuiquam popularium. cf. c. 69. — *ad ea Cerialis — nihil*] scil. respondit. cf. *Bötticher*, Lexicon Taciteum p. LXXXVI. — *intutis*] non munitis. ita Livius 5, 45, 2: *castra — intuta neglectaque.* 9, 41, 11: *intutam urbem.*

76. *Civilis*] scil. censebat. — *quod roboris*] Caesar B. G. 1, 1: *Gallorum omnium fortissimi sunt Belgae.* — *e Britannia*] leg. XIV. c. 68. — *ex Hispania*] leg. VI. ac X. c. 68. — *ex Italia*] leg. VIII. XI. XXI. II. c. 68. — *subitum militem*] Liv. 3, 4, 11 *subitarios*

nos, qui ab ipsis sperentur, non iuberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere; pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, maiora apud Romanos, et neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis quam periculi malit. quod si statim congrediantur, nullas esse Ceriali nisi e reliquiis Germanici exercitus legiones, foederibus Galliarum obstrictas. idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. ausuros rursus venturosque in manus non inperiti adulescentuli, verba et contiones quam ferrum et arma meditantis, sed Civilis et Classici; quos ubi aspexerint, redituram in animos formidinem fugam famemque ac totiens captis precariam vitam. neque Treviros aut Lingonas benivolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit.« diremit consiliorum diversitatem adprobata Tutoris sententia Classicus; statimque exequuntur. (77) media acies Ubiis Lingonibusque data; dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique. pars montibus, alii via, alii viam inter Mosellamque flumen tam inprovisi adsiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans

3 non *om.* (*supra lineam* ũ *add.* 1*m.*) p̄tiū 4 mallit 5 reli|quis germanicis fẹderib; 8 Inperiti ad . . . .|. . . . . adulescentuli (adulescentuli *bis scriptum erat prius praeter* a *erasum est*) 9 meditantes (e *in* i *corr.* 1*m.*) 10 famāq; p̄cariam 12 diūsitatē adprobatā (*notam super* e *del.*, *per errorem ut videtur*, 1*m.*) 13 classib; 15 alii via alii *Meiser:* alii. Ialii (I *del.* 2*m.*) (Ialii *om.* *Puteolanus*, alii via inter montes Mosellamque *Madvig*) 16 inprovisi *Agricola:* inprouisa (inproviso *Döderlein*) ut *in rasura* 1*m.*

milites. cf. Drakenborch ad Liv. 41, 1, 6, ubi de *repentinis* etiam et *tumultuariis* militibus agitur, quae voces idem valent apud Livium quod *subitarii*; Tacitus contra *subitum militem* vocat et nemo praeter eum sic locutus esse videtur. *Bötticher*, Lexicon Taciteum p. 444. — *non iuberi*] non pati imperia. DUEBN. — *nullas esse Ceriali — legiones*] hoc falso Tutor contendit. cf. c. 70 *interim unaetvicensima legio Vindonissa, Sextilius Felix — per Raetiam inrupere* etc. 71 *Cerialis — contracto quod erat militum Mogontiaci quantumque secum transvexerat — Rigodulum venit.* — *inconditam*] rei militaris rudem neque disciplinae et imperiis assuetam, ut 2, 16. Ann. 3, 20. — *quod — Valentini manum — fuderint*] cur de sua ad Bingium clade tacet? c. 70 *Tutor — proditus fususque*, c. 71 *pulsum Tutorem.* — *inperiti adulescentuli*] intelligit Iulium Valentinum, de cuius *vaecordi facundia* cf. c. 68. — *contiones quam ferrum*] rursus, ut alibi, omisso *magis*, *potius*. cf. Ann. 1, 58. ceterum ἓν διὰ δυοῖν *verba et contiones* apte significat inanes rerum esse Valentini contiones.

77. *Ubiis*] de Ubiis Gallorum partes amplexis cf. c. 64—66. Lingonum quidem civitas redierat ad obedientiam erga Romanos (c. 73 et 74), sed eorum iuventus bellica remanserat apud Civilem et Classicum. BURNOUF. — *pars montibus, alii via, alii viam inter Mosellamque*] cum codex Mediceus exhibeat *pars — alii — alii*, luce clarius est Tacitum dixisse tria hostium agmina tribus diversis itineribus ad castra Romana advolavisse. ex voc. *via* in Mediceo nihil restat nisi *i*, quoniam *u* et *a* inter *ii* et *a* perierunt. cur enim hostes via abstinerent et iuxta viam non in via procederent? nimirum via utebantur, sed ut omnes simul adessent, uno impetu alii montibus devolabant, alii in via ruebant, alii inter viam flumenque adsultabant. cf. 2, 42 *in aggere viae*, et 43 *inter Padum viamque*, 3, 82 *tripertito agmine pars — Flaminia via, pars iuxta ripam Tiberis incessit; tertium*

pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit: perrupta legionum castra, fusi equites, medius Mosellae pons, qui ulteriora coloniae adnectit, ab hostibus insessus. Cerialis turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate et fortissimi cuiusque adcursu reciperatum pontem electa manu firmavit. mox in castra reversus palantes captarum apud Novaesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac prope circumventas aquilas videt. incensus ira »non Flaccum«, inquit, »non Voculam deseritis: nulla hic proditio; neque aliud excusandum habeo, quam quod vos Gallici foederis oblitos redisse in memoriam Romani sacramenti temere credidi. adnumerabor Numisiis et Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus aut hostium ceciderint. ite, nuntiate Vespasiano vel, quod propius est, Civili et Classico, relictum a vobis in acie ducem. venient legiones, quae neque me inultum neque vos impunitos patiantur.« (78) vera erant, et a tribunis praefectisque eadem ingerebantur. consistunt per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste et impedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis, suis quisque locis, pugnam ciebant, Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad praedam instigantes. et cuncta pro hostibus erant, donec legio unaetvicensima patentiore quam ceterae spatio conglobata sustinuit ruentes, mox impulit. nec sine ope divina mutatis repente animis terga victores vertere. ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quae primo impetu disiectae summis rursus iugis congregabantur ac speciem novi auxilii fecerant; sed obstitit vin-

2 mosallę 5 elelecta (*sic*) 6 nouesiū bonāq; 9 gallicis| (s *del.* 1m.) 10 fęderis redisse in *Lipsius:* p̄dixerim 19 glā (*cum lineola in litt.* l) 20 xxj. 21 c̃glouatā (*notam super* a *del.* 1m.)

agmen per Salariam — propinquabat. de anastrophe praepositionis cf. 2, 78 *Iudaeam inter Syriamque.* 5, 19 *insulam inter Germanosque,* Dräger *Syntax* § 225, 3. — *legionum castra*] sextae decumae et primae, quae erant in sinistra Mosellae fluminis parte prope Augustam Trevirorum. cum enim haec urbs sit in parte dextra et castra Romana dicantur fuisse trans amnem et pontem, *qui ulteriora coloniae annectit,* consequens haec fuisse in parte sinistra. Ryck. — *Mosellae pons*] Strabo 4 p. 194: Μετὰ δὲ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους παροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρηούιροι· καθ' οὓς πεποίηται τὸ ζεῦγμα (Mosellae) ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων νυνὶ τῶν στρατηγούντων τὸν Γερμανικὸν πόλεμον. — *felici temeritate*] cf. Florus 3, 10, 22 de Caesare: *sed ille, qualis erat ad nuntium rei felicissimae temeritatis.* — *Numisiis et Herenniis*] quos legiones vinxerant et occiderant. c. 59. 70. — *ite, nuntiate*] comparant Sullae verba apud Plutarchum 8. 21: ἐμοὶ μὲν ἐνταῦθά που καλόν, ὦ Ῥωμαῖοι, τελευτᾶν· ὑμεῖς δὲ τοῖς πυνθανομένοις, Ποῦ προδεδώκατε τὸν αὐτοκράτορα; μεμνημένοι φράζειν, ὡς ἐν Ὀρχομενῷ. scilicet utrumque est ex illis σχήμασι rhetoricis unum, quibus tunc post tot exercitationes in scholis scriptores benigne abundabant.

78. *patescere acies*] explicari, extendi; alibi potius usurpatur de locis, ut Liv. 22, 4, 2: *paullo latior patescit campus.* — *obstitit vincentibus*] cf. 5, 17 verba Civilis ipsius: *ne*

centibus pravom inter ipsos certamen omisso hoste spolia consectandi. Cerialis ut incuria prope rem afflixit, ita constantia restituit; secutusque fortunam castra hostium eodem die capit excinditque. (79) nec in longum quies militi data. orabant auxilium Agrippinenses offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant; unde metus et iustae preces invocantium, antequam hostes reparatis viribus ad spem vel ad ultionem accingerentur. namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus flagrantissima cohortium suarum integra, quae e Chaucis Frisiisque composita Tolbiaci in finibus Agrippinensium agebat; sed tristis nuntius avertit, deletam cohortem dolo Agrippinensium, qui largis epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne iniecto cremavere. simul Cerialis propero agmine subvenit. circumsteterat Civilem et alius metus, ne quarta decima legio adiuncta Britannica classe adflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus legatus in Nervios Tungrosque duxit, eaeque civitates in deditionem acceptae: classem ultro Canninefates adgressi sunt, maiorque pars navium depressa aut capta. et Nerviorum multitudinem sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, idem Canninefates fudere; Classicus quoque adversus equites Novaesium a Ceriale praemissos secundum proelium fecit. quae modica sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant.

(80) Isdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici iubet, mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. neque Antonium Primum adsciri inter comites a Domitiano passus est, favore militum anxius et superbia viri, aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis. pro-

2 incuriā 7 p̄ces 8 nanq; Intenderet (at *superscr.* 1*m.*) 9 fagrantissima (l *superscr.* 1*m.*) integra quae e Chaucis *Pichena:* Integraq; et e cauchis 11 ad|aūtit (ad *del.* 1*m.*) ępulis (*apicem del.* 1*m.*) 14 brittannica 16 ea ęque accepte 17 can|ne nefates dep̄ssa 18 spontē (*notam del.* 1*m.*) 19 canne nefates Classib; 20 p̄liū 21 parte lacerabant (r *ex* b *corr.* 1*m*) 22 Isdē (s *ex* d *corr.* 1*m.*) 23 ni] ne 24 addomitiano ancxius 25 equalium

terrerentur vario Treverici proelii eventu: suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda manus impediunt.

79. *in longum*] ut c. 22 *in longum suffecissent.* cf. Gerber et Greef, *Lexicon Taciteum* p. 588 sq. — *Tolbiaci*] h. *Zülpich.* — *clausis foribus*] aedificii, in quo cohors illa epulas celebraverat. — *circumsteterat Civilem — metus*] poetice, ut Livius 6, 2, 4 *cum tanti undique terrores circumstarent*, 42, 65, 8 *ingens Romanos terror circumstabat.* Verg. Aen. 2, 559 *at me tum primum saevus circumstetit horror.* — *terrestri itinere*] et, ut videtur, militari via, quae etiam nunc satis integra est et a Gesoriacensi portu (h. *Boulogne*) Bagacum Nerviorum (h. *Bavai*) et Aduatucam Tungrorum (h. *Tongres*) ducebat. Brot. — *ultro*] non instincti a Civile Classicove aut iniuria lacessiti. inest simul notio necopinati impetus, quo Romanos adorti sint.

80. *Vitellii filium*] de quo 2, 59. — *adeo*] ut aliquoties pro *tanto magis, nedum.* ut 1, 9.

fectus ad Vespasianum Antonius ut non pro spe sua excipitur, ita neque averso imperatoris animo. trahebatur in diversa, hinc meritis Antonii, cuius ductu confectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistulis; simul ceteri ut infestum tumidumque insectabantur, adiunctis prioris vitae criminibus. neque ipse deerat adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis quae meruisset. alios ut inbelles, Caecinam ut captivom ac dediticium increpat. unde paulatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitia.

(81) Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis caelestis favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. e plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua eius advolvitur, remedium caecitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit; precabaturque principem, ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. alius

1 ad] a   2 aduerso   3 eplis (*cum lineola in litt.* l)   7 mante (en *superscr.* 1m.)   9 uespasianū (ū *in* us *corr.* 1m.)   11 caelestis *Rhenanus:* celis ʒ   fabor (b *in* v *corr.* 1m)   13 quȩ̄   14 deta (e *in rasura, post* de *superscr.* di 1m.) (dicta *editio princeps*)   15 respergere (pergere *in rasura* 2m.) (respuere *editio princeps*)

Ann. 3, 34. cf. Hand *Turs* I. p. 154. — *trahebatur in diversa*] scil. imperatoris animus. — *criminibus*] de quibus 2, 86. Ann. 14, 40. — *vocare*] simplex pro composito *provocare*, quod ipsum substituit Agricola. sed Germ. 14. item *hostem vocare* Virg. Ge. 4, 76: *magnisque vocant clamoribus hostem.*

81. *statos aestivis flatibus dies*] *stati dies* sunt, qui subitis tempestatibus non obnoxii aequo tenore decurrunt. *statis* diebus oppositi sunt *incerti.* Ritter. sic Seneca de Ben. 4, 28: *ventorum statos flatus*, ut dicebant *stata sacrificia, statas ferias; um die alljährliche Zeit der Sommerwende* Gutmann; *les vents qui soufflent régulièrement tous les étés* Louandre. ceterum locum explanat Vegetius 4, 39: *Pachone decurso, id est post ortum Pliadum a die sexto Kal. Iun.* (d. 26. m. Maii) *usque in Arcturi ortum, id est in diem XVIII. Kal. Octobr.* (d. 14 m. Septembris) *secura navigatio creditur, quia aestatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur.* perperam nonnulli de Etesiis interpretati sunt, de quibus contrarium valet; etenim teste Caesare B. C. 3, 107: *ipse necessario Etesiis tenebatur, qui navigantibus Alexandria sunt adversissimi venti.* de his Plinius 2, 123: *Caniculae exortum diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos prodromos appellant. Post biduum autem exortus iidem aquilones constantius perflant diebus triginta, quos Etesias appellant.* Alexandria igitur navigantibus eximendi erant hi dies XXX ex illo Vegetii securo navigationis spatio. — *oculorum tabe*] glossa quae Galeno tribuitur: φθίσις ἐστὶ μείωσις τῆς κόρης μετ' ἀμυδρώσεως· caecitas e nimia pupillae contractione orta *notum* autem fuisse hominem addit, quo amoliatur omnem suspicionem simulationis ac fraudis. (de hisce miraculis cf. Suet. Vesp. 7. Dio. 66, 8.) — *genua eius advolvitur*] dicit semper *genua advolvi* (Ann. 1, 13. 6, 49. 15, 71), ut Sall. Hist. fr. inc 60 Kr, 92 D. (*genua patrum advolvuntur*), contra *pedibus advolvi* Ann. 1, 23 et 32. — *gemitu*] aut spurium aut corruptum putabat Ernesti propter κακοφωνίαν *gemitu monitu*, at cf *Nipperdey* ad Ann. 1, 24 et 59. *Dräger*, Syntax § 253. — *Serapidis*] de Serapide totoque eius cultu vide Guigniaut apud Burnouf V. p. 531. imagines eius praebet C. O. Müller, *Denkm. der alten Kunst* I. T. LXX. N. 390 et II. T. II. N. 27. Aug. Baumeister *Denkmäler des klassischen Altertums* p. 1548 sq. — *oris excremento*] humile *salivae* vocabulum vitans

manum aeger, eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat. Vespasianus primo inridere aspernari; atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci: postremo aestimari a medicis iubet, an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent. medici varie disserere: huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari; id fortasse cordi deis et divino ministerio principem electum; denique patrati remedii gloriam penes Caesarem, inriti ludibrium penes miseros fore. igitur Vespasianus cuncta fortunae suae patere ratus nec quicquam ultra incredibile, laeto ipse voltu, erecta quae adstabat multitudine, iussa exequitur. statim conversa ad usum manus, ac caeco reluxit dies. utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

(82) Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus imperii consuleret. arceri templo cunctos iubet. atque ingressus intentusque numini respexit pone tergum e primoribus Aegyptiorum nomine Basiliden, quem procul Alexandria plurium dierum itinere et

4 estimari 5 uariȩ 7 uis.. (*syllaba* ad *erasa, quae bis scripta erat*) 8 Integrare (re *in* ri *corr.* 1*m.*) cordi dei (s *supra lin. add.* 1*m.*) 9 pȩnes (*item post*) 11 adstabat (at *ex* ant *corr.* 1*m.*) 13 utrũq; (ru *ex* ri *corr.* 1*m.*) 14 m̃dacio (o *ex* ũ *corr.* 1*m.*) p̄tiū (ū *ex* o *corr.* 1*m.*)

hoc usurpavit, ut Ann. 16, 4: *narium excrementa* pro *muco*. — *manum aeger*] Suet. l. l. haec narrat de homine debili crure, non de manu. cum Tacito consentit Dio l. l. WALTH. — *aestimari*] artis suae praeceptis consultis reputare, expendere, ut 2, 76 *aestimare debent, an quod inchoatur reipublicae utile — sit.* — *elapsos in pravum*] luxationem dicit. — *patere*] nihil non licere fortunae suae, imagine desumpta a porta reserata; exquisitius autem est quam Ernestii *parere*. Liv. 1, 40, 3 *si — servis etiam regnum Romae pateret.* Cic. Phil. 5, 16 § 43 *cum omnia ad perniciem nostram pestifero illi civi paterent.* Ovid. Met. 11, 283 *mediae quoque commoda plebi Nostra patent.* — *ac caeco*] Tacitum *ac* ante litt. *c* non vitavisse docet *Gerber* et *Greef* Lexicon Taciteum p. 7. — *nunc quoque*] paulo post a. 107 absolutae et editae sunt historiae. *Haase* de Cornelii Taciti vita, ingenio, scriptis p. XIII. — ceterum etiam posteriore aetate talia miracula narrantur. reges Francogallorum et Anglorum quosdam morbos, velut lepras, scrofulas, ope divina sanavisse feruntur, quam mirabilem artem Francogalli ad Ludovicum Sanctum atque etiam ad Chlodovechum regem, Angli ad Eduardum Confessorem referebant. priusquam homines aegroti ad regem admitterentur, medici de morbis eorum consulebantur; rex signo crucis in fronte aegroti facto his verbis tangendo sanabat: »*Dieu te guérisse, le Roy te touche.*« William Edward Hartpole Lecky: *History of England in the XVIII. century.* I c. 1.

82. *super rebus imperii*] Suet. Vesp. 7: *de firmitate imperii capturus auspicium.* — *intentusque numini*] intimo animo numen veneratus omnique alia cogitatione abstinens. male Ruperti suspicabatur *intentusque omini.* — *respexit pone tergum*] cum se precibus factis repente convertisset, ominis captandi causa. ERN. — *Basiliden*] Suetonius l. l. eum *libertum* vocat, aperta repugnantia; frustra enim nonnulli utrumque scriptorem conciliare

aegro corpore detineri haud ignorabat. percunctatur sacerdotes, num illo die Basilides templum inisset; percunctatur obvios, num in urbe visus sit: denique missis equitibus explorat illo temporis momento octoginta milibus passuum afuisse. tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est. (83) origo dei nondum nostris auctoribus celebrata; Aegyptiorum antistites sic memorant: Ptolemaeo regi, qui Macedonum primus Aegypti opes firmavit, cum Alexandriae recens conditae moenia templaque et religiones adderet, oblatum per quietem decore eximio et maiore quam humana specie iuvenem, qui moneret, ut fidissimis amicorum in Pontum missis effigiem suam acciret: laetum id regno, magnamque et inclutam sedem fore quae excepisset; simul visum eundem iuvenem in caelum igne plurimo attolli. Ptolemaeus omine et miraculo excitus sacerdotibus Aegyptiorum, quibus mos talia intellegere, nocturnos visus aperit. atque illis Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum Atheniensem e gente Eumolpidarum, quem ut antistitem caerimoniarum Eleusine exciverat, quaenam illa superstitio, quod numen, interrogat. Timotheus quaesitis, qui in Pontum meassent, cognoscit urbem illic Sino-

1 egro 4 afuisse (*post* a *superscr.* u 2*m.*) 5 intp̄tatus 6 egyptiorum antistites (e *ex* i *corr.* 1*m.*) Ptolemeo 7 egypti 9 speciē (*nota erasa*) 11 Inclutā (u *in* y *mut.* 2*m.*) eunde (*notam superscr.* 2*m.*) 12 Ptolemeus miracula (a *in* o *corr.* 2*m.*) 14 parū (rū *ex* ri *corr.* 1*m.*) 15 egente eū olpidarū cerimoniarū 16 Eleusine *Io. Fr. Gronovius:* eleusim (Eleusinarum *Walther*, Eleusiniarum *L. Spengel*)

conati sunt. vide Baumgarten-Crusium. — *ex nomine Basilidis*] a v. βασιλεύς· ergo sibi hac divina specie βασιλείαν, imperium portendi collegit. ceterum diversus est Basilides, Carmeli sacerdos, supra 2, 78.

83. *nostris auctoribus*] de Serapidis cultu apud Romanos consule inter alios Hildebrand ad Arnobii 2, 73. ac saepe memoratur in Inscrr. meis Latinis; cultor imprimis fervidus ei tribuit ἐπίθετα *dei invicti, servatoris* N. 1887. videtur autem Tacitus, quia temporibus suis inter Romanos semper magis invalescere coeperat Serapidis cultus, de eo tam copiose exposuisse, vel hac ipsa ratione ductus, quod Romani scriptores eiusdem adhuc minus curiosi fuerant, quippe qui hanc superstitionem, ut plebeiam, nimis, quam par erat, contemnerent. cf. *Preller*, Römische Mythologie [2] p. 723—733. — *Ptolemaeo*] Lagi filio, qui *Soteris* regium nomen assumpsit, a. ante Chr. 306—283. ceterum conferendi sunt cum Tacito Plutarchus de Is. et Os. 27. 28 (ed. *Parthey* 1850) et Clemens Alexandrinus in Protreptico 48. p. 42. Pott., cuius quoniam narratio multum discrepat a Tacitina neque cuivis philologo huius scriptoris ecclesiastici copia est, eam exscribemus in Excursu. — *quibus mos*] »quorum ad disciplinam apud Aegyptios pertinet etiam ὀνειροκριτική, somniorum interpretatio.« infeliciter Heinsius *dos.* — *Eumolpidarum*] gens erat sacerdotalis apud Athenienses, in qua ab Eumolpo Thrace hereditarium erat sacerdotium Cereris Eleusiniae cum mysteriorum cura. DUEBN. Hesychius: Εὐμολπίδαι· οὕτως οἱ ἀπὸ Εὐμόλπου ἐκαλοῦντο, τοῦ πρώτου ἱεροφαντήσαντος. Πολλοὶ δὲ γεγόνασιν ὁμώνυμοι Εὔμολποι. ex iis sumebantur mysteriorum Eleusiniorum ἱεροφάνται. qui plura de Eumolpo, Eumolpidis Eleusiniisque cupit, totam rem ducibus Lobeckio in Aglaophamo et Prellero (*Demeter u. Persephone. Hamb.* 1837) optime expositam reperiet a Müllero in Ersch u. Gruber, *Encycl.* I. Vol XXXIII. *Eleusinien.* — *superstitio*] hic bono sensu sine erroris notione de cultu maxime externo atque adhuc ignoto. — *Sinopen*] Sinope, colonia Mileti, patria Diogenis Cynici, caput Mithradatis regis clarissimi, hodie *Sinôb.* cf. *Kiepert* § 98. —

pen nec procul templum vetere inter accolas fama Iovis Ditis: namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. sed Ptolemaeus, ut sunt ingenia regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, neglegere paulatim aliasque ad curas animum vertere, donec eadem species terribilior iam et instantior exitium ipsi regnoque denuntiaret, ni iussa patrarentur. tum legatos et dona Scydrothemidi regi (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri iubet; praecepitque navigaturis, ut Pythicum Apollinem adeant. illis mare secundum, sors oraculi haud ambigua: »irent simulacrumque patris sui reveherent, sororis relinquerent.« (84) ut Sinopen venere, munera preces mandata regis sui Scydrothemidi adlegant. qui diversus animi modo numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri; saepe donis promissisque legatorum flectebatur. atque interim triennio exacto Ptolemaeus non studium, non preces omittere; dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. tum minax facies Scydrothemidi offertur, ne destinata deo ultra moraretur; cunctantem varia pernicies morbique et manifesta caelestium ira graviorque in dies fatigabat. advocata contione iussa numinis, suos Ptolemaeique visus, ingruentia mala exponit. volgus aversari regem, invidere Aegypto, sibi metuere templumque circumsedere. maior hinc fama tradidit deum ipsum adpulsas litori navis sponte conscendisse: mirum inde dictu tertio die tantum maris emensi Alexandriam adpelluntur. templum pro magnitudine urbis extructum loco, cui nomen Rhacotis: fuerat illic sacellum Serapidi atque Isidi

1/2 nanq; 3 ptolomeus ut|ut (*in fine et initio columnae*) 5 ūteret°(t *del.* 1*m.*) eadem *dett.*: cędē 6 patrarentur *dett.*: paterentur 7 donas (*litt.* s *exstincta*) scydrothemedi (e *in* i *corr.* 2*m.*) rgi (e *superscr.* 1*m.*) 8 praecipitque *det.* Pythium *det.* 11 suis (*litt.* s *exstincta*) alegant (l *superscr.* 2*m.*) diversus *Puteolanus*: ūs; 14 ptoloms p̄ces 15 minax (x *ex* s *corr.* 1*m*) Scidrothemidi 16 destinat adeo 17 manista (fe *superscr.* 2*m.*) 18 Ius sanū Inis ptolomeiq; 19 aversari *Muretus*: aduersari 21 tatū (n *superscr.* 2*m.*) 22 magnitudinē (*nota erasa*) 23 Serapidi] Osiridi *Savilius*

voluptatum quam religionum] cf. c. 76 *contiones quam ferrum.* — *praecepitque — adeant*] cf. Sall. Cat. 41, 5 *praecepit, ut — adeant* et 34, 1 *respondit — discedant.* — *Pythicum Apollinem*] vulgo Apollo Pythius, at cf. Livius 5, 21, 2 *tuo ductu — Pythice Apollo.* — *sororis*] Proserpinae, quatenus ab eodem patre Iove genitae.

84. *diversus animi*] idem quod *incertus animi* Ann. 6, 46. *ambiguus consilii* Hist. 2, 83 et 4, 21. — *aversari*] sententiam regis improbare magis quam ei aperte reniti, quod esset *adversari.* cf. ad Hist. 1, 1. — *maior fama*] est mirabilior, ob rei miraculum maius fide. Ern. minus fabulosa refert Plutarchus l. l.: Σωτέλης καὶ Διονύσιος (regis legati) χρόνῳ πολλῷ καὶ μόλις, οὐκ ἄνευ μέντοι θείας προνοίας, ἤγαγον ἐκκλέψαντες (τὸν κολοσσόν). — *Rhacotis*] Strabo 17. p. 792: Ῥακῶτις νῦν μὲν τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεώς ἐστι μέρος τὸ ὑπερκείμενον τῶν νεωρίων· τότε δὲ κώμη ὑπῆρχε. Serapeum Alexandrinum describit Amm. Marcell. 22, 16. eius meminit etiam Dionys. Perieg. 254. de Alexandria: Μακηδόνιον πτολίεθρον Ἔνθα Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον, Χρυσῷ τιμήεντι κεκασμένον. Ουκ ἂν ἐκείνου Νηὸν ἐν ἀνθρώποισι θεώτερον ἄλλον ἴδοιο. quibus in versiculis hoc maxime animadvertendum, Serapim διαῤῥήδην Iovem vocari. — *sacellum Serapidi atque Isidi*] illustravit hunc locum propterea ob-

antiquitus sacratum. haec de origine et advectu dei celeberrima. nec sum ignarus esse quosdam, qui Seleucia urbe Syriae accitum, regnante Ptolemaeo, quem tertia aetas tulit; alii auctorem eundem Ptolemaeum, sedem ex qua transierit Memphim perhibent, inclutam olim et veteris Aegypti columen. deum ipsum multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin, antiquissimum illis gentibus numen, plerique Iovem ut rerum omnium potentem, plurimi Ditem patrem insignibus, quae in ipso manifesta, aut per ambages coniectant.

(85) At Domitianus Mucianusque antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treveris gestarum nuntios accepere. praecipua victoriae fides dux hostium Valentinus nequaquam abiecto animo, quos spiritus gessisset, voltu ferebat. auditus ideo tantum, ut nosceretur ingenium eius, damnatusque inter ipsum supplicium exprobranti cuidam patriam eius captam »accipere se solacium mortis« respondit. sed Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: »quoniam benignitate deum fractae hostium vires forent, parum decore Domitianum confecto prope bello alienae gloriae interventurum. si status imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Caesarem in acie stare: Canninefates Ba-

2/3 ptolomeo 3 ptolomeū 4 ęgipti 7 quae *Puteolanus:* queq; 10 acceperunt (unt *punctis del. et* e *superscr.* 1*m.*) 11/12 sp̄s 18 discriminę Cannenefates

scuriorem, quod post longam narrationem de Serapide quasi deo antea ignoto Aegyptiis et ex Sinope advecto prope nimis abrupte memorat sacellum eidem antiquitus dicatum, Guigniaut apud Burnoufium ingeniose inter se coniungens vv. Taciti mox sequentia: *alii sedem ex qua transierat Memphim perhibent* variaque aliorum testimonia. eius sententia breviter huc redit: Serapim deum inferorum antiquissimum fuisse Aegyptiorum, assimilatum postea sub Ptolemaeis Sinopensi illi Iovi Diti sive Plutoni. partem huius disputationis dabimus in Excursu. — *qui Seleucia*] huius quidem famae auctor apud Clementem in Protr. p. 42 est Isidorus »ụóνος«. de Seleucia Pieria cf. *Kiepert* § 149. — *regnante Ptolemaeo*] Euergete, a ante Chr. 247—222. — *Memphim*] de Memphi cf. *Kiepert* § 181. — *Aegypti columen*] Plin. n. h. 5, 50 *Memphis, quondam arx Aegypti regum.* cf. Livius 6, 37, 10 *consulatum superesse plebeis; eam esse arcem libertatis, id columen,* 38, 51, 4 (de Scipione) *unum hominem caput columenque imperii Romani esse.* Curtius 9, 6, 8 (de Alexandro) *hoc Macedoniae columen ac sidus.* — *per ambages*] insignia vel speciem eius per allegoriam vel symbolica ratione explicando. Duebn. insignia autem Serapidis Cerberus et draco ad latera, modius in capite, latum pallium, quo ut Pluto involutus est. (Apud Vaillant NN. Col. II p. 42 nummus Caracallae Sinopensis Iovem Ditem exhibet in lectisternio cubantem capite calatho ornato, dextra aquilam, sinistra hastam. Oberl.). de cognominibus Serapidis dei cf. *C. F. H. Bruchmann,* Epitheta deorum, quae apud poetas Graecos leguntur. Lipsiae 1893. p 204. (*W. H. Roscher,* Ausführliches Lexicon der Griech. und Röm. Mythologie. Suppl.)

85. *Domitianus*] quomodo Domitiano propter hanc expeditionem adulatus sit Iosephus B. Iud. 7, 4, 2, videbimus in fine Libri quinti. item Silius Ital. 3, 607 *At tu transcendes, Germanice, facta tuorum, Iam puer auricomo praeformidate Batavo.* Völker ad h. l. — *Valentinus*] captus c 71. — *solacium mortis*] quippe qua efficiatur, ut captae patriae aspectus ipsum non affligat. Duebn. cf. Agr. 44: *mortis grande solacium tulit evasisse postremum illud tempus* etc. sensu prorsus simili. — *ut recens*] ut quod nunc primum ipsi in mentem veniret. Duebn. — *verteretur*] exquisitius quam *versaretur,* quod ipsum v. frustra proposuit Broterius.

tavosque minoribus ducibus delegandos. ipse Luguduni vim fortunamque principatus e proximo ostentaret, nec parvis periculis inmixtus et maioribus non defuturus.« (86) intellegebantur artes; sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur. ita Lugudunum ventum. unde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem eius temptavisse, an praesenti sibi exercitum imperiumque traditurus foret. qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit an opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis salubri temperamento elusit ut vana pueriliter cupientem. Domitianus sperni a senioribus iuventam suam cernens modica quoque et usurpata antea munia imperii omittebat, simplicitatis ac modestiae imagine in altitudinem conditus studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris aemulationi subduceretur, cuius disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

2 ostentaret *Rhenanus*: ostentare 3 defuturos 4 deprȩhenderentur (deprehenderetur *L. Spengel*) 10 ante ea modȩstiae 12 emulationi subduceretur *editio princeps*: subduceret (se subduceret *Th. Kiessling*, fratris se *Halm*) 13 intp̄tabatur neq; uos Inpunitos patiantur;. Corneli taciti liber XX explicit Incipit XXI. (neque — patiantur *sunt verba ex oratione Cerialis c. 77. falso repetita.*)

86. *sed pars obsequii*] cf. 2, 47 *pars ignaviae est*, 3, 46 *pars consilii pacisque erat. Greef*, Lexicon Taciteum p. 1062 E. — *ne deprehenderentur*] scil. intellectae artes. »prudentiae erat dissimulare intellectum et obsequi, ut ita artes haud intellexisse videretur.« Ruperti. cf. Ann. 1, 11 *unus metus, si intellegere viderentur*, 2, 42 *si intellegere crederetur, vim metuens*, 13, 38 *dissimulato tamen intellectu*, 14, 6 *solum insidiarum remedium esse, si non intellegerentur.* — *qua cogitatione*] quo in consilio arcano exercitus potiundi, ut Ann. 15, 54: *magnae cogitationis manifestus erat.* Vellei. 1, 10: *cogitationem regiam.* — *salubri temperamento*] ‚*durch eine heilsame Abkühlung*' cf. 4, 68 *hic* (Mucianus) *moras nectens, quis flagrantem* (Domitianum) *retineret, ne ferocia aetatis et pravis inpulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret.* — *elusit*] frustratus est, quasi ictu adversarii eluso, cf. Ann. 3, 16 *ni elusus a Seiano per vana promissa foret*, 13, 22 *variis mox artibus elusus — est.* — *in altitudinem*] quasi dicas, in profundum, penitus. Duebn. Suet. Dom. 2: *simulavit et ipse mire modestiam, inprimisque poeticae studium, tam insuetum antea sibi quam postea spretum et abiectum.* ceterum nota est Quintiliani adulatio ab infausta necessitate expressa 10, 1, 91: *Germanicum Augustum ab institutis studiis deflexit cura terrarum, parumque dis visum est esse eum maximum poetarum. Quid tamen his ipsis eius operibus in quae donato* (id est aliis relicto, condonato) *imperio iuvenis secesserat, sublimius, doctius, omnibus denique numeris praestantius? Quis enim caneret bella melius quam qui sic gerit? Quem praesidentes studiis deae propius audirent? Cui magis suas artes aperiret familiare numen Minervae? Dicent haec plenius futura saecula.* ac similia Silius, Valerius Flaccus, Martialis. hinc Rutgersius (Var. Lectt. III. p. 276), Grauert (Mus. Rhen. 1827. IV. p. 347), Niebuhr (*Röm. Geschichte* V. p. 291) Aratea illa Latina, quae ex optimis Codd. emendata edidi Turici M. DCCC. XXXI., quaeque a plerisque Germanico Caesari, Drusi filio, adscribuntur, Domitiano vindicare voluerunt. contra disputant Lersch (*Zeitschr. für Alterthumsw.* 1837. N. 129) et Merkel (ad Ovid. Trist. p. 379). quin etiam fuerunt, qui Claudio imperatori eam curam tribuerent, quia Codicum inscriptiones hae sunt: *LIBER ASTRONOMIAE CLAUDII CAESARIS* vel *CLAUDII CAESARIS ARATI PHAENOMENA.* — *contra*] quam re vera erat, ergo sinistre atque inique, quasi Titus ipsi caritatem patris populique studia praeripere conaretur. cf. Ann. 13, 47 (Nero) *suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium eius in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando.*

EXCURSUS I. AD C. XLVIII.

Beneficiorum numerus] Proprie et ex aevi eius usu accipe beneficia, promotiones ad altiores ordines sive gradus. castrense in ea re verbum est, Livio sic usurpatum 9, 30, 3: *Ut tribuni militum seni deni a populo crearentur quae antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum et consulum ferme fuerant beneficia.* Ciceroni etiam epistola ad Rufum quaestorem 5, 20, 4: *De centurionibus tamen et de tribunorum militarium contubernalibus res est in integro; genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat.* nec Valerius alio sensu 4, 7, 5 scripsit: *Ad equestrem ordinem et splendidae militiae stipendia P. Caeli beneficio pervenerat.* item Suetonius Tib. 12. clare: *Venit in suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones.* noster adaeque 1, 25: *primores militum per beneficia Nymphidi ut suspectos.* hi tales beneficiarii dicti. Caesar B. C. 1, 75: *Petreius cum praetoria cohorte barbarisque equitibus paucis, beneficiariis suis.* passim in lapidibus: *BF. COS.* et *BF. PR.* et *BF. PR. PR.* id est, *Beneficiarius Consulis, Beneficiarius Praetoris, Beneficiarius Praefecti Praetorio,* aut *Propraetoris.* Vegetius nomen restringere videtur: *beneficiarii,* inquit 2, 7, *ab eo appellati, quod promoventur beneficio tribunorum.* et ad eius mentem lego in lapidibus ista: in Piceno (ap. Grut. 551, 3) *BENEFICIARIVS. TRIBVNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTVRIA.* Romae (ib. p. 538, 8) *CORNELIO. MARCIANO. MILITI. CHORT. XII. VRB. BENEF. TRIBVN.* abiisse in aliud officii nomen videtur ex Tertulliano de fuga c. 13: *In matricibus beneficiariorum et curiosorum inter tabernarios et lanios et aleones et lenones Christiani quoque vectigales continentur.* Lips. duo sunt apud veteres beneficiorum genera, quae subinde confunduntur a doctissimis, ut h. l. ab ipso Lipsio. alia sunt *beneficia,* quae ad aerarium deferuntur, ad quae spectat locus ex Ep. Cic. ad quaestorem suum: alia *beneficia* imperatorum aut aliorum. in illis nihil est nisi commendatio virtutis et rei bene gestae, quae deponitur apud aerarium et venit in civium notitiam, unde aditus munitur ad honores maiores: in his est gradus aut honoris collatio, ut tribunatus, praefecturae, centuriatus cet., verbo honoratioris et utilioris militiae in quocunque genere: nam et centurionum beneficia sunt. neque vero solum de militia dicitur, sed et aliis: velut apud Plin. Epp. 10, 48. sunt *buleutae beneficio* Caesaris: nam ibi aut *additi beneficio tuo* cum Casaubono legendum, aut *qui sunt beneficio tuo.* ut ad Tacitum veniamus, aequatus beneficiorum numerus nihil est aliud, quam numerum locorum militarium, quae adsignarentur arbitrio proconsulis, fuisse inter utrumque ita divisum, ut uterque totidem crearet. Ern.

EXCURSUS II. AD C. LXVII.
EX PLUTARCHI AMATORIO C. XXV.

Recognovit Gregorius N. Bernardakis vol. IV. p. 459. Lipsiae 1892.

Κιουίλιος, ὁ τὴν ἐν Γαλατίᾳ κινήσας ἀπόστασιν, ἄλλους τε πολλούς, ὡς εἰκός, ἔσχε κοινωνοὺς καὶ Σαβῖνον ἄνδρα νέον οὐκ ἀγεννῆ, πλούτῳ δὲ καὶ δόξῃ ἀνθρώπων πάντων ἐπιφανέστατον. ἁψάμενοι δὲ πραγμάτων μεγάλων ἐσφάλησαν καὶ δίκην δώσειν προσδοκῶντες οἱ μὲν αὑτοὺς ἀνῄρουν, οἱ δὲ φεύγοντες ἡλίσκοντο. τῷ δὲ Σαβίνῳ τὰ μὲν ἄλλα πράγματα ῥᾳδίως παρεῖχεν ἐκποδὼν γενέσθαι καὶ καταφυγεῖν εἰς τοὺς βαρβάρους· ἦν δὲ γυναῖκα πασῶν ἀρίστην ἠγμένος ἣν (ἐκεῖ μὲν Ἐμπονὴν ἐκάλουν, Ἑλληνιστὶ δ' ἄν τις Ἡρωίδα προσαγορεύσειεν) οὔτ' ἀπολιπεῖν δυνατὸς ἦν οὔτε μεθ' ἑαυτοῦ κομίζειν. ἔχων οὖν κατ'

ἀγρὸν ἀποθήκας χρημάτων ὀρυκτὰς ὑπογείους, ἃς δύο μόνοι τῶν ἀπελευθέρων συνῄδεσαν, τοὺς μὲν ἄλλους ἀπήλλαξεν οἰκέτας, ὡς μέλλων φαρμάκοις ἀναιρεῖν ἑαυτόν, δύο δὲ πιστοὺς παραλαβὼν εἰς τὰ ὑπόγεια κατέβη· πρὸς δὲ τὴν γυναῖκα Μαρτιάλιον ἔπεμψεν ἀπελεύθερον ἀπαγγελοῦντα τεθνάναι μὲν ὑπὸ φαρμάκων, συμπεφλέχθαι δὲ μετὰ τοῦ σώματος τὴν ἔπαυλιν· ἐβούλετο γὰρ τῷ πένθει χρῆσθαι τῆς γυναικὸς ἀληθινῷ πρὸς πίστιν τῆς λεγομένης τελευτῆς. ὃ καὶ συνέβη· ῥίψασα γάρ, ὅπως ἔτυχε, τὸ σῶμα μετ᾽ οἴκτων καὶ ὀλοφυρμῶν ἡμέρας τρεῖς καὶ νύκτας ἄσιτος διεκαρτέρησε. ταῦτα δὲ ὁ Σαβῖνος πυνθανόμενος καὶ φοβηθείς, μὴ διαφθείρῃ παντάπασιν ἑαυτήν, ἐκέλευσε φράσαι κρύφα τὸν Μαρτιάλιον πρὸς αὐτήν, ὅτι ζῇ καὶ κρύπτεται, δεῖται δ᾽ αὐτῆς ὀλίγον ἐμμεῖναι τῷ πένθει, καὶ μηδὲ * * [1]) πιθανὴν ἐν τῇ προσποιήσει γενέσθαι. τὰ μὲν οὖν ἄλλα παρὰ τῆς γυναικὸς ἐναγωνίως συνετραγῳδεῖτο τῇ δόξῃ τοῦ πάθους· ἐκεῖνον δ᾽ ἰδεῖν ποθοῦσα νυκτὸς ᾤχετο, καὶ πάλιν ἐπανῆλθεν. ἐκ δὲ τούτου λανθάνουσα τοὺς ἄλλους ὀλίγον ἀπέδει συζῆν ἐν ᾅδου τῷ ἀνδρὶ πλέον ἑξῆς ἑπτὰ μηνῶν· ἐν οἷς κατασκευάσασα τὸν Σαβῖνον ἐσθῆτι καὶ κουρᾷ καὶ καταδέσει τῆς κεφαλῆς ἄγνωστον εἰς Ῥώμην ἐκόμισε μεθ᾽ ἑαυτῆς τινῶν ἐλπίδων ἐνδεδομένων. πράξασα δ᾽ οὐδὲν αὖθις ἐπανῆλθε, καὶ τὰ μὲν πολλὰ ἐκείνῳ συνῆν ὑπὸ γῆς, διὰ χρόνου δ᾽ εἰς πόλιν ἐφοίτα ταῖς φίλαις ὁρωμένη καὶ οἰκείαις γυναιξί. τὸ δὲ πάντων ἀπιστότατον, ἔλαθε κύουσα λουομένη μετὰ τῶν γυναικῶν· τὸ γὰρ φάρμακον, ᾧ τὴν κόμην αἱ γυναῖκες ἐναλειφόμεναι ποιοῦσι χρυσοειδῆ καὶ πύρραν, ἔχει λίπασμα σαρκοποιὸν ἢ χαυνωτικὸν σαρκός, ὥσθ᾽ οἷον διάχυσίν τινα ἢ διόγκωσιν ἐμποιεῖν· ἀφθόνῳ δὴ χρωμένη τούτῳ πρὸς τὰ λοιπὰ μέρη τοῦ σώματος, αἰρόμενον καὶ ἀναπιμπλάμενον ἀπέκρυπτε τὸν τῆς γαστρὸς ὄγκον. τὰς δ᾽ ὠδῖνας αὐτὴ καθ᾽ ἑαυτὴν διήνεγκεν, ὥσπερ ἐν φωλεῷ λέαινα καταδῦσα πρὸς τὸν ἄνδρα, καὶ τοὺς γενομένους ὑπεθρέψατο σκύμνους ἄρρενας· δύο γὰρ ἔτεκε. τῶν δ᾽ υἱῶν ὁ μὲν ἐν Αἰγύπτῳ πεσὼν ἐτελεύτησεν, ὁ δ᾽ ἕτερος ἄρτι καὶ πρῴην γέγονεν ἐν Δελφοῖς παρ᾽ ἡμῖν ὄνομα Σαβῖνος. ἀποκτείνει μὲν οὖν αὐτὴν ὁ Καῖσαρ· ἀποκτείνας δὲ δίδωσι δίκην, ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τοῦ γένους παντὸς ἄρδην ἀναιρεθέντος. οὐδὲν γὰρ ἤνεγκεν ἡ τόθ᾽ ἡγεμονία σκυθρωπότερον οὐδὲ μᾶλλον ἑτέραν εἰκὸς ἦν καὶ θεοὺς καὶ δαίμονας ὄψιν ἀποστραφῆναι· καίτοι τὸν οἶκτον ἐξῄρει τῶν θεωμένων τὸ θαρραλέον αὐτῆς καὶ μεγαλήγορον, ᾧ καὶ μάλιστα παρώξυνε τὸν Οὐεσπασιανόν, ὡς ἀπέγνω τῆς σωτηρίας πρὸς αὐτὸν ἀλλαγὴν [2]) κελεύουσα· βεβιωκέναι γὰρ ὑπὸ σκότῳ καὶ κατὰ γῆς ἥδιον ἢ βασιλεύειν ἐκείνῳ.

Adde ex Dione (66, 3): Ἰούλιός τις Σαβῖνος, ἀνὴρ πρῶτος τῶν Λιγγόνων, δύναμιν καὶ αὐτὸς ἰδίαν ἤθροισε καὶ Καῖσαρ ἐπωνομάσθη, λέγων ἔκγονος τοῦ Καίσαρος τοῦ Ἰουλίου εἶναι. ἡττηθεὶς δὲ μάχαις τισὶν ἔφυγεν εἰς ἀγρόν τινα, κἀνταῦθα εἰς μνημεῖον ὑπόγειον, προκαταπρήσας αὐτό, κατέδυ· καὶ οἱ μὲν ᾤοντο κἀκεῖνον ἀπολωλέναι, ὁ δὲ ἐκρύφθη τε ἐν αὐτῷ ἐννέα ἔτη μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς δύο ἄρρενας ἐκύησε.

(66, 16): Ὁ Σαβῖνος ἐκεῖνος ὁ Γαλάτης ὁ Καίσαρά ποτε ἑαυτὸν ὀνομάσας καὶ ἐς ὅπλα χωρήσας ἡττηθείς τε καὶ ἐς τὸ μνημεῖον κατακρυφθεὶς ἐφανερώθη τε καὶ ἐς τὴν Ῥώμην ἀνήχθη· συναπέθανε δὲ αὐτῷ καὶ ἡ γυνὴ Πεπονίλλα, ἥπερ που καὶ διεσώσατο αὐτόν· καίτοι τὰ παιδία τῷ Οὐεσπασιανῷ προβαλοῦσα καὶ ἐλεεινότατον ἐπ᾽ αὐτοῖς λόγον εἰποῦσα, ὅτι ταῦτα, Καῖσαρ, καὶ ἐγέννησα ἐν τῷ μνημείῳ καὶ ἔθρεψα, ἵνα σε πλείονες ἱκετεύσωμεν. δακρῦσαι μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ τοὺς ἄλλους ἐποίησεν, οὐ μέντοι καὶ ἠλεήθησαν.

Nihil novi afferre potuerunt Secousse, *Histoire de Julius Sabinus et d'Epponina sa femme. Mémoires de l'académie des inscriptions* VI. p. 670 et Thierry, *Histoire des Gaulois Éd. III. Vol. III.* p. 447.

1) Supple cum Reiskio καὶ μηδὲν ὅλως παραλιπεῖν ὥστε πιθανήν, vel cum Wyttenbachio μηδὲν ἀνιέναι, ἀλλὰ πιθανήν.

2) Wyttenb. ἀγγέλλειν, Winckelm. ἀλλ᾽ ἄγειν. ἀπάγειν ὑπὸ γῆν aut ἀπάγειν R. πρὸς αὐλὸν ἀπάγειν Emperius, προσαιτεῖν ἀλλαγήν Madvig.

EXCURSUS III. AD C. LXXXIII.

GUIGNIAUT *Sérapis et son origine.* BURNOUF *Oeuvres de Tacite.* V. p. 532.

Si l'on compare Tacite avec lui-même, on verra que notre auteur, tout en désignant clairement comme Sérapis le dieu dont il raconte l'origine, n'en reconnaît pas moins la préexistence d'un dieu égyptien de ce nom, adoré avec Isis à Rhacotis, long-temps avant la fondation d'Alexandrie. Cette préexistence est de même explicitement ou implicitement admise par la plupart des anciens qui ont touché ce sujet. Clément d'Alexandrie [1]*), entre autres, dit que la statue apportée de Sinope en Égypte fut érigée sur le promontoire de Rhacotis, au lieu même où l'on révérait le temple de Sérapis. Quant à Plutarque* [2]*), il déclare positivement que le dieu de Sinope ne portait point le nom de Sérapis, mais qu'il le reçut en Égypte. — — —*

Jablonski [3]*), avec sa vaste érudition et son esprit pénétrant, s'est vu presque amené à penser, tout en se défendant d'une telle audace, que cette anecdote que Sérapis avait été transféré de Sinope à Alexandrie, loin d'être le récit fidèle d'un évènement par suite duquel une divinité grecque et une divinité égyptienne auraient été amalgamées l'une avec l'autre, n'est qu'une pure fable imaginée, soit pour motiver cet amalgame, soit même pour rendre compte d'une coïncidence fortuite de mots. Les preuves de cette hypothèse, profondément critique en soi, ne sont nullement à dédaigner. Sans insister sur le circonstances merveilleuses qui infirment la version de Plutarque et surtout celle de Tacite, sans faire remarquer le peu d'accord de toutes deux avec le récit beaucoup plus simple de Clément d'Alexandrie, tant sur l'époque que sur le mode de la translation du dieu, Jablonski se contente d'observer que son origine sinopique n'était rien moins qu'une tradition constante dans l'antiquité. En effet, Clément d'accord en ce point avec Tacite, rapporte d'après Isidore, que le Sérapis Alexandrin était venu de Séleucie de Syrie, sous le troisième des Ptolémées, c'est-à-dire sous Évergète premier. D'autres, selon notre auteur, le faisaient venir de Memphis, antique capitale de l'Égypte, sous les auspices du même roi, et lui*

---

1) Protreptic. § 48 p. 42. Pott.: Ὃν δὴ κατ' ἐξοχὴν πρὸς πάντων σεβασμοῦ κατηξιωμένον ἀκούομεν, τοῦτον ἀχειροποίητον εἰπεῖν τετολμήκασιν, τὸν Αἰγύπτιον Σάραπιν. οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἱστοροῦσι χαριστήριον ὑπὸ Σινωπέων Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ τῷ Αἰγυπτίων πεμφϑῆναι βασιλεῖ, ὃς λιμῷ τρυχομένους αὐτούς, ἀπ' Αἰγύπτου μεταπεμψάμενος σῖτον ὁ Πτολεμαῖος ἀνεκτήσατο· εἶναι δὲ τὸ ξόανον τοῦτο ἄγαλμα Πλούτωνος· ὃς δεξάμενος τὸν ἀνδριάντα ἐπὶ τῆς ἄκρας, ἣν νῦν Ῥακῶτιν καλοῦσιν, ἔνϑα καὶ τὸ ἱερὸν τετίμηται τοῦ Σαράπιδος. γειτνιᾷ δὲ τοῖς τόποις τὸ χωρίον. Ἄλλοι δέ φασι Ποντικὸν εἶναι βρέτας τὸν Σάραπιν, μετῆχϑαι δὲ εἰς Ἀλεξάνδρειαν μετὰ τιμῆς πανηγυρικῆς. Ἰσίδωρος μόνος παρὰ Σελευκέων τῶν πρὸς Ἀντιόχειαν τὸ ἄγαλμα μεταχϑῆναι λέγει, ἐν σιτοδείᾳ καὶ αὐτῶν γενομένων καὶ ὑπὸ Πτολεμαίου διατραφέντων.

2) de Iside et Osir. c. 28. vol. II. p. 498. ed. Bernardakis: Πτολεμαῖος ὁ Σωτὴρ ὄναρ εἶδε τὸν ἐν Σινώπῃ τοῦ Πλούτωνος κολοσσόν, οὐκ ἐπιστάμενος οὐδ' ἑωρακὼς πρότερον, οἷος τὴν μορφὴν ἦν, κελεύοντα κομίσαι τὴν ταχίστην αὐτὸν εἰς Ἀλεξάνδρειαν. Ἀγνοοῦντι δ' αὐτῷ καὶ ἀποροῦντι, ποῦ καϑίδρυται, καὶ διηγουμένῳ τοῖς φίλοις τὴν ὄψιν, εὑρέϑη πολυπλανὴς ἄνϑρωπος ὄνομα Σωσίβιος, ἐν Σινώπῃ φάμενος ἑωρακέναι τοιοῦτον κολοσσόν, οἷον ὁ βασιλεὺς ἰδεῖν ἔδοξεν. ἔπεμψεν οὖν Σωτέλη καὶ Διονύσιον, οἳ χρόνῳ πολλῷ καὶ μόλις, οὐκ ἄνευ μέντοι ϑείας προνοίας, ἤγαγον ἐκκλέψαντες. ἐπεὶ δε κομισϑεὶς ὤφϑη, συμβαλόντες οἱ περὶ Τιμόϑεον τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μανέϑωνα τὸν Σεβεννύτην Πλούτωνος ὂν ἄγαλμα, τῷ Κερβέρῳ τεκμαιρόμενοι καὶ τῷ δράκοντι, πείϑουσι τὸν Πτολεμαῖον, ὡς ἑτέρου ϑεῶν οὐδενός, ἀλλὰ Σαράπιδός ἐστιν. οὐ γὰρ ἐκεῖϑεν οὕτως ὀνομαζόμενος ἧκεν, ἀλλ' εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισϑεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σάραπιν. καὶ μέντοι Ἡρακλείτου τοῦ φυσικοῦ λέγοντος „Ἅιδης καὶ Διόνυσος ωὑτὸς ὅτεῳ μαίνονται καὶ ληναΐζουσιν", εἰς ταύτην ὑπάγουσι τὴν δόξαν. οἱ γὰρ ἀξιοῦντες ᾅδην λέγεσϑαι τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς, οἷον παραφρονούσης καὶ μεϑυούσης ἐν αὐτῷ, γλίσχρως ἀλληγοροῦσι. βέλτιον δὲ τὸν Ὄσιριν εἰς ταὐτὸ συνάγειν τῷ Διονύσῳ, τῷ τ' Ὀσίριδι τὸν Σάραπιν, ὅτε τὴν φύσιν μετέβαλε, ταύτης τυχόντι τῆς προσηγορίας. Διὸ πᾶσι κοινὸς ὁ Σάραπίς ἐστι, ὡς δὴ τὸν Ὄσιριν οἱ τῶν ἱερῶν μεταλαβόντες ἴσασιν. cfr. Plut. de sollertia anim. c. 36. ed. Bernardakis vol. VI. p. 77.

3) Pantheon Aegyptior. lib. 2. c. 5. vol. I. p. 227. seqq.

donnaient ainsi une origine purement égyptienne. Une légende mystérieuse, conservée dans Suidas[4]*), tend à confirmer ce dernier témoignage, en disant que le cercueil qui renfermait le corps d'Apis fut transporté de Memphis à Alexandrie, où il reçut le nom de Sérapis. Conformément à cette tradition, Pausanias*[5]*), dans un passage non moins remarquable, nous apprend que, parmi les temples de Sérapis qui subsistaient de son temps en Égypte, le plus célèbre se trouvait à Alexandrie, et le plus ancien à Memphis: l'accès de ce dernier, ajoute-t-il, était interdit non seulement aux étrangers, mais aux prêtres eux-mêmes, avant l'ensevelissement d'Apis. Strabon*[6]*), après avoir fait mention du vieux sanctuaire de Sérapis, situé non loin de la nécropole d'Alexandrie, décrit également la position du Sérapéum de Memphis, qui s'élevait aussi à l'entrée de la cité des morts, dans le désert sablonneux bordé par la chaîne libyque. Enfin un dernier passage, trop négligé par la plupart de ceux qui ont traité jusqu'ici la question, semble venir l'éclairer d'un jour tout-à-fait imprévu. Denys le Périégète*[7]*), dans sa Description de l'Univers, parle de la cité macédonienne, c'est-à-dire de la ville fondée en Égypte par Alexandre, et à cette occasion, peut-être avant tout autre des anciens que nous connaissions, il cite le Jupiter de Sinope; car c'est ainsi qu'il faut entendre le vers suivant détaché de ce qui précède:*

»Là se trouve le palais du grand Jupiter Sinopite.«

Il n'est guère douteux en effet que, dans la pensée du Périégète, cette épithète Sinopite ne fasse allusion à la ville de Sinope et par conséquence à l'anectode vulgaire, certainement accréditée dès l'epoque de Denys, en supposant que cet auteur ait écrit sous Auguste. Quoi qu'il en soit, Eustathe, qui, au douzième siècle de notre ère, commenta son poème géographique, parvenu au vers que nous venons de citer, avant de donner aussi sa version du récit que nous connaissons déjà par Tacite, Plutarque et Clément d'Alexandrie, présente une interprétation complètement différente du nom de Sinopite appliqué au grand dieu de la capitale des Ptolémées. Ce nom, dit-il, veut dire le Memphite, c'est-à-dire le Jupiter de Memphis, appelé ainsi du mont Sinopium auprès de cette ville. N'est-ce pas au milieu du chaos des traditions diverses, comme une révélation soudaine qui, mettant en lumière un

---

4) Suidas in Σάραπις. ed. Gaisf. p. 3259: Τὴν σορὸν τοῦ Ἄπιδος, ἐν ᾗ τὸ σῶμα ἔκειτο αὐτοῦ, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετήνεγκαν, καὶ ἀπὸ τῆς σοροῦ καὶ τοῦ Ἄπιδος σύνθετον ὄνομα πεποιηκότες ἐκάλουν αὐτὸν Σόραπιν· οἱ δὲ μετὰ ταῦτα Σάραπιν. ac prorsus similia habet Cedrenus p. 325. antiquius autem de hac fabula testimonium exstat apud Clementem Alex. Strom. 1 c. 21. § 106: Ἆπις ὁ Ἄργους βασιλεὺς Μέμφιν οἰκίζει, ὥς φησιν Ἀρίστιππος ἐν πρώτῃ Ἀρκαδικῶν. τοῦτον δὲ Ἀριστέας ὁ Ἀργεῖος ἐπονομασθῆναί φησι Σάραπιν καὶ τοῦτον εἶναι ὃν Αἰγύπτιοι σέβουσιν. Νυμφόδωρος δὲ ὁ Ἀμφιπολίτης ἐν τρίτῳ νομίμων Ἀσίας τὸν Ἆπιν τὸν ταῦρον τελευτήσαντα καὶ ταριχευθέντα εἰς σορὸν ἀποτίθεσθαι τῷ ναῷ τοῦ τιμωμένου δαίμονος, κἀντεῦθεν Σορόαπιν κληθῆναι καὶ Σάραπιν συνηθείᾳ τινὶ τῶν ἐγχωρίων ὕστερον.

5) Attic. c. 18: Αἰγυπτίοις ἱερὰ Σαράπιδος ἐπιφανέστατον μέν ἐστιν Ἀλεξανδρεῦσιν, ἀρχαιότατον δὲ ἐν Μέμφει· ἐς τοῦτο ἐσελθεῖν οὔτε ξένοις ἔστιν οὔτε τοῖς ἱερεῦσι, πρὶν ἂν τὸν Ἆπιν θάπτωσι.

6) Lib. 17. p. 795 de Serapeo Alexandrino et p. 807 de Memphitico: ἔστι δὲ καὶ Σαράπιον ἐν ἀμμώδει τόπῳ σφόδρα.

7) Dionys. Per 254: Μακηδόνιον πτολίεθρον, Ἔνθα Σινωπίταο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον Χρυσῷ τιμήεντι κεκασμένον. Eustathius in Παρεκβολαῖς ed. Hudson p. 156: Σινωπίτης δὲ Ζεὺς ἢ ὁ Μεμφίτης. Σινώπιον γὰρ ὄρος Μέμφιδος· ἢ ἀπὸ Σινώπης τῆς Ποντικῆς. Φέρεται καὶ τοιοῦτος λόγος, ὅτι βασιλεῖ τῆς Ἀλεξανδρείας Πτολεμαίῳ τῷ Λάγου δαίμων τις ἐπιφανεὶς ἐκέλευσε πέμψαντα ναῦν κομίσαι αὐτόν, μὴ προσδηλώσας καὶ τόπον ὅθεν αὐτὸν ἀνακομίσεται· ὁ δὲ πέμπει φέρεσθαι τηνάλλως τὴν ναῦν ὅπῃ τύχῃ· καὶ ὡς προσέβαλεν ἡ ναῦς τῇ Φωκίδι, λαβόντες χρησμὸν οἱ ἐμπλέοντες ἀπελθεῖν εἰς Σινώπην καὶ ἐνέγκαι τὸ προσταχθέν, ἤνεγκαν ἐκεῖθεν τὸ τοῦ Σαράπιδος Διὸς ἄγαλμα. κἀντεῦθεν Σινωπίτης Ζεὺς ἤτοι Σάραπις, οὗ φασι τὸ ἄγαλμα τοῖς ὁρῶσιν ἄδηλον εἶναι, οἵας φύσεως ἦν, οἱ δὲ ἀπὸ Σίνωπος ποταμοῦ τὸν Σινωπίτην τοῦτον Δία παράγουσι.

fait inconnu, nous montre dans un mot, dans le nom de Sinopium ou Sinopienne, donné sans doute en égyptien à la montagne des sables près de laquelle s'élevait le temple de Sérapis, le vrai secret de la légende suggérée à la vanité grecque par le rapport fortuit de ce nom avec celui de la ville de Sinope? A cette coïncidence toute verbale, qu'on en ajoute une autre également fortuite, également possible, celle du caractère et des attributs entre le Jupiter-Pluton de Sinope et Sérapis infernal du mont Sinopium à Memphis, alors la légende aura pris avec le temps, aux yeux des Grecs et des Égyptiens grécisans de la cour des Ptolémées, une consistance qui l'aura fait passer pour une réalité historique et incontestable. Et cependant le seul fait réel, le fait antique de l'origine memphitique du Sérapis d'Alexandrie, n'aura pu tellement s'obscurcir dans la mémoire des hommes, que la tradition ne s'en soit conservée à côté du récit en vogue.

Telle est la conjecture dont nous trouvons le germe dans Jablonski, mais dont les développemens nous sont propres en grande partie.

cf. etiam *Wilhelm Drexler*, Mythologische Beiträge. 1. Heft: Der Kultus der ägyptischen Gottheiten in den Donauländern. Leipzig, Teubner, 1890.

HISTORIARUM
LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Interim Titus cum valido exercitu prope Hierosolyma castra facit. 2—5. Iudaicae gentis primordia, sacra, instituta, deque iis maligna profanorum iudicia. 6. 7. descriptio terrae finiumque, balsami, Libani, Iordanis, lacus bitumen egerentis, camporum torridorum, fructuum in cinerem vanescentium, Beli amnis, cuius arenae vitro inservientes. 8. Hierosolyma genti caput. immensae opulentiae templum. Iudaeorum sub aliis gentibus et suis regibus fata; 9. varia sors sub Romanis. 10—12. bellum sub Gessio Floro procuratore ortum. Titus Iudaeos in urbem compulsos obsidet. Hierosolymorum munitiones, copiae, duces. 13. prodigia ante obsidium.

14. Interea Civilis reparato per Germaniam exercitu bellum renovat; 15. manum conserit cum Ceriale satis prospere. uterque ad maturandum summae rei discrimen erectus. 16. 17. aciem instruit, suos adloquitur. 18. fit atrox pugna, qua proditione cuiusdam Batavi Germani vincuntur. 19. 20. Civilis in Batavorum insulam transgressus praesidia Romanorum invadit Verace, Classico, Tutore suffultus. 21. ambiguum proelium. subvenit Cerialis fortunamque vertit. 22. at parum providus ferme opprimitur. 23. Civilis navalem aciem ostentat, sed a Ceriale trans Rhenum pellitur. hic insulam Batavorum populatus superfuso amne novum discrimen adit. 24. 25. tum hostium animos occultis nuntiis labefactat. 26. Civilis petito colloquio ad deditionem se pronum profitetur. A. u. 823. post Chr. 70.

(1) Eiusdem anni principio Caesar Titus, perdomandae Iudaeae delectus a patre et privatis utriusque rebus militia clarus, maiore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus incorrupto ducis honore. tres eum in

1 Indeę 2 privatis *Rhenanus:* p̄latis utrisq; (v *superscr.* 1m.) 4 super fortunam *Lipsius:* superiori unam

1. *delectus*] »Ernestius coniecit *relictus* e loco Suet. Tit. 5. nam *delectus* imperatoris filio non satis dignum esse verbum nimis anxie censebat. nihil tamen ignobile in eo v. esse video, immo praecipuum decus. cf. Ann. 1, 59: *ille delectus Tiberius.*« Walth. cf. 2, 4 et 4, 51. — *privatis*] »imperatorium ad fastigium nondum evectis.« de militia eorum ante hoc tempus v. Suet. Vesp. 4. Tit. 4. Duebn. corruptam Medicei scripturam egregie emendavit Rhenanus ex 3, 65 *Flavius Sabinus aetate prior privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat.* — *certantibus provinciarum et exercituum studiis*] cf. 2, 4 *suspensis provinciarum et exercituum mentibus.* — *super fortunam*] »superior esse ea fortuna, quam in solito rerum cursu exspectare poterat.« — *in armis*] hoc a compluribus haud intellectum recte interpretatus est Walther: »quando ducem agebat, ducis

Iudaea legiones, quinta et decima et quinta decima, vetus Vespasiani miles, excepere. addidit e Syria duodecumam et adductos Alexandria duoetvicensimanos tertianosque; comitabantur viginti sociae cohortes, octo equitum alae, simul Agrippa Sohaemusque reges et auxilia regis Antiochi validaque et solito inter accolas odio infensa Iudaeis Arabum manus; multi quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi principem adhuc vacuum. his cum copiis fines hostium ingressus composito agmine, cuncta explorans paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra facit. (2) sed quoniam famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia eius aperire.

Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse memorant, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis. argumentum e nomine petitur: inclutum in Creta Idam montem; accolas Idaeos aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocitari. quidam regnante Iside exundantem per Aegyptum multitudinem ducibus Hierosolymo ac Iuda proximas in terras exoneratam; plerique Aethiopum prolem, quos rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit. sunt qui tradant Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Aegypti potitos,

2 duodecuma abductos *dett.* alexandriā (*notam del.* 1m.) 3 duoetuicensimano 5 Iudeis 6 multique *Halm* ex urbe *Nipperdey* quenq; 8/9 hieru | solimis (hiero *superscr.* 2m.) 9 quoniam *b:* q̃ *ut* 4, 5 *et* 73 (quia *dett.*) supm̄ū 10 congruę (ns *superscr.* 1m.) (congruū *b*) 12 pulsussus (*sic*) 13 Inclutū (u *in* y *mut.* 2m.) 14 Iudeos 15 ęgiptū 16 etoneratā (et *in* ex *corr.* 1m.)

munia obibat.« — *quinta*] est quinta Macedonica. — *decima*] decima Fretensis. — *quinta decima*] quinta decima Apollinaris. — *duodecumam*] est duodecima Fulminata. — *duoetvicensimanos tertianosque*] sunt mille vexillarii legionis duoetvicesimae Deiotarianae et mille legionis tertiae Cyrenaicae. cf. Iosephus B. I. 5, 44 δισχίλιοι μὲν γὰρ αὐτῷ τῶν ἀπ' Ἀλεξανδρείας στρατευμάτων ἐπίλεκτοι — συνείποντο. — *Agrippa*] Herodes Agrippa II., rex Trachonitidis et partis Iudaeae. Ann. 13, 7. Hist. 2, 81. — *Sohaemusque*] rex Emesae (Syriae) et Sophenes (inter Cappadociam et Armeniam) Ann. 13, 7. Hist. 2, 81. — *Antiochi*] Epiphanis, regis Commagenes et partis Ciliciae 2, 81. Ann. 12, 55. 13, 7 et 37. 14, 26. — *adhuc vacuum*] locutio ex iure (de possessionibus) petita: »principis animum ac favorem, antequam ad alios inclinaret, sibi conciliandi.« Duebn. significatione propria apud ICtos Gaius 4, 131: *si velimus vacuam possessionem nobis tradi.* — *haud procul Hierosolymis*] Iosephus B. I. 5, 51: στρατοπεδεύεται κατὰ τὸν ὑπὸ Ἰουδαίων πατρίως Ἀκανϑῶν αὐλῶνα καλούμενον πρός τινι κώμῃ Γαβὰϑ Σαοὺλ λεγομένῃ —, διέχων ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων ὅσον ἀπὸ τριάκοντα σταδίων.

2. *Iudaeos*] cum totus hic de Iudaeis locus ab interpretibus nimis adhuc sit neglectus, de pluribus eius capitibus fusius a nobis fuit disputandum. sed rationibus etiam typographicis coactus pleraque in longiorem Excursum conicere debui, quem ad singula conferat lector. — *aucto in barbarum*] »nomine per insertam litteram u ita aucto, ut εἰς τὸ βαρβαρικόν, in barbaram formam abiret.« Duebn. cf. Ann. 6, 42: (*Seleucia*) *civitas potens — neque in barbarum corrupta.* — *metus atque odium*] emigrantium adversus regem suum Cepheum. — *Assyrios convenas*] hoc aliquatenus consentaneum est iis, quae de Abrahamo narrantur.

mox proprias urbes Hebraeasque terras et propiora Syriae coluisse. clara alii Iudaeorum initia, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditae urbi Hierosolyma nomen e suo fecisse. (3) plurimi auctores consentiunt orta per Aegyptum tabe, quae corpora foedaret, regem Bocchorim adito Hammonis oraculo remedium petentem purgare regnum et id genus hominum ut invisum deis alias in terras avehere iussum. sic conquisitum collectumque volgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Moysen unum exulum monuisse, ne quam deorum hominumve opem expectarent utrisque deserti, sed sibimet duce caelesti crederent, primo cuius auxilio praesentes miserias pepulissent. adsensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. sed nihil aeque quam inopia aquae fatigabat, iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. secutus Moyses coniectura herbidi soli largas aquarum

1 hebreasq; propriora (propiora 2m.) 2 Iudeorum 3 hierosolyma (ā 2m.) nomen e *Rhenanus:* nomine plurimi — pepulissent *refert Orosius* 1, 10 6 hauehere (*litt.* h *erasa*) 8 mosen (y *superscr.* 2m.) 9 utriq; (s *superscr* 1m.) (utrinq; *b*) sed *dett. et Orosius:* et (*corr. ex* ex 1m.) duci *b, Orosius*; ut duci *dett.*; duces *Iacob* 10 caeleste id *Ritter*, caeleste *Nipperdey* (ducem caelestem *Haase*) praesentes *Orosius:* credentes p̄sentes

Duebn. — *clara — initia*] »illustria, utpote ex vulgari opinione iam ab Homero memorata.« — *nomen e suo fecisse*] sic Virg. Ge. 1, 137: *Navita tum stellis numeros et nomina fecit.* Aen. 3, 18 *Aeneadasque meo nomen de nomine fingo.*

3. *tabe*] Humilia nomina praetulit Iustinus 36, 2: *Aegyptii, cum scabiem et vitiliginem paterentur, responso moniti eum (Moysen) cum aegris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt.* — *Hammonis*] Iovis Aegyptii. Plut. de Is. et Os. 9: τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ᾽ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν (ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν), Μανεθὼς ὁ Σεβεννύτης τὸ κεκρυμμένον οἴεται καὶ τὴν κρύψιν ὑπὸ ταύτης δηλοῦσθαι τῆς φωνῆς. recte autem scriptum est nomen illud Aegyptium *Amun*. cf. Bunsen *Aegypten* I. p. 96. — *vastis locis*] *vastis Arabiae locis* memoriter vel explicationis gratia hinc affert Tertullianus Apol. 16., sed ut Med. Orosius 1, 10, ubi exscribit vv. *Plurimi auctores — pepulissent.* — *per lacrimas torpentibus*] *per lacrimas* est *inter lacrimas*, et *torpere* nullum consilium vincendi mali reperire. Ern. (*Tandis que ces exilés restaient abattus et pleuraient* etc. Louandre.) — *sed sibimet — crederent*] cf. Curtius 10, 7, 10 *sibimet ipsis potissimum crederent.* — *duce caelesti*] scil. eo futuro, cuius etc. sic enim Moyses recta oratione dixisse videtur: »a dis et hominibus deserti, vobis ipsis credite, quibus dux caelestis is erit, qui primus nunc laborantibus opem tulerit«. *duce caelesti* asinus indicatur, quem ducem secutus Moyses aquam repperit. c. 4 *quo monstrante errorem sitimque depulerant.* — *primo cuius auxilio — pepulissent*] cf. Livius 21, 52, 8 *continendis in fide sociis maximum vinculum esse primos, qui eguissent ope, defensos censebat.* — *pepulissent*] in oratione recta *pepuleritis*, futurum exactum, pro quo plerique nunc ponerent simplex. illud vero maiorem etiam Moysis fiduciam exprimit. — *sed nihil aeque — fatigabat*] cf. Ann. 4, 49 *sed nihil aeque quam sitis fatigabat.* — *totis campis*] ut 4, 18 *totis campis palantur.* Curtius 3, 8, 18 *ignes — totis campis conlucere* 3, 13, 10 *iacebant totis campis* 5, 1, 11 *totis iacentium campis* 9, 9, 25 *totis campis inundatis.* Livius 37, 20, 5 *sparserant se toto passim campo.* — *herbidi soli*] inde, quod herbidum ibi solum erat, coniiciens ibidem

venas aperit. id levamen; et continuum sex dierum iter emensi septimo pulsis cultoribus optinuere terras, in quis urbs et templum dicata. (4) Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. profana illic omnia, quae apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quae nobis incesta. effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere, caeso ariete velut in contumeliam Hammonis. bos quoque immolatur, quoniam Aegyptii Apin colunt. sue abstinent memoria cladis, quod ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur; et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur. septimo diei otium placuisse ferunt, quia is finem

1 reperit *Huetius* 4 illis *Acidalius* 5 animalis (s. onagri *superscr.* 2*m.*) 6 sitim erroremq; *b* in penetrali *Ritter* 7 quoniam *Orelli:* q̃ (quē *superscr.* 2*m.*) *cf. c.* 2 (quia *Bipontini*) 8 sues (s *del.* 1*m.*) meria (mo *post* me *supra lin. add.* 1*m. et* memoria *superscr.* 2*m.*) quod (qua *superscr.* 2*m.*) scabies (b *ex* p *corr.* 1*m.*) 11 diei (die *superscr.* 2*m.*)

debere esse fontes. Duebn. — *venas aperit*] »facit, ut repente scateant«; multo hoc significantius quam Huetii *reperit*. Hebraeorum autem hac de re narrationem vide Exod. 17. — *urbs et templum dicata*] pro vulgari: »urbs condita et templum dicatum:« Βραχυλογία autem hic imprimis apta, quoniam urbs ipsa quoque sacra habebatur a Iudaeis; quod tamen num Tacitus consulto significare voluerit, ut rati sunt nonnulli, mihi perquam dubium videtur.

4. *nobis incesta*] verbi causa, patrui nuptiae cum fratris filia. Duebn. verum cum colore quodam rhetorico latius etiam patet, ut dicat, singulos prope Iudaeorum mores prorsus contrarios esse Romanis. — *animalis*] asini, quem a Iudaeis cultum esse gentiles multi credebant. refutat Iosephus c. Apion. 2, 7. Duebn. cf. Plutarch. Sympos. 4, 5, 2 καὶ ἴσως ἔχει λόγον, ὡς τὸν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν, οὕτω καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γενομένην. ceterum de huius erroris origine vide Excursum. — *errorem sitimque*] frustra nonnulli haeserunt in hoc ὑστέρῳ προτέρῳ utique singulari. verum hoc dicit: »monstrantibus onagris primum sitim depulerunt Iudaei, dein paucos post dies domini terrae cultae facti, ab errore liberati sunt.« utrumque autem artissime iungit atque adeo invertit Tacitus. Iustin. 36, 2, 14 *illa dies famem illis erroremque finierat.* — *in contumeliam Hammonis*] fortasse hoc referendum ad arietem et taurum anniculum piaculares atque ad binos illos hircos, alterum ἀποπομπαῖον, qui in desertum dimittebatur, alterum immolandum, de quibus omnibus cf. Levitic. 16, 8 seqq. — *memoria cladis*] immo, ut constat, lege ob valetudinem lata. sequentia re ipsa consentiunt fere cum sacris litteris, sed rationes falsae rebus subduntur. Duebn. cf. 4, 18 *memoria cladis.* »ceterum *clades* non intelligenda de expulsione ex Aegypto, sed de morbo ipso.« Ern. cf. Livius 2, 34, 6 *pestilentia ingens — ea clade conterritis — animis.* — *crebris — ieiuniis*] publica et ordinaria a Moyse non nisi quotannis magno expiationis die sancita decimo septimi mensis die; postea extraordinarii ieiuniorum dies in memoriam insignium calamitatum et postremo a Pharisaeis, probitatis sanctitatisque simulatoribus, duo in quaque hebdomade. Ruperti. — *panis Iudaicus nullo fermento*] refertur hoc dumtaxat ad ferias asymorum. Levitic. 23, 5: Ἐν τῷ πρώτῳ μηνὶ ἐν τῇ τεσσαρεςκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ τοῦ μηνὸς — πάσχα τῷ Κυρίῳ· καὶ ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ τοῦ μηνὸς τούτου ἑορτὴ τῶν ἀζύμων τῷ Κυρίῳ· ἑπτὰ ἡμέρας ἄζυμα ἔδεσθε. — *septimo diei otium*] pertinet hoc ad ea, quae traduntur c. 3, extr. confundit autem Tacitus sabbata communia, de quorum ratione vide Genes. 2, 2. Levitic. 23, 3: Τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα, ἀνάπαυσις κλητὴ ἁγία τῷ Κυρίῳ· cum septem illis diebus τῆς

laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum. alii honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod de septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur ac pleraque caelestium viam suam et cursus septimos per numeros conmeent. (5) hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur: cetera instituta, sinistra foeda, pravitate valuere. nam pessimus quisque spretis religionibus patriis tributa

3 Idaeis *Lipsius*: Iudeis 4 syderibus mortales res *Wurm*, mortalia *Nipperdey* 5 pontentia (*corr.* 1m. *et* potētia *superscr.* 2m.) viam *Bezzenberger*: uim 6 cursum *dett.* septenos *Halm* conmeent *Wölfflin*: c̃mearent (commeare *dett.*, compleant *Halm*) hi *editio princeps*: Is 7 antiquitatē (*notam del.* 1m.)

σκηνοπηγίας. Levitic. 23, 42: Ἐν σκηναῖς κατοικήσετε ἑπτὰ ἡμέρας —, ὅπως ἴδωσιν αἱ γενεαὶ ὑμῶν, ὅτι ἐν σκηναῖς κατῴκισα τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ, ἐν τῷ ἐξαγαγεῖν με αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου. — *septimum quoque annum*] de septimo anno deo consecrato vide Levitic. 25, 4: Ἓξ ἔτη σπερεῖς τὸν ἀγρόν σου καὶ ἓξ ἔτη τεμεῖς τὴν ἄμπελόν σου καὶ συνάξεις τὸν καρπὸν αὐτῆς· τῷ δὲ ἔτει τῷ ἑβδόμῳ σάββατα· ἀνάπαυσις ἔσται τῇ γῇ, σάββατα τῷ Κυρίῳ. Τὸν ἀγρόν σου οὐ σπερεῖς καὶ τὴν ἄμπελόν σου οὐ τεμεῖς. — *honorem eum Saturno*] Dio 37, 17 de Iudaeis: καὶ τὴν ἡμέραν τὴν τοῦ Κρόνου καλουμένην ἀνέθεσαν. ibid. 16 de iisdem tempore belli a Pompeio adversus Aristobulum gesti a. u. 691: τὰς τοῦ Κρόνου δὴ ὠνομασμένας (ἡμέρας) διαλείποντες καὶ οὐδὲν τὸ παράπαν ἐν αὐταῖς δρῶντες παρέδωκαν τοῖς Ῥωμαίοις καιρὸν ἐν τῷ διακένῳ τούτῳ τὸ τεῖχος διασεῖσαι. »cum invaluisset etiam inter Graecos et Romanos (Ovid. A. A. 1, 415. Horat. Sat. 2, 3, 290. Tibull. 1, 3, 18) Aegyptiorum usus (Dio 37, 18), ut hebdomadis dies a sideribus nuncuparentur, diesque septimus Saturno fuisset dicatus, tunc existimatum est *honorem* sabbati tanta cum religione culti *Saturno haberi*, id quod veri simillimum iis visum est, qui ab *Idaeis* sive Cretensibus Iudaeorum originem repetebant.« Brot. — *accepimus*] cf. c. 2. — *de septem*] de hoc usu praepos. *de* cf. Hand Turs. II. p. 196, qui inter exempla affert Suet. Dom. 13: *Suram — tunc de oratoribus coronatum*, ex oratorum numero, inter oratores; atque alia, ubi iungitur numeris, ut hic, Cic. Rosc. Am. 35: *de tribus et decem fundis tres nobilissimos* cet. — *feratur*] dignitas stili Tacitei sane requirit, ut hoc v. interpretemur: »cursum suum caelestem perficiat«, non cum aliis: »dicatur, a plerisque credatur«, id quod certe de *altissimo orbe* tunc omnes iamdudum compertum habebant. — *septimos per numeros*] cf. Cic. de rep. 6, 18 *septem efficiunt — sonos: qui numerus rerum omnium fere nodus est*. Clemens Alex. Strom. 6, 16, 140: Εἰκότως τὸν ἑπτὰ ἀριθμὸν ἀμήτορα καὶ ἄγονον λογίζονται τὸ σάββατον ἑρμηνεύοντες κτλ. *Zeller* Die Philosophie der Griechen I[3] p. 335 sq. — *conmeent*] meare et commeare de sideribus frequens. de accusativo iuncto cf. Horat. Sat. 1, 6, 94 *aevum remeare peractum*.

5. *spretis religionibus patriis*] »polytheismo abiecto, Iudaeorum de uno deo doctrinam huiusque cultum amplexus.« intelliguntur *proselyti*, οἱ σεβόμενοι τὸν θεόν (Act. App. 18, 7) sive οἱ σεβόμενοι Ἕλληνες (ib. 17, 4) sive οἱ σεβόμενοι absolute (ib. 13, 43), *metuentes religioni Iudaicae*. (Inscr. m. Lat. N. 2523) non solum autem Iudaei, iam tum per omnes terras dispersi (ἡ διασπορὰ τοῦ Ἰσραήλ), sed transgressi etiam in eorum ritus, pecuniam quotannis Hierosolyma mittebant in templi thesauro deponendam. de qua re iam Cicero pro Flacco 28: *cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia et ex omnibus nostris provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret*. alios Philonis et Iosephi locos vide in Excursu. et praeter hunc templi thesaurum in eodem sub fide publica deponebantur a locupletibus viduis ac pupillis ingentes pecuniae. II. Mac-

et stipes illuc congerebant; unde auctae Iudaeorum res, et quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent; inter se nihil inlicitum. circumcidere genitalia instituerunt, ut diversitate noscantur. transgressi in morem eorum idem usurpant nec quidquam prius inbuuntur quam contemnere deos, exuere patriam, parentes liberos fratres vilia habere. augendae tamen multitudini consulitur; nam et necare quemquam ex agnatis nefas animosque proelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant: hinc generandi amor et moriendi contemptus. corpora condere quam cremare e

1 congerebant *Puteolanus:* gerebant Iudeorum 4 alienigenarum *Heinsius* nichil 6 c̄tēpnere (p *del.* 1m.) 7 pari|triā (ri *post* pa *del.* 1m.) 8 multitudinis (litt. s *erasa*) quenquam natis *Lipsius* 9 p̄lio 10 condire *Triller*

cab. 3, 6 seqq. — *congerebant*] hoc verbum frequens de accumulatis opibus, ut Tibull. 1, 1 *Divitias alius fulvo sibi congerat auro,* Horat. Sat. 1, 1, 70 *congestis undique saccis.* — *et quia*] βραχυλογία pro: »et auctae etiam propterea, quia.« — *misericordia in promptu*] erga suos, id quod ex oppositis intelligitur. DUEBN. sine causa Acidalius »ex suis Codd.« (?) malebat: *atque ut apud ipsos fides obstinata, misericordia in promptu, sic adversus* cet.; nemo item probabit Ernestii sententiam: »non satis apte cohaerere orationem in promptu est.« — *odium*] quod hinc etiam Christianis obiectum vidimus Ann. 15, 44. DUEBN. vulgo notum est acerrimum Iudaeorum odium in Samaritanos; et quantopere detestati sint gentiles, monstrat id quod narrat Ioannes 18, 28: Καὶ αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν. Diodor 34, 1: (τοὺς Ἰουδαίους) μόνους ἁπάντων ἐθνῶν ἀκοινωνήτους εἶναι τῆς πρὸς ἄλλο ἔθνος ἐπιμιξίας καὶ πολεμίους ὑπολαμβάνειν πάντας κτλ. et 40, p. 543: διὰ τὴν ἰδίαν ξενηλασίαν ἀπάνθρωπόν τινα καὶ μισόξενον βίον εἰσηγήσατο. Philostr. Apoll. Tyan. 5, 11: Οἱ Ἰουδαῖοι βίον ἄμικτον εὑρόντες καὶ οἷς μήτε κοινὴ πρὸς ἀνθρώπων τράπεζα μήτε σπονδαὶ μήτε εὐχαὶ μήτε θυσίαι, πλέον ἀφεστᾶσιν ἡμῶν ἢ Σοῦσα καὶ Βάκτρα καὶ ὑπὲρ ταῦτα Ἰνδοί. — *alienarum*] id est, *alienigenarum*, quod v. frustra reponere tentabat N. Heinsius, cum hodie notum sit *alienos* dici etiam externos, peregrinos, ut *alieni mores, alienus orbis* cet. ERN. — *circumcidere genitalia*] hunc morem ad dei ipsius iussum referebant Iudaei. Genes. 17, 10: Περιτμηθήσεται ὑμῶν πᾶν ἀρσενικόν· καὶ περιτμηθήσεσθε τὴν σάρκα τῆς ἀκροβυστίας ὑμῶν, καὶ ἔσται εἰς σημεῖον διαθήκης ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ ὑμῶν. — *augendae — multitudini*] ut sterilitas ignominia, ita fecunditas coniugii apud Iudaeos honorifica erat, tamquam eximium dei donum et ardentissimis a deo votis precibusque expetebatur. RUP. — *ex agnatis*] *agnati* h. l. ut Germ. 19 sunt, qui post familiam constitutam, ubi heres iam est, deinde nascuntur. utrobique dictum est Romanorum mores respiciendo, qui, quos *tollere* nolebant infantes vel necandos vel exponendos curabant. usus hic vocabuli clarus fit ex Cic. de Or. 1, 57: *constat agnascendo rumpi testamentum;* et ex Iulio Paullo Sent. 3, 4 B., 10: *nepos postumus, qui in locum patris succedere potest, ab avo aut heres instituendus est aut nominatim exheredandus, ne agnascendo rumpat testamentum.* — *suppliciis peremptorum*] *supplicia* h. l., quae quis propter perseverantiam in patria religione retinenda a tyrannis perpessus erat. cf. quae μυθικῶς narrantur de septem illis fratribus ab Antiocho necatis II. Maccab. 7, 9, ubi secundus ita loquens inducitur: Σὺ μέν, ἀλάστωρ, ἐκ τοῦ παρόντος ἡμᾶς ζῆν ἀπολύεις, ὁ δὲ τοῦ κόσμου βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει. — *condere*] terrâ potius *quam* cet. vv. *more Aegyptio* ad. v. *condere* pertinent.

more Aegyptio, eademque cura et de infernis persuasio, caelestium contra. Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Iudaei mente sola unumque numen intellegunt: profanos, qui deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interiturum. igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sistunt; non regibus haec adulatio, non Caesaribus honor. sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur, vitisque aurea templo reperta, Liberum patrem coli, domitorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis: quippe Liber festos laetosque ritus posuit, Iudaeorum mos absurdus sordidusque.

1 egyptio   Aegyptio cura, eademque est de *Heraeus*   [cura] *Prammer*   3 unum (*om.* que) *b*   prophanos   4 [et aeternum] *L. Spengel*   5 Imitabilē (*notam del.* 1*m.*) 6 sistunt *Döderlein:* sunt (sinunt *Io. Fr. Gronovius*)   7 is honor *Döderlein*   concinebant *dett.:* continebantur   hędera   8 ninciebantur (v *super* n *scr.* 1*m.*)   in templo *Ritter*

Duebn. — *eademque cura*] quae Aegyptiis; hi tamen cadavera intrinsecus condiebant (*Mumien*), extrinsecus ungebant Iudaei. Marc. 16, 1: ἠγόρασαν ἀρώματα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν τὸν κύριον. (»Crematio cadaverum aetate Mosaica ignominiosa (Levit. 21, 9. 22, 14. Ios. 7, 15. 25), neque ante Sauli regnum usitata (Sam. 1, 31, 11), dein magnifica et sumptuosa (Ies. 30, 33. 33, 12. Ierem. 34, 5. Amos 6, 10. Chron. 2, 16, 14. 21, 19), abolita tandem in exsilio Babylonico sub imperio Persarum, quibus purissimum elementum erat ignis.« Rup.) — *de infernis*] nam uterque populus iudicium post mortem statuebat, Iudaei saltem post illud exsilium. — *caelestium contra. Aegyptii*] variata constructione pro »contraria (persuasio) de caelestibus.« primus recte distinxit Rhenanus. — *Aegyptii pleraque*] »Aegyptii«, inquit »pleraque numinum caelestium ita venerantur, ut et in animalibus atque effigiebus monstruose compositis (veluti *latratoris* Anubidis) latere credant.« — *mente sola*] ut de Germanis dicit G. 9: *deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* »Quae dicit Dio 37, 17« (vide in Excursu), »sunt verissima pro Iudaeorum sano sensu; sed quia sub caelo et in illud suspicientes precabantur, gentiles rati sunt caelum ipsum ab iis adorari. Iuvenalis 14, 97: *nil praeter nubes et caeli numen adorant.* Petronius Fragm. 37: *et caeli summas advocet auriculas;* quasi putarent caelum aures habere, idque invocarent.« Lips. — *nulla simulacra*] deorum; nimirum effigiem illam asini (c. 4) a Iudaeis adoratam non esse statuit Tacitus, contra quam quod alii gentiles opinabantur, sed memoriae tantum gratia in penetrali collocatam. — *nedum templis*] unum dumtaxat habebant, verum hic eodem vocabulo complectitur etiam proseuchas sive synagogas per singula oppida exstructas. — *sistunt*] Ann. 15, 72 *effigies eorum sisteret.* 14, 61 *Octaviae imagines — foroque ac templis statuunt.* — *non regibus*] nec priscis neque posterioribus inde ab Aristobulo I. cf. ad c. 8. — *non Caesaribus*] vide Philonem per totum librum de legatione ad Gaium. — *tibia tympanisque*] Levit. 23, 24: τοῦ μηνὸς τοῦ ἑβδόμου μιᾷ (pro πρώτῃ) τοῦ μηνὸς ἔσται ὑμῖν ἀνάπαυσις, μνημόσυνον σαλπίγγων· κλητὴ ἁγία ἔσται ὑμῖν. Psalm. 150, 3: αἰνεῖτε τὸν θεὸν ἐν ἤχῳ σάλπιγγος, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν ψαλτηρίῳ καὶ κιθάρᾳ. αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν τυμπάνῳ καὶ χορῷ, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν χορδαῖς καὶ ὀργάνῳ. αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις εὐήχοις, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις ἀλαλαγμοῦ. quas symphonias ita expressit Hitzigius meus: *Stoss in die Posaune, Harfe und Cither, Pauke und Reigen, Saiten und Schalmei, Cymbeln des Klanges, Cymbeln des Getöns.* de vite aurea Liberique cultu vide in Excursu.

(6) Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur; a meridie Aegyptus obiacet; ab occasu Phoenices et mare; septentrionem e latere Syriae longe prospectant. corpora hominum salubria et ferentia laborum. rari imbres, uber solum, fruges nostrum ad morem praeterque eas balsamum et palmae. palmetis proceritas et decor, balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venae, fragmine lapidis aut testa aperiuntur; humor in usu medentium est. praecipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. idem amnem Iordanen alit funditque;

1 arabiĩ (notam *del.* 1m.) 2 fęnices 3 sirię 4 fruges *Lipsius:* exuberant fruges | (b *in* p *mut.* 1m.) 5 palme 8 terra erigit *Ritter* 9 agm̃ (*punctis del. et* amnem *superscr.* 2m.)

6. *Terra finesque*] ad totum hunc locum geographicum cf. inter alios Relandi Palaestinam. Traiecti Bat. 1774. Forbiger *Handbuch der alten Geographie. Leipzig* 1844. Vol. II. p. 673. Georgii *alte Geographie. Stuttgart* 1838. Vol. I. p. 209, imprimis autem Robinson *Palaestina. Halle* 1841. G. Ebers und H. Guthe *Palaestina in Bild und Wort. Stuttgart* 1882 *sq.* — *Arabia*] deserta. Forbiger II. p. 676. — *Syriae*] proprie Coelesyriae. tota autem descriptio satis artificiosa in vv. *septentrionem longe prospectant* ita explicanda: »cum Hierosolyma, caput gentis, propius fines Iudaeae meridionales sita sint, satis e longinquo urbis incolis est Syria septentrionem versus, unde sidus ursae maioris ab iis *prospectatur*, iis apparet.« ausus est imitari Burnouf: *le septentrion apparait dans le lointain du côté de la Syrie.* — *corpora hominum salubria*] causam indicat Iosephus contra Ap. 1, 2: τόπους οἰκοῦσιν ἥκιστα ταῖς ἐκ τοῦ περιέχοντος φθοραῖς ὑποκειμένους. — *uber solum*] ἀρίστην καὶ παμφορωτάτην Iudaeam vocat Hecataeus apud Ios. c. Ap. 1, 22. cf. Polyb. 5, 70. artem autem agros irrigandi optime callebant Iudaei. Salvador I. p. 368. — *fruges nostrum ad morem*] »easdem, quae apud nos in Italia, frumentum, vites, oleae, fici.« — *palmetis*] Horat. Epp. 2, 2, 184: *ungi Praeferat Herodis palmetis pinguibus.* Plin. 5, 70: *Hiericuntem palmetis consitam.* Iosephus A. I. 9, 1, 2: ἐν Ἐγγάδῃ πόλει γεννᾶται φοίνιξ ὁ κάλλιστος καὶ ὀποβάλσαμον. Robinson II. p. 536. — *balsamum*] Strabo 16, p. 763: Ἱερικοῦς — ἔστι δ' αὐτοῦ — ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος. Iustin. 36, 3: *Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur.* Aegypto quoque hanc arbusculam tribuit Claudianus Epith. Palladii 121 probabiliter per licentiam poeticam. hodie in sola Arabia colitur. locus autem primarius est Plin. 12, 111: *omnibus odoribus praefertur balsamum uni terrarum Iudaeae concessum. — ostendere arbutum hanc urbi imperatores Vespasiani. — servit nunc haec ac tributa pendit cum sua gente. — saevire in eam Iudaei sicut in vitam quoqe suam. contra defendere Romani et dimicatum pro frutice est. seritque nunc eum fiscus. — inciditur vitro, lapide osseisve cultellis. ferro laedi vitalia odit:* (imagine poetica perquam simili ei, qua utitur Tacitus: *si vim ferri adhibeas, pavent venae*, id est haesitant, quia arbusculae partes fibraeque intimae ac vitales laeduntur) *emoritur protinus, eodem amputari supervacua patiens.* elegantem fabulam Iudaicam refert Iosephus A. I. 8, 6, 6: λέγουσι δ' ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς (βασιλίσσης τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Αἰθιοπίας τῷ Σολόμωνι) ἔχομεν. — *erigit*] scil. terra, ex se in altum emittit. »montes eleganter *attolli*, *erigi* dicuntur. omnino magna est venustas in descriptionibus locorum et rerum naturalium deligere verba ab animantibus ducta, qualia plura posuit Tacitus.« Ern. — *fidumque nivibus*] pro vulgari: »in quo nives nunquam liquefiunt.« ad idem imaginum poeticarum genus haec quoque pertinet. Claudianus R. Proserp. 1, 167: *scit nivibus servare fidem pariterque favillis* Aetna. de altitudine Libani et Antilibani cf. *Kiepert* § 143. — *idem — Iordanen*] qui proprie quidem oritur ex monte *Hermôn*, summo cacumine Antilibani;

nec Iordanes pelago accipitur, sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur. lacus inmenso ambitu specie maris, sapore corruptior, gravitate odoris accolis pestifer, neque vento inpellitur neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. inertes undae superiacta ut solido ferunt; periti imperitique nandi perinde attolluntur. certo anni bitumen egerit; cuius legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. ater suapte natura liquor et sparso aceto concretus innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt; inde nullo iuvante influit oneratque, donec abscindas. nec abscindere aere ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminae per menses exsolvuntur. sic veteres auctores, sed gnari locorum tradunt undantes bitumine moles pelli manuque trahi ad litus; mox, ubi vapore terrae, vi solis

3 odoris (odo *in rasura* 1m.) 4 inertes *Heinsius:* Incertes (*litt.* s *erasa*) (incertae *dett.*) super Iactaa | (*ultima litt.* a *erasa*) 5 *post* anni *super lin. add.* tp̄r 2m. 12 trai (h *superscr.* 1m.) vique *det.*

sed etiam hic a scriptoribus subinde Libanus dicitur. de Iordane consule Robinson II. p. 498. Kiepert § 144 et 157. — *unum atque alterum lacum*] Samachonitim sive aquas Merom et Genesaram sive mare Tiberiadis, τὴν ϑάλασσαν τῆς Γαλιλαίας Matth. 4, 18. — *tertio retinetur*] Asphaltite, de quo sequentia intelligenda; vocatur etiam *Mare mortuum*. Plin. 5, 71: *Iordanes — amnis amoenus — velut invitus Asphaltiten lacum dirum natura petit, a quo postremo ebibitur aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtas*. Pausan. 5, 7, 4: ἐν δὲ τῇ γῇ ποταμὸν τῇ Ἑβραίων Ἰόρδανον καὶ αὐτὸς οἶδα λίμνην Τιβεριάδα ὀνομαζομένην διοδεύοντα, ἐς δὲ λίμνην ἑτέραν καλουμένην ϑάλασσαν νεκράν, ἐς ταύτην ἐσιόντα καὶ ἀπὸ τῆς λίμνης αὐτὸν ἀναλούμενον (post cursum circiter LXX leucarum Gallicarum. Salvador I. p. 151), cf. Robinson II. p. 448 seqq. Kiepert § 157. — *inmenso ambitu*] in longitudinem Mare mortuum extenditur circiter X miliaria Germanica. cf. Carl Seché *Das Tote Meer und die Hypothesen seiner Entstehung*. Programm der höheren Bürgerschule zu Düsseldorf 1891. — *accolis pestifer*] item tradit Scriptor Sapientiae Sal. 10, 6 et 7: Ἡ σοφία δίκαιον ἀπολλυμένων ἀσεβῶν ἐρρύσατο φυγόντα πῦρ καταβάσιον Πενταπόλεως, οἷς ἐπὶ μαρτυρίαν τῆς πονηρίας καπνιζομένη καϑέστηκε χέρσος, καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός. sed meram fabulam tradi a Brocardo Loc. Terr. S. cap. 7: *mare illud semper fumum reddere et nebulam in modum camini infernalis* docet Robinson II. p. 452 neque vero per se pestiferas esse huius lacus exhalationes. — *neque pisces*] verum hoc. idem p. 461. — *inertes undae*] cf. Agric. 10 *mare pigrum et grave remigantibus — ne ventis quidem perinde attolli*. Germ. 45 *aliud mare, pigrum ac prope immotum*. Curtius 9, 4, 18 *inmobiles undas, in quibus emoriens natura defecerit*. — *ut solido*] »ac si solidum aliquid subesset.« Duebn. — *attolluntur*] Iosephus B. I. 4, 8, 4 in his omnibus consentit cum Tacito, adeo ut narret, huius rei experimentum captum esse a Vespasiano iniectis in eum lacum hominibus nandi imperitis, manibus insuper post terga revinctis. atque etiam Robinson itidem nandi imperitus hoc in se ipse expertus est. II. p. 444. — *certo anni*] haec vera videtur Taciti manus; quod vulgo inculcatur *tempore*, ex manifesto est glossemate. vide *Dräger* Syntax § 66. ceterum de his bituminis eiectionibus nunc rarioribus quam olim consule Robinson II. p. 463, III. p. 164. — *artes experientia docuit*] cf. Aristot. Metaphys. 981a ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὡς φησὶ Πῶλος, ὀρϑῶς λέγων, ἡ δ' ἀπειρία τύχην. — *fugit cruorem*] idem tradunt Plinius 7, 65. 28, 80. Iosephus l. l. — *undantes bitumine moles*] Iosephus l. l.:

inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut saxa discindi. (7) haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu arsisse; et manere vestigia terramque ipsam specie torridam vim frugiferam perdidisse. nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. ego sicut inclutas quondam urbes igne caelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fetus segetum et autumni putrescere reor, solo caeloque iuxta gravi. et Belius amnis Iudaico mari inlabitur; circa cuius os lectae arenae admixto nitro in vitrum excocuntur. modicum id litus et egerentibus inexhaustum.

1 haud procul — perdidisse *et* 6 ego — reor *refert Orosius* 1, 5   3 ictu *b*   3/4 torrida (solidam *Orosius*)   5 herba tenus aut flore *Rhenanus:* herbas tenues aut flores   sive] ubi (*om.* seu) *Madvig*   solidam *Salmasius*   qatra (*litt.* q *erasa*) (putria *Thomas*, taetra *Meiser*)   6 Ego (Et *superscr.* 2*m.*)   inclutas *dett. et Orosius:* Indi|cas   7 alitu   8 atūni (*in marg.* ē autūni 2*m.*)   terram et corrumpi reor *omissis mediis Orosius*   9 [et] *Haase*, at *Ritter*   bel Ius (bellus *superscr.* 2*m*) (Belus *Rhenanus*)   10 lecte harenę   admixto uitro (o ui *in rasura* 2*m.*)   11 sed *Rhenanus*

τῆς μέντοι ἀσφάλτου κατὰ πολλὰ μέρη βώλους μελαίνας ἀναδίδωσιν (ἡ λίμνη)· αἱ δ' ἐπινήχονται τό τε σχῆμα καὶ τὸ μέγεθος ταύροις ἀκεφάλοις παραπλήσιαι. — *discindi*] similia his tradit Posidonius apud Strab. 16. p. 764.

7. *campi*] Sodomorum et Gomorrhae. Genes. 19, 24: καὶ Κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα θεῖον, καὶ πῦρ παρὰ Κυρίου ἐξ οὐρανοῦ. Καὶ κατέστρεψε τὰς πόλεις ταύτας καὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον καὶ πάντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν ταῖς πόλεσι καὶ τὰ ἀνατέλλοντα ἐκ τῆς γῆς. v. 28: καὶ ἰδοὺ ἀνέβαινε φλὸξ ἐκ τῆς γῆς ὡσεὶ ἀτμὶς καμίνου. Ioseph. A. I. 1, 11. B. I. 4, 8, 4. cf. Robinson III. p. 162. (Taciti locum excerpsit Orosius 1, 5.) — *fulminum iactu*] noli dubitare cum Lipsio; nam eodem voc. utitur Cicero de Divin. 2, 18. Catil. 3, 8. — *specie torridam*] Strabo 16. p. 764. eandem terram τεφρώδη dicit. *specie* autem est *visu*; eam *torridam* esse ipse adspectus docet. — *aut flore*] non ad plenam maturitatem pervenientia, quae alibi est *solita species*. Salmasii coniectura *solidam* sensui refragatur. nam quae *inania* sunt, eadem *solida* dici nequeunt. immo fruges *solitam* quidem speciem monstrant, sed revera inanes sunt et in cinerem vanescunt. — *velut in cinerem*] Iosephus B. I. 4, 8, 4: ἔτι δὲ κἂν τοῖς καρποῖς (ἔστιν ἰδεῖν) σποδιὰν ἀναγεννωμένην, οἳ χροιὰν μὲν ἔχουσι τῶν ἐδωδίμων ὁμοίαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν εἰς καπνὸν διαλύονται καὶ τέφραν. sunt, quae vulgo vocant *mala Sodomitica*, id est, fructus *Asclepiadis giganteae* sive *proceras* Botanicorum, *Oescher* Arabum, uti docemur a Robinsonio II. p. 472, qui ipse accurate mirum hunc fructum examinavit: *Die Frucht fiel jetzt schön und lockend ins Auge und fühlte sich weich an; aber wenn man sie drückt oder stösst, so bricht sie platzend auf, wie eine Blase, und nur die Fetzen der dünnen Schale und ein paar Fasern bleiben in der Hand zurück.* — *Belius*] hodie *Naamân*. Strabo 16. p. 758. Plin. 5, 75: *rivus Pacida sive Belus vitri fertiles harenas parvo litori miscens. ipse e palude Cendebia a radicibus Carmeli profluit.* 36. 190: *Phoenice — intra montis Carmeli radices paludem habet, quae vocatur Candebia. Ex ea creditur nasci Belus amnis quinque M. pass. spatio in mare perfluens iuxta Ptolomaidem coloniam.* — *modicum id litus*] Plin. l. l.: *quingentorum est passuum non amplius litoris spatium, idque tantum multa per saecula gignendo fuit vitro. Fama est adpulsa nave mercatorum nitri, cum sparsi per litus epulas pararent nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glaebas nitri e nave subdidisse, quibus accensis, permixta harena litoris, tralucentes novi liquoris fluxisse rivos et hanc fuisse originem vitri.* τόπον ἑκατονταπήχη. — ἀναδίδωσιν δὲ τὴν ὑελίνην

(8) Magna pars Iudaeae vicis dispergitur; habent et oppida. Hierosolyma genti caput. illic inmensae opulentiae templum, et primis munimentis urbs, dein regia, templum intimis clausum. ad fores tantum Iudaeo aditus; limine praeter sacerdotes arcebantur. dum Assyrios penes Medosque et Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones praepolluere, rex Antiochus demere superstitionem et mores Graecorum dare adnisus, quo minus taeterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est; nam ea tempestate Arsaces desciverat. tum Iudaei, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis

2 caput erat *Nipperdey* 3 dein regia *Mercerus*: de | Ingia 5 persaxas (persas *superscr.* 2m.) 6 praepolluere *Halm*: praepotuere 7 grecorum 8 tempestatē (*notam del.* 1m.) 8/9 [nam — desciverat] *Ernesti*

ψάμμον dicit Iosephus B. I. 2, 10, 2. cf. Forbiger II. p. 663. ceterum quoniam Iosephus l. l. habet ὁ καλούμενος Βήλεος ποταμός, recte scripsisse Mediceus videtur *Belius*.

8. *vicis dispergitur*] pro vulgari: »per magnam partem vici passim dispersi sunt.« Iosephus B. I. 3, 3, 2 de Galilaea: μέρος αὐτῆς ἀργὸν οὐδέν, ἀλλὰ καὶ πόλεις πυκναὶ καὶ τὸ τῶν κωμῶν πλῆθος πανταχοῦ πολυάνθρωπον διὰ τὴν εὐθηνίαν, ὡς τὴν ἐλαχίστην ὑπὲρ πεντακισχιλίους πρὸς τοῖς μυρίοις ἔχειν οἰκήτορας. — *oppida*] et quidem permulta, utpote in regione olim tam ubere ac felici. cf. Forbiger II. p. 693—727. — *primis munimentis*] »cum prima sint munimenta, nimirum a mari vel e Syria ac Samaria venienti et accedenti Hierosolyma.« Duebn. — *intimis*] »*Ces mots ne signifient pas qu'il y avait trois enceintes concentriques, dont la première enfermait la ville, la seconde le palais, la troisième le temple, arrangement qui placerait le temple au centre, tandis qu'il était sur le mont Moria, à l'extrémité orientale de Jérusalem, à laquelle il servait comme de citadelle renfermée dans une enceinte particulière* (*intimis munimentis*).« Burnouf. cf. Crome *Jerusalem* in Ersch u. Gruber *Encyclopädie* II. Vol. XV. p. 278. — *ad fores tantum*] illustratur hic locus Lucae 1, 9. 10, ubi dum sacerdos intus sacris operatur, populus precatur ἔξω, foris, ad fores. Transire limen nefas omnibus praeterquam sacerdotibus. Ern. Iosephus B. I. 5, 5, 6: περιέστεφε δὲ τόν τε ναὸν καὶ τὸν βωμὸν εὔλιθόν τι καὶ χαρίεν γείσιον ὅσον πηχυαῖον ὕψος, ὃ διεῖργεν ἐξωτέρω τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ἱερέων. (»ceterum Ernestius pro *arcebantur* malebat *arcentur*. at Taciti temporibus haec res erat praeterita.« Walth.) — *Macedones*] utrobique sunt Alexandri M. successores, Syriae reges a Seleuco, Macedonum sub Alexandro duce, oriundi. — *rex Antiochus*] valet hoc de Antiocho IV. Epiphane, qui a. ante Chr. 172 foede profanavit templum Hierosolymitanum, uti constat ex I. Maccab. 1, 21 seqq. et Iosepho A. I. 12, 5, 3. hic autem Antiochus IV. non tam cum Parthis bellum gessit quam cum Armeniis, teste Appiano Syr. 45. 46: ἐστράτευσε δὲ καὶ ἐπὶ Ἀρταξίαν, τὸν Ἀρμενίων βασιλέα, καὶ αὐτὸν ἑλὼν (a. a. Chr. 165) ἐτελεύτησεν (a. a. Chr. 164). cf. Clinton *Fasti Hellenici* III. p. 321. nummi eius inscripti sunt ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Visconti *Iconografia greca* II. p. 419. — *nam ea tempestate Arsaces desciverat*] Tacitus Antiochum IV. Epiphanem confudit cum Antiocho II., cui cognomen usitatius quam quarto Θεός, sub quo Olymp. 132, 3, ante Chr 250 *Parthi a Macedonibus defecerunt; ex iisque unus imperavit Arsaces, a quo Arsacidae*, teste Eusebio in Chron. ad illum annum. et hanc temporum rationem sequuntur Clinton *Fasti Hellenici* III. p. 18. Zumpt. in Annal. ed. II. p. 38; alii referunt ad a. a. Chr. 256. frustra vero Ernestius suspicionem de hoc loco movit tamquam subditicio; immo subest error non minus LXXVII annorum, qui fortasse negligentia quadam ex

(et Romani procul erant) sibi ipsi reges inposuere; qui mobilitate volgi expulsi, resumpta per arma dominatione fugas civium, urbium eversiones, fratrum coniugum parentum neces aliaque solita regibus ausi superstitionem fovebant, quia honor sacerdotii firmamentum potentiae adsumebatur. (9) Romanorum primus Cn. Pompeius Iudaeos domuit templumque iure victoriae ingressus est. inde volgatum nulla intus deum effigie vacuam sedem et inania arcana. muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. mox civili inter nos bello, postquam in dicionem M. Antonii provinciae cesserant, rex Parthorum Pacorus Iudaea potitus interfectus-

1 si (bi *supra lin. add.* 2m.) uolgis 2 epulsi 4 potentie 8 inter nos Agricola: Intno (civili *vel* interno *spurium videtur' Ernesti*) 9 Orientis provinciae *Ritter* Iudea

ipso illo ambiguo cognomento Θεός oriri potuit. — *reges inposuere*] primus ex stirpe Hasmonaeorum Simon mortuus a. a. Chr. 135 honoris causa sese nuncupavit ἀρχιερέα μέγαν καὶ στρατηγὸν καὶ ἡγούμενον Ἰουδαίων I. Maccab. 13, 42. a. a. Chr 142. Clinton *Fasti Hellenici* III. p. 329. et exstant eius nummi, in quorum inscriptione hebraica se vocat *nassi Israël*, principem; partis aversae inscriptiones sunt: *Anno I. redemptionis Israël* vel *Anno II. liberationis Israël* vel *Liberatio Sionis*. postea eius nepos Aristobulus I. τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθεῖναι δόξας —, διάδημα πρῶτος ἐπιτίθεται. Iosephus A. I. 13, 11 hoc mortuo successit frater Alexander Iannaeus, de quo Strabo 16. p. 762: πρῶτος ἀνθ' ἱερέως ἀνέδειξεν ἑαυτὸν βασιλέα, non prorsus recte, cum Aristobulus ante eum, sed per annum dumtaxat unum regnum obtinuerit teste Iosepho l. l. nummi huius nepotis Simonis inscripti sunt ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. cf. Eckhel D. N. III. 465. — *mobilitate volgi expulsi*] haec sunt intellegenda de bello civili, quod Iudaeos inter et regem eorum Alexandrum Iannaeum per sex annos gestum est ab anno u. c. 663 ad annum 669 (a. a. Chr. 91—85). Iosephus A. I. 13, 12 sqq. B. I. 1, 4. *Kiessling*. — *fratrum — neces*] Aristobulus I. matrem et tres fratres carcere inclusit, quartum et natu maximum, Antigonum, necari iussit. *Ruperti*.

9. *Romanorum primus Cn. Pompeius Iudaeos domuit*] suo pro instituto v. *domandi* sane uti poterat Tacitus, etsi tunc nondum in provinciae formam redacta est Iudaea, sed retentis sub dicione Romana tantum locis maritimis reliquum regnum mansit Hyrcano. significatur autem bellum a Pompeio gestum adversus Aristobulum II. de sacerdotio maximo et regno cum Hyrcano fratre certantem a. u. c. 691. cf. Cic. pro Flacco 28. Liv. Epit. 102. Strabo 16. p. 762 breviter rem, ut fuit, exponens: Ἀλεξάνδρου (Ἰανναίου) ἦσαν υἱοὶ Ὑρκανός τε καὶ Ἀριστόβουλος· διαφερομένων δὲ περὶ τῆς ἀρχῆς, ἐπῆλθε Πομπήιος καὶ κατέλυσεν αὐτοὺς καὶ τὰ ἐρύματα αὐτῶν κατέσπασε καὶ αὐτὰ ἐν πρώτοις τὰ Ἱεροσόλυμα βίᾳ καταλαβών· pro quo accuratius Dio 37, 16: τὴν μὲν ἄλλην πόλιν, ἐσδεξαμένων αὐτὸν τῶν τὰ τοῦ Ὑρκανοῦ φρονούντων, ἀπραγμόνως ἔλαβεν· αὐτὸ δὲ τὸ ἱερὸν προκατασχόντων τῶν ἑτέρων (qui Aristobulo favebant), οὐκ ἀπόνως εἷλεν. cf. Iosephus A. I. 14, 3 seqq Salvador I p. 148 seqq. — *templumque — ingressus est*] Iosephus l. l. 14, 4, 4.: Παρῆλθεν εἰς τὸ ἐντὸς ὁ Πομπήιος καὶ τῶν περὶ αὐτὸν οὐκ ὀλίγοι καὶ εἶδον ὅσα μὴ θεμιτὸν ἦν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἢ μόνοις τοῖς ἀρχιερεῦσιν· — οὐδενὸς ἥψατο δι' εὐσέβειαν. — *inania arcana*] *ein Geheimniss ohne sichtbaren Gegenstand.* Louandre: *que l' enceinte était vide, et qu' il n'y avait là qu' un vain mystère.* — *diruti*] muros Hierosolymorum postea restituit Antipater Herodis Magni pater. Iosephus A. I. 14, 9, 1. — *civili inter nos bello*] cf. 2, 6 *validissima inter se civium arma.* — *provinciae*] orientis. — *rex Parthorum Pacorus*] non ipse rex, sed regis Parthorum Orodis filius, ut 2, 25: *rex Epiphanes.* Iosephus A. I. 14, 13—15. Plutarch. Ant. 34. Dio 48, 24. 49, 19. Clinton *Fast. Hell.* III. p. 218. rem sic exponit Ruperti: »Pacorus ab Antigono Aristobuli II. filio invitatus et in Palaestinam cum exercitu profectus a. u. c. 714 fugato Herode M. et

que a P. Ventidio, et Parthi trans Euphraten redacti: Iudaeos C. Sosius subegit. regnum ab Antonio Herodi datum victor Augustus auxit. post mortem Herodis nihil expectato Caesare Simo quidam regium nomen invaserat. is a Quintilio Varo optinente Syriam punitus; et gentem coercitam liberi Herodis tripertito rexere. sub Tiberio quies: dein iussi a C. Caesare effigiem eius in templo locare arma potius sumpsere; quem motum Caesaris mors diremit. Claudius, defunctis regibus aut ad modi-

1 a P.] ap. 3 simon 5 tyberio 5/6 a C.] ag̃.

direptis Hierosolymis *Iudaea potitus* erat et regnum tradiderat Antigono. sed *P. Ventidius Bassus*, homo infimi generis, rhedarius et mulio, deinde familiaris C. Caesari ac M. et L. Antoniis, quorum gratia tribunatum plebis, praeturam, pontificatum, consulatum (a. u. c. 711) adeptus erat, a. u. c. 716 a M. Antonio adversus Parthos missus res tam feliciter gessit, ut illos aliquoties victor *trans Euphraten redigeret* et primus de iis triumpharet.« (cf. Germ. 37. Baiteri Fast. triumph. p. CLXI: *P. Ventidius P. F. pro Cos. ex Tauro monte e Partheis. A. DCCXV.* (716. Varr.) *V. K. Dec.*) — *C. Sosius*] Graecis Σόσσιος, sed in nummo apud Morellium I. p. 396 in victoriae huius memoriam signato est *C. SOSIVS. IMP.* (Tropaeum, in cuius imo duo captivi sedent, mulier maesta, caput manu sustentans (Iudaea), et vir nudus, manibus post tergum revinctis, ad tropaeum respiciens (Antigonus rex).) — *Iudaeos — subegit*] Pacorus Iudaeorum regem constituerat Antigonum, ultimum ex Hasmonaeorum stirpe, qui caeso illo Romanis alacriter resistebat. multo labore Sosius expugnavit Hierosolyma, sexto demum mense post Ventidii victoriam Parthicam. in Herodis autem gratiam Antigonus Antonii iussu virgis caesus et obtruncatus est a. u. c. 716. cf. Ioseph. A. I. 14, 16 et B. I. 1, 18. Dio 49, 22. Clinton l. l. p. 220. Salvador I. p. 283. — *Herodi*] Idumaeo, cognomine Magni, qui iam a. u. c. 714 per Antonium Iudaeae regnum acceperat senatus consulto (Ioseph. 14, 14, 5), a quo inde tempore vixit XXXVII annos (Ioseph 17, 8, 1). — *Augustus auxit*] Ioseph B. I. 1, 20, 3: τῇ βασιλείᾳ προσέθηκε τήν τε ὑπὸ Κλεοπάτρας ἀποτμηθεῖσαν χώραν καὶ ἔξωθεν Γάσαρα καὶ Ἵππον καὶ Σαμάρειαν, πρὸς δὲ τούτοις τῶν παραλίων Γάζαν καὶ Ἀνθηδόνα καὶ Ἰόππην καὶ Στράτωνος πύργον. — *Simo*] servus Herodis, absente Archelao, filio et successore Herodis, nixus Iudaeis, quos Sabini procuratoris rapinae irritaverant. Ioseph. 17, 10, 6: ἦν δὲ καὶ Σίμων δοῦλος μὲν Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ἄλλως δὲ ἀνὴρ εὐπρεπὴς καὶ μεγέθει καὶ ῥώμῃ σώματος ἐπὶ μέγα προύχων τε καὶ πεπιστευμένος· οὗτος ἀρθεὶς τῇ ἀκρισίᾳ τῶν πραγμάτων διάδημά τε ἐτόλμησε περιθέσθαι κτλ. — *a Quintilio Varo*] eodem, quem postea oppressit Arminius. Vellei. 2, 117. a Grato, Vari praefecto, Simonem necatum tradit Iosephus l. l. — *liberi Herodis*] Iosephus 17, 11, 4: Καῖσαρ Ἀρχέλαον βασιλέα μὲν οὐκ ἀποφαίνεται, τῆς δ' ἡμίσεως χώρας, ἧπερ Ἡρώδῃ ὑπετέλει, ἐθνάρχην καθίσταται· — τὴν δ' ἑτέραν ἡμίσειαν νείμας διχῇ δυσὶν Ἡρώδου παισὶν ἑτέροις παρεδίδου Φιλίππῳ καὶ Ἀντίπᾳ. καὶ τούτῳ μὲν ἥ τε Περαία καὶ τὸ Γαλιλαῖον ὑπετέλουν· — Βαταναία δὲ σὺν Τράχωνι καὶ Αὐρανῖτις — Φιλίππῳ τάλαντα ἑκατὸν προσέφερεν· τὰ δ' Ἀρχελάῳ συντελοῦντα Ἰδουμαῖά τε καὶ Ἰουδαία τό τε Σαμαρειτικόν. — *a C. Caesare*] a. u. c. 793, post Chr. 40. cf. Philonis Liber de legatione ad Gaium et in Flaccum p. 966. Iosephus A. I. 18, 8. B. I. 2, 10. Tac. Ann. 12, 54. Clinton *Fasti Romani* I. p. 24. — *arma potius sumpsere*] contra Iosephus utroque loco docet rem Petronii intercessione esse compositam et mox Gaium necatum. — *defunctis regibus*] Herode Agrippa maiore a. u. c. 797. post Chr. 44. (Clinton *F. R.* I. p. 28. Visconti *Icon. gr.* III. p. 27.) et a. u. c. 801, post Chr. 48 Herode, Chalcidis rege. (Clinton p. 32. Visconti p. 30.) — *ad modicum redactis*] supererat unus Herodes Agrippa minor (cf. c. 1); is ultimus huius stirpis mortuus est tertio Traiani anno, teste certe Photio in Bibl. Cod. 33. p. 53. a. u. c. 853, post Chr. 100. de quo tamen dubitat Jost *Geschichte der Israeliten* II. p. 104, cum aliis statuens eum iam sub Domitiano decessisse cir-

cum redactis, Iudaeam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit; e quibus Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatrae et Antonii nepte in matrimonium accepta, ut eiusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset. (10) duravit tamen patientia Iudaeis usque ad Gessium Florum procuratorem: sub eo bellum ortum. et conprimere coeptantem Cestium Gallum Syriae legatum varia proelia ac saepius adversa excepere. qui ubi fato aut taedio occidit, missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris intra duas aestates cuncta camporum omnesque praeter Hierosolyma urbes victore exercitu tenebat. proximus annus civili bello intentus, quantum ad Iudaeos, per otium transiit. pace per Italiam parta et externae curae rediere: augebat iras, quod soli Iudaei non cessissent; simul

1 Romanis] ·R· 2 per oı̃a (a *in* ē *corr. et in marg. add.* per omē 1*m.*) seuitiam 3 neptē (*nota erasa*) 3/4 matrimonia acepta 6 bellu ortu (*notas superscr.* 2*m.*) recęptantē (r̄e *del.* 1*m.*) 7 p̄lia excipere 8 egregis (i *superscr.* 1*m*) 9 intra *Rhenanus:* int̄ pret̄ 9/10 hierosolyma (ā 2*m.*) 11 Iudeos parta *Rhenanus:* parata 12 redire cessessent (i *superscr.* 1*m.*)

citer a. u. c. 843, post Chr. 90. — *permisit*] id est, per procuratores administravit, subdita tamen notione his omnia licuisse, ut ex Iosepho constat de Antonio Felice et Floro. — *Antonius Felix*] Pallantis frater; Suet. Claud. 28: *trium reginarum maritum* vocat. — *Drusilla*] prima haec Felicis uxor, altera item Drusilla soror Agrippae II. regis et Berenices (cf. Ioseph. 20, 7, 2. Act. Apost. 24, 24), tertia ignota. — *Claudius nepos*] quippe qui ex Druso Germanico et Antonia minore, triumviri filia, natus esset. subest amara nescio quae ironia in his principis Romani necessitudinibus cum improbo liberto exponendis.

10. *Gessium Florum*] hominem crudelem atque avarum, qui saevitia sua Iudaeos tandem ad rebellionem compulit. Iosephus A. I. 20, 11. B. I. 2, 14, 2. — *bellum ortum*] a. u. c. 819, post Chr. 66. Iosephus B. I 2, 14, 4. Clinton *Fasti Romani* p. 48. — *Cestium Gallum* cet.] Suet. Vesp. 4: *Iudaei rebellarunt; caesoque praeposito legatum insuper Syriae consularem suppetias ferentem, rapta aquila, fugaverunt;* ubi v. *praeposito* significatur Gessius Florus. — *saepius adversa*] cf. imprimis Iosephus B. I. 2, 19, 8: ὀλίγου δὲ δεῖν πᾶσαν ἀνήρπασαν τὴν ἅμα Κεστίῳ δύναμιν, εἰ μὴ νὺξ ἐπέλαβεν, ἐν ᾗ Ῥωμαῖοι μὲν εἰς τὴν Βεθώραν κατέφυγον, Ἰουδαῖοι δὲ πάντα τὰ κύκλῳ περισχόντες ἐφρούρουν αὐτῶν τὴν ἔξοδον. ἔνθα δὴ Κέστιος τὴν φανερὰν ὁδὸν ἀπογνοὺς δρασμὸν ἐβουλεύετο. post Cestii autem mortem Vespasianus a Nerone exercitui Romano praefectus est eodem anno u. c. 820, post Chr. 67. Ios. B. I. 3, 1, 2. Clinton l. l. — *duas aestates*] annos 67 et 68. — *cuncta camporum*] cf. Ann. 3, 35 *cuncta curarum*. 14, 60 *cuncta scelerum* 11, 22 *cunctisque civium*. *Dräger* Syntax § 66. — *proximus annus*] u. c. 822, post. Chr. 69. — *quantum ad Iudaeos*] Agric. 44 *quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit*. Germ. 21 *notum ignotumque, quantum ad ius hospitis, nemo discernit*. *Dräger* Syntax § 180. — *pace — parta*] hoc rectum; Suet. Oct. 22: *terra marique pace parta*, et saepe alibi, Bachius tamen recepit Med. *parata* pro *reparata*. — *augebat iras — non cessissent*] at ceterae nationes cunctae, quarum exemplum ut sequerentur enixe populares suos hortatur Agrippa rex apud Iosephum B. I. 2, 16, 4 (361): ἄλλα τε ἔθνη μυρία πλείονος γέμοντα πρὸς ἐλευθερίαν παρρησίας εἴκει· μόνοι δ' ὑμεῖς ἀδοξεῖτε δουλεύειν, οἷς ὑποτέτακται τὰ πάντα. (380) πάντων δὴ σχεδὸν τῶν ὑφ' ἡλίῳ τὰ Ῥωμαίων ὅπλα προσκυνούντων ὑμεῖς μόνοι

manere apud exercitus Titum ad omnes principatus novi eventus casusve utile videbatur.

Igitur castris, uti diximus, ante moenia Hierosolymorum positis instructas legiones ostentavit. (11) Iudaei sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri et, si pellerentur, parato perfugio. missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit; mox cessere hostes et sequentibus diebus crebra pro portis proelia serebant, donec assiduis damnis intra moenia pellerentur. Romani ad obpugnandum versi. neque enim dignum videbatur famem hostium opperiri; poscebantque pericula pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos; ac ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. nam duos colles in inmensum editos claudebant muri per artem obliqui aut introrsus sinuati, ut latera

1 aput 2 utili (s *superscr. 2m.*) (utilius *Pichena*) 3 męnia positus (is *corr. 1m*) 4 ipso muro *Ph. Wagner* aciēs (s *del. 1m.*) 6 ambigueę 7 p̄lia 8 męnia

πολεμήσετε; — *eventus casusve*] sic Ann. 2, 26: *satis iam eventuum, satis casuum;* utrobique *eventus* sunt res secundae, *casus* adversae. — *uti diximus*] c. 1.

11. *sub ipsos muros*] prima obsidionis initia noluit fusius exponere Tacitus; satis vero eius narrationem supplet Iosephus. cf. de h. l. Salvador II. p. 393. — *ambigue certavit*] atque adeo quidem ambigue, ut prope interciperetur a Iudaeis Titus. Ioseph. B. I. 5, 2, 2: τὸν δὲ Τίτον ἀποτέμνονται σὺν ὀλίγοις. via tandem patefacta ἐπὶ τὸ στρατόπεδον διασώζεται. τοῖς μὲν οὖν Ἰουδαίοις πλεονεκτήσασι κατὰ τὴν πρώτην ἐπίθεσιν, ἐπήγειρε τὰς διανοίας ἄσκεπτος ἐλπίς. et § 4 legionem decimam castris pulsam esse tradit atque ingens in periculum venturam fuisse, nisi Titus ei mature opem tulisset. — *pars virtute* cet.] iuncta cum consilio Romanoque milite vere digna, cui opponitur *ferocia*, saevus impetus ac sanguinis hostilis effundendi cupiditas. — *morari*] pro vulgari »nimis diu ei deesse«; sed praetulit *voluptatum* ipsarum veluti προσωποποιίαν. — *duos colles*] Ioseph. B. I. 5, 4, 1. sunt Acra et Sion. rem clare exponit Ferlet: »*Jérusalem était bâtie sur un rocher qui formait trois collines, savoir: Sion, ou la ville de David, au midi; Acra au nord (c'était la ville haute, qui cependant était devenue la ville basse depuis qu'on en avait coupé le sommet pour qu'il fût dominé par le temple), et Moria, au levant d'Acra, sur lequel le temple était bâti. L'auteur parle d'abord des deux premières collines seulement et de leurs fortifications extérieures et intérieures, les regardant comme le corps de la place dont le temple était la citadelle. Du côté nord-ouest, où était campé Titus, on voyait le premier mur extérieur qu'on avait devant soi, en suite un second mur qui régnait le long de la crête d'Acra; derrière ce second mur, le palais dans Acra, et les hauteurs de Sion vers le midi; puis, vers le levant, la tour Antonia et le temple, lequel dominait le tout et terminait l'horizon.* cf. omnino Robinson II. p. 1 seqq. cum Tab. V et Salvador *Plan approximatif de Jérusalem fortifiée* in fine Vol. II. — *in inmensum*] Germ. 6 *pedites et missilia spargunt — atque in inmensum vibrant.* *Dräger* Syntax § 7, 2. — *muri per artem obliqui*] Veget. 4, 2: *ambitum muri directum veteres ducere noluerunt, ne ad ictus arietum esset dispositus, sed sinuosis anfractibus, iactis fundamentis, clausere urbes crebrioresque turres in ipsis angulis reddiderunt propterea, quia, si quis ad murum tali ordinatione constructum vel scalas vel machinas voluerit admovere, non solum a fronte, sed etiam a lateribus et prope

obpugnantium ad ictus patescerent; extrema rupis abrupta; et turres, ubi mons iuvisset, in sexagenos pedes, inter devexa in centenos vicenosque attollebantur, mira specie ac procul intuentibus pares. alia intus moenia, regiae circumiecta, conspicuoque fastigio turris Antonia, in honorem M. Antonii ab Herode appellata. (12) templum in modum arcis propriique muri labore et opere ante alios; ipsae porticus, quis templum ambibatur, egregium propugnaculum. fons perennis aquae, cavati sub terra montes, et piscinae cisternaeque servandis imbribus. providerant conditores ex diversitate morum crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium; et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. atque per avaritiam Claudianorum temporum empto iure muniendi struxere muros in pace tanquam ad bellum. magna

1 obpugnatiū 2 sexagenos *Bekker*: sexaginta vicenos *Haase* 6 opere *det.*: opera 8 cavati — montes *ante* fons *ponit Nipperdey* cisterneq; 8/9 praeviderant *dett.* 10 adversus quamvis *Heraeus* 12 tum magna *Iacob*, mox magna *Ritter*

a tergo velut in sinu circumclusus obprimitur. Salvador II. p. 362: *Jérusalem, assise sur deux collines, dit Tacite, était fermée de murailles que l'art avait disposés en angles saillans et rentrans, afin que les troupes qui l'assiégeraient eussent toujours leur flancs découverts.* — *extrema rupis abrupta*] sonus praefractior consulto quaesitus videtur ad huius rupis situm imitandum. — *turres*] et quidem quam plurimae, LX in primo muro, XIV in altero sive medio, XC in tertio, teste Iosepho B. I. 5, 4, 3. — *regiae*] ubi habitarant reges Hasmonaei, postea Herodes. — *turris Antonia*] in Moria monte exstructa primum ab Ioanne Hyrcano, et vulgo Βᾶρις vocata, postea novo sub nomine denuo multo amplius ac magnificentius condita ab Herode Magno. cf. Robinson II. p. 71. eam ita describit Iosephus B. I. 5, 5, 8: δεδόμητο δὲ ὑπὲρ πέτρας πεντηκονταπήχους μὲν ὕψος, περικρήμνου δὲ πάσης. — πυργοειδὴς δὲ οὖσα τὸ πᾶν σχῆμα κατὰ γωνίαν τέσσαρσιν ἑτέροις διείληπτο πύργοις. — *M. Antonii*] fautoris Herodis Magni.

12. *templum*] in tertio colle inter Acram et Sion situm, cui nomen Moria, ab orientali latere urbis. cf. Ioseph. B. I. 5, 5, 1. — *labore et opere*] cf. 3, 11 *legiones — labore et opere fessae.* Ann. 1, 20 *Rufus — vetus operis ac laboris.* — *ante alios*] »Templi murus prae ceteris optime munitus erat ac prope inexpugnabilis.« — *porticus*] Ioseph. ibid. § 2: διπλαῖ μὲν γὰρ αἱ στοαὶ πᾶσαι, κίονες δ' αὐταῖς εἰκοσιπέντε πηχῶν τὸ ὕψος ἐφεστήκεσαν μονόλιθοι λευκοτάτης μαρμάρου, κεδρίνοις δὲ φατνώμασιν ὠρόφωντο. — *ambibatur*] Ann. 2, 19 *silvas — palus ambibat.* cf. *Sirker*, Taciteische Formenlehre p. 58. — *fons perennis aquae*] Σιλωάμ Lucae 13, 4, ex quo fonte duo manabant rivuli effundentes se in duplex stagnum sive *piscinam* superiorem (Σολομῶνος κολυμβήθραν Ioseph. B. I. 5, 4, 2) et inferiorem (κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ Ioann. 9, 7), e quibus aqua in ipsam urbem ducebatur. Hieronym. Comm. ad Ies. 8, 6: *Siloë autem fontem esse ad radices montis Moria, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat et per terrarum concava et antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, qui in hac habitamus provincia.* id. Comm. ad Ier. 14: *Unico fonte Siloë et hoc non perpetuo utitur civitas et usque in praesentem diem sterilitas pluviarum non solum frugum, sed et bibendi inopiam facit.* vides Hieronymum contradicere Tacito de *fonte perenni,* nisi vero hoc interpretari velis de duobus illis receptaculis, quibus semper aqua suppetierit. ceterum cf. Robinson II. p. 142 seqq. — *cavati sub terra montes*] exquisitius quam »specus subterranei«, partim frumenti commeatibus thesaurisque adservandis cavati, partim, ut ex iis aqua clam hauriretur ab obsessis. Dio 66, 4. Ios. B. I. 6, 7, 3. — *empto iure muniendi*] id quod

conluvie et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. tres duces, totidem exercitus: extrema et latissima moenium Simo, mediam urbem Ioannes [quem et Bargioram vocabant], templum Eleazarus firmaverat. multitudine et armis Ioannes ac Simo, Eleazarus loco pollebat: sed proelia dolus incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. mox Ioannes missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque eius obtruncarent, templo potitur. ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret. (13) evenerant prodigia, quae

1 c̄lubie (b *in* v *corr.* 1m) (conluvies *Nipperdey*) 2 seditiosiosius 3 iohs (*cum lineola in litt.* h) quē *in* quā *mut.* 2m. 4 Bargioram *Rhenanus*: barba|giorā [quem — vocabant] *Bipontini*, *post* Simo *transponit Salinerius* alazarus firmaverant *Ritter* 5 iohs (*cum lin. in litt.* h) alazarus pollebant *Ritter* p̄lia 6 frum̃tiā busta iohs (*cum. lin. in litt.* h) 7 lazarū (a *superscr.* 2m.)

liberales principes civitatibus gratuito concedebant, ut muros sibi exstruerent adversus subitas hostium latronumve incursiones, Claudius per avaritiam vendere solebat. Bach. sine dubio autem magnam partem huius pecuniae sibi retinebant praesides Romani. — *ceterarum urbium*] intelliguntur urbes Iudaeae a Vespasiano iam captae, inter quas eminebant Iotapata, ubi curabat Flavius Iosephus B. I. 3, 7, 3, huic vicina Gabara (scilicet apud Iosephum B. I. 3, 7, 1: τῇ πόλει τῶν Γαβάρων pro Γαδάρων legendum docet Salvador II. p. 178) et Gadara caput Peraeae, Ios. B. I. 4, 7, 3. — *Simo*] hic postea triumpho de Iudaeis reservatus ac denique supplicio affectus. Ios. B. I. 6, 9, 4: ἐφυλάχθη δὲ ὁ μὲν (Σίμων) τῷ θριάμβῳ σφάγιον, ὁ δ᾽ Ἰωάννης δεσμοῖς αἰωνίοις. Dio 66, 7. — *Ioannes, quem et Bargioram vocabant*] immo Simo vocabatur Bargioras, id est, Giorae filius, ut certior in hac re testis refert Iosephus B. I. 2, 19, 2: ὁ τοῦ Γιώρα Σίμων. 4, 9, 3: Υἱὸς ἦν Γιώρα Σίμων τις Γερασηνὸς τὸ γένος, νεανίας πανουργίᾳ μὲν ἡττώμενος Ἰωάννου τοῦ προκατέχοντος ἤδη τὴν πόλιν, ἀλκῇ δὲ σώματος καὶ τόλμῃ διαφέρων. contra Ioannes ὁ τοῦ Ληουεῖ. Vita 10. nec tamen ausus sum sequi Salinerii transpositionem ceteroqui faciliorem plerisque ab aliis alibi propositis. a glossatore vocabula adiecta videntur aut statuendum est Tacitum in re leviore errasse. cf. Salvador II. p. 275. — *Eleazarus loco*] quippe qui ex stirpe sacerdotali. Ioseph. B. I. 4, 4, 1 et 7, 6, 4: ἦν γὰρ ἐκ μεγάλης καὶ σφόδρα πολυανθρώπου συγγενείας. Simonis cuiusdam filium vocat Iosephus B. I. ubique (ut 2, 20, 3 cet.), quo eum distinguat a tot aliis Eleazaris eius aequalibus. de eodem 4, 4, 1: πιθανώτατος ἐδόκει τῶν ἐν τοῖς Ζηλωταῖς νοῆσαί τε τὰ δέοντα καὶ τὰ νοηθέντα πρᾶξαι. — *incendia inter ipsos*] Ioseph. 5, 1, 4: Συνέβη — κατακαῆναι πλὴν ὀλίγου πάντα τὸν σῖτον, ὃς ἂν αὐτοῖς οὐκ ἐπ᾽ ὀλίγα διήρκεσεν ἔτη πολιορκουμένοις. Λιμῷ γοῦν ἑάλωσαν, ὅπερ ἥκιστα δυνατὸν ἦν, εἰ μὴ τοῦτον αὐτοῖς προπαρεσκεύασαν. — *missis — qui Eleazarum — obtruncarent*] Salvador II. p. 386: *Pendant un jour de fête, Jean avait surpris et forcé Eléazar et les zélateurs dans la seconde enceinte du temple. Tacite prétend que le chef et ses soldats y furent massacrés; c'est une erreur. Ils reconnurent, au contraire, l'autorité de Jean de Giscala, passèrent sous ses ordres, et se firent remarquer parmi les instrumens les plus audacieux de ses entreprises.* cf. Iosephus B. I. 5, 6, 1: Ἰωάννης δὲ τὸ ἱερὸν κατειληφὼς ἑξακισχιλίους ὁπλίτας εἶχεν —. προσεγένοντο δὲ αὐτῷ τότε καὶ οἱ Ζηλωταὶ παυσάμενοι τοῦ διαφέρεσθαι, δισχίλιοι μὲν ὄντες καὶ τετρακόσιοι, χρώμενοι δ᾽ ἄρχοντι τῷ καὶ πρότερον Ἐλεαζάρῳ καὶ Σίμωνι τῷ τοῦ Ἀρινοῦ. ut autem Taciti vv. interpretemur: »missis, qui iussi erant Eleazarum obtruncare, ni ultro se subiecisset, id quod re vera fecit«, vv. *templo potitur* nequaquam concedunt ac profecto nimia esset βραχυλογία.

13. *prodigia*] plura etiam narrat Iosephus B. I. 6, 5, 3 v. c.: κατὰ τὴν τῶν Ἀζύμων ἑορτὴν βοῦς ἀχθεῖσα ὑπό του πρὸς τὴν θυσίαν

neque hostiis neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. visae per caelum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne conlucere templum. apertae repente delubri fores et audita maior humana vox excedere deos; simul ingens motus excedentium. quae pauci in metum trahebant: pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum potirentur. quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant: sed volgus more humanae cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati ne adversis quidem ad vera mutaban-

2 rutilanta (i *add. infra* 1*m.*, *supra* 2*m.*) 3 expertę *sed* ex *in rasura* 2*m.* (expassae *alii*) 7 poterentur *Bekker* cf. 3, 52. 4, 73. uespasianū (*corr. ex* uespanan; 1*m.*) 8 praedixerant *dett.*: praedixerat 9 magnitudine inīp̄tati

ἔτεκεν ἄρνα ἐν τῷ ἱερῷ μέσῳ. maxime autem horribile prodigium scriptori visum est Iesus ille, Anani filius, homo rusticus, qui quotidie »Vae, vae Hierosolymis!« vociferabatur idque per annos septem et quinque menses continuos fecit, donec murum circumiens rursusque clamans »Vae, vae civitati et fano ac populo, vae etiam mibi!« lapide ictus occidit. — *neque — fas habet*] prodigia enim attendere severe vetabat lex divina. Levitic. 19, 26: οὐκ οἰωνιεῖσθε οὐδὲ ὀρνιθοσκοπήσεσθε. ceterum nota Tacitum loqui tantummodo de prodigiorum procuratione Iudaeis interdicta; siquidem alia piacula purificationis causa instituta apud eos non deerant. — *apertae*] porta orientalis templi interioris, χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλην μόλις ὑπ᾽ ἀνθρώπων εἴκοσι καὶ μοχλοῖς ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις, noctis hora sexta suapte sponte patefacta est teste Iosepho l. l. — *excedere deos*] Iosephus l. l.: κατὰ τὴν ἑορτήν, ἣ Πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερόν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἔφασαν ἀντιλαβέσθαι καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα φωνῆς ἀθρόας, »Μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν«. quod prodigium praecipuo tangere debuit Romanos ob ritum, quem sic exponit Plinius 28, 18: *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in obpugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocari deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in pontificum disciplina id sacrum, constatque ideo occultatum, in cuius dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* formulam autem ipsam, qua deos evocare solebant, servavit Macrobius Sat. 3, 9. — *in metum trahebant*] »accipiebant tamquam metum incutientia.« DUEBN. sic Ann. 1, 76. 3, 22 cet. Liv. 8, 21, 6: *ad meliora responsa trahere*, in melius interpretari. — *antiquis sac. litteris*] velut Danielis 2, 44: καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν βασιλέων ἐκείνων ἀναστήσει ὁ θεὸς τοῦ οὐρανοῦ βασιλείαν, ἥτις εἰς τοὺς αἰῶνας οὐ διαφθαρήσεται, καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ λαῷ ἑτέρῳ οὐχ ὑπολειφθήσεται. adde cetera vaticinia, quae dicuntur Messianica. — *ut valesceret Oriens*] Iosephus B. I. 6, 5, 4: τὸ δ᾽ ἐπᾶραν αὐτοὺς μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας αὐτῶν τις ἄρξει τῆς οἰκουμένης. τοῦθ᾽ οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν, ἐδήλου δ᾽ ἄρα τὴν Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. Suet. Vesp. 4: *percrebruerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. id de imperatore Romano, quantum postea eventu paruit, praedictum Iudaei ad se trahentes rebellarunt.* — *potirentur*] de hac forma cf. *Sirker*, Taciteische Formenlehre § 61. — *ambages*] praeter ablativum *ambage* (Ann. 6, 46 et 12, 63) hoc vocabulum numero singulari non invenitur, sed plurale tantum est, cf. *Sirker*, Tacit. Formenlehre p. 26. — *sibi*] ut ad se pertinentem, ut de se praedictam et de adventu Messiae, Iosephi l. l. ὡς οἰκεῖον. RUP. — *ad vera mutabantur*] βραχυλογία pro

tur. multitudinem obsessorum omnis aetatis, virile ac muliebre secus, sexcenta milia fuisse accepimus. arma cunctis, qui ferre possent; et plures quam pro numero audebant. obstinatio viris feminisque par; ac si transferre sedes cogerentur, maior vitae metus quam mortis. hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando inpetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. dividuntur legionibus munia, et quies proeliorum fuit, donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres aut novis ingeniis struerentur.

(14) At Civilis post malam in Treveris pugnam reparato per Germaniam exercitu apud Vetera castra consedit, tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augescerent barbarorum animi. secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis adventu secundae et sextae et quartae decimae

1 hominis secus (c *in* x *mut.* 2*m.*) 5 Inpetu (s *superscr.* 2*m.*) 7 p̄liorum 8 *ad hunc versum notat in margine* deest 3*m.* 9 mala 10 castra *om. Lipsius* 12 cerialis (is *corr. ex* ē 1*m.*) sextae *Mercerus:* xuȷ. quartae decimae] xiiiȷ.

»eorum mens et opinio vel spes ne adversis quidem ita mutabatur, ut veritatem agnoscerent«, his ambagibus non Messiam a se ardentissimis votis iam diu exspectatum, sed Vespasianum, imperatorem Romanum, portendi. Id. — *secus*] ut Ann. 4, 62. cf. *Nipperdey* ad h. l. et *Sirker* § 39. — *sexcenta milia*] aliter Iosephus B. I. 6, 9, 3: τῶν μὲν οὖν αἰχμαλώτων πάντων, ὅσα καθ' ὅλον ἐλήφθη τὸν πόλεμον, ἀριθμὸς ἐννέα μυριάδες καὶ ἑπτακισχίλιοι συνήχθη. τῶν δὲ ἀπολομένων κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα. τούτων τὸ πλέον ὁμόφυλον μὲν ἀλλ' οὐκ ἐπιχώριον· ἀπὸ γὰρ τῆς χώρας ὅλης ἐπὶ τὴν τῶν Ἀζύμων ἑορτὴν συνεληλυθότες ἐξαπίνης τῷ πολέμῳ περιεσχέθησαν. Orosius 7, 9: *DC. milia Iudaeorum eo bello interfecta Cornelius et Suetonius referunt: Iosephus vero Iudaeus — scribit undecies centena milia gladio et fame perisse.* utrumque testimonium refert etiam Hieronymus in Chron. p. 439. ed. Roncall. ceterum nota *obsessorum*, non *interfectorum* numerum tradi a Tacito. quomodo autem discrepantiam hanc aliquatenus exaequare conatus sit Salvador II. p. 374, vide in Excursu. — *plures quam pro numero*] «hoc valet: fuere obsessi *sexcenta milia; credas* quartam aut circiter partem (pro communi ratiocinatione) arma tulisse: at hic aliter fuit, et plures impetu atque ardore ceperunt. qui? infra aut supra legitimam aetatem, pueri senesque.« Lips. — *maior vitae metus*] rhetorice hanc sententiam effert atque circumscribit Eleazarus, ἀπόγονος Ἰούδα, diversus ab eo, quem memorat Tacitus, apud Iosephum B. I. 7, 8, 6. de urbis expugnatione Dio 66, 6: οἱ μὲν ξίφεσί σφας τοῖς τῶν Ῥωμαίων περιέπειρον, οἱ δὲ ἀλλήλους ἐφόνευον, ἄλλοι ἑαυτοὺς κατεχρῶντο, οἱ δὲ ἐς τὸ πῦρ ἐσεπήδων. καὶ ἐδόκει πᾶσι μέν, μάλιστα δὲ ἐκείνοις, οὐχ ὅτι ὄλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη καὶ σωτηρία εὐδαιμονία τε εἶναι, ὅτι τῷ ναῷ συναπώλοντο. — *novis ingeniis*] »inventis«, quo ex vocabuli usu Itali etiamnunc interdum machinae significatione usurpant v. *ingegno.* Salvador II. p. 296: *Jamais on n'avait vu un luxe aussi effrayant de moyens d'attaque. Jusqu' alors les travaux de la prise de Syracuse étaient regardés comme le plus large développement de la mécanique militaire et de la balistique ou artillerie des anciens; mais le siège de Jérusalem laissa bien loin derrière lui le siège de Syracuse, et Tacite nous en a transmis la cause naturelle.*

14. *malam in Treveris pugnam*] cf. 4, 77. — *reparato per Germaniam exercitu*] uti iam ante (4, 76) consuluerat *opperiendas Transrhenanorum gentes*, cui consilio exsequendo restiterant Tutor et Classicus. — *Vetera*] ab ipso prius capta direptaque. 4, 60. — *duplicatis copiis*] ante adventum legionum hic memoratarum habuerat quartam et duoetvicesimam (4, 71), item primam et sextam decimam (4, 72), deinde vicesimam primam (4, 70. 78), omnes igitur quinque, sed quoniam primae quattuor haud integrae (cf. 4, 22), trium novarum legionum accessione sane duplicatae sunt Cerialis copiae. — *secundae* cet.] cf.

legionum; cohortesque et alae iam pridem accitae post victoriam properaverant. neuter ducum cunctator, sed arcebat latitudo camporum suopte ingenio umentium: addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cuius obiectu revolutus amnis adiacentibus superfunderetur. ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa: quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus, Germanos fluminibus suetos levitas armorum et proceritas corporum attollit. (15) igitur lacessentibus Batavis ferocissimo cuique nostrorum coeptum certamen; deinde orta trepidatio, cum praealtis paludibus arma equi haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte latera ac terga circumvenientes. neque ut in pedestri acie comminus certabatur; sed tanquam navali pugna, vagi inter undas aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, volnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem inplicabantur. minor tamen quam pro tumultu caedes, quia non ausi egredi paludem Germani in castra rediere. eius proelii eventus utrumque ducem diversis animi motibus ad maturandum summae rei discrimen erexit. Civilis instare fortunae, Cerialis abolere ignominiam: Germani prosperis feroces, Romanos pudor excitaverat. nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas acta. (16) postera luce Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet; in secunda acie legiones locatae; dux sibi delectos retinuerat ad inprovisa. Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis astitit: Batavi Cugernique in dextro; laeva ac propiora flumini Transrhenani tenuere. exhortatio ducum non more contionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut per-

4 obiecturę uolutus 8 cęptū 9 armę qui auri|rentur (h *superscr.* 1m.) (arma equi] amneque *b*) 11 cōmin; min; (comminus eminus *Iac. Gronovius*) 12 illuc *Madvig* 13 uolneratis 14 caedes *dett.*: ceres 15 p̄lii 16 sūme 17 cerealis Ignominia| (ā 2m.) ignominiam properabat *Nipperdey* Germanis (*litt.* s *erasa*) 18 pudore (*litt.* e *erasa*) 19 cerealis 21 locate porrecto (po *in rasura* 1m.) 22 leua 23 flumini *Nipperdey*: fluminis 24 Cerealis 25 gla *cum lineola in litt.* l (ā 2m.) antiquas *om. b* victorias memorabat *Nipperdey*

c. 16. — *sed arcebat*] »sed utrumque aeque impediebat sive prohibebat ab hostili congressu.« — *suopte ingenio*] cf. 1, 51. 2, 4: *ob ingenium montis*. sed iamdiu ante Sallustius Hist. 3, 17 Kr. *ingenio loci*. — *molem*] ex lapidibus trabibusve constructam, *Damm*, contra *agger*, *Deich*, ex humo dumtaxat congestus. cf. Ukert, *Gallien* p. 162. — *levitas armorum*] de qua Germ. 6. Ann. 2, 14: *non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata*.

15. *arma*] imprimis graves clipei hauriebantur, quando miles inter undas trepidus et nandi pavidus eos omittebat, suae ut saluti prospiceret. — *notis vadis persultabant*] sc. paludes usque ad Romanos i. q. *sprangen durch*. *A. Greef*, Lexicon Taciteum sub voce.

16. *Cugernique*] cf. 4, 26. — *Transrhenani*] Bructeri, Tencteri, alii, ut 4, 23. — *Cerialis — victorias*] sc. commemorabat: notabilis ellipsis, sed post *exhortatio ducum* minus dura.

fidum ignavum victum hostem in aeternum excinderent, ultione magis quam proelio opus esse. pauciores nuper cum pluribus certasse, ac tamen fusos Germanos, quod roboris fuerit: superesse qui fugam animis, qui vulnera tergo ferant. proprios inde stimulos legionibus admovebat, domitores Britanniae quartadecumanos appellans; principem Galbam sextae legionis auctoritate factum; illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos. hinc praevectus ad Germanicum exercitum manus tendebat, ut suam ripam, sua castra sanguine hostium recuperarent. alacrior omnium clamor, quis vel ex longa pace proelii cupido vel fessis bello pacis amor, praemiaque et quies in posterum sperabatur. (17) nec Civilis silentem struxit aciem, locum pugnae testem virtutis ciens: stare Germanos Batavosque super vestigia gloriae, cineres ossaque legionum calcantes. quocumque oculos Romanus intenderet, captivitatem clademque et dira omnia obversari. ne terrerentur vario Treverici proelii eventu: suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum omissis telis praeda

1 exciderent 2 p̄lio 5 brittannie sexta 6/7 novam (*om.* que) *b* 7 p̄uectos (pervectus *Agricola*) 9 alacris *Nipperdey*, alacer *Agricola* p̄lii 10 sperabantur *dett.* 11 silens *Pichena*, silentio *Muretus*, silenter *Lipsius* instruxit *Pichena* pugne sciens 12 gle *cum lineola in litt.* l 14 dyra oīa (omina *dett.*) p̄lii 15 euentū (*notam del.* 1m.)

— *hostem — excinderent*] Ann. 2, 25 *excindit non ausum congredi hostem.* — *nuper*] in Treviris 4, 77 sq. — *quod roboris fuerit*] ut 4, 76: *quod roboris sit, Belgas.* cf. 4, 33 *caesorum eo die in partibus nostris maior numerus et inbellior; e Germanis ipsa robora.* — *domitores Britanniae*] Ann. 14, 34. — *auctoritate*] sextae legionis in Hispania tendentis (3, 44) exemplum secutas esse ceteras, quae Galbae partes amplexae sint. — *secundanos nova signa*] nam recens erant conscripti. 4, 68. est ergo: »nunc primum signa aquilamque (ut numen vestrum) dicabitis«. — *praevectus*] equo praetervectus secundam, sextam, quartam decumam legiones. cf. Hist. 2, 2: *laeva maris praevectus.* Ann. 14, 23: *illum fines suos praegredientem.* — *sua castra*] Vetera. — *pace proelii cupido — bello pacis amor*] de figura ἀντιμεταβολῆς cf. 2, 37 et 3, 33. — *sperabatur*] de numero singulari cf. 3, 60 *colloquia — et proditio sperabatur*, item 1, 76 et 84. 2, 70 et 78.

17. *nec C. silentem*] respicit ad *alacrior omnium clamor* et paulo post explicatur verbis *sono armorum tripudiisque — approbata sunt dicta.* ipsum Civilem non tacuisse inest in verbis *locum pugnae testem virtutis ciens.* nec verisimile est Tacitum scripsisse *silens — ciens* et supra iam (c. 16) dixerat *exhortatio ducum.* — *super vestigia*] loquitur de Veterum reliquiis cineribusque Romanorum ibi incendio haustorum. 4, 60. — *dira omnia*] »nihil nisi dira«: sic aliquoties *laeta omnia* Ann. 1, 42. 11, 15. Hist. 2, 80. 4, 49. Liv. 24, 16, 10: *bona omnia populo Romano — precarentur:* quibus in locis paene omnibus exstitere vel librarii vel critici, qui frustra mallent *omina.* — *suam illic victoriam*] »ob ipsam victoriam illic primum partam, qua propter nimiam fiduciam atque praedae cupiditatem temere abusi sint, postmodo victos esse.« cur v. *victoriam* Lipsio vitiosum sit visum, curque Acidalius voluerit *avaritiam*, Herbstius *incuriam*, difficile est intellectu. cf. 4, 78 *terga victores vertere* et *obstitit vincentibus pravum — certamen — spolia consectandi.* — *dum — impediunt*] Ernestius proposuit »*impediant* vel potius *impedirent*«, immemor videlicet solitae huius constructionis etiam in oratione obliqua. Ann. 2, 81: *oravit, ut — maneret in castello, dum Caesar — con-*

manus impediunt; sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. quae provideri astu ducis oportuerit, providisse, campos madentes et ipsis gnaros, paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniae deos in aspectu; quorum numine capesserent pugnam, coniugum parentum patriae memores. illum diem aut gloriosissimum inter maiores aut ignominiosum apud posteros fore. ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) approbata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus proelium incipitur, neque nostro milite paludem ingrediente et Germanis, ut elicerent, lacessentibus. (18) absumptis quae iaciuntur et ardescente pugna procursum ab hoste infestius. inmensis corporibus et praelongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant; simul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum cuneus tranatavit. turbata ibi res, et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia proelium aequatur. inter quae perfuga Batavus adiit Cerialem, terga hostium promittens, si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa, et Cugernos, quibus custodia obvenisset, parum intentos. duae alae cum perfuga missae incauto hosti circumfunduntur. quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset; ne eques quidem institit, repente fusis imbribus et propinqua nocte.

1 c̃trarie uenisse 2 providisse *dett* : preuise *in rasura* (*litt.* p *primitus fuit caudata*) (provisa *Agricola*) 3 [paludes] *et* noxios *Eussner* deos *in rasura* 4 capesceret patrie 5 ĩt̃| (in *Nipperdey*) maiorum *Heraeus* 6 mox 7 missib; (li *superscr.* 1*m.*) p̄liũ 8 ĩgredientē (*notam supra* e *del.* 1*m.*) 9 lacescentib; absumptisq; 10 astis 12 stranatauit (*in margine scr.* trans 1*m.*) 14 p̄liũ Interq; 15 batan; 16 inmitteretur *Halm* gugeruos (*sic*)

sulitur. 13, 15. 14, 58. — *hosti contraria*] 4, 79 *quae modica, sed crebra damna famam victoriae nuper partae lacerabant.* — *quae provideri — oportuerit, providisse*] Sall. Iug. 49, 2 *quae ab imperatore decuerint omnia suis provisa.* — *quorum numine*] »quorum auspiciis, favore, auxilio freti«; ut saepe, apud poetas imprimis. Ern. — *illum diem*] Sall. Iug. 49, 3 *illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum aut maxumarum aerumnarum initium fore.* — *inter maiores*] »illo die aut plus gloriae consecuturos, quam maiores ipsorum antea (maxime per cladem Varianam) consecuti sint, aut tantum ignominiae, ut etiam posteri male de ipsis existimaturi sint.« Ern. cf. *Dräger*, Syntax § 238 (p. 105). — *ita illis mos*] Germ. 11. — *elicerent*] Romanos ex sua statione in paludem. Duebn. — *lacessentibus*] non tam conviciis (ut opinabatur Broterius), quam potius *saxis glandibusque et ceteris missilibus.* Ruperti.

18. *retulimus*] c. 14. — *terga hostium*] se duce ibi hostes a tergo circumveniri posse — *solidum*] Ovid. Fast. 4, 404 *nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.* — *illa*] 3, 8 *ne pervium illa — foret.* — *si Romana classis*] cf. c. 21.

(19) Postera die quartadecima legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa; Cerialis exercitum decima ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. non tamen ausus oppidum Batavorum armis tueri, raptis quae ferri poterant, ceteris iniecto igni, in insulam concessit, gnarus deesse naves efficiendo ponti neque exercitum Romanum aliter transmissurum. quin et diruit molem a Druso Germanico factam Rhenumque prono alveo in Galliam ruentem, disiectis quae morabantur, effudit. sic velut abacto amne tenuis alveus insulam inter Germanosque continentium terrarum speciem fecerat. transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Trevirorum senatores; in

2 Annio *Puteolanus:* ani mo 3 caucorum oppida *dett.* Batavodurum *Lipsius* 4 que 6 diluit 7 facta albeo (b *in* v *mut.* 1*m.*) 8 albeus 10 centū XIIJ.

19 *Gallo Annio*] cf. 4, 68. — *oppidum Batavorum*] audiamus hoc de *oppido Batavorum*, ut Ann. 1, 36 est *oppidum* (caput) *Ubiorum*, disputantem Walckenaer *Géographie des Gaules* I. p. 498: *Si du temps de César les Bataves avaient une capitale, il est probable que c'est celle à laquelle les Romains donnèrent le nom de* Batavodurum *et dont la position à Wyk-by-Duurstede est prouvée par les mesures de la route romaine qui suit le Rhin.* Batavodurum *dont Tacite a parlé (Ch.* 20) *doit être distinguée de* Batavorum oppidum, *dont il est fait aussi mention, et que la ressemblance du nom moderne et le récit de Tacite ont fait placer à Batenbourg, précisément à l'endroit où nous avons prouvé que le Wahal se joignait à la Meuse. Mais Tacite lui-même nous apprend* (Germ. 29) *que les Bataves étaient originaires de la Germanie, que c'était une division des Cattes, lesquels avaient pris refuge dans l'île à laquelle ils avaient donné leur nom; par conséquent* Batavodurum, *située dans la partie septentrionale de l'île, et du côté de la Germanie, doit être plus ancienne que* Batavorum oppidum, *située au midi, et du côté de la Gaule.* (alii referunt ad Noviomagum, h. *Nimvegen.* contra Ukert *Gallien* p. 528 acriter pugnat pro lectione *oppida*, intelligens Arenacum, Batavodurum, Grinnes et Vadam.) — *diruit molem a Druso G. factam*] anno vitae ultimo, id est, a. u. c. 745. cf Ann. 13, 53. verum Ukert *Gallien* p. 162 urgens verborum proprietatem (nam Ann. l. l est *agger*, hic *moles*) diversum opus utrumque fuisse contendit. rem ipsam sic explanat Thierry *Histoire des Gaulois* III. p. 439: *Le premier soin de Civilis fut de détruire la digue élevée autrefois par Drusus à l'endroit où le Rhin commence à se partager en deux bras. Ces branches sont inégales; et la pente des eaux se portant sur le Vahal, le bras droit, qui conserve le nom de Rhin, demeure le plus faible. Drusus aux vues duquel il convenait de grossir cette branche droite, qu'il joignait à l'Issel par un canal, avait dirigé sa digue de manière qu'elle rejetait les eaux du côté de la Germanie. Civilis, ayant un intérêt contraire, la ruina; et de cette opération il tira deux avantages: en grossissant le Vahal, il fortifiait la barrière qui le séparait des Romains; et le bras qui bornait l'île au nord, se trouvant réduit presque à sec, ouvrait une libre communication entre les terres bataves et la Germanie.* Ukert *Gallien* p. 162: *Wie Cap.* 14 *ein in den Fluss gebauter Damm den Strom hemmt und das Land zu überschwemmen nöthigt, so scheint dieses ein Bau ähnlicher Art gewesen zu sein, der den Fluss abhielt, mit der grösseren Wassermasse in die Vahalis zu strömen, damit eine reichlichere Fülle dem nördlichen Arm zukäme, und dieser, nebst dem zur Yssel gehenden Canal, reichlich Wasser erhielt; so war dadurch diess östliche Gränze mehr gedeckt und die Fahrt in den nördlichen Oceanus, die dem Drusus so wichtig war, gedeckt.* cf. *von Veith* Vetera Castra mit seinen Umgebungen p. 18 sq. et p. 37. — *Rhenum*] h. e. Vahalem, Ann. 2, 6. — *Tutor quoque*] »ut fecerat Civilis«, id quod hac una particula *quoque* satis significatur. — *senatores*] honestius vocabulum pro decurionibus coloniae Tre-

quis fuit Alpinius Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. comitabatur eum frater D. Alpinius; simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant inter gentes periculorum avidas. (20) tantumque belli superfuit, ut praesidia cohortium alarum legionum uno die Civilis quadripertito invaserit, decimam legionem Arenaci, secundam Batavoduri et Grinnes Vadamque, cohortium alarumque castra, ita divisis copiis, ut ipse et Verax, sorore eius genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent, nec omnia patrandi fiducia, sed multa ausis aliqua in parte fortunam adfore: simul Cerialem neque satis cautum et pluribus nuntiis huc illuc cursantem posse medio intercipi. quibus obvenerant castra decumanorum, obpugnationem legionis arduam rati egressum militem et caedendis materiis operatum turbavere, occiso praefecto castrorum et quinque primoribus centurionum paucisque militibus: ceteri se munimentis defendere. et interim Germanorum manus Batavoduri interrumpere inchoatum pontem nitebantur: ambiguum proelium nox diremit. plus discriminis apud Grinnes Vadamque. (21) Vadam Civilis, Grinnes Classicus obpugnabant: nec sisti poterant interfecto fortissimo quoque; in quis Briganticus praefectus alae ceciderat, quem fidum Romanis et Civili avunculo infensum diximus. sed ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna praecipites Germani in amnem aguntur. Civilis dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis relicto equo tranatavit; idem Veraci effugium; Tutorem Classicumque adpulsae

4/5 legionē modie 5 quadripertito *Ernesti:* quadripertita 7 diuisi 8 traheret 10 pluris 14 ceteris eminentis et *dett.:* a (*om. b*) 15 interrumpere *Th. Kiessling:* Inrūpere | (rumpere *Iac. Gronovius*) p̄liū 16 uox (*sic*) 17 Int̄facto 18 brigantib; ale 19 duximus 22 tnataū | (a *super pr.* t *scr. 2m.*) Veraci *Ritter:* germani (Veracis *Iac. Gronovius*)

virorum ab Imp. Claudio deductae, unde primum a Pomponio Mela 3, 2 ita memoratur: *urbes opulentissimae in Treviris Augusta* cet. — *memoravimus*] 3, 35. 4, 31; ubi in Germaniam missus dicitur, non in Gallias. — *concibant*] de forma contracta cf. *Sirker* Taciteische Formenlehre p. 58. Livius 32, 13, 6 *exciibat*.

20. *Arenaci*] h. *Aerth* sive *Arth* prope *Herwen*. Ukert *Gallien* p. 531. Walckenaer II. p. 307. alii volunt esse *Arnheim*. — *Batavoduri*] Ukert *Gallien* p. 530 putat situm hoc oppidum fuisse prope *Batenburg* septentrionem versus. — *Grinnes*] Ukert l. l. ponit prope *Druten*, Walckenaer *Warich* et *Bochstein*. — *Vadamque*] Ukert ponit prope *Druten* orientem versus, Mannert II. p. 243 *Wamen*, vicum e regione oppidi *Tiel* esse censet. Ukert arbitratur fuisse haec quattuor loca ex quinquaginta illis castellis, quae Drusus per Rheni ripam direxit. Flor. 4, 12, 26. *von Veith* Vetera Castra p. 38 sq. putat esse Arenacum *Cleve*, Batavodurum *Nymwegen*, Grinnes *Cranenburg*, Vadam *Bedburg* aut infra Cranenburg prope *Wyler*. — *interrumpere — pontem*] 1, 70 *interruptis fluminum pontibus*, item Caesar B. G. 7, 19 et 34 et quattuor locis in libris de bello civili.

21. *diximus*] 4, 70. cf. 2, 22. — *in amnem*] hunc amnem esse *Vahalem*, in quo tunc plurima Rheni aqua, ex his et subsequentibus liquet. Ritter. — *Civilis — tranatavit*] tranatavit

lintres vexere. ne tum quidem Romana classis pugnae adfuit, ut iussum erat, sed obstitit formido et remiges per alia militiae munia dispersi. sane Cerialis parum temporis ad exequenda inperia dabat, subitus consiliis, sed eventu clarus: aderat fortuna etiam ubi artes defuissent; hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae. et paucos post dies, quanquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit. (22) profectus Novaesium Bonnamque ad visenda castra, quae hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat, disiecto agmine, incuriosis vigiliis. animadversum id Germanis et insidias conposuere. electa nox atra nubibus; et prono amne rapti nullo prohibente vallum ineunt. prima caedes astu adiuta: incisis tabernaculorum funibus suismet tentoriis coopertos trucidabant; aliud agmen turbare classem, inicere vincla, trahere puppis; utque ad fallendum silentio, ita coepta caede, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani volneribus exciti quaerunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. dux semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur. namque praetoriam navem vexillo insignem, illic ducem rati, abripiunt: Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiae Sacratae mulieris Ubiae. vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tanquam iussi silere, ne quietem eius turbarent; ita intermisso signo et vocibus se quoque in somnum lapsos. multa luce revecti hostes captivis navibus, praetoriam triremem flumine Lupia

1 lyntres transvexere *Halm*, avexere *Heraeus* ut *editio princeps:* et (etsi *L. Spengel*) 3 exequendi (exequendū *b*) 4 set (et *Heinsius*) 6 mutauit (euitauit *b*) 7 bonāq; 10 cedes 11 intercisis *Ritter* suis met toriis 13 cępta cede 14 romanis quer̃ 15 ornatu *editio princeps:* ornati 17 nanq; 18 noctem *dett.:* naue | (uane *b*) (alia navi noctem *Candidus*) 19 Ubiae *Rhenanus:* ubi e (et 2*m.*) 21 labsos 21/22 lucere uecti 22 Inpia *sed primitus* lupia *fuit*

ex laeva Vahalis ripa, in quam ad oppugnanda castra cohortium et alarum transcenderat, in dextram oram et insulam Batavorum: eodem Verax, etiam Tutor et Classicus se recepere. ibi omnibus fidum effugium, quia Romani nondum ingressi et pontes ab iis inchoati nondum perfecti erant. RITTER. — *ut iussum erat*] Ann. 2, 40 *exsequuntur, ut iussum erat*, Caesar B. G. 5, 7, 9 *ut erat imperatum*.

22. *hiematuris*] cf c. 23 *flexus autumni et crebris per aequinoctium imbribus*. — *disiecto agmine*, *incuriosis vigiliis*] *agmen* non de navibus dictum est, sed de militibus pedestri itinere remeantibus. navibus igitur tantum Cerialis et pars comitum rediit. *disiecto agmine* diurni temporis, *incuriosis vigiliis* nocturni cura intermissa denotatur. RITTER. — *vallum ineunt*] vallum et castra in laeva fluminis ripa posita. paulo ante *prono amne* de Rheno, quo vectus est Cerialis, intellegendum, quod non monerem, nisi de Lupia Rupertium (et nuper *von Veith* l. l. p. 40) cogitasse viderem. RITTER. — *silentio*] scil. agebant, cf. *Joh. Müller* Beiträge etc. 4. p 43. *Georg Clemm* de breviloquentiae Taciteae quibusdam generibus, Lipsiae 1881. p. 45. — *per vias*] castrorum. — *strictis mucronibus*] gladiis, ut 1, 27 *consalutatum imperatorem* — *strictis mucronibus rapiunt*. — *Cerialis alibi noctem egerat*] 4, 77 *in cubiculo ac lectulo Cerialis* (*neque enim noctem in castris egerat*). — *mulieris Ubiae*] in Ubiorum igitur agro, qui Romanis fidi erant, nocturnae illae insidiae a Germanis factae esse videntur. — *signo*] bucinae in

donum Velaedae traxere. (23) Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi. complet quod biremium quaeque simplici ordine agebantur; adiecta ingens lintrium vis (tricenos quadragenosque vexere); armamenta Liburnicis solita; et simul aptae lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis iuvabantur. spatium velut aequoris electum, quo Mosae fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit. causa instruendae classis super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperentur. Cerialis miraculo magis quam metu derexit classem numero inparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. his flumen secundum, illi vento agebantur: sic praevecti, temptato levium telorum iactu dirimuntur. Civilis nihil ultra ausus trans Rhenum concessit. Cerialis insulam Batavorum hostiliter populatus agros villasque Civilis intactas nota arte ducum sinebat, cum interim flexu au-

1 Inuasi Incessit (inanis incessit *Pichena*, inde incessit *Heinsius*) 2 remorum ordine *Ritter* 3 lyntriū quadragenosve *L. Spengel* vexere *Meiser:* ser̃ (*super* ser̃ armam̃ta *scr. 2m.* seua mom̃ta) (ferentium *Bipontini*, [tricenos quadragenosque ferunt] *Joh. Müller; lacunae signum posuit Ritter*) quis armamenta *Heraeus* 4 solite aptae *Bipontini:* captę (actae *Heraeus*, *post* captae *lacunam notat Nipperdey*) lyntres 9 remigiū 10 provecti *Puteolanus* 11 nichil haus;

circuitione vigiliarum usitato. cf. Ann. 1, 63. 15, 30. Polyb. 6, 35: ἡ τῆς ἐφοδείας πίστις εἰς τοὺς ἱππεῖς ἀνατίθεται —. ὁ γὰρ ταξίαρχος τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖται τοῦ κατὰ φυλακὴν βουκανᾶν. *voces* intellige vigilum ipsorum.

23. *cupido incessit*] 2, 2 *atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris.* — *quod biremium*] scil. erat. — *quaeque simplici ordine agebantur*] scil. naves moneres. Livius 38, 38, 8 *monerem.* — *tricenos — vexere*] cf. c. 21 *Tutorem Classicumque adpulsae lintres vexere.* Lucan. 3, 754 *ast aliae mutato remige puppes Victores vexere suos.* — *Liburnicis*] 2, 16 *trierarchum Liburnicarum ibi navium,* 2, 35. 3, 12. 14. 42. 43. 47. 48. 77. — *aptae lintres*] de *navibus* a Germanis captis Tacitus narrat c. 22 (praeterea 4, 16 et 79), de *lintribus* nusquam. ergo vocabulum corruptum *captae* Bipontini in *aptae* correxerunt, quod participium (= aptatae) in re navali frequens hoc loco non alienum videtur. sunt enim *aptae* lintres nautico instrumento aptae, hoc loco armamentis Liburnicarum instructae. cf. Livius 21, 22, 4 *aptae instructaeque remigio triginta et duae quinqueremes erant,* 21, 27, 8 *paratas aptatasque habebat — lintres,* 30, 10, 3 *agili et nautico instrumento aptae et armatae classi,* Caesar B. C. 3, 111 *quinqueremes aptae instructaeque omnibus rebus ad navigandum.* — *sagulis versicoloribus*] solitus hic vestitus nobilium Gallorum. cf. supra 2, 20. Thierry III. p. 329: *saies à carreaux brillans.* et h. l. p. 442: *saies bigarrées de mille couleurs.* — *amnem Rhenum*] cf. Ann. 2, 6. Plinius N. H. 4, 101 *inter Helinium ac Flevum. ita appellantur ostia, in quae effusus Rhenus a septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter haec ore modicum nomini suo custodiens alveum.* — *miraculo magis*] magis, quia mirabatur Civilem hoc audere, quam quod timeret; nam re vera Romanis rei navalis peritissimis inde nihil periculi. Lips. — *praevecti*] una classis alteram praetervecta est, nec post unum telorum iactum ultra pugnavere. (*en se croisant* Thierry). — *trans Rhenum*] h. e. trans *tenuem alveum insulam inter Germanosque* (c. 19). Civilis ad Frisios se recepit, unde c. 24 *exulem eum et extorrem* nominat. — *nota arte ducum*] qua nimirum apud suos suspectus et invidiosus redderetur. similia exempla apud Thucydidem 2, 13 sive Iustinum 3, 7, Livium 2, 39. 22, 23. Duebn. — *flexu autumni*] post medium tempus autumni. metaphora a flexu

tumni et crebris per aequinoctium imbribus superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit. nec classis aut commeatus aderant castraque in plano sita vi fluminis differebantur. (24) potuisse tunc opprimi legiones et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos inputavit Civilis; neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. nam Cerialis per occultos nuntios Batavis pacem, Civili veniam ostentans, Velaedam propinquosque monebat fortunam belli tot cladibus adversam opportuno erga populum Romanum merito mutare: caesos Treviros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam; neque aliud Civilis amicitia partum quam vulnera fugas luctus. exulem eum et extorrem recipientibus oneri; et satis peccavisse, quod totiens Rhenum transcenderint. si quid ultra moliantur, inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos fore. (25) miscebantur minis promissa; et concussa Transrhenanorum fide inter Batavos quoque sermones orti: »non prorogandam ultra ruinam nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli. quid profectum caede et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur? si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri; sin populum Romanum armis vocent, quotam partem generis humani Batavos esse? respicerent Raetos Noricosque et ceterorum onera sociorum: sibi

1 per aequinoctium *Orelli: in codice rasura, sed ita, ut legi possit* per equin . . tiū (*pro* c fuisse videtur l), *2m. superscr.* pertinaciū, *quod ipsum deletum est* animis (*2m. superscr.* ānis) 8 oportun (*litt.* o *foramine membranae absumpta*) pplm R̄. (*cum lineola in litt.* l) 9 cesos 10 partum *Ritter:* paratū 12 Iuriā (iniuriā *superscr. 2m.*) 13 transrhenorū (*post* e *superscr.* na 1m.) 16 plures *dett.:* fures 17 naucrint (*post* a *superscr.* ua 1*m.*) 18 provocent *det.*

metae. Id. — *aut commeatus*] quos classis advehere debebat.

24. *inputavit*] sibi tamquam meritum tribuit postea apud Romanos. eodem usu verbi ac 1, 38. — *propinquosque*] qui ministerii praestandi causa Velaedae semper aderant, ipsa cum in edita sua turri abdita esset neque in publicum prodiret. cf 4, 65. — *opportuno — merito*] obscuro hoc modo Germanos invitavit ad tradendum ipsi Civilem, quippe cum incertum adhuc esset, utrum is veniam ostentatam accepturus esset, necne. — *mutare*] *mutarent* malebat Heinsius, at saepe Tacitus verbum *moneo* ut *iubeo* construit, cf. locos plurimos apud *A. Greef* Lexicon Taciteum p. 860. — *partum*] legebatur *paratum*. simile huic vitium supra 5, 10, ubi erat *pace parata*, a Rhenano vere correctum esse omnes consentiunt. *vulnera* non *parata*, sed *parta* dicimus, si agitur de vulneribus acceptis. parat vulnera, qui studet infligere alteri. vulnera a Batavis *parata* sunt, quae illi hostibus paraverunt (*vorbereitete*), *parta*, quae ipsi sibi pepererunt. Ritter. — *Rhenum transcenderint*] cf. 4, 73 *eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias.*

25. *bellum navaverint*] pro vulgari: »operam in bello gerendo navaverint«. similiter 4, 59. Duebn. »si bellum pro Vespasiano susceperint, non amplius gerendum esse, cum ille rerum iam potitus sit.« Bipont. *Vespasiani* nomen cum emphasi repetitum. Rup. Dial. 13: *populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est.* — *vocent*] provocent, cf. Ann. 6, 34. Hist. 4, 80: *adrogantia vocare offensas.* — *quotam partem*] cf., si vacat, simillimam Agrippae regis ad

non tributa sed virtutem et viros indici. proximum id libertati; et si dominorum electio sit, honestius principes Romanorum quam Germanorum feminas tolerari.« haec volgus, proceres atrociora: »Civilis rabie semet in arma trusos; illum domesticis malis excidium gentis obposuisse. tunc infensos Batavis deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumeretur. ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant et noxii capitis poena paenitentiam fateantur.« (26) non fefellit Civilem ea inclinatio, et praevenire statuit, super taedium malorum etiam spe vitae, quae plerumque magnos animos infringit. petito colloquio scinditur Nabaliae fluminis pons; in cuius abrupta progressi duces, et Civilis ita coepit: »si apud Vitelli legatum defenderer, neque facto meo venia neque dictis fides debebatur: cuncta inter nos inimica; hostilia ab illo coepta, a me aucta erant. erga Vespasianum vetus mihi

3 rabies (s *del.* 1m.) 4 Inarmatusos (*post* t *superscr.* r 1m.) 7 pęna penitentiā 8 tediū 9 etiam *post* plerumque *transponit Acidalius* spē et magnos *Meiser* 11 cępit uitelliū (Vitellianum *Döderlein*) 13 cępta auctę

Iudaeos suos orationem apud Iosephum B. I. 2, 16, 4. — *virtutem et viros*] exquisite dictum pro »milites auxiliares, bellica fortitudine insignes«. *Ed. Wolff* confert Verg. Aen. 1, 565 *Quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem Virtutesque virosque.* ad rem cf. 4, 12, Germ. 29: *Batavi exempti oneribus et collationibus et tantum in usum proeliorum sepositi velut tela atque arma bellis reservantur.* — *Germanorum feminas*] fatidicas, ut Veledam 4, 61. — *domesticis malis*] cf. 4, 13 et 32. de Caecina 1, 53 *privata vulnera reipublicae malis operire statuit.* — *noxii capitis poena*] Civile interfecto aut Romanis tradito.

26. *inclinatio*] animorum conversio, ut Ann. 1, 28. — *spe vitae*] cf. Ann. 2, 63 de Maroboduo: *consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem.* — *Nabaliae*] fluctuat Ukert *Gallien* p. 165 inter flumina *Yssel* et *Vecht*; v. Ledebur *Bructerer* p. 238 et Walckenaer II. p. 297 fidenter habent pro fl. *Yssel* (*ou la branche orientale du Rhin*). Ptolemaeus quidem Geogr. 2, 11 ad eandem Rheni (sive *Yssel*) ripam memorat stationem primam Germaniae, *Navalia*, oppidum igitur, non flumen; verum utrum huc pertineat necne, prorsus incertum est, cum hoc videatur vocabulum Latinum, *Nabalia* Gallicum. Walckenaer I. p. 499 ex Chronico Hollandico Sec. XII. scripto a Nicolao Colino de hoc ipso Civilis cum Ceriale colloquio hos versiculos affert: . . . . . *Zo dat te male Op tie brugge van di Nau-Wale.* (*Ce Colinus finit sa chronique au même endroit de la guerre de Civilis que Tacite; ce qui prouve qu' au XII*[e] *siècle Tacite n' était pas plus complet qu' aujourd' hui.* Walck. de Nicolao Colino vide Excursum.) alii habuerunt pro Vahali, cui hic locus esse nequit, alii pro Fossa Drusiana. cf. *A. Dederich* Ueber die Nabalia des Tacitus (Monatschrift für die Geschichte Westdeutschlands, herausgegeben von Rich. Pick. 4. Jahrgang, 1878, p. 213—219). *Völker* Der Freiheitskampf der Bataver p. 12. *von Veith* Vetera Castra p. 37 et 41. — *pons, in cuius abrupta*] ex antiquo Germanorum more ita interdum foedera fiebant, ut rex vel dux uterque veluti suo in solo tutus consisteret atque, si de condicionibus haud conveniret, statim ad suos reverteret. proximum post Tacitum exemplum praebet Carmen Ruodlieb 3, 22: *obvius ad pontem venit is tibi nos dirimentem, Pax ibi firmatur.* Grimm *Lat. Ged.* Praefat. p. XIV, ubi alia similia subiungit. — *Vitelli legatum*] *Vitelli* scripsi, ut 4, 49 est *adfinitate Vitelli*, 4, 54 *mors Vitelli*; nam Medicei scriptura *Vitelliū* ortum videtur ex terminatione sequentis voca-

observantia; et cum privatus esset, amici vocabamur. hoc Primo Antonio notum, cuius epistulis ad bellum actus sum, ne Germanicae legiones et Gallica iuventus Alpes transcenderent. quae Antonius epistulis, Hordeonius Flaccus praesens monebat. arma in Germania movi, quae Mucianus in Syria, Aponius in Moesia, Flavianus in Pannonia.« * * *

1 essēt (*notam del.* 1m.) 2 eplis *cum lineola in litt.* l (*item v.* 3) 4 preseus mouit (*litt.* t *deleta videtur*) 5 pan|nia *post* pannonia *in b sequuntur spatio trium versuum relicto* 4, 20 illi ueteres — 4, 25 vocula mira *deinde iterum eodem spatio relicto* 4, 42 toleremus istorum — 4, 53 temeraıetur opus; *deinde sequitur in b* subscriptio CORNELII. TACITI. LIBER. XXI. EXPLICIT.

buli *legatū.* — *et cum privatus esset*] de hoc loco sensit Sidonius in Epistolis 4, 14. ad Polemium scribens: *C. Tacitus, unus e maioribus tuis, Ulpianorum temporum consularis, sub verbis cuiuspiam Germanici ducis in historia sua rettulit dicens: »Cum Vespasiano mihi vetus amicitia* (sic) *et, dum privatus esset, amici vocabamur.«* Lips. (In vv. *Ulpianorum* cet. inest error; nam Tacitus fuit consul suffectus sub Nerva a. u. c. 850, post Chr. 97.) — *actus*] incitatus. vide 4, 13. — *arma in Germania movi*] supple: »eadem« (pro Vespasiano). Duebn. Civilis orationem truncatam ita supplet Thierry III. p. 445: *»Si j'ai pris les armes, c'est parce qu' Antonius dans ses lettres et Hordéonius de vive voix m' y excitaient sans cesse: je n' ai fait en Germanie que ce que firent en Syrie Mucien, Aponius en Mésie, Flavianus en Pannonie, et toi-même, Cérialis, aux portes de Rome.«* ceterum de reliqua Civilis fortuna nihil certi constat, nisi quod ex verbis c. 24: *Cerialis Civili veniam ostentans* hoc colligit Thierry l. l: *»Les raisons de Civilis probablement n' auraient pas suffi seules à convaincre Cérialis; mais les promesses qu' il avait fait faire en secret au Batave, les engagemens pris avec Velléda, et surtout le besoin de terminer les hostilités avant l' hiver, le forçaient à s' en contenter. Civilis, reçu en grace, obtint la permission de vivre tranquille dans sa patrie.«* atque hic finis istius imperii Galliarum plenam libertatem a Romanis sibimet ipsis vindicare conantium. diversi prorsus generis fuit postea Tetrici imperium Gallicoromanum novem demum post annos ab Aureliano imperatore oppressum a. post Chr. 274. operae autem pretium est videre, qua incredibili adulatione Domitiano totam huius rebellionis oppressae gloriam tribuerit Iosephus B. Iud. 7, 4, 2. ed. Niese p. 582: Ἔμελλον δὲ οἱ Γερμανοὶ καὶ τοῦ Κερεαλίου μὴ θᾶττον εἰς τοὺς τόπους παραβαλόντος δίκην οὐκ εἰς μακρὰν ὑφέξειν· ἡνίκα γὰρ ἡ τῆς ἀποστάσεως αὐτῶν ἀγγελία τῇ Ῥώμῃ προσέπεσε, Δομετιανὸς Καῖσαρ πυθόμενος οὐχ ὡς ἂν ἕτερος ἐν τούτῳ τῆς ἡλικίας (νέος γὰρ ἦν ἔτι παντάπασι) τηλικοῦτον ἄρασθαι μέγεθος πραγμάτων ὤκνησεν· ἔχων δὲ πατρόθεν ἔμφυτον τὴν ἀνδραγαθίαν καὶ τελειοτέραν τὴν ἄσκησιν τῆς ἡλικίας πεποιημένος ἐπὶ τοὺς βαρβάρους εὐθὺς ἤλαυνεν. οἱ δὲ πρὸς τὴν φήμην τῆς ἐφόδου καταπεσόντες ἐπ' αὐτῷ σφᾶς αὐτοὺς ἐποιήσαντο μέγα τοῦ φόβου κέρδος εὑράμενοι τὸ χωρὶς συμφορῶν ὑπὸ τὸν αὐτὸν πάλιν ζυγὸν ὑπαχθῆναι. πᾶσιν οὖν ἐπιθεὶς τοῖς περὶ τὴν Γαλατίαν τάξιν τὴν προσήκουσαν Δομετιανός, ὡς μηδ' αὖθις ἄν ποτε ῥᾳδίως ἔτι τἀκεῖ ταραχθῆναι, λαμπρὸς καὶ περίβλεπτος ἐπὶ κρείττοσι μὲν τῆς ἡλικίας, πρέπουσι δὲ τῷ πατρὶ κατορθώμασιν εἰς τὴν Ῥώμην ἀνέζευξεν.

EXCURSUS AD C. II. SEQQ.

Consului Fr. Caroli Meier Iudaica seu veterum scriptorum profanorum de rebus Iudaicis fragmenta. Ienae 1832. Chr. Iac. Schmitthenner de rebus Iudaicis quaecunque prodiderunt scriptores Graeci et Latini. Part. I. Wilburgi 1844. I. G. Müller *Kritische Untersuchung der Taciteischen Berichte über den Ursprung der Juden, in Theologische Studien und Kritiken.* 1843. IV. *Heft* p. 893. Salvador *Histoire de la domination romaine en Judée et de la ruine de Jérusalem. Paris* 1847. Vol. II. Bunsenii Aegyptiacorum Liber IV, cum commentarium in haec Historiarum capita in manibus habui, nondum erat editus.

2. *Iudaeos*] »Quae sequuntur omnia e scriptoribus petita sunt gentilibus, manca aut prorsus falsa referentibus. dudum Graece legebantur sacri Iudaeorum libri, exstabat Iosephi opus: sed Tacitus in partem venisse videtur eius contemptus, quo populus terrarum dominus afficiebat Iudaeos, neque cognitos habuisse aut voluisse noscere illos libros, ex quibus solis vera peti poterant « Duebn. merito tamen dubitare licet, an Tacitus uti potuerit Iosepho, cum hic Traiani demum initio Antiquitates suas Iudaicas ediderit curaeque tam vastae molis tunc a bibliopolis illico multiplicari et a viris doctis acquiri nequirent. atque de Iosepho tanto magis etiam hoc valet, quia libros suos ipse venumdare solebat (Contra Apion. 1, 9). et si vel maxime Tacitus vidit opus illud, quid impedit, quominus ipse quoque fuerit inter illos *συχνοὺς τοῖς περὶ τὴν ἀρχαιολογίαν ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένοις ἀπιστοῦντας*; (ibid. 1, 1). a perlegendis autem LXX interpretibus eum sane repellere debebat ipsum Graeco-hebraicum scribendi genus et quod explanatoribus prorsus destitutus pleraque intelligere nequibat. — *Iudaeos Creta — profugos*] Hunc *μῦθον* memorat Tacitus solus. origo eius quaerenda in populis *Creti* et *Pleti* (ut nunc plerique scribunt, alii *Crethi* et *Plethi*) primum memoratis II. Samuelis 8, 18; sunt autem isti Cretes et Philistaei, ut nos docet amicus meus Hitzig *Urgeschichte und Mythologie der Philistäer. Leipzig* 1845. p. 17. hi vero Cretes, quandocunque in Asiae continentem immigrarant, eorumque vicini Philistaei inter Iudaeam ac Phoenicen habitantes iunguntur etiam apud Ezechielem 25, 16 et Sophoniam 2, 5: *Cretim* et *Pelistim*; priore loco LXX versio: *ἐξολεθρεύσω Κρῆτας, καὶ ἀπολῶ τοὺς καταλοίπους τοὺς κατοικοῦντας τὴν παραλίαν*· altero *πάροικοι Κρητῶν — Χαναάν, γῆ ἀλλοφύλων.* Rückert: *Hui, Wohner des Strichs am Meere, Volk der Kretim! Das Wort Jehovas über euch, Land der Philistäer!* hi autem Bibliorum Cretes videntur Eteocretes (*αὐτόχθονες*, indigenae) Homeri Od. τ, 176. Diod. 5, 64. hos vero eiusdem stirpis cum Phoenicibus fuisse arbitratur Müller p. 946. (quod vero dicit Müller p. 947, Polemonem tradere Libyes esse Cretes, ortum est ex falsa lectione ed. Franzii p. 184: *οἱ μὲν Λίβυες Αἰθίοψιν ὅμοιοι· οἱ δ' εἰσὶ Κρῆτες*· ubi necessario restituendum ex Adamantio p. 411: *οἱ μὲν Λίβυες Αἰθίοψιν ὅμοιοι· οἱ δὲ Ἴβηρες Κελτοῖς.*) cf. etiam Höck *Kreta* III. p. 411.

Novissimus etiam harum originum investigator, Röth *die Aegyptische und die Zoroastrische Glaubenslehre. Mannheim* 1846. *Noten* p. 5. bibliorum *Creti* et *Pleti* pro eiusdem gentis nomine habet, atque adeo unos eosdemque fuisse putat atque Cretes, Cares, Philistaeos, Phoenices, Pelasgos, quippe quae vocabula omnia significent *fugitivos, exsules, qui emigrarunt.* dein p. 13. Taciti locum sic illustrare conatur: *Es muss zu irgend einer Zeit ein ganzer phönizischer Volksstamm in die ausgedehnte Küstenstrecke von Nordafrika ausgewandert sein. Genauere Nachrichten finden sich über eine geschichtliche Begebenheit aus so früher Zeit bei den griechischen und römischen Schriftstellern begreiflicher Weise nicht, weil ihre eigene Geschichte fast erst*

um ein Jahrtausend später beginnt. Originalnachrichten der Phöniker und Karthager fehlen aber gänzlich, weil ihre Literaturen untergegangen sind. Man ist also ganz auf wenige dunkle Sagen und auf kärgliche abgebrochene Nachrichten beschränkt, die der Zufall erhalten hat. Zu den ersten gehört die Angabe des Tacitus (Hist. 5, 2): Iudaeos, Creta — cesserit regnis, *d. h. berichtigt und erklärt: die Phöniker — denn dass hier die Juden mit den benachbarten Philistäern verwechselt werden, ist klar — hätten, aus der Insel Kreta vertrieben, die äussersten Grenzen von Nordafrika bewohnt, zu der Zeit, als der bis dahin allgemein herrschende Dienst des Saturnus (des bei allen arianischen Völkern in der ältesten Zeit als höchste Gottheit verehrten Zeitgottes), verdrängt von dem neuen Dienste des Zeus (des von den Phönikern aus Aegypten mitgebrachten Götterdienstes), aufgehört habe. So dunkel und zum Theil entstellt auch diese Nachricht ist, so geht doch zweierlei aus ihr mit Klarheit hervor: einmal die mit der ältesten Geschichte von Kreta in Verbindung stehende Ausbreitung des phönikischen Stammes bis an die äussersten Grenzen Nordafrikas und zweitens ein mit dieser Auswanderung der Phöniker gleichzeitiger Wechsel der Glaubenslehre und des Gottesdienstes.* (simili dein modo exponit atque illustrat Sallust. Iug. c. 17.)

qua tempestate Saturnus vi Iovis profugus] cf. inter alios Diod. 5, 70, qui *vim* istam quantum potest mitigat, ut tandem remaneat Ζεὺς παραλαβὼν τὴν βασιλείαν παρὰ Κρόνου. ii quidem, quibus placent naturales fabularum explicationes, idem fere statuunt ac (similiter sane cum Röthio) Müller p. 942: *In Kreta kam der Zeusdienst mit der alten Kronosreligion in Streit, und zwar in der Minoischen Zeit, und daraus gestaltete sich der Mythus von der Entthronung des Kronos in Kreta.* — *advolas Idaeos*] refer huc vv. c. 4: *Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus.* Idaei Dactyli plerumque cum Iove consociantur, ut genii, huius dei ministri; hic vero Saturni sunt comites, ut apud Plutarch. de Facie in orbe Lunae 26, 12: τοὺς δαίμονας ἐκείνους περιέπειν καὶ θεραπεύειν τὸν Κρόνον, ἑταίρους αὐτῷ γενομένους, ὅτε δὴ θεῶν καὶ ἀνθρώπων ἐβασίλευε. iam auctor μύθου a Tacito hic narrati ex geniis illis fecit populum, Idae montis accolam; etsi ut populus nusquam alibi memorantur Idaei. — *regnante Iside*] quadam cum discrepantia hic μῦθος refertur a Plutarcho de Iside et Os. 31: οἱ δὲ λέγοντες ἐκ τῆς μάχης (adversus Horum, Osiridis et Isidis filium) ἐπὶ ὄνου τῷ Τυφῶνι τὴν φυγὴν ἑπτὰ ἡμέρας γενέσθαι, καὶ σωθέντα γεννῆσαι παῖδας Ἱεροσόλυμον καὶ Ἰουδαῖον, αὐτόθεν εἰσὶ κατάδηλοι τὰ Ἰουδαϊκὰ παρέλκοντες εἰς τὸν μῦθον. Plutarchus igitur non magis auctorem suum nominat quam Tacitus nec Müller eum indagare potuit; attamen ex μύθῳ Aegyptiaco haec repetit p. 932. (»ut Graecarum urbium pleraeque heroëm ipsis cognominem (ἐπώνυμον) venerantur tamquam conditorem suum, ita Hierosolyma quoque tali conditore ἐπωνύμῳ donarunt illi scriptores.« Duebner.) — *rege Cepheo*] ignotus item est huius μύθου fons. Cepheus autem vocatur rex Aethiopiae, id est, Phoenices, quoniamquidem Persei certamen cum belua marina pro eius filia Andromeda initum ab omnibus ad Ioppen refertur. Pomponius Mela 1, 11: *in Syria est Ioppe —, ubi Cephea regnasse eo signo accolae affirmant, quod titulum eius fratrisque Phinei veteres quaedam arae cum religione plurima retinent. quin etiam rei celebratae carminibus ac fabulis servataeque a Perseo Andromedae clarum vestigium, beluae marinae ossa immania ostentant.* Plin. 5, 69: *Iope Phoenicum* cet. id. 9, 11: *beluae, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romae apportata ex oppido Iudaeae Iope.* igitur rursus μῦθος Phoenicius hic cum rebus Iudaicis permixtus est. cf. Müller p. 935. — *Assyrios convenas*] hunc μῦθον explicat Iustinus 36, 2: *Iudaeis origo Damascena,*

Syriae nobilissima civitas; unde et Assyriis regibus genus et reginae Semiramidi fuit. nomen urbi a Damasco rege inditum. — post Damascum Azelus, mox Adores et Abrahames et Israhel reges fuere. sed Israhelem felix decem filiorum proventus maioribus suis clariorem fecit. itaque populum in decem regna divisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Iudae, qui post divisionem decesserat, Iudaeos appellavit colique memoriam eius ab omnibus iussit, cuius portio omnibus accesserat. Trogus autem Pompeius narrationem suam hausisse videtur partim ex aequali scriptore Nicolao Damasceno, qui Histor. 4. ed. Orelli p. 114: *Ἀβράμης ἐβασίλευσε Δαμάσκου ἔπηλυς σὺν στρατῷ ἀφιγμένος ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος Χαλδαίων λεγομένης. μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον μεταναστὰς καὶ ἀπὸ ταύτης τῆς χώρας σὺν τῷ σφετέρῳ λαῷ εἰς τὴν τότε μὲν Χαναναίαν λεγομένην, νῦν δὲ Ἰουδαίαν, μετῴκησε καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνου πληθύσαντες. — τοῦ δὲ Ἀβράμου ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ Δαμασκηνῶν τὸ ὄνομα δοξάζεται.* id quod nescio quam vere de cultu divino Abrahamo reddito interpretatur Müller p. 855; immo simpliciter est »celebratur, cum honore memoratur«. partim autem Trogus consuluisse videtur Alexandrum Polyhistorem, cuius de Abrahamo exstat testimonium apud Iosephum A. I. 1, 15. qui scriptor, quatenus colligi potest ex Euseb. Praep. evang. 9, 17 et 21, fortasse ipse legerat versionem LXX Graecam vel saltem alios secutus est, qui eam inspexerant (Müller p. 957). quos auctores ipse habuerit Tacitus, non satis liquet in tanta scriptorum sese exscribentium, plurium narrationes modo permiscentium, modo mire in unum contrahentium multitudine. siquidem Alexander apud Euseb. Praep. evang. 9, 17 affert testimonia ex Eupolemo, Artapano, Cleodemo aliisque scriptoribus rerum Iudaicarum. cf. Iustini Mart. Cohortat. ad gentes 9. — *Solymos*] Lyciae plerisque est populus, Pisidiae Plinio 5, 94, quem populum eodem teste 5, 127 cum aliis Asiae minoris interisse tradiderat Eratosthenes. *Clara Iudaeorum initia* hoc ex *μύθῳ* dicit, quia clara omnia habebantur, quae Homerus celebraverat; significat autem Il. Z, 184: *Δεύτερον αὖ Σολύμοισι μαχήσατο κυδαλίμοισιν.* Od. ε, 282: *Τὸν δ' ἐξ Αἰθιόπων ἀνιὼν κρείων ἐνοσίχθων Τηλόθεν ἐκ Σολύμων ὀρέων ἴδεν.* primus vero Solymos pro Iudaeis habuisse videtur Choerilus Samius (a. a. Chr. 472, ut vult Naekius, 479—399, Clinton *Fasti Hellenici* II, p. 31). eius versiculos huc pertinentes servavit Iosephus contra Ap. 1, 22, Poet. epic. ed. Duebn. p. 24: *Τῶν δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες· Ὤικεον δ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ παρὰ λίμνῃ Αὐχμαλέοι κορυφὰς τροχοκουράδες, αὐτὰρ ὕπερθεν Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρουν ἐσκληκότα καπνῷ.* sed Choerilus quoque Iudaeos cum Phoenicibus confudit, id quod maxime apparet ex voc. *τροχοκουράδες*· etenim in orbem tonsi erant Phoenices et Arabes, non Iudaei, quibus hic mos severe interdictus erat. Levitic. 19, 27: *Οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, οὐδὲ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος ὑμῶν.* contra *λίμνην*, quam memorat, *τὴν Ἀσφαλτῖτιν* esse testatur Iosephus l. l. et Eusebius Praepar. evang. 9, 9. — ceterum item de Iudaeis cogitasse videtur Quintus Smyrnaeus, memorans 2, 122: *Ἀργαλέων Σολύμων ἱερὸν στρατόν.* inter poëtas Latinos hoc voc. utuntur Iuven. 6, 544: *Interpres legum Solymarum*, Martial. 7, 55. — *Hierosolyma*] hac forma ad v. *ἱερὸς* a Graecis detorta, ut significaret »urbs sacra vel templum Solymorum«, primus usus esse videtur Hecataeus Abderita apud Ioseph. contra Ap. 1, 22; reperitur etiam in libro Tobiae et secundo Maccabaeorum; apud ceteros LXX est *Ἱερουσαλήμ*. cf. Müller p. 949. et Aristoteles apud Iosephum l. l., qui hoc hausit ex Clearcho: *τὸ δὲ τῆς πόλεως αὐτῶν ὄνομα πάνυ σκολιόν ἐστιν· Ἱερουσαλήμην γὰρ αὐτὴν καλοῦσιν.*

3. 4. *plurimi auctores*] primae partis quintae huius narrationis praecipuus auctor est Lysimachus Alexandrinus, scriptor saeculi ante Chr. secundi vel primi ineuntis. cf. Müller p. 914. cum hoc in singulis fere, quae narrat, consentit maxime usque ad vv. *Moysen, unum exulum*, Tacitus, ut colligitur ex illius narratione servata a Iosepho contra Ap. 1, 34. nam is quoque expulsionem τῶν Ἰουδαίων λεπρῶν καὶ ψωρῶν ad Bocchorim regem refert, qui adierit Hammonis oraculum ab eoque hoc responsum tulerit: τὰ ἱερὰ καθᾶραι ἀπ' ἀνθρώπων ἀνάγνων καὶ δυσσεβῶν ἐκβάλλοντα αὐτοὺς ἐκ τῶν ἱερῶν εἰς τόπους ἐρήμους κτλ. cum Taciti verbis *ne quam deorum hominumve opem* cet. quadamtenus concinunt haec Lysimachi: Μωσῆν παρακελεύσασθαι αὐτοῖς μήτε ἀνθρώπων τινὶ εὐνοήσειν μήτε ἄριστα συμβουλεύσειν ἀλλὰ τὰ χείρονα θεῶν τε ναοὺς καὶ βωμούς, οἷς ἂν περιτύχωσιν, ἀνατρέπειν. id autem perquam memorabile est tantopere a nostris Annalibus, qui ex novissimis investigationibus Hitzigii (*Philistäer* p. 170.) Moysis emigrationem assignant anno ante Chr. 1492, abire rationem Lysimachianam; siquidem Bocchoris unicus rex dynastiae vicesimae quartae a. ante Chr. 763—720 (Bunsen *Aegypten* III. p. 128, contra a. 725—720 Böckh *Manetho* p. 393) in urbe Sai fertur regnasse, cum Aethiopes Aegyptum per quadraginta annos sub Sabbacone suo tenuerunt, qui Bocchorin cepit vivumque cremavit; discrimen igitur est annorum circiter DCCXL. cf. I. Reg. 6, 1, ubi numerantur anni CCCCLXXX ab exitu Israelitarum ex Aegypto usque ad conditum a Salomone templum. at Böckhius (*Manetho* p. 190) hoc testimonium, quod tamen post Iosephum (ibid.) inculcatum esse nequit in contextum Hebraicum et versionem τῶν ο', suo arbitratu, ut suspectum reiiciens, ac Iustinum Martyrem, Tatianum, Clementem Alexandrinum (Strom. 1, 21, 101) secutus, exitum illum refert ad a. 1667 ante Chr., ita ut discrimen foret annorum circiter DCCCCX. Müller p. 916. causam tantae discrepantiae quaerit in Aegyptiorum invidia adversus Iudaeos, qua transversum acti, secundo ante Chr. saeculo inceperint, quoad eius fieri posset, deprimere atque extenuare antiquitatem gentis invisae.

Altera pars de Moysis emigratione, varios per rivulos ad Tacitum deducta, repetenda est ex Manethonis, qui vixit sub Ptolemaeo Philadelpho, primitus duplici narratione, altera de Hycsis apud Iosephum c. Ap. 1, 14 hausta, ut hic dicit c. 16: ἐκ τῶν ἀδεσπότως μυθολογουμένων, in qua nulla Moysis mentio; altera ἐκ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις γραμμάτων, in qua de Moyse haec leguntur: λέγεται δέ, ὅτι τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς νόμους αὐτοῖς καταβαλόμενος ἱερεύς, τὸ γένος Ἡλιοπολίτης, ὄνομα Ὀσαρσίφ, ἀπὸ τοῦ ἐν Ἡλίου πόλει θεοῦ Ὀσίρεως, ὡς μετέβη εἰς τοῦτο τὸ γένος, μετετέθη τοὔνομα καὶ προσηγορεύθη Μωυσῆς. Theophilus ad Autolycum 3, 21 p. 392: Μαναιθὼς δὲ ὁ κατ' Αἰγυπτίους πολλὰ φλυαρήσας, ἔτι μὴν καὶ βλάσφημα εἰπών, ὥστε Μωσέα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ Ἑβραίους, ὡς δῆθεν διὰ λέπραν ἐκβληθέντας ἐκ τῆς Αἰγύπτου, ποιμένας αὐτοὺς εἰπὼν καὶ πολεμίους Αἰγυπτίων, οὐχ εὗρεν τὸ ἀκριβὲς τῶν χρόνων εἰπεῖν. sequitur Chaeremon (cf. Ideler Hermapion. Lipsiae 1841. Append. p. 55, ubi affertur etiam Cosmae Indicopleust. Topogr. Christ. XII. p. 341. D. ed. Montfauc. Bunsen *Aegypten* I. p. 128) apud Iosephum c. Ap. 1, 32: ἡγεῖσθαι δ' αὐτῶν γραμματέας Μωσῆν τε καὶ Ἰώσηπον καὶ τοῦτον ἱερογραμματέα· Αἰγύπτια δ' αὐτοῖς ὀνόματα εἶναι, τῷ μὲν Μωσῇ Τισιθέν, τῷ δὲ Ἰωσήπῳ Πετεσήφ. proximus scriptor hic memorandus est Diodorus in Fragm. L. 34 et 40. ed. Lud Dindorf. II. p. 49 et 73, qui item de vitiligine Iudaeorum, Moysis emigratione, asinique apud populares cultu narrat. tum inspice Strabonem L. 16 p. 760, qui item tradit a Moyse ex Aegypto deductos esse Iudaeos in Palaestinam. agmen claudat Trogus Pompeius sive Iustinus 36, 2, ubi de Moysis itinere per deserta Arabiae.

collato autem Iosepho in A. I. 1, 7, 2 et 1, 15, item contra Ap. 2, 7 probabile fit Trogum consuluisse de rebus Iudaicis Posidonium, Nicolaum Damascenum et Alexandrum Polyhistorem. restat, ut notemus extrema huius capitis *sex dierum iter emensi septimo* cet. et Iustini l. l. *Moses montem Sinaeum occupat, in quo septem dierum ieiunio per deserta Arabiae — fatigatus cum tandem venisset*, probabiliter ex Posidonio petita esse, qui ab antiquiore sine dubio auctore inductus Moysis iter confuderit cum Typhonis fuga septem per dies continuata, de qua Plutarchus de Is. et Os. 31, quem locum ad c. 2 exscripsimus. ex eadem confusione repetenda, quae mox c. 4 de asini cultu apud Iudaeos traduntur. quam ad rem cf. Diodorus Fragm. L. 34: Ἀντίοχος ὁ Ἐπιφανὴς — εἰσῆλθεν εἰς τὸν ἄδυτον τοῦ θεοῦ σηκόν —· εὑρὼν δὲ ἐν αὐτῷ λίθινον ἄγαλμα ἀνδρὸς βαθυπώγωνος καθήμενον ἐπ' ὄνου μετὰ χεῖρας ἔχων βιβλίον, τοῦτο μὲν ὑπέλαβε Μωυσέως εἶναι τοῦ κτίσαντος τὰ Ἱεροσόλυμα καὶ συστησαμένου τὸ ἔθνος. ex quibus patet, unde et quando haec fabula orta sit. Iosephus c. A. 2, 7. Tertullianus Apolog. 16. nimirum cultus Typhonis translatus est a nescio quo ad Iudaeos. Plut. de Is. et Os. 30: τὴν τοῦ Τυφῶνος ἠμαυρωμένην καὶ συντετριμμένην δύναμιν, ἔτι δὲ καὶ ψυχοῤῥαγοῦσαν καὶ σφαδάζουσαν, ἔστιν αἷς παρηγοροῦσι θυσίαις καὶ πραΰνουσιν· ἔστι δ' ὅτε πάλιν ἐκταπεινοῦσι καὶ καθυβρίζουσιν ἔν τισιν ἑορταῖς — ὄνον — κατακρημνίζοντες, ὡς Κοπτῖται, διὰ τὸ πυῤῥὸν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα καὶ ὀνώδη τὴν χρόαν κτλ. cf. Mueller p. 921. attamen, verum ut fatear, probabilius originem istius erroris de asino a Iudaeis culto alii repetere mihi videntur a *Cherubim* illis, quae proprie sunt *tonitrua*, animalia sphingica Aegyptiorum ex alite, homine et quadrupede composita, tonanti dei curui iuncta et primum in sancti tabernaculi operculo (Exod. 25, 18), deinde in templo eiusque adyto a parietibus efficta (1. Reg. 6, 23). vide Rupertium. — *septimo diei otium*] dignus est, qui hic inseratur locus Rutilii Namatiani 1, 387. ed. Bährens, ubi poeta apud *querulum* cauponem *Iudaeum* devertitur, *Humanis animal dissociale cibis: Reddimus obscaenae convicia debita genti, Quae genitale caput propudiosa metit (Radix stultitiae), cui frigida sabbata cordi, Sed cor frigidius relligione sua: Septima quaeque dies turpi damnata veterno, Tamquam lassati mollis imago dei: — — Victoresque suos natio victa premit.*

5. *tributa et stipes*] Philo Leg. ad Gaium 23: ἠπίστατο (Τιβέριος) καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερὰ καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων. et 31: καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερόν, τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν, δυσβάτους καὶ ἀτριβεῖς καὶ ἀνηνύτους ὁδοὺς περαιούμενοι, ἃς λεωφόρους εἶναι νομίζουσιν, ὅτι πρὸς εὐσέβειαν ἄγειν δοκοῦσι. Iosephus A. I. 14, 7, 2: θαυμάσῃ δὲ μηδείς, εἰ τοσοῦτος ἦν πλοῦτος ἐν τῷ ἡμετέρῳ ἱερῷ, πάντων τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἰουδαίων καὶ σεβομένων τὸν θεόν, ἔτι δὲ καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης εἰς αὐτὸ συμφερόντων ἐκ πολλῶν πάνυ χρόνων. certis autem argumentis colligitur habitasse ultra 4 000 000 Iudaeos terras peregrinas. atque notabile est testimonium Philonis in Flacc. 6. p. 971: οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν οἱ τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας. — *Iudaei mente sola*] dignus est, qui conferatur, Strabo 16. p. 760: Ἔφη γὰρ Μωυσῆς καὶ ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῖεν Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον, οὐδ' οἱ Λίβυες· οὐκ εὖ δὲ οὐδ' οἱ Ἕλληνες, ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες· εἴη γὰρ ἓν τοῦτο μόνον θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ὃ καλοῦμεν οὐρανὸν καὶ κόσμον καὶ τὴν τῶν ὄντων φύσιν. τούτου δὴ τίς ἂν εἰκόνα πλάττειν θαῤῥήσειε νοῦν ἔχων ὁμοίαν τινὶ τῶν παρ' ἡμῖν; ἀλλ' ἐᾶν δεῖ πᾶσαν ξοανο-

ποιῖαν, τέμενος ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν εἴδους χωρίς. ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους· καὶ προσδοκᾶν δεῖν ἀγαθὸν παρὰ τοῦ θεοῦ καὶ δῶρον ἀεί τι καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τοὺς δ' ἄλλους μὴ προσδοκᾶν. Dio 37, 17: *ἄγαλμα οὐδὲν ἐν αὐτοῖς ποτὲ τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔσχον· ἄρρητον δὲ δὴ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι. καὶ αὐτῷ νεών τε μέγιστον καὶ περικαλλέστατον, πλὴν καθ' ὅσον ἀχανής τε καὶ ἀνώροφος ἦν, ἐξεποίησαν.* dei nomen memorat Diodorus 1, 94: *παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις (ἱστοροῦσι) Μωυσῆν τὸν Ἰαῶ ἐπικαλούμενον θεὸν (προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι).* multo sane subtilius veriusque Tacitus religionis Iudaicae intimam vim atque praecipuum caput perspexit quam Diodorus 40. p. 543: *ἄγαλμα δὲ θεῶν τὸ σύνολον οὐ κατεσκεύασε διὰ τὸ μὴ νομίζειν ἀνθρωπόμορφον εἶναι τὸν θεόν, ἀλλὰ τὸν περιέχοντα τὴν γῆν οὐρανὸν μόνον εἶναι θεὸν καὶ τῶν ὅλων κύριον·* et Iuvenalis 14, 97: *Nil praeter nubes et caeli numen adorant.* — *vitisque aurea*] Iosephus B. I. 5, 5, 4. ed. Niese: *ἡ διὰ τοῦ οἴκου πύλη κεχρύσωτο μὲν πᾶσα, καὶ ὅλος ὁ περὶ αὐτὴν τοῖχος· εἶχε δὲ καὶ τὰς χρυσᾶς ὑπὲρ αὐτῆς ἀμπέλους, ἀφ' ὧν βότρυες ἀνδρομήκεις κατεκρέμαντο.* idem A. I. 15, 11, 3, ubi narrat, quomodo Herode iubente sumptusque praebente exstructum sit tertium templum: *θύρας δὲ ἐπὶ τῆς εἰσόδου σὺν τοῖς ὑπερθυρίοις ἴσον ἐχούσας τῷ ναῷ ποικίλοις ἐμπετάσμασιν κεκόσμητο, τὰ μὲν ἄνθη ἁλουργέσι, κίονας δὲ ἐνυφασμένους. καθύπερθε δ' αὐτῶν ὑπὸ τοῖς τριχώμασιν ἄμπελος διετέτατο χρυσῆ τοὺς βότρυας ἀπαιωρουμένους ἔχουσα, θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν, οἷον ἐν πολυτελείᾳ τῆς ὕλης τὸ κατασκευασθὲν ἦν.* — *Liberum patrem coli*] multus est in hac opinione exponenda atque defendenda Plutarchus in Quaestt. Conv. 4, 6: *πρῶτον μὲν τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρὰ τοῖς Ἑβραίοις ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων. τὴν γὰρ λεγομένην νηστείαν ἄγοντες ἀκμάζοντι τρυγητῷ τραπέζας τε προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας ὑπὸ σκηναῖς καὶ καλιάσιν ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις· καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς σκηνὴν ὀνομάζουσιν. ὀλίγαις δ' ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτήν, οὐκ ἂν δι' αἰνιγμάτων ἀλλ' ἄντικρυς Βάκχου καλουμένην, τελοῦσι κτλ.*

13. *sexcenta milia*] Salvador II. p. 374: *Pendant la conquête de Titus, Tacite, renseigné par des témoins oculaires porte à six cent mille les assiégés de Jérusalem, de tout âge et de tout sexe. Le nombre de Josèphe est passé presque en axiôme: onze cent mille individus auraient trouvé la mort dans cette cité. Mais pour donner quelque vraisemblance au nombre de Tacite et à celui de l'historien juif, il est nécessaire d'admettre que l'encombrement et la mortalité ne commencèrent pas seulement au siège de Titus. Dans le cours des trois années précédentes, la flamme et le fer, promenés à travers tous les districts du pays par Vespasien et ses lieutenans, avaient fait refluer des milliers d'habitans sur la ville centrale. La douleur morale, la souffrance physique, la violence des discordes y avaient précipité les atteintes réitérées de ces maladies pestilentielles, si fréquentes en Orient, qui ont le fatal pouvoir de réduire en solitude, et avec une surprenante rapidité, les quartiers les plus populeux.*

De rebus Iudaicis praetera consulendi sunt: *L. Geiger:* Quid de Iudaeorum moribus atque institutis scriptoribus Romanis persuasum fuerit. Berolini 1872. — *John Gill:* Notices of the Jews and their country by the classic writers of antiquity. 2. ed. London 1872. — *Labhardt:* Quae de Iudaeorum origine iudicaverint veteres (Programm des Gymnasiums St. Stephan

in Augsburg 1881). — *Thiaucourt:* Ce que Tacite dit des Juifs au commencemement du livre V. des Histoires (Revue d'études juives 37. 1889). — *Abraham Geiger:* Das Judentum und seine Geschichte. Breslau 1865. — *R. Kittel:* Geschichte der Hebräer. Gotha, Perthes, 1888. — *Ad. Weifs:* Die römischen Kaiser und ihr Verhältniss zu Juden und Christen (Programm des akademischen Gymnasiums in Wien. I. 1882. II. 1883.) — *J. Wellhausen:* Prolegomena zur Geschichte Israels. Berlin, Reimer 1883. — *Emil Schürer:* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi. Leipzig, Hinrichs 1886. — *Bernhard Stade:* Geschichte des Volkes Israel. Berlin, Grote. — *A. Hausrath:* Neutestamentliche Zeitgeschichte. — *Reinhold Röhricht:* Bibliotheca Geographica Palaestinae. Berlin, Reuther und Reichard. — *Guthe:* Ausgrabungen bei Jerusalem. Leipzig, Bädeker 1883. — *W. Lotz* und *Steinschneider:* Ueber die Juden im Altertum (Jahresbericht der Geschichtswissenschaft von J. Hermann uud J. Jastrow. 6. Jahrgang 1883. Berlin, R. Gärtner 1888).

* * *

Ad Cap. 26. in Henrici Cannegieteri Dissertatione de Brittenburgo cet. Hagae-Comitum 1734. p. 3. repperi certiora quaedam de Colino: »Nicolaus Colinus in Chronico rhythmico, quod saeculo duodecimo scriptum haud ita pridem edidit Gerhardus Dumbar, praeclare nuper de Daventria patria sua meritus, Brittenburgum etiam Romanis vindicat. — — tanto autem maior fides huic homini habenda, quicunque ille fuit, quanto antiquior et fide integritateque praestantior. nihil enim se scriptis consignare dicit, nisi quod ex certis monumentis cognoverat, proscriptis reiectisque prodigiosarum fabularum monstris, quibus ceterorum Chronicorum sarcinatores nimium indulgent. immo eo tempore vixit, quo in monasterio Egmondano exstabant prisca Bardorum carmina, quod unum apud Germanos, ut scribit Tacitus de moribus Germanorum c. II, addo etiam apud Gallos plerosque, memoriae et Annalium genus fuit. ita namque Colinus in loco mutilato p. 252, sic tamen mutilato, ut illa, quam dixi, sententia perspiciatur:

En ti Barden woizen lezen
Ti nog overich haben wezen
Minen daghen binnen Hegmonden
Zolckes hab ie zo bevonden.

quam vellem, etiam Taciti Historias pleniores habuisset Colinus, quam nos hodie habemus, saltem in illo loco, in quo is Civilis conatus adversus Romanos narrat. in ea enim causa desinit Colinus res gestas Civilis memorans, ubi hodie Taciti Historiae desinunt, id est, in colloquio inter Civilem et Cerialem de pace in ponte Nabaliae, sive, ut Tacitus scribit, ad recisum pontem eius amnis. quae res indicio est, aut ipsum Tacitum opus hoc imperfectum reliquisse« (hoc certe nemo iam putabit) »aut Colini aetate illam partem iam interiisse; in hunc namque modum hic versificator:

Zo dat te male
Op die brugge van die Nau-Wale
Wurt gedainget van den peyse;
Waer hy sturf en op wat weyze
Adel Greve Glaude Schevelen
Vint ix ni in geene delen.«

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena. — 1347